N. 85 200

is q̄ voluit. d, rap ba. d ra. cōsulēdo et pz i
pro. anto. dicēs q̄ vbi snia arbitratoris red
ipsa reductiōe ē exprimēda cāzalis nō pced
ator cognoscit ⁊ pnūciat ex arbitrio sibi ccō
istin. §. recepisse. ff. de arbi. Et iudex cui9 ar
it ⁊ pnūciat arbitrio sibi p legē ccesso, ergo
tiōe q̄ siqs velit appellare ab huiusmōi snia
exprimere cāz in appellatiōe: nā h̄ ē bona eq
āt arbitriū arbitrator vī arbitrator ip̄m h̄r
robāte cpromissuz. ar. l. lege obuenire de
cctiōe accipiāt: vt i. l. j. §. si cuenerit. j. po
od. alle. facit p hac csideratiōe q̄ ibi appella
iōe: ⁊ sic appellat ab iterlocutoria in q̄ ap. dz
ppellauit. de ap. Et no. doc. i. l. minorib9. C. d
c pōt fuari opi. Inno. vt vez sit q̄ i his q̄ reh
l si appellet nō exp̄ssa cā sicut cōiter ē in qlib ap
ap. Istud tz p cōstāti q̄ lz eo mō quo i sup
ramēti iferat in arbitriū iudicis vt cōsidere
lētillec. sz theoricā politicā in. c. rōana. de testi
bitrio iudici vtz deferat istud iuramētū vl' n
ogit deferre i cāu i quo sit loc9 dilatiōi. tex. i.
In tex. ibi cā cognita descidi oz ēt. nā ly oz
ssitatē. vt no. i. l. sepe. ff. de offi. p̄si. ⁊ ita tenē
r. Solet dubitari si actor plene pbauit: ⁊ re9
ōferri hoc iuramētū reo. Bar. ⁊ bal. quos c
bi pbatiōes sunt ōrie: q̄ vn9 dicit q̄ mutuau
z: nō defert iuramētū reo: imo actor obtinet
si meli9 pbauerit. vt i. l. ob carmē. §. si testes.
p̄sītia' ex de testi. Sin aūt pbatiōes nō sunt ce
or plene pbauit mutuū: ⁊ re9 se iplene pbauit
defert iuramētū reo: q̄ reus i sua exceptiōe ē
ep. ⁊ i. l. in exceptiōib9. j. de pb. Hoc pceder
illud iuramentū de quo dicit vt. ff.
intelligatur pbatiōib9 exūt
exūte mima sus
ramētū p gli
atio: is

IACOBI SEGARRAE ALONENSIS

DOCTORIS MEDICI,

ET IN ACADEMIA VALEN-
TINA PVBLICI MEDI-
CINAE PROFESSORIS

COMMENTARII [illegible] LOGICI

NON SOLVM MEDICIS, SED
Philosophis & omnium [illegible]
longè vtilissimi.

[illegible]

[illegible]

IACOBI SEGARRAE ALONENSIS

DOCTORIS MEDICI,

ET IN ACADEMIA VALENTINA PVBLICI MEDICINAE PROFESSORIS,

COMMENTARII PHYSIOLOGICI.

NON SOLVM MEDICIS, SED ET Philosophis, & omnium bonarum artium studiosis longe vtilissimi.

QVIBVS PRÆFIXVS EST EIVSDEM auctoris libellus de artis Medicæ Prolegomenis.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.

* HAVD QVIDQVAM EGREGIVM PRAESTABIS SI MODVS ABSIT: NAM MODVS EST CVNCTIS, NORMAQVE, LEXQVE SVA.

VALENTIÆ,

Ex Typographia Petri Patricii Mey. 15 6.

CORPVS PRIMVM

Complectens ea, quæ ad partem Medicinæ Physiologicam pertinent. Continet autem Commentarios

In librum Hippocratis de natura hominis.

In tres Galeni libros de temperamentis.

In tres libros Galeni de facultatibus naturalibus

OS DON PHILIPE por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Aragon, de Leon, de las dos Sicilias, de Hierusalem, de Portugal, de Vngria, de Dalmacia, de Croacia, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galizia, de Mallorca, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, de los Algarues de Algezira, de Gibraltar, de las Islas de Canaria, de las Indias Orientales y Occidentales, de las Islas y tierra firme del mar Oceano, Archiduque de Austria, Duque de Borgoña, de Brabante, de Milan, de Athenas y Neopatria, Conde de Abspurg, de Flandres, de Tirol, de Barcelona, de Rosellon y Cerdaña, Marques de Oristan, y Conde de Gociano. Por quanto por parte de uos el Doctor Iayme Segarra, Cathedratico de Medicina en la Vniuersidad de Valencia, me ha sido referido que teneys hechos Comentarios sobre algunos libros de Hippocrates y Galeno, de que aueys hecho un libro intitulado, Tomus primus Commentariorum complectens eaquae ad partem medicinae phisiologicam pertinent; que son comentarios sobre el libro de Hipocrates de natura hominis, y sobre los tres libros de Temperamentis, y sobre los tres libros de Facultatibus naturalibus de Galeno; y que por ser libro muy util y prouechoso lo desseays imprimir, y que se uenda en los Reynos de la Corona de Aragon; suplicandonos os mandemos dar licencia para ello por tiempo de diez años; con prohibicion que ningun otro lo pueda hazer sino uos, o la persona que uuestro poder tuuiere. E Nos, auida consideracion a lo sobredicho, y al trabajo que aueys tenido; y que ha sido uisto, reconocido, y aprouado por nuestro mandado, auemos tenido por bien concederos la dicha licencia en la manera infrascripta. Por ende con tenor de las presentes, de nuestra cierta ciencia y Real autoridad, damos licencia y facultad a uos el dicho Doctor Iayme Segarra, y a la persona o personas que uuestro poder tuuieren; para que podays imprimir, o hazer imprimir, al Impressor o Impressores que quisieredes el dicho libro, en qualesquier Ciudades, Villas y Lugares de los dichos nuestros Reynos y señorios de la Corona de Aragon, y uender en ellos los impressos alli, o en otras partes; prohibiendo segun que con las presentes prohibimos y uedamos, que ninguna otra persona lo pueda imprimir, ni hazer imprimir ni uender, ni lleuarlos impressos de otras partes a uender en los dichos nuestros Reynos y señorios sino uos, o quien uuestro poder tuuiere, por tiempo de los dichos diez años, que comiencen a correr del dia de la data de las presentes en adelante, sopena de mil florines de oro de Aragon, y perdimiento de moldes y libros, diuidideros en tres yguales partes; la una a nuestros Reales cofres, otra para uos el dicho Doctor Iayme Segarra, y otra al acusador: con tal empero, que los que hizieredes imprimir para uender en los dichos nuestros Reynos de la Corona de Aragon, no los podays uender hasta que hayays traydo a este nuestro S. S. Real Consejo de Aragon que cabe nos reside, el que nos aueys presentado, y esta rubricado al fin de mano de Pedro Franquesa nuestro Secretario, juntamente con otro de la nueua impression; para que se comprueue si la dicha nueua impression estara conforme al dicho libro que se nos ha presentado, y esta rubricado como arriba se dize. Mandando con el mismo tenor de las presentes, y de la dicha nuestra cierta ciencia y Real auctoridad, a qualesquier Lugartenientes, y Capitanes generales; Canceller, Vicecanceller; Regentes la Cancelleria, y Regente el oficio y portant uezes de nuestro general Gouernador, Iusticias, Vegueres, Bayles, Sotuegueres, Sotbayles, Alguaziles, Vergueros, Porteros, y otros qualesquier oficiales y ministros nuestros mayores y menores, en los dichos nuestros Reynos y señorios de la Corona de Aragon, constituydos y constituyderos, y a sus Lugartenientes y Regentes los dichos oficios, so incurrimiento de nuestra yra e indignacion, y pena de mil florines de oro de Aragon de bienes del que lo contrario hiziere, exigideros y a nuestros Reales cofres aplicaderos, que la presente nuestra licencia y prohibicion, y todo lo en ella contenido, os tengan, guarden y obseruen, tener, guardar, y obseruar hagan sin contradicion alguna; ni dar lugar ni permitir que sea hecho lo contrario en manera alguna si nuestra gracia les es cara; y demas de nuestra yra e indignacion en la pena sobredicha dessean no incurrir. En testimonio de lo qual mandamos despachar las presentes con nuestro sello Real comun en el dorso selladas. Dat. en la nuestra Villa de Madrid, a nueue dias del mes de Hebrero, año del nacimiento de nuestro Señor Iesu Christo, mil quinientos nouenta y dos.

YO EL REY.

V. Frigola Vicecancel.
V. Com. gener. thesau.
V. Terça R.
V. Pellicer R.

Dominus Rex mandauit mihi Petro Franquesa, visa per Frigola Vicecancellarium, Comitem generalem Thesaurarium, Campi, Terça, Quintana, & Pellicer Regentes Cancella. & me pro conser. generali.

V. Franquesa pro conseru. generali.
V. Campi R.
V. Quintana. R.

In diuersorum xxv. fol. CCXXI.

EGO Petrus Ioannes Assensius S. Theologiæ D. de mandato & commissione Don Ioannis de Ribera, Dei, & Apostolicæ sedis gratria Patriarchæ Antiocheni, & Archiepiscopi Valentini, de consilio suæ Maiestatis, &c. vidi, & diligenter perlegi hunc librum qui inscribitur, Iacobi Segarræ Alonensis in tres Galeni libros de Temperametis Commentarii, in quo nil (meo iudicio) repertum est, quod fidem catholicam, aut christianos mores repugnet: & ita dignum censeo vt in lucem prodeat in communem omnium vtilitatem & prouentum. Idcirco præsentibus propria manu subscripsi die 2. mensis Februarii anno ab orbe redempto 1597.

Petrus Ioannes Assensius.

D. PE-

DON PETRO SANSDOMINO LOCI DE ALBOY, IN SVpremo Coronæ Aragonum Consilio Regio Consiliario, Iacobus Segarra Doctor Medicus S. D.

HESEVS ille Athenarum conditor clarissimus, cum multa præclare gessisset, vniuersamq. regionem Atticam lustrasset, ac perpurgasset, nihil prudentius, nihil sapientius fecisse existimatur, quam quod populos eius regionis septuaginta, aut his amplius, qui quasi palantes vagabantur, in vnam ciuitatem, in commune forum sua admirabili, ac prope diuina sapientia, atque eloquentia conuocauit: sic & huius artis salutaris velut alter Theseus ciuis noster Petrus Ximeno, qui & linguarum, & artium varietate praeter ceteros multum praestabat, cum animaduerteret hanc artem a nostratibus Penthei instar dilaniatam, & membratim concisam doceri, cum operam ille multos annos luminibus illis clarissimis Medicinae nauasset, Parisiis Siluio, Louanii Brachelio, Patauii Vesalio, iniit rationem, qua aduectam inde formam, & speciem huius artis perfectam, & a carceribus ad metam vsque absolutam ad nos transferret. Quae ratio tum ocellis huius scholae, & artis ciuibus nostris Hieronymo Ledesmæ, & Petro Iacobo Esteue valde probabatur: qui & variarum linguarum, & artium multiplici intelligentia illud studium lõgius, & latius, editis etiam de ea arte libris eruditissimis, propagandum curarunt. Hos cum aliquot annos summo studio, atque diligentia Ludouicus Colladus audisset, tantum in eo genere studii profecit, vt non illam rationem a primariis magistris accepisset, sed princeps eius artificii extitisse ab omnibus merito iudicaretur. Quem nos post humaniorum litterarum, & vtriusque linguæ, atque Philosophiae studia transmissa libentissimo animo audiuimus, totosque nos ei in disciplinam eius artis informandos tradidimus. In quo studiorũ decursu, cum multum operae & studii posuissemus, insigniti primum publicis scholarum ornamentis, conati sumus iuuentutem, vt a doctore nostro acceperamus, publice, & accurate erudire. Sed cum auditorum frequentia, & ciuium, & peregrinorum concessu Dei Opt. Max. semper floruissemus, cumque hoc genus studii cultores semper alat tenuiores, effectum est, vt assiduis & molestis efflagitationi-

bus auditores nostri, & alii item eiusdem artis studiosi a nobis postularent, vt quae viginti quattuor annis de superiori loco docuessamus, ad communem studiosorum vtilitatem, aliquando litteris mandaremus. Quod cum saepe in alios artis Apollineae peritiores reiecissemus, numquam conquieuerũt, dum illud nos breui praestaturos polliceremur. Aggressi igitur sumus hoc opus, plenum laboris & inuidiae; meliori quidem perficiendi volũtate, quam spe, quod imparatos nos a multis praesidiis agnosceremus. Sed tamen cum multae, eaeque maximae partes huic arti sint propositae, vt ordo institutionis a capite repeteretur, primã illarum partiũ, quae φυσιολογικὴ a scriptoribus eius artis appellatur, persequendam suscepimus. In ea quid a nobis praestetur, praefatio nostra ad lectorem deinceps minutatim explanabit: reliquum erat, vt de adoptando huic operi patrono cogitaremus. Qua in deliberatione diutius nobis cõmorandum non fuit, cum multitudo, & magnitudo tuorum erga nos meritorum omnẽ eam facultatem nobis eripuisset. Accedebat eo tanta vis ornamentorum, & naturae, & doctrinae, & industriae, quibus tu egregie abundas, vt iniuriam illis, & nostro honori magnam facturi videremur, nisi has vigilias nostrorum laborum tibi, cui tantũ debemus, consecraremus. De quibus neminem, qui sanae mentis sit, vnquam dubitaturum arbitramur, post iudicium illud grauissimũ Regis nostri Philippi Christianissimi, qui te pro incredibili, & toto orbe terrarum spectata sapientia, quã excellit, in hunc ordinem, & locum amplissimum Regii concilii legẽdum censuit. Sed ne videar hoc auribus tuis elegantissimis dare, illud tantum te supplex obsecrabo, vt haec nostra scripta, qualiacumque sint, sinu tuo fouere, nosque amare, vt instituisti, in posterum pergas. Vale, mi Patrone carissime, meque tibi, tuisque ornamentis addictissimum agnosce. Valentia. A.D. Kal. Aprilis, a Christo Nato. CIƆDLXXXXVI.

AD

AD LECTOREM.

* RODEVNT nunc tandem in lucem, candide lector, iam diu a multis expetiti Commentarii, quorum editionem pluribus de caussis hactenus distuleram. Non enim ignorabam, quam graue sit, atque arduum, varia subire hominum iudicia, & quam difficile, placere multis, a quibus reprehensionem potius, quam gloriam, pro susceptis in scribendo laboribus, te relaturum speres. Et quamuis nullum scribendi genus reprehensionem possit effugere, illud tamen omnium maxime calumniis expositum videtur, quod in explanandis auctoribus versatur; hoc namque certis quibusdam legibus præ ceteris adstringitur, quas semel transgressus reprehensionem vitare vix possis. Neque fortasse deerunt, qui Hippocratis quidem, Platonis, & Aristotelis libros, vtpote propter antiquam dicendi breuitatem difficillimos, commentariis indigere, concedant, ad intelligendum vero Galenum, Asiatica facundia scatentem, nullos prorsus necessarios esse affirment. Quod etiamsi dederint, hunc tamen nostrum laborem superuacaneum iudicabunt, quod plures alii ante nos doctissimi, præstantissimique medici, in eosdem Hippocratis, Galenique libros, summa cum laude commentarios scripserint. Quin etiam existimabunt non pauci, facinus esse audax, omninoque temerarium, tot tantisque, qui in arte Medica excellunt, viris grauissimis, ab hoc scribendi munere sese abstinentibus, me vnum difficillimam hanc prouinciam suscepisse, qui, si vsum, aut rerum cognitionem spectes, nullo vnquam pacto cum ipsis conferri possim, aut debeam. Hæc quidem, quæ & multa, & magna sunt, doctissimum quemque merito deterruissent, me autem proculdubio ab incœpto opere reuocassent, nisi meæ potius dignitati, quam amicorum precibus, & iuuenum Medicinæ studiosorum vtilitati deesse decreuissem. Malui namque, in aliquã audaciæ, aut temeritatis suspicionem venire, quam in eos ingratus videri, quorum fidem, animũmque in me propensum sæpe expertus fueram, quosque nominis mei studiosissimos, atque in tanta inuidorum, obtrectatorumque frequentia, acerrimos propugnatores semper agnouerã. Sed & frequentes querelas ad me deferebant discipuli, quod in transcribendis iis, quæ annis ab hinc quattuor & viginti dictaueram, multum laboris, operæque impenderent. Addebant quoque, librariorum incuria, ita deprauata, ac mendis referta circumferri, vt multa in multis exemplaribus legantur transposita, in aliis integræ periodi, aut verus etiam sensus desideretur. Multa præterea temporis decursu a nobis adiecta, nonnulla detracta, mutata in melius quamplurima, intelligebant; quæ si foras exirent, & omnẽ reprehendendi occasionem e medio tollerent, & certo indicarent; quantũ hæc ab illis differant*

ferant, quæ nobis fere adolescentibus olim exciderunt. Cum itaque his rationibus impulsi, non vt alias rogarent, sed acriter nunc efflagitarent, vt quos domi nouos habebam commentarios, in lucem prodire permitterem; me continere non potui, quin animo adhuc anceps, & dubius, ad ipsorum sententiam inclinarem, insignique voluntati satisfacerem. Quod sane eo libentius præstiti, quod cum litteratissimos viros hac de re consuluissem, nostrorumque laborum censores iudicesque integerrimos constituissem; tantum abest, vt nostri consilii rationem damnauerint, quin potius, vt inchoatum opus perficerem, vehementer sint adhortati. Huc accedit, quod eorundem consiliis instructus, quæcunque obiici possint, minime pertimescenda esse, mihi persuaserim. Cur enim, quæso, obtrectatorũ calumnias, aut iustas etiam reprehensiones tantopere verear, quas non Hippocrates, non Plato, non Aristoteles, non Galenus, atque vt vno verbo dicam, non philosophorum, medicorumque præstantissimi effugere potuerunt? Et quamuis Galeni libri omnium minime commentariis indigeant, negari tamen non potest, quin plures apud ipsum legantur sententiæ, quæ nisi apte explicentur, aut prorsus falsæ, aut suo auctori omnino contrariæ videri possint. Quin & quamplurima occurrunt loca difficillima, in quibus res obscuræ, aut controuersæ leuiter attinguntur, quæ accuratius explicari debeant. Immo & vbi copiosius disserit, non raro eget interprete, qui rationum momenta diligenter expendat, veterum, quos reprehendit, falsas opiniones explicet, opinionum fundamenta detegat, & ad summa quædam capita totã disputationem interdum reuocet. Quæ certe omnia explanatoris opem exposcunt, præsertim cum in plerisque eorum, qui ad audiendum Galenum accedunt, optima ea, quæ Græcis olim maxime familiaris fuit, institutio desideretur, ad veteres auctores intelligendos necessaria. Porro, quod idem hoc argumentum multo antea alii tractarint, neminem a scribendo deterrere debet; ita namque scripserunt, vt aliis adhuc scribendi locum reliquerint. Illud potius videtur vrguere, quod hæc scribendi cura, doctissimos quosque medicos tangere debuisset, eosq. potissimum, qui in hac florentissima Valentinorum academia, summa cum gloria, maximaque auditorum frequentia, & vtilitate, artem medicam publice profitentur: quos sane omnes, non solum vt magistros veneror, ac colo, verum etiam in docendo, scribendoq. longe superiores agnosco. Sed tamen, cum in grauioribus studiis, rebusq. magis seriis occupati, altiora animo concipiant, ac moliantur, mirum videri non debet, si quæ ad prima artis rudimenta pertinent, nobis tractanda concesserint, qui Galeni consilium secuti, in leuioribus theorematis ingenii vires primum experiri voluimus. Quippe quæ ad Medicam Physiologiam pertinent hoc opere tractamus, in quo physiologicos Hippocratis, & Galeni libros interpretamur, qui ceteris vtiliores, & difficiliores censentur. Huiusmodi autem sunt, Hippocratis liber de natura hominis, tres libri Galeni de temperamentis, ac totidẽ de facultati-

bus

bus naturalibus: hi namque iuxta antiquißimũ huius Academiæ decretum, omnium primi enarrari publice solent, cum firmißima totius Medicinæ fundamenta contineant. Atque vtinam, quod in sua Isagoge pollicitus fuerat, præstitisset aliquando Ludouicus ille Colladus, medicus insignis, doctorque meus singularis, & Valentinæ gentis (ne dicam totius Hispaniæ) decus, atque ornamentum, nam præterquam quod publicæ vtilitati consultius fecisset, me quoq; ab hac cura, solicitudineque scribendi liberasset. Sed & mihi, talem, tantumque doctorem nacto, post multos in rebus philosophicis, ac medicis, exantlatos labores, aliquid audendum esse, existimaui. Quamobrem, cum bonam ætatis meæ partem in docenda Medicina consumpsissem, ad scribendum tandem animum appuli, vt quemadmodum publice docendo, adolescentium studia hactenus iuui, ita nunc scribendo, ad veterum medicorum lectionem aditum eisdem patefaciam. Quid vero præstiterimus hoc opere illi haud dubie iudicabunt, qui hosce nostros, cum aliorum commentarijs æquo animo contulerint. Illud quidem omnium maxime mihi curæ fuit, vt ex singulis auctoris sententijs germanũ sensum elicerem, & quæ obscura sunt, aut difficilia, ex ipsomet auctore potißimum explicarem. Vulgatas translationes eo nomine sum amplexus, quod in studiosorum manibus frequentius versentur. Si quid autem minus recte in his conuersum fuit, ex fidelioribus interpretibus, & Græcis potißimum exemplaribus, restituendum, aut castigandum curaui: id quod libris de temperamentis Leonarthus Fuchsius magna iam ex parte præstiterat. Quæ rursus ab interprete interdum addita, auctoris sententiam obscurant, his notis [ ] inclusa distinxi. Sicubi Latina interpretatio obscurior paulo aut Græcis non omnino respondere videbatur, quo facilius res ipsa intelligeretur, Græcam dictionem apposui. Galeni libros in capita, atque hæc rursus in particulas, siue contextus aliter multo diuisi, quam alii fecerint interpretes, qui, quæ sibi cohærere debuissent, violenter interdum separant, ac rursus male coniungunt, quæ & natura, & docendi ordine a se inuicem plurimum distant: vnde non leuis sequi solet, rerum, de quibus agitur, confusio. Sed præter hæc, quæ ad optimi interpretis munus proprie pertinent, alia quædam breuiter attigi, quæ auctore Galeno, interpreti permittuntur, si modice fiant. Quo sane consilio, quæ ab Hippocrate & Galeno, docentur ratione, aut experientia, re ipsa postulante, confirmaui: sophistarum calumnias depuli: quid ab aliis interpretibus recte, aut secus dictum sit, interdum animaduerti, quod suum est iuste vnicuique tribuens. A quæstionibus tractandis non omnino abstinui, vt facere solent, qui res obscuras, difficiles, ac controuersas, intactas relinquunt, inutiles tamen, ac sophisticas prorsus reieci, easq; dumtaxat suis locis inserui, quas fore speraui studiosis vtilißimas. Neque vero in has sponte incidi, sed quod vel res ipsa, de qua agitur, controuersa sit, ac difficilis, vel quod ratio aliqua magni momenti, vel grauißimi cuiuspiam auctoris testimonium, iis quæ docentur, aduersari videantur. Ex his namque (si Aristoteli credimus

dimus

dimus) tractandarum quæstionum, vbi res postulat, occasionem captare oportet, si vero hæc absint, nullus esse potest quæstioni locus. Quare non citra rationem doctis omnibus damnata perpetuo est, sophistica hæc, & (vt ita dicam) quæstionaria, docendi, scribendique consuetudo, quæ non sine magno studiosorum malo in scholas sensim irrepsit. Cæterum, vt tota hæc nostra interpretatio, ornatior euaderet, ac luculentior, de artis Medicæ prolegomenis libellum olim a me conscriptum vniuerso operi præfixi, ne quidpiam a nobis desiderari posset, quod ad tyrones optime instituendos esset necessarium. Sed & libris de facultatibus naturalibus præfationem præposui, ea omnia, quæ ad facultates nostrum corpus gubernantes in vniuersum pertinent, complectentem, ne hæc cogerer commentarijs inserere. Fateor, doctissimum quemque facillimo negotio hæc omnia præstare potuisse, non tamen propterea noster iste labor contemnendus est, tum quod alieno fungi labore, alicui nunquam nocuerit, tum etiam quod hic liber adolescentibus Medicinæ studiosis conscriptus sit, iisque potissimum, qui sese nostræ fidei commiserunt. Quod si bona fauente fortuna, in manus doctorum hominum aliquando peruenerit, summopere ipsos oro, atque obtestor, vt præclari sui nominis splendore ita illustrent, eximiaque eruditione sic foueant, vt quem in victuro libro Martialis genium desiderat, eum suo fauore huic nostro impertiantur. Si cui vero cum eruditissimis nostri temporis medicis aliquando contendere videar, is sane, nō contradicendi studio, sed indagandæ veritatis amore, id factum esse intelligat. Neque rursus mihi quispiam impietatis, aut ingratitudinis notam inurat, quod a doctissimi Colladi sententia libero animo non raro discedam: cum in republica litteraria plus possit veritatis amor, quā in magistros obseruantia. Hinc enim factum arbitror, vt neque Aristotelem Platonis auctoritas deterruerit, neque Galenum celebre Aristotelis, Pelopis, ac Satyri nomen, immo ne ipsius quidem Hippocratis. In eo tamen forsan accusari possim, quod in aliquibus disputationibus, longiori oratione vsus, explanatoris modum, finemque transierim. Verum cum neque sponte, neque frequenter, sed cogente docendi ordine, eoque cōsilio id fecerim, ne aliquid eorum, quæ ad partem Medicinæ physiologicam pertinent, prætermissum hoc opere videretur: culpæ liberationem me facile impetraturum spero, quemadmodum & veniam, si quid in his commentarijs aut negligētia, aut ignoratione (quod fieri facile potuit) a me peccatum fuit. Si cui vero indicatis erroribus, me tanquā discipulum monere libuerit, pro tanto in me callato beneficio, gratiam ipsi maximam habiturum polliceor. Neque enim is sum, qui ab homine vel mediocriter erudito doceri recusem, tantum abest, vt præclaris, omnique doctrina excultis ingenijs libenter non cedam. A quibus, si hæc qualiacumque sunt, probari, intellexerimus, & alterum commentariorum corpus, & alia fortasse maiora, atque ornatiora, edere conabimur. Tu interim amice lector, nostris hisce laboribus libenter fruere, & Vale.

IACOBI

IACOBI SEGARRAE ALONENSIS

DOCTORIS MEDICI,

ET IN ACADEMIA VALENTINA PVBLICI MEDICINAE PROFESSORIS.

COMMENTARII PHYSIOLOGICI.

NON SOLVM MEDICIS, SED ET Philosophicis, & omnium bonarum artium studiosis longe vtilissimi.

QVIBVS PRÆFIXVS EST EIVSDEM auctoris libellus de artis Medicæ Prolegomenis.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.

---

* HAVD QVIDQVAM EGREGIVM

PRAESTABIS SI MODVS ABSIT:

NAM MODVS EST CVNCTIS,

NORMAQVE, LEXQVE SVA.

VALENTIÆ,

Ex Typographia Petri Patricii Mey. 1596.

IACOBI SEGARRAE ALONENSIS DE ARTIS MEDICAE PROLEGOMENIS LIBER.

DE VTILITATE MEDICINAE. Cap. I.

A DE ARTIS Medicæ prolegomenis hoc libello agere instituimus, quorum cognitio vtilissima censetur, non solum quòd summa totius artis capita contineat, verũ etiã quòd tirones instructiores reddat ad ea quæ in singulis artis partibus priuatim docẽtur, accuratius perdiscenda. Dicemus itaq; de Medicinæ vtilitate, prima origine, & sectarum varietate, quid Medicina sit, & in quo artium genere contineatur, docebimus, ipsius finem, subiectum, medici instrumenta, eiusdemq; officium, ac tandẽ medicinæ partes explicabimus. Medicinæ vtilitatem in primis demonstrat, inconstans, ac pene fluxilis humani corporis natura. Quippe si corpus humanũ aut nihil omnino, aut saltem difficile pateretur, vt lapis, aut ferrũ, nulla profecto arte ad sui custodiam indigeret. At Lib. 1. de sani. tuen. c. 1. & 4.
B vero cum humanum corpus (si quod aliud) variis, fereq; innumeris mutationibus sit obnoxium, vtilissimum fuit hominibus (immo necessarium) artem aliquã constituere, cuius ope & sanum corpus conseruari, & ægrum in pristinum statum reuocari posset. Alioqui miserrimam plane vitam homines viuerent, qui aut lubrica sanitate præditi in morbos passim inciderent, aut morbis afflicta ti grauissimis, omni prorsus auxilio destituti, misere perirent. Mutari autẽ potest corpus humanum à caussis in vniuersum externis aut internis. Externæ quidẽ variæ esse possunt, vt cibus, potus, exercitatio, balneum, animi pathemata, & aliæ quamplurimæ: inter quas primum locum obtinet aër, quem dum viuimus inspiratione, & arteriarũ dilatatione attrahimus. Internę verò in duplici sunt differentia, quædam enim necessario mutant corpora, quædam non necessario. Eę di
C cuntur necessario mutare, quæ omnia corpora in vniuersum mutant, siue sana sint, siue ægrotent. Atque harum quidem duplex est genus, alię namq; nobis cõgenitæ sunt, aliæ non. Congenitæ vocantur, quæ ex principiis nostræ generationis ortũ habent, semine scilicet, & sanguine: sunt autẽ hæ duæ, triplicis substãtiæ effluuium, & siccitatis excessus, Proueniunt ambæ à calido singulis partibus 1. de san. tu. c. 2. insito, quod substantia partium est spirituosa, aut ignea & äerea. Hoc namque duplicem habet motum, ad externa alterum, alterum verò ad interna: vnde merito à Galeno dicitur substantia per se mobilis, & semper mobilis. Dum ad externa mouetur, triplicis substantiæ effluuium molitur, fertur enim suopte impetu in sublime, & mixtionis lege secum vna rapit duplicem aliam partiũ substantiam humidã, & solidam: atq; id est quod aliquando dixit Galenus, elemẽta è nostris corporibus perpetuo effluere. Dum verò ad interna fertur, siccitatis Lib. 1. de trem. rigo. cap. 6. 1. de elem. c. 6.
D excessum inducit, calidi scilicet vi absumpto humido, quod insitum, & primogenium vocant: id namq. proprium est innati calidi pabulum ac nutrimentum.

Atqui absumpto humido solidæ corporis partes indies ficciores euadunt, ipsisque siccescentibus, animalia (immo & viuentia omnia) senescere, ac tandem mori necesse est. Vana siquidem prorsusq; ridicula fuit Aegyptii illius philosophi opinio, vel potius insania, qui pueris suæ fidei & educationi commissis immortalitatem frustra pollicebatur. Quo fit, vt senectus & mors nulla arte vitari possint, atque secundum naturam accidere dicatur, nō quod naturæ sint opera, sed quod opera naturæ necessario consequantur. Quę etiam ratio est, cur mors quæ senio paulatim deducente surrepit, & naturalis sit, & inter omnia mortis genera leuissima censeatur; vsqueadeo vt cum voluptate potius quam dolore contingat, vt inquit Plato. Porro ex duobus quos diximus motibus, prior quidem calido innato proprius est, vtpote cuius substantia leuissima sit, ac tenuissima, alter vero ipsi dumtaxat conuenit, quatenus frigidi est particeps; ab hoc enim, ne insublime feratur, quodāmodo cohibitum, cogitur aliquando ad nutrimentum conuerti. Ac si vere loquendum sit, motus iste calidi ad interna, verus motus non est, sed quies potius à suo priori motu quo ferebatur in sublime. Hæ itaq; nobis congenitæ caussæ corpus humanum non solum immutant, verum etiam nostri interitus necessariæ caussæ vere censentur. Vnde facile intelligitur, eundem illum innatum calorem, qui nutrimenta cōcoquit, digerit, & assimilat, atq; (vt vno verbo dicam) cuius beneficio viuimus, nostri quoq; interitus esse auctorem. Est tamen & pręter has, tertia quædam mutationis & interitus caussa, non tamen, vt superiores, nobis congenita, sed quæ congenitas sequitur, nempe excrementorum prouentus. Quippe cum triplicem partium substātiam deperditam, triplici quoq. nutrimenti genere, cibo, potu, & aëre, instaurare cogamur, nutrimenta vero partim similia sint, partim dissimilia, partes quasdam excrementitias, & ad nutriendum ineptas relinqui necesse est, à quibus, dum in corpore retinentur, aliquam ipsi mutationem accidere rationi est consentaneum. Ceterum præter tres istas caussas, à quibus omnia corpora necessario immutari diximus, tres aliæ reperiuntur in iis solum quæ male afficiuntur corporibus, nempe morbus, caussa quæ morbum præcedit, & quod morbum sequitur symptoma: quorū sane pene infinitus est numerus. Nulla enim est aëris constitutio, nullum anni tempus, nulla ætas, in qua familiaria quædam morborum & symptomatum genera non obseruentur: quæ diligentissime descripsit Hippocrates. Cum igitur tot, tantaq; mala, ac incommoda, à tam variis caussarum generibus humano corpori imminerent, artem aliquam necessariam fuisse constat, quæ ipsius custodię præesset. Hæc autem est Medicina, quæ imminentia ab externis caussis incommoda præcauet: triplicis substantiæ effluuium corrigit: liberam excrementorum euacuationem procurat: aduentantem senectutem, immo & mortem ipsam retardat: ac tādem morbos, morborumq; caussas, & symptomata depellit. Si quis vero rationem & experientiam negligens, Medicinam forte vel tamquam prorsus inutilem damnare, vel tamquā minus necessariam calumniari tentet, is sane suæ temeritatis, atq. inscitiæ testem simul ac iudicem, diuinum Ecclesiasticum ita loquentem audiat: "Honora medicū propter necessitatem, etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem. Disciplinam medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir sapiens non abhorrebit illam. Et paulo post: Da locum medico, & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria." Quæ profecto Ecclesiastici diuina sententia, non solum necessarium Medicinæ vsum

Marginal notes: Li. de Marco. Cap. 2. — Lib. 3. aphor. — Cap. 38.

Margin letters: A, B, C, D

A vsum manifesto docet, verũ etiam insignem ipsius dignitatẽ atq; præstantiã ita aperte declarat, vt nullus amplius dubitandi locus esse possit.

De Medicinæ origine. Cap. II.

PRimam omnium artiũ, atq; scientiarum originem ad protoparentes nostros referendã esse, pie simul ac vere plerique crediderunt. Verisimile enim est, Deũ Opt. Max. primos illos homines, quos condiderat, non solũ fortunæ, & corporis bonis ditasse, sed virtutibus etiã ac scientiis (quæ bona animi sunt) cumulatissime exornasse. A primis illis parentibus ad filios, nepotes, aliosq; posteros, artium, scientiarumq; cognitio veluti hæreditario quodam iure dimanauit. Indies tamen increscente hominũ negligentia & ignorantia, veritatis amor atq; studium sensim cæpit contabescere, do
B nec ipso tandẽ extincto artes omnes prorsus perierint. Qui subsequuti sunt, vel quod multarum rerũ inopia premerentur, vel quod earum rerum admiratione caperentur, quarum caussæ erant incognitæ, deletas iam ab hominum animis scientias instaurare sunt coacti. Quare probe dictum est ab Aristotele, duplicẽ olim fuisse inueniendarũ artiũ occasionem, vrgentem vsum, & admirationem. 1. Metaph. c. 8
Ob vrgentem quidem vsum inuentæ sunt quę vel ad hominum vitam, vel saltem ad beatiorem vitã erant necessariæ: ob solam vero admirationem, quæ in sola rerum contemplatione versantur: vnde natum est illud, Propter admirari cœperunt homines philosophari. Id quod ex eo etiam constare potest, quod in his locis fuerint primũ inuentæ, vbi homines primum otio indulserunt. Quo factum fuisse creditur, vt Mathematicæ disciplinæ circa Aegyptũ obortę fuerint, quoniam illic concessum erat, vt sacerdotes otio vacarent. Medicinam vero, vt
C pote hominibus necessariam, propter vrgentem vsum inuentam fuisse, rationi est consonum. Dedit autem ipsi, vt reliquis artibus, inuentionis principium experientia: fit enim ars, teste Aristotele, cum ex multis experientiæ cõceptibus, vna de similibus oritur vniuersalis comprehensio. Porro experiundi occasionem necessitas in primis præbuit, cum enim homines vulnerarentur, aut morderentur à serpentibus, aut aliis morbis affligerentur, coacti sunt varia experiri, quæ mundi opifex ad hominum vsus fecisse videbatur: à quibus aliquos lęsos, aliquos adiutos fuisse verisimile est. Quę igitur casu plures iuuarunt, à primis illis hominibus & obseruata, & memoriæ mandata diligentissime fuerunt. Sed & imitatio non parum contulit ad Medicinæ inuentionẽ, clysteris namq; vsum docuit in Aegypto Ibis, rostri aduncitate per eam partem se perluens, qua reddi ciborum onera, maxime est salubre. Et in eadem Aegypto, secandæ venæ 1. Metaphy. c. 1
D Hippopotamus magister exstitit, qui assidua satietate obesus exit in littus, recẽtes arundinũ cęsuras speculatus, atq; vbi acutissimũ videt stirpem, imprimens corpus, venã quãdam in crure vulnerat, atq. ita profluuio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit. Prætereo herbas, quas à brutis animantibus edocti homines, ad varios morbos depellẽdos vsurparunt: de quibus multa Plinius. Auxit deinde rẽ quod scribũt Herodotus & auctor introductorii, ægros olim pãlã exponi solitos, vt quod vtile, atq. experimẽtis cõprobatum vnusquisq; didicerat, ipsos edoceret. Ab his itaq; paruis initiis orta primũ Medicina, cœpit priscis illis tẽporibus pullulare, & aliquãto magis exculta sensim adolescere. Illi vero habiti sunt primi Medicinæ inuentores, qui vel omniũ primi Medicinam publice exercuerunt ægrotis opem ferentes, vel quę experimentis cõprobata fuerant, in rudẽ quandam artem omniũ primi redege Lib. 8. cap. 27.

Li.7.cap.56. runt. Verum quinam isti fuerint, non satis constat. Aegyptij (vt refert Plinius) A
Lib.2. Medicinam apud ipsos repertam volunt: cuius itidem sententiæ est Herodotus,
Li.2.antiq. cap.2. & Diodorus Siculus, qui Mercurio Medicinæ inuentionem adscribit. Quod &
Lib.vit.geographiæ. Strabo aperte confirmare videtur, dũ Thebanos sacerdotes, Astronomiæ, Philosophiæque omnis cultores, artium inuentionem Mercurio Trimegisto in primis tribuere scribit. Sed vniuersa Græcia Appollinem Iouis filium, primum huius artis auctorem celebrat, quem Deũ habitum, ob id Athenienses ἀλεξίκακον, quasi malorum depulsorem vocabant: & Vestales virgines Romæ in sacris ita
1.Metamor. Appollinem salutabant, Appollo medice, Appollo Pean, ita à sedandis morbis nominantes. Vnde est illud Ouidii de Appolline.

Inuentum Medicina meum est, opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Porro Medicinam his temporibus rudẽ adhuc & impolitam paullo altius excoluit Aesculapius Epidaurius Appollinis filius, multa inuẽtis patris adiiciens, B atq; ob id in Deorum numerum relatus. Vnde Hyppolitum, & Androgæũ Minoïs filium, ab Atheniensibus interemptum, ad vitã ab eo reuocatos, Græci scriptores prodiderunt. Hinc nata olim est cõsuetudo, vt liberati à morbis in Aesculapii templo, quid auxiliatum esset scriberent; quæ sane à primis illis temporibus ad Antonini Imperatoris ętatẽ perdurauit; vt præ ceteris, ex tabella marmorea, in insula Tyberina, & in Aesculapii templo Romæ inuenta, & ad hunc
Lib.1.art.gymnast.cap.1. vsq; diẽ (vt refert Hieronymus Mercurialis) apud Marphæos conseruata, colligere licet, qua Caii, Lucii, Iuliani, Valerii Apri, à grauissimis morbis liberatorum, historię Græce descriptæ habentur. Aesculapii deinde duo filii, Podalyrius & Machaon, bello Troiano ducem Agamemnonẽ sequuti, nõ mediocrẽ opẽ cõmilitonibus suis attulerunt: quos tamẽ Homerus, nõ in pestilẽtia, neq; in variis C generibus morborũ aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantũmodo, ferro
Lib.29. cap.1. & medicamẽtis mederi solitos esse tradidit. Sequentia tẽpora, (vt ait Plinius) in nocte dẽsissima latuere, forte quod Medicina sapiẽtiæ pars tũc haberetur: multos enim ex sapientiæ professoribus, Medicinæ peritos fuisse accepimus, clarissi-
In præfat. mos vero ex his, Pythagoram, Empedoclẽ, & Democritũ, vt refert Celsus. Primus autẽ ex omnibus memoria dignis, quingẽtis post Aesculapiũ annis, Medicinam reuocauit in lucẽ, & à studio sapiẽtiæ separauit Hippocrates Cous, Democriti (vt quidã) aut (vt alii voluerunt) Herodici Selymbriani, & fortasse vtriusq; discipulus. Verisimile enim est, à Democrito Philosophiã, ab Herodico Medicinã didicisse. Ceterum & in re medica pręceptoribus vsus est patre Heroclida
Ex epist. Patri. ad Artaxerxẽ. & auo Hippocrate, ex nobilissima Asclepiadarũ familia. Is itaq; magnus, & diuinus Hippocrates, iis quę à suis progenitoribus acceperat, multa adiiciẽs, quæ & ratione, & longa obseruatione sibi cõparauerat, ex multis particularibus ge D
Arist. 1. metaphy.cap.1. neralia præcepta, & ex his rursus artẽ constituit. Nã vt plures eiusdẽ rei memoriæ vnius experientiæ facultatẽ, sic plures experientiæ vnã artẽ efficiunt. Quare nõ immerito hunc Hippocratẽ, ceu primũ huius artis auctorẽ, in hunc vsq; diẽ,
In præfat. lib. isago. medici omnes coluerunt. De quo Soranus, Medicinã quidẽ inuenit Apollo, amplificauit Aesculapius, perfecit Hippocrates. Quamuis (si verũ fateri licet) ceu primus inuẽtor, nec debitũ ordinẽ omnibus dedit, neq; omnia ad vnguem definiuit, sed in quibusdam limitationes quasdam omisit, obscureq; plurima pro antiqua dicendi breuitate interpretatus est. Neq; vero patris inuentis magnam lucem attulisse videntur Thessalus & Draco Hippocratis filii, neq; etiam

A etiam ambo Hippocrates ex Thessalo & Dracone eiusdem nepotes, immo neque Polybus, in discipulis docendis Hippocratis successor. Quamuis enim hi clarissimi in arte exstiterint, Hippocratisque dogmata amplexi fuerint, nulla tamen posteris monumenta reliquerunt, aut certe paucissima, eaq. & imperfecta, & parum accurate scripta, quorum pleraq; nunc falso Hippocrati adscripta circumferuntur. Qui hos subsequuti sunt viri insignes, Diocles, Praxagoras, Chrysippus, Herophilus, Erasistratus, & alij quamplurimi, tantum abest, vt Hippocratis artem interpretari, aut augere tentarint, vt nouas etiam sectas condiderint, & in diuersas curandi vias diuerterint. Ac mutua profecto medicorũ contentione, assiduoq; contradicendi studio, ars Hippocratica, ne omnino intercideret, maxime periclitabatur: nisi Claudius Galenus Pergamenus, medicorum omnium facile princeps, labenti iam ipsi opem tulisset. Is patre Nicone duobus & quinquaginta annis supra quingentos (si Gilberto Genebrardo credimus) post Hippocratem natus, quæ ab Hippocrate recte inuenta fuerant, ita diligenter excoluit, vt artem totã perfecerit, omnibusq; numeris absoluerit. Quippe quæ satis distincta non fuerant, in certum ordinem redegit: quæ non recte definita, definiit: prætermissa addidit, obscureq; dicta explicauit. Ab hoc limpidissimo sapientię fonte plures doctrinæ riuuli in posteros dimanarunt, Gręcos, Latinos & Arabes: quidquid enim in his aut recte dictum, aut scitu dignum legitur, Galeno acceptum referri merito debet. Quamobrem licet quãplurimi in arte medica floruerint viri præstantissimi, Hippocratem tamen & Galenum, duo Medicinæ numina, tamquam primos huius artis auctores, venerari, ac colere oportet Medicinæ studiosos. B In chronographia.

De sectis Medicorum. Cap. III.

C DE medicorum sectis pauca hoc loco dicemus, ne tironũ ingenia rei difficultate confundantur. Tres olim celebres medicorum sectæ floruerunt, Rationalis, Empirica, & Methodica: vnde factum est, vt ex medicis alij rationales dicti sint, alii empirici, alii vero methodici. Rationales quidem, quod in curandis morbis rationem vsui accõmodarent, id nominis sunt sortiti: quemadmodũ Empirici, quod ἐμπειρίαν id est experientiã solã sequerentur: & Methodici, quod in curatione morborũ se methodũ perpetuo seruare profiterentur, quamuis reuera essent à methodo alieni. Solam enim rationem, ac vniuersalem methodũ sequuti, experientiam contemnebant; in morbisq; curandis communibus dumtaxat indicationibus contenti erant, particularibus omnino neglectis. Empirici contra sola experientia contenti, rationem in omnibus negligebãt; corporis, & partiũ naturam ignorabant; morborum & symptomatum differentias & caussas contemnebant: ad morborumq; dignotionem ac curationem, syndrome quadam, id est signorũ concursu potissimum vtebantur. At Rationales, corporis constitutionẽ, partiumq; naturã inuestigant: morborum, & symptomatum differentias & caussas ad vnguẽ tenent, morborumq; curationẽ certissima methodo aggrediuntur: quam ex solis communibus indicationibus nequaquam constituunt, sed particulares etiam quasi vtiliores adiungunt. Atqui cum rationem sequantur, experientiam quoq; libenter admittunt; quorum alterũ si deficiat, medicum in artis operibus claudicaturum arbitrantur, non secus ac corpus altero deficiente crure. Porro variæ istæ sectæ varios habuerunt auctores. D

Rationalis omnium vetustissima magnum illum Hippocratem, primum auctorem agnoscit: post quem floruerunt Diocles Carystius, Praxagoras Cous, Herophilus Calcedonius, Erasistratus Chius, Mnesitheus Atheniensis, Asclepiades Bithynus, & tandem noster Galenus, qui eiusdem rationalis sectæ diligentissimus cultor extitit, & acerrimus propugnator. Empirica incertum auctorem habet, Celsus enim Serapionem Alexandrinum omnium primum fuisse scribit, qui rationalem disciplinam nihil ad Medicinam pertinere professus, in vsu & experimentis ipsam collocauit. Plinius tamen empiricam factionem in Sicilia cœpisse commemorat ab Acrone Agrigentino, Empedoclis Physici auctoritate commendato. Cui etiam fauet auctor lib. de subfig. empi. qui Acronē primum Empiricæ disciplinæ scriptorem fuisse testatur. Sed auctor introductorij refert, Empiricæ præfuisse Philinum Coum, qui primus eam à rationali separauit, occasione ab Herophilo suo præceptore accepta. Refert idē, Empiricos vt suam sectam Rationali vetustiorem efficerent, Acronem Agrigentinum suæ sectæ conditorem celebrasse. Vtcunq; verò res habeat, Acronem horū omniū vetustissimum fuisse constat, quem sequuti sunt Crito, Philistio, & Serapiō, qui Acrone quidem iuniores, ceteris autē Empiricis vetustiores fuerunt: quamuis (si auctori introductorij adhibenda sit fides) Serapionem Philinus præcesserit. Floruerunt deinde Apollonij duo, pater & filius, Antiocheni: quos sequuti Menodotus & Sextus hanc sectam exacte corroborarunt. Methodicæ tandem sectæ princeps fuit Themison Laodiceus Syrius, Asclepiadis auditor. Eā postea excoluit maxime, atq; absoluit Thessalus Trallianus, in quem passim Galenus inuehitur. Post hos fuerūt Mnaseas, Dionysius, Proclus, Antipater, & alij, quos longum esset recensere. Cum igitur Rationalis secta à tot, tantisq; viris exculta, omnium tutissima sit, ac vetustissima, hanc solam æquum erit Medicinæ studiosos profiteri.

In præfat. li. 1.
Li. 29. de nat. hist. cap. 1.
Cap. 1.
Cap 4.

A
B
C

Quid sit Medicina. Cap. IIII.

Medicina, si vim nominis spectes, est ars medendi: vnde constat Medicinæ nomen non toti arti, sed soli parti curatrici conuenire, atq. hinc factum esse, vt veteres Philosophi, ac Medici, totam artē sine proprio nomine reliquerint. Id enim est quod scribit Plato in Gorgia, Cum res duæ in homine sint (corpus scilicet & anima) " artes esse geminas arbitror, & artem quidem ad animam pertinentem, ciuilē nuncupo, eam verò quæ ad corpus, nomine vno nominare non possum, sed huius artis vnius quæ curat corpus, duas pono particulas, alteram quidem gymnasticā, alteram medicinam. Quæ sane Platonis verba & totam artem ad corpus pertinentem proprio nomine caruisse, & solam partem curatricem vocatam fuisse medicinam, apertissime declarant. Cum verò medicinæ opposuerit gymnasticam, hanc proculdubio cum parte salubri videtur confudisse: quod an recte fecerit, non est huius loci explicare. Iam vero Erasistratus, cum totam artem (vt refert Galenus) absq; nomine etiā reliquisset, eam in duas partes distribuit, quarum alteram recte salubrem, alteram verò medicinam appellauit. Et vt totius artis partes distinxit, sic quoq; & artifices, nam eum qui sanitatem tuetur vocauit salubrem, eum verò qui morbos curat, medicum. Verum quamuis vni tantum artis parti Medicinæ nomen olim conueniret, procedente tamen tempore factum est, vt totam artem hoc nomine donarint: quod & quamplurimis aliis rerum appellationibus accidisse experimur. Quippe Geometras appellamus

In Thras. c. 38.

D

A pellamus, non eos solum qui circa plana, sed eos etiam qui circa solida versantur, quos nemo Stereometras vocarit. Trierarchas quoq; veteres Græci solos triremium principes appellabant, postea vero & naualis exercitus quoscunq; duces eodem nomine vocarunt. Quamuis ergo Medicina proprie significet artem medendi, & Medicus proprie dicatur artifex is qui morbos curat, loquendi tamen vsus ita increbuit, vt & partem artis salubrē, medicinam, & eum qui sanitatem tuetur, medicum nunc appellent. Sed cur cum duæ sint præcipuæ totius artis partes, salubris & curatrix, ab hac potius quam ab illa appellationem sortita est? An quia, vt Galenus ait, pars curatrix (vtpote cuius vsus magis vrgebat) prius inuenta fuit, deinde vero per multum otium adiecta pars salubris? Cum enim ars curatrix medicina vocaretur, ne nouum nomen adiecta postea parte salubri inuenire cogerentur, totam artem antiquo nomine Medicinam appellarunt; ab ea artis parte sumpta appellatione, quæ & magis est necessaria, & à primis illis auctoribus primo fuit constituta. Sed præter definitionē nominis, plures aliæ sunt, quæ Medicinæ essentiam, quantū rei natura patitur, explicant; quarum aliæ ex fine, aliæ ex subiecto, alię ex totius artis partibus, aliæ tandē ex officio desummūtur. Ex fine sic definitur à Galeno, Medicina est ars cuius finis est sanitas: vel ars sanitatis procuratrix. Ex subiecto sic, Medicina est ars, quę versatur circa corpus humanum: vel ars corpori humano tuendo dicata. Ex partibus in quas diuiditur, antiqui scriptores Medicinam dixerunt esse salubrium & insalubrium scientiam: & Galenus, scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum. Nam totius Medicinæ duæ partes constitui possunt, salubris & insalubris: aut etiam tres, si neutram addideris. Tandem definitur Medicina ex medici officio, veluti cum a Galeno dicitur ars correctrix viciorum corporis humani: nam eiusmodi vicia corrigere vnicum est medici officium. Eiusdem generis est hęc altera definitio, Medicina est ars ęgrorum curatrix, & sanorum conseruatrix: sunt enim & hæc duo medici munera, sanitatē tueri, & morbos curare. Huc itidē pertinet definitio ab Hippocrate tradita. Medicina est adiectio & detractio: quā argutuli quidā sophistę tāquam inartificiosam calumniātur, quasi a vetustissimo, & breuitatis studiosissimo Hippocrate, exactā definiēdi rationē suis adhuc temporibus incognitā exspectare, oporteret. Vis igitur eius definitionis hęc est, Medicina est ars quę docet rationem adiiciendi & detrahendi á corpore humano. Quare non immerito hanc Medicinæ definitionem, tāquā vtilissimā cōmendat, & amplectitur Galenus, vtpote quę generalia medici officia breuissime cōprehēdat, quæ duo sunt, adiicere, & detrahere: detrahere quidē quæ redundāt, & quę desunt adiicere. Quoniā vero Medicinā definiens Galenus, artē plerumq; interdū scientiā ipsam appellat, magna inter recētiores medicos orta est de hac re cōtrouersia, sentientibus aliis esse scientiam, aliis artem, aliis scientiam simul & artem, aliis partem ipsius scientiam, partem vero artem; aliis tandem facultatem quandam ex arte & scientia compositam. Sed qui attente legerit, quę de propria scientiæ & artis ratione atque vtriusq; discrimine ab Aristotele sunt tradita, is certo intelliget, Medicinam artem esse, non scientiam. Quippe cum Medicina habitus quidam sit ad faciendum aliquid vera cum ratione idoneus, & tractet ea quæ & esse & non esse possunt, quorum principium situm est in eo qui facit, non autem in eo quod fit, ars merito censeri debet, nequaquam scientia. Quare sicubi a Galeno aliisque auctoribus scientia dicatur, scientiæ nomen latius patere intelligendum est, ita vt artem etiam comprehendat. Quod & idem Galenus in arte medica recte obseruauit, nam

(Margin: In Thrasy. cap. vit. — Ibidem. — In Thras. c. 5. — De cōst. art. c. 3. — Ibidem. — Lib. 1. de sanit. tuen. cap. 1. — Lib. de sect. c. 1. — In ar. med. c. 2. — In Thras. c. 30. — In Thras. c. 5. — Lib. de flati. — Lib. 11. metho. med. cap. 4. — Lib. 6. ethico. cap. 3. & 4. — Cap. 2.)

(Section letters in margin: A, B, C, D)

nam cum dixiſſet, Medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, ſcientiæ nomen communiter, non proprie, in ea definitione vſurpari docuit: Ariſtotelem ſcilicet imitatus, qui artes interdum cum ſcientiis confundit. Id quod tum ex aliis, cum potiſsimum ex ea diuiſione intelligitur, qua ſcientias omnes ipſe diuidit in contemplatrices, actrices, & effectrices: certum enim eſt ſolas contemplatrices vere ac proprie eſſe ſcientias, actrices verò & effectrices, artes eſſe dumtaxat, non ſcientias. A

Lib. 6. Metaph. cap. 1.

In quo artium genere contineatur Medicina.
Cap. V.

Aria artium genera, ex fine potius quam actionibus, materia, præceptis, aut inſtrumentis, à ſe inuicem diſtinguenda eſſe ratio mõſtrat. Quippe cum plures vnius artis actiones eſſe poſſint, vt in Medicina oſſium luxatorum in propriam ſedem reſtitutio, partis corruptæ abſciſio, & aliæ quamplurimæ, nullo vnquã pacto ex actionibus diſtinguentur. Et quamuis vnica eſſe poſſit totius artis, vniuerſalis actio, (vt in Medicina humani corporis vicia corrigere) hæc tamen comparandi finis gratia perpetuò exercetur, niſi fortaſſe & ipſamet actio finis ſit artis. Præterea neq; ex materiis recte artes diſtingui poſſunt, quia materia vna pluribus artibus interdum ſubiicitur, vt lignum ædificatoriæ, nauiũ extructoriæ, & ſimilibus, & corpus humanum Philoſophiæ naturali, & Medicinæ. Et licet eiuſdem materiæ, ſiue ſubiecti, diuerſa ſit in diuerſis artibus ratio, (nã corpus humanũ, vt corpus naturale eſt, Philoſophiæ ſubiicitur, Medicinæ verò, quatenus capax eſt ſanitatis & morbi) cum tamen propria ſubiecti ratio in ſingulis artibus pendeat ex fine, ab hoc potius quam à ſubiecto, petenda erit artium diſtinctio. Huc etiã accedit, quod plures in vna arte materiæ reperiri poſſint, vt in Medicina corpus humanum, cibus, potus, & medicamenta: hæc enim omnia Medicinę materia dicuntur, diuerſa tamen ratione, vt poſtea dicemus. Neq; vero ex pręceptis recte artes diſtinguuntur, quia licet in ſingulis artibus propria quædam præcepta ſint, hæc tamen propria eſſe iudicantur, quod ad finem artis comparandum ſint vtilia. Porrò cũ & plura ſint in vna arte inſtrumenta, & plura pluribus artibus poſſint eſſe communia, & inſtrumentis vtatur artifex gratia comparandi finis, ex inſtrumentis artes diſtingui non poſſe conſtat. Reliquum igitur eſt, vt cum Ariſtotele & Galeno varia artium genera ex diuerſitate finis conſtituantur. Cõſtituit autem Ariſtoteles tria artium genera, artes ſcilicet contemplatrices, actrices, & effectrices. Contemplatrices dicuntur, quarum finis ſola eſt contemplatio, nudaq. rerum cognitio, & veritas, quæ ſolæ ſunt vere, ac propriæ ſcientiæ, cuius generis ſunt Phyſica, Metaphyſica, & Mathematicæ diſciplinæ. Actrices ſunt, quarum finis eſt aliqua actio, ex qua nullum opus oſtendi poteſt: vt ars ſaltatrix, & cithariſtica. Effectrices autem vocantur, quarum finis eſt opus ex actione relictum, qualis eſt ars ædificatoria, & pictoria: vnde perſpicuũ eſt inter artes actionis & effectionis diſcrimen, quæ tantum differunt, quantũ actio & opus. Eſt autem actio, auctore Galeno, motus actiuus, opus vero, quod factũ iam, atq; completum, ex actione relinquitur: veluti cum cibus in ſanguinem cõuertitur, actio quidem, motus eſt iecinoris, quod ſanguinem generat, opus vero, ſanguis a iecinore genitus. His tribus artium generibus ab Ariſtotele traditis quartum aliud addit Galenus, earum ſcilicet quas adquiſitiuas, aut poſſeſſorias vocat, quas fine

In Thraſy. cap. 24. — B

In Thraſy. cap. 28. — C

Ibidem.

Lib. 6. Meta. cap. 1. & 2. — D

Lib. 1. de fac. nat. cap. 2.

Lib. de cõſt. art. med. cap. 2. & in. Thraſ. c. 30.

A fine etiam à reliquis distinguit: neque enim harum finis contemplatio est, aut actio, aut opus, sed res aliqua possidenda, cuius sane generis est ars piscatoria, & in vniuersum artes omnes venatoriæ. Putat Argenterius, frustra à Galeno additum fuisse quartum hoc genus, cum artes possessoriæ sub effectricibus comprehendi possint; quamuis enim, inquit, nullum opus efficiant possessoriæ, aliquid tamen circa opus iam factum moliuntur. Alij itidem possessorias ad effectrices ob hanc caussam reuocandas esse volunt, quia quod possidemus, nostrum quodammodo facimus. Ceterum cum fines sint maxime diuersi, opus ex actione relictum, & res ipsa possidenda, nullumq; ex artificis actione opus in artibus possessoriis relinquatur, nitanturq; ipsæ plerumq; adquirere, neq; à se ipsis, neq; ab aliis artibus, sed à sola natura factum opus, non citra rationem videtur Galenus, artes possessorias ab effectricibus distinxisse. Cum igitur quattuor sint artium genera ex finis diuersitate recte constituta, inquirere nunc oportet, in quo genere contineatur Medicina. Atqui nemo dixerit, artem esse contemplatricẽ, cum in nuda rerum cognitione nequaquam versetur, sed ad actiones aliquas necessario descendat, veluti ad morborum curationem, aut sanitatis custodiã. Sed neq; possessoria esse potest, cum ipsius finis non sit res aliqua possidenda: quamuis auari, ambitiosiq; Medici (quorum maxima turba nostris hisce temporibus inuenitur) dum gloriam, aut quæstũ tamquam scopum sibi proponunt, ad artes possessorias violenter ipsam detorqueant. Sed fines huiusmodi, artis non sunt, sed prauorum artificum. Erit ergo Medicina, vel ex actricium, vel ex effectricium numero. At cum ex actione medici aliquod relinquatur opus, nempe sanitas, erit haud dubie Medicina, ars potius effectionis quam actionis. Porro artium effectriciũ duplex genus statuit Galenus in Thrasybulo, quædã enim aliquid efficiunt quod antea non erat, vt ars textoria; aliæ vero, opus antea factum aliqua ex parte viciatum, corrigunt, instaurant, & veluti resarciunt, vt ars quæ contritos calceos resuit, & quæ vestes resarcit dilaceratas. At lib. de const. art. med. posteaquam hoc duplex effectricium artium genus proposuit, in arte ædificatoria duo simul reperiri munia docuit, cum & domum à fundamentis erigat, & eandem, vbi ruinam minatur, instauret. Quibus verbis haud dubie significauit, tria esse artium effectricium genera, ita vt aliæ nouum opus efficiant, aliæ opus antea factum instaurent, aliæ vero vtrumq; præstent. Quod multo etiam clarius docuit lib. de opt. sect. ad Thrasy. dicens, artium alias ea quæ non sunt efficere, qualis est nauium extructoria: alias, quæ facta sunt conseruare, qualis est nauium gubernatrix: alias tandem vtrumq; præstare, qualis est ædificatoria. Ceterum nihil interest, aut duo, aut tria effectriciũ artium genera statuere, cum tertij generis artes & ad primum, & ad secundum genus pertineant, & ex vtroq; tertium illud componatur. Illud fortasse dubium videri possit, quod artes secundi generis nunc rem factam resarcire, nunc conseruare dixerit, quæ videntur esse diuersa. In idẽ tamen hęc recidunt, quoniam & conseruare, resarcire quoddam est, nam qui exercitum, aut ciuitatem conseruare dicitur, aliqua ex parte illa necessario instaurat: & qui sanitatem tuetur medicus, humanum corpus aliquo modo resarcit, vt postea dicemus. Quare satius nunc fuerit, in quo artium effectricium genere Medicina sit, inuestigare. Scribit aliquando Galenus, esse ex earum numero quę rem factam corrigunt, neq; nouum opus conficiunt, aliquando vero inter eas artes Medicinam reponit, quę & faciunt & conseruant. Neq; aliqua est in his Galeni locis cõtradictio, cũ vtraq; sententia sit vera. Quippe si consideremus Medicinę subiectum, erit ex numero

Com. in art. med. pag. 45.

B (margin letter)

Lib. 9. de Hipp. & Plato. decret. cap. 5.

Cap. 30.

C (margin letter)

Cap. 3.

Cap. 5.

D (margin letter)

In Thrasy. cap. 30. & lib. de const. art. med. cap. 3.

Li. de opt. sec. cap. 5.

artium quæ nouum opus nõ faciunt,sed factum dumtaxat resarciunt: neq; enim Medicina corpus humanum facit,sed ipsum á natura factum perpetuo instaurat, ac corrigit. Si verò cõsideremus Medicinæ finem, erit potius ex genere artium quę & nouum opus efficiunt,& factum conseruant:nam quando morbos curat, nouam efficit sanitatem,quando verò sanitatem tuetur,ipsam factam conseruat. Sed & solius finis habita ratione,Medicina verè dicetur nouum opus nunquam efficere,quia sanitas quã ægris restituit,iam antea erat, cũ sit nobis congenita. A

De Medicinæ fine. Cap. VI.

Lib. 1. Metho. med.cap. 7.
Lib.1.ethi. c. 1.
De cõst.ar.me. c.3. & in Thra. cap.27. &. 29.
Lib.1. de ratio. vict. com. 3.
1. Metaph. c.3.
2.de part.cap.1.

VLTAE olim fuerunt(vt refert Galenus) de Medicinæ fine veterum medicorum opiniones, eæq; absurdæ,quod varias medici actiones cum Medicinæ fine confuderint. Aristoteles tamen verissime sensit,sanitatem esse Medicinæ finem:quam sententiã amplectitur quoq; Galenus,vbicunque de hac redisserit. Quamuis enim non exstat liber, quem de fine Medicinæ se conscripsisse fatetur, ex pluribus tamen locis,idem cum Aristotele sensisse constat. Sed & propria finis ratio idem ostendit: finis enim ex Aristotele est id cuius gratia cetera fiunt, vel id in quod motus,si nihil impediat,terminatur:& priuatim vniuscuiusq; artis finis dici solet id ad quod omnia artis præcepta referuntur,ipsum verò aliò non refertur. Cum itaq. sanitatis gratia omnes suas actiones exerceat medicus, eaq; semel parta ab agendo prorsus cesset,& omnia medicæ artis præcepta ad sanitatem referantur, ipsa verò non referatur aliò, necessario fateri oportet, sanitatem esse finem Medicinæ. Siquis vero forte contendat, sanitatem alio referri, nempe ad actionum robur, & corporis pulchritudinem, quorum causa expetitur sanitas:is sane intelligat, medicum quidem parta sanitate ab agendo quiescere, corporis autem pulchritudinem & actionum robur ab ęgris ipsis expeti,esse tamen vt Galenus ait,veluti fructus quosdã sanitatis. Sed videtur Galenus sibi contradixisse,cum lib.de sect. ad eos qui introd. sanitatẽ Medicinæ scopum,nõ finem statuerit: Id, inquit,quo Medicina intendit(Græce σκοπός) sanitas est,hanc verò ipsam parare, artis eiusdem est finis. Quam sententiam falsam esse iudicans Argenterius,Galenum venia dignum esse sentit, quòd tradat eo libro,non tam quę vera sunt,quam quę rudioribus,ad quos scribebat,aptiora videri poterant. Atqui ego non video,cur aptius videri possit tironibus,finem Medicinę esse sanitatem comparare,quam ipsammet sanitatem. Adde,quòd eandem sententiam repetat lib. de opt.sect. ad Thrasy.his verbis. Sed mehercule ignorant artis vnum esse propositum,sanitatẽ scilicet, finemq; vnum,qui est eius consequutio. Pręstat ergo dicere,Galenum aliquando finem cum scopo confundere,interdum verò alterum ab altero distinguere. Confundit quidem,tum alibi,cum potissimum lib.de cau.procatarct. vbi ita scribit, Vnde hęc omnia ad idem genus attinent,siue id dicas propter quod aliquid factũ est,siue vtilitatem generationis eius,siue finem,siue scopum,nam nec quidquã inter hæc interest. Alibi vero hæc distinguit, scopum vocans finem eum quem mente primum concipit artifex,& à quo ad agendum incitatur,finem autem eius scopi consequutionem. Nam in Thrasybulo sic habet, Id sane omnibus effectricibus artibus propositum est,neq; etiam finis aliud quidpiam,quam propositi consequutio fuerit. Quando igitur scopum cum fine cõfundit, sanitatem inquit esse Medicinæ finem, quando vero finem à scopo distinguit,sanitatem

B C D

In Thra. c.24.
Cap. 1.
Comm. in art. med.pag. 53.
Cap. 5.
Cap. 1.
Cap. 12.

Medi-

A Medicinæ ſcopum conſtituit, finem autem ſanitatis conſequutionem. Neq; de ratione finis eſt, vt artifex ipſum ſemper aſſequatur. Nam vt victoriam non ſemper ab hoſtibus reportat optimus imperator, neque orator eloquẽtiſſimus ornate dicendo ſemper perſuadet: ita nec medicus ſuo etiam munere optime functus, ſemper curare poteſt. Atq; hæc meo iudicio præcipua eſt ratio, cur Medicina vere dicatur, ac ſit, ars cõiecturalis. Neque enim aliud voluit Galenus lib. de opt. ſect. ad Thraſy. vbi poſtquam reprehendit eos, qui artem medicam ratione præceptorum coniecturalem eſſe voluerunt, ab actione potius & medentium opera coniecturalem dici veriſſime docuit. Quem ſane locum peſſime interpretatur Argenterius, ſentiens velle Galenum, Medicinam coniecturalem dici, non ex iis quę proprie ad ſe pertinent, ſed tantum per accidens, ex artificũ B ſcilicet & medentium vicio, vel potius officio: ita vt medici vicia, vel officia, quæ in particularibus verſantur, in artem ipſam redundent. Atqui nihil minus voluit Galenus, cui ſatis perſpectum erat, Medicinam per ſe, & propria ſui natura coniecturalem eſſe, etiam ſi nullum in medendo errorem commiſerit medicus. Voluit itaq. Galenus ab actione & medentium opera Medicinam coniecturalem dici, non quòd medicus agendo erret, ſed quòd actio & opera medici, artis etiam præcepta ad vnguem ſeruantis, incertum euentum habeat, cũ finem ſibi propoſitum non ſemper aſſequatur. Hanc autem fuiſſe Galeni mentem ex iis quæ ſtatim ſubiunxit, facile intelligitur, reddẽs enim rationem cur Medi- C cina coniecturalis dicatur ab actione & medẽtium opera, ad hunc modum ſcribit: „ Hæc enim incertũ euentum habens, cõiectricem artem reddit, nã omnium „ artium præcepta æque firma ſunt & conſtantia. Verum quoniam non omnium „ artium finis ſemper attingi poteſt, eò fit, vt ipſarum nonnullæ coniectrices ap- „ pellentur, quæ incertum ancipitemque, vt dixi, euentum habent. Id ipſum ſignificauit auctor introductorij, qui duplex artium genus in vniuerſum ſtatuens, artes quaſdam finem ſemper conſequi, alias verò finem quidem deſiderare, non tamen ſemper, ſed vt plurimum attingere, atq. has coniecturales vocari, & ex earum numero Medicinam eſſe, veriſſime ſcripſit. Ceterum quamuis hæc propria ſit ratio artium coniecturalium, vt finem ſemper non aſſequantur, aliquãdo tamen Galenus ad quantitatem remediorũ, & affectuum dignotionem, cauſſam retuliſſe videtur, cur Medicina ſit ars coniecturalis. Nam lib. de ſang. miſſ. ad „ quantitatem retulit, ſic ſcribens. Nihil æque medicam artem in ſuis actionibus „ coniectricem efficit, atq. cuiuſq. remedij quantitas. At lib. 2. de comp. medi. ſec. „ loc. ad dignotionem potius retulit. Quod enim, inquit, artis coniecturale eſt, id „ maxime in affectionum cognitione conſiſtit. Neq; propterea credendum eſt D pugnantia dixiſſe Galenum, quamuis enim cõiecturalis dicatur Medicina, quia non ſemper aſſequitur finem, remediorum tamen quantitas & dignotio affectuum, vere dicuntur Medicinam coniecturalem efficere, quia hæc potiſſimum impediunt, quò minus finem ſibi propoſitum medicus conſequatur. Quantitas quidem, quia vt Galenus dicere ſolet, quod nec dici, nec ſcribi, nec omnino præcipi poteſt, id quantitas in vnoquoq. eſt: dignotio vero, quia licet interdum hæc certa eſſe poſſit, & veluti ſcientifica, plerumq. tamen artificioſæ dumtaxat coniecturæ innititur. Neq. vero exiſtimet quiſpiam, Medicinæ dignitati atque præſtantiæ aliquid detrahi, quòd inter artes coniecturales recenſeatur, id nãq. commune habet cum Iuriſprudentia & ſcientia militari, nobiliſſimis quidem artibus, coniecturalibus tamen, cum ſuo fine aliquando fruſtrentur.

Cap. 4. — Com. in art. med. pag. 49. — Cap. 5. — Cap. 12. — Cap. 1. — Lib. 3. metho. cap. 3. & lib. 1. de art. cur. c. 8. Lib. 1. de loc. affect. c. 1.

DE SVB-

De subiecto Medicinæ. Cap. VII.

Lib. 1. Retho. ad Theod. c. 2. Lib. 1. aph. 1. com. & in Thrasyb. cap. 28.

Idetur Aristoteles Medicinæ subiectum statuisse corpus omne quod ægrotare, sanariq. potest. Galenus tamen locis pene innumeris, aliiq. omnes medici, corpus humanum Medicinę subiectum meritò constituunt, cum circa hoc solum Medicina versetur. Quare aut ad humanum, corpus coarctari debet quod ab Aristotele dictum est, aut dicendum, considerasse ipsum vniuersalem quandam Medicinam, quę de sanitate & morbis viuentium omnium differat, animalium inquã, & plantarum, & plures particulares medicinas sub se comprehendat. Nam & veterinaria, medicina quædam est, quę priuatim circa iumenta versatur: & venatores artẽ norunt, qua medentur canibus, & auibus: & pastores ouibus, capris, & bobus. Neq. agricolis medicina deest, cuius beneficio plantarum saluti consulant, & earundem morbos curent. Huius ergo vniuersalis medicinæ subiectum est corpus omne quod ægrotare, sanariq. potest, eius verò quam per excellentiã Medicinã simpliciter appellamus, propriũ subiectũ est corpus humanũ, quatenus scilicet capax est sanitatis & morbi. Quod si artium, scientiarumq; dignitatem ex nobilitate subiecti (vt Aristoteles voluit) metiri oportet, quis primum dignitatis gradum inter reliquas omnes artes Medicinę non concedat, quæ circa corpus omnium quæ sub cælo sunt nobilissimũ perpetuo versatur? Huius subiecti præstantiam expendens Hippocrates, periculosam esse in arte medica experientiam, summo cum consilio animaduertit. Neq; enim, vt inquit Galenus, lateres, lutum, ligna, lapides, tegulę, aut coria, artis medicę, sicut aliarum sunt materia, in quibus multifariam citra cuiusquam offensam licet quid possis experiri, & circa eam materiam ad theorematum meditationem & confirmationem versari: quod in lignis fabri lignarii faciũt, in coriis coriarii. Ligna enim & coria si male tractando labefactauerint, nullum inde cuiquam imminet periculum: in corpore autem humano ea tentare quæ non sunt experientia comprobata, periculo nõ vacat, cum temerariæ experientiæ finis sit hominis interitus. Quoniam vero proprium artium subiectũ dici quoq; solet materia, aut materia subiecta, parum profecto retulerit, corpus humanum Medicinæ subiectum, aut materiam dicere: dummodo obseruemus, materiam ex sententia Galeni duplicem esse, materiam in qua, & materiã ex qua. Materia in qua ea dicitur, cui aduenit finis, nempe sanitas: talisq; materia est corpus humanum, vt hactenus diximus. Materia vero ex qua ea appellatur, ex qua fit, vel comparatur finis: talis vero est multiplex genus instrumentorum, quibus vtitur medicus ad tuendam, vel restituendam sanitatem: de quibus mox agemus.

Margin notes: Li. 6. Meta. c. 1. — Aphor. 1. lib. 1 in com. — In Thras. c. 28 & li. 2. de cris. cap. 9. — Marginal letters B, C, D.

De instrumentis medici. Cap. VIII.

Lib. 3. epid. par. 3. com. 5. — Lib. 1. de rat. vict. in morb. acut. com. 6.

RIA sunt in vniuersum instrumenta, quibus vtitur medicus ad cõparandum finem, diæta, medicamenta, & chirurgia. Dięta, id est ratio victus ex pluribus perficitur, quæ tamẽ eadem non sunt in sanis, & ægris. In sanis quidem tota ratio victus, vt docet Galenus, constat cibo & potu, exercitatione & otio, frictionibus, somno, & vigilia, animi pathematis, balnei, ac veneris, atque vt vno verbo dicam, earum omnium rerũ vsu, quas vulgo non naturales appellant. In ægris vero victus rationem vocat Galenus curationis ductum, qui per consuetas materias efficitur. Perficitur autẽ

his

A his quinq; potissimum remediis, eodē Galeno auctore, cibo, potu, perfusion cataplasmatis, & clysteribus. Præter diætam maximus quoq; vsus medicamentorum est, quæ insignia sunt ad morbos depellendos instrumenta. Hæc autē vel simplicia sunt, vel composita: & rursus vel assumuntur intra corpus, vel exterius admouentur. Ad chirurgiam, id est manuum operā, peculiaria instrumenta quā plurima referuntur, vt fasciæ, cucurbitulæ, scalpri excisorii, terebellæ, & quæ eiusdem sunt generis. Porrò hæc tria instrumenta Galenus aliiq; medici vocare solent auxiliorum, vel remediorum materias, vnde & materia medica sæpe dicuntur, materia inquam ex qua, nō materia in qua, vt antea annotauimus. Quæ sane materiæ medicę appellatio medicamentis præceteris conuenit, nam & insigne illud Dioscoridis opus, quod medicamentis dicatum est, de medica materia inscribitur. Lib. 11. methodi cap. 15.

De Medici officio. Cap. IX.

B SI recte demonstratū est Medicinam esse artem viciorum corporis humani correctricem, vnicum profecto erit generale medici officium, vicia scilicet humani corporis corrigere. Quod quidē in corporibus ægris nemini dubium esse potest, cum morbi vicia quædam corporis sint: in sanis vero, iisq; potissimum quæ optime temperata sunt, difficile cuipiam videri possit, cum hæc nullam correctionem, sed solā cōseruationem exposcant. Nihilominus tamen & sanis sua insunt vicia, quæ emendari postulant, non magna illa quidem, aut multum insignia, qualia insunt ægris, sed minima, & præ exiguitate fere insensilia; quæ à triplicis partiū substātiæ dissipatione, quæ actione innati calidi fit, & excrementis quæ secundum naturam coaceruantur, ortum habere solent. Quorum naturam, corrigendiq; rationem In Thras. c. 30. In Thras. c. 19.
C optime explicauit Galenus similitudine vestis, ex qua subtegminis fila sensim extraherentur, & sensim quoq; mox reponerentur. Quomodo etiam discrimen inter sanorum ægrotantiumq; corporum vicia, & vtrorumq; correctionē, altera accommodatissima similitudine declarauit, duorum scilicet doliorum, quæ liquore quopiam plena sint, multis tamen in locis perforata, cuius rei occasione inaniantur: ita tamen vt in alterum dolium tātum humoris sensim quis ingerat, quantum sensim elabitur; alterum vero magna ex parte inaniri sinat, atq; ita inanitum repente postea impleat. Ex quibus recte tandem concludit, Medicinam sanorum ægrorumq; vicia vno modo corrigere, correctionisq; differentiam in quanto, non in quali versari. Quoniam vero dum humani corporis vicia corrigit medicus, aliquid necessario adiicit, aut detrahit, hæc duo etiā statui possunt mi- Cap 20.
D nus generalia medici munera, adiicere, & detrahere: hinc namq; Medicina dicta est Hippocrati adiectio & detractio. Ac rursus, quia dum exigua vicia corrigit medicus, sanitatem tueri, dum vero magna emēdat, morbos curare dicitur: hæc duo itidem erunt minus adhuc vniuersalia medici officia, ex duabus Medicinæ partibus maxime præcipuis constituta, sanitatem scilicet tueri & morbos profligare. Sed & plura alia assignari possunt medici munera particularia, nam quot sunt partes medicinæ salubris, totidem esse possunt peculiaria medici qui sanitatem tuetur, officia. Et rursus quot sunt partes medicinæ curatricis, totidē esse possunt peculiaria munera medici qui morbos curat. Atqui Medicinæ salubris quattuor esse partes, postea docebimus, quare & quattuor erunt officia medici qui sanitatem tuetur, nempe bonum corporis habitū conseruare, salubrem Lib. de flat. Lib. 1. de san. tuen. cap. 1.

statum

atum custodire, vel ad meliorem reducere: conualescentes, & extreme senes A
reficere: & eos qui iã fere labuntur, ab imminentibus morbis præseruare. Ostẽdemus itidem, tres esse partes medicinæ curatricis; quare tria quoq; erunt officia medici qui morbos curat: nempe victus conuenientem rationẽ prescribere, vtilia medicamenta exhibere, & manuũ opera vti. Sub his continentur peculiares omnes, quas medicus exercet, actiones, quales sunt ossa luxata in propriã sedem reponere, eadem fracta rite cõponere, ac vnire, partes corruptas abscindere, & aliæ eiusdem generis. Hæc tamen quæ ad medici officia pertinent, facilius intelligentur ex iis quæ de Medicinæ partibus nunc dicemus.

De partibus Medicinæ. Cap. X.

Initio canonis.

MEdicinam variis modis varii auctores in suas partes distribuunt. B Celebris semper habita est decãtata illa diuisio in theoricam & practicam, quam tradidit Auicenna. Theoricam ille vocat scientiam principiorum, practicam vero, sciẽtiam modi, vel qualitatis operãdi. Hinc nata est quoq; medicorum distinctio in theoricos & practicos: ita vt theorici vocentur qui vniuersalia artis præcepta callent, practici vero, qui in curandis morbis diu, multumq; sunt exercitati. Hos quidem plurimũ extollit vulgus, & remediis abundare putat; illos vero ad docendum quidem idoneos, remediis tamen destitutos esse credit: quasi vero optimus medicus horum alterutro contentus esse possit, aut debeat. Sunt qui hanc Medicinæ diuisionem propterea reprehẽdant, quod inde sequatur, Medicinam, quę vna est ars, duos habere fines maxime distinctos, esseq; partim contemplatricem, partim effectricem. Sed frustra hæc obiiciunt Auicennæ, qui medicinam sic diuidens C nihil aliud significare voluit, quam Medicinam partim docere methodum tuendæ sanitatis, & curandorum morborum; partim vero præcepta tradere ad vtrãq; methodum necessaria: quam profecto sententiam verissimam esse, nemo inficiabitur. Quare meo iudicio eo tantum nomine ea diuisio reprehendi potest, vt recte sentit Argenterius, quod omnia quæ in arte docentur, non explicet, neque partes declaret, ex quibus tota ars constituitur. Solent pleriq; Medicinã ex finis notione in duas partes secare, salubrem, & curatricem. Quippe cum sanitas, Medicinę finis, vel præsens sit, vel absens, quæ Medicinæ pars pręsentem sanitatem tuetur, salubris dicitur, quæ vero absentem instaurat, curatrix appellatur: idem enim est absentem sanitatem instaurare, & præsentem morbũ depellere. Porro qui sic Medicinam diuidunt, & se recte diuidere putant, & Galenum huius diuisionis auctorem prædicant, cum tamen vtroq; nomine peccent. Neq; D enim perfecta esse potest eiusmodi diuisio, quæ partem Medicinæ dignosticam non complectitur, quemadmodum neq; prognosticam, neq; Galenus alicubi has duas tantum totius artis partes statuit, sed eas, primas ac principes totius artis partes esse verissime scripsit. Diuidunt alii Medicinam in tres partes, dignosticam, prognosticam, & curatricẽ: videturq; hęc diuisio desumpta ex Galeno, qui omnia quę ad Medicinam spectant, vel ad dignotionem, vel curationẽ, vel prænotionem, vtilia esse docuit. Sed hæc meo iudicio generalis esse non potest totius artis diuisio, cum pars salubris appellata (alioqui maxime insignis) sub earum partium nulla comprehendatur. Quare potius crediderim Galenũ eo loco partis dumtaxat curatricis meminisse, & earum, quæ soli curatrici vsum præbent, quæ duę sunt, dignostica, & prognostica. Nam vt ipsemet subiungit, curatio qui-

Com. in art. med. pag. 59.

Lib. 1. de san. tuen. cap. 1. & in Thras. c. 40. Lib. 1. de rat. vict. in mor. acut. com. 3.

A tio quidem per ſe à medicis exercetur, prænotio vero & dignotio propter curationem. Poſſet aliquis vniuerſam Medicinam in duas partes apte ſecare, ſalubrem & inſalubrem, aut neutram etiam addere; cum dictum antea ſit, Medicinã eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum. Neq; abſurdũ eſt, aut duas, aut tres Medicinę partes ponere, cum pars neutra à ſalubri & inſalubri diſtingui, & ſub ſalubri comprehendi poſſit: nam & neutrum corporis ſtatum ſolet plerunq; Galenus ſub ſalubri comprehendere. Eſt itaq. pars Medicinę ſalubris, quæ agit de corporibus, ſignis, & cauſſis ſalubribus: inſalubris, quæ agit de corporibus, cauſſis, & ſignis inſalubribus: neutra vero, quæ agit de corporibus, ſignis, & cauſſis neutris. Hæc tamen diuiſio nullo pacto accommodari poteſt methodo compoſitionis, qua Medicinam docere oportet, ſed ſoli methodo ſoluẽdæ definitionis, quam ſequutus eſt Galenus in arte medica. Omnium optime

B Medicinam in quinq; partes diſtribuit auctor introductorii, φυσιολογικὴν, αἰτιολογικὴν, παθολογικὴν, σημειωτικὴν, ὑγιεινὴν, θεραπευτικήν. In qua diuiſione illud tantũ reprehẽdi poſsit, ꝙ prętermiſſa fuerit pars prognoſtica: niſi dixeris, quod idẽ auctor viſus eſt innuere, prognoſticam ad σημειωτικὴν referendam eſſe, cũ diſputet quoq; de ſignis. Erit itaq. optima eius auctoris diuiſio, ſi prognoſticam addiderimus, cum ea omnia complectatur, quæ in arte medica traduntur, & iuxta compoſitionis methodum ſit diſpoſita, quæ docendæ Medicinæ eſt omniũ maxime idonea. Sex itaq. ſtatuamus totius Medicinæ partes, phyſiologicam, pathologicam, dignoſticam, prognoſticam, ſalubrem, & curatricẽ. Phyſiologica ea omnia docet, quæ ad humani corporis naturam perfecte intelligendam pertinent, qualia ſunt elementa, temperamẽta, facultates, actiones, & partiũ vſus. Pathologica (quæ Græcis etiã dicitur αἰτιολογική) de iis omnibus agit, quæ præter naturam humano corpori poſſunt accidere, quæ tria ſunt in vniuerſum, mor

C bus, cauſſa morbi, & ſymptoma. Dignoſtica diſſerit de affectuum, & partium affectarum cognitione, quam quia de ſignis agit, vocant quoq; Græci σημειωτικήν. Prognoſtica rationem tradit prænoſcendi, & prædicendi in morbis præſentia, præterita, potiſsimumq. futura. Salubris Græcis dicta ὑγιεινή, totam cõtinet methodum conſeruandæ, vel ad meliorem ſtatum reuocandę ſanitatis. Ac tandem curatrix, quã vocant Græci θεραπευτικήν, in morbis certa methodo curandis tota verſatur. Sola ea Medicinæ pars in propoſita diuiſione deſiderari videtur, quæ de medicamentis diſputat, tam ſimplicibus quam compoſitis. Sed & hanc ad curatricem iure retuleris, cum morbis medeamur vſu potiſsimũ medicamentorum; id namq; ſignificauit Galenus, dum ait, medicationem, quæ membratim agitur, ex his duobus confici, materiæ copia, & eius congruo vſu. Quoniã vero inter omnes Medicinæ partes primum locum obtinẽt ſalubris & curatrix, qua-

Cap 7.

Cap. 8.

Lib. 7. metho. med. cap. 3.

D rum gratia reliquæ conſtitutæ ſunt; de his ex Galeni ſententia accuratius diſputare oportet. Partem itaq. ſalubrem in quattuor alias diuidit Galenus, ἐνεκτικὴν, ὑγιεινὴν, ἀναληπτικὴν, προφυλακτικήν. Quæ ſane diuiſio ex materia ſubiecta deſumpta eſt, nam licet totius partis ſalubris proprium ſubiectum ſit corpus ſanum, magna tamen eſſe poteſt ſanitatis latitudo: cum & κατ' ὀξύτητα ſanitas eſſe poſsit, & κατ' ἕξιν, & εὐεξίαν. Eſt autem εὐεξία bonus corporis habitus, bonus inquam, exquiſite, quem optimum etiam appellant, qui ſane in optima temperie reperitur. Ac quoniam partium ſimilarium ſanitas in temperie poſita eſt, in optimo corporis habitu, optimam, perfectiſsimamq; ſanitatem inueniri neceſſe eſt. Immo optimus corporis habitus aliud eſt nihil, quam ſanitas in habitu, quæ firmiſsima eſt & conſtantiſsima. Altera eſt ſanitas κατ' ἕξιν, id eſt ſecundum habitum,

In Thraſ. c. 30.

Lib. de bono corp. hab.

habitum, non tamen optimum, sed bonum simpliciter, & cuique dumtaxat na- A
turalem: qualis sanitas est corporum intẽperatorum, vt biliosi, pituitosi, aut me-
lãcholici. Tertia sanitas dicitur κατὰ σχέσιν, quam Galeni interpretes sanitatem
in affectione, vel secundum habitudinem vocant. Atq; hæc imperfectissima est,
& maxime lubrica sanitas, quæ imbecillas actiones edere solet, qualis reperi-
tur in conualescentibus, extreme senibus, in iis qui iam iam labũtur in morbos,
& in iis tandem, qui immodice crassi sunt, aut graciles: his namq; omnibus com
mune est, vt infirmam sanitatẽ possideant, de qua merito conquerantur. Vnde
In Thras. c. 7. perspicuũ est, inter hanc sanitatẽ in affectione quæ debiles actiones exercet, &
εὐεξίαν, quæ actiones edit robustas, mediam esse sanitatẽ in habitu, vtpote quę
neque validas omnino, neq. iam debiles actiones exerceat. Ex hac igitur latitu B
dine sanitatis ortũ habuerunt quattuor medicinæ salubris partes. Quippe quæ
circa corpus εὐεκτικόν, id est bono habitu prędítũ versatur, εὐεκτικὴ dicitur, id est
boni habitus conseruatrix, quæ sane docet, qua ratione perfecta sanitas conser-
uari possit. Altera communi generis nomine dicitur ὑγιεινὴ, id est salubris, quæ
circa corpus sanum secundum habitũ versatur, quod nomine etiã communi sa-
lubre appellatur. Hæc vero docet, qua methodo sanitas secundum habitum cu-
stodienda sit, aut in meliorem statũ reuocanda. Tertia sanitas in affectione reli
quas duas partes constituit, ἀναληπτικὴν id est refectricem, & προφυλακτικὴν,
idest præseruatricẽ; vtraq; enim circa ea corpora versatur, quæ lubrica sanitate
sunt prædita. Id tamen est proprium analeptice, vt eiusmodi corpora reficiat,
prophilactice vero, vt ab imminentibus morbis eadem præseruet. Porro has
In Thras. c. 30 & in art. med. cap. 2. duas partes à salubri & curatrice distinguentes quidam, neutras appellarunt,
quorum sententiam merito interdum probat Galenus, quoniam mediæ sunt in- C
ter curatricem, quæ maxima vicia corrigit, & euecticen & salubrẽ, quæ minima
In Thras. c. 40 emendant. Possumus etiam aliter Medicinam salubrem in quattuor partes cum
Galeno diuidere, non ex materia in qua, vt hactenus fecimus, sed potius ex ma
teria qua sanitas cõseruatur. Sunt enim in vniuersum quattuor genera auxilio-
rum, quibus sanitatem tueri possumus, nempe sumenda, facienda, educenda, &
extrinsecus occurrentia, quorum singula singulas medicinæ salubris partes cõ-
stituunt. Sumenda sunt cibus, & potus: facienda, exercitatio, & otium, somnus &
vigilia, vitæ instituta, balneorum, & veneris vsus, curæ, & animi pathemata: edu
cenda, sudores, alui excrementa, vrinę, & in vniuersum quæcunq; è corporibus
excerni postulant: extrinsecus vero occurrentia, sunt aër, aquæ, loca, & alia si
Lib. 1. de rat. vict. in mor. acut. com. 6. quæ sint eiusdem generis. Iam vero & altera totius Medicinæ pars, nempe cura
trix, in tres alias partes diuiditur, διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, χειρουργικὴν: quæ
diuisio ex diuersitate instrumentorum desumitur, quibus vtitur medicus ad D
morbos profligandos: sunt enim hæc tria, diæta, medicamenta, & chirurgia. Est
igitur diætetica, ea curatricis Medicinæ pars, quæ diætam, id est victus rationẽ
ægris præscribit: quam cibo, potu, perfusionibus, cataplasmatis, & clysteribus
perfici antea diximus. Pharmaceutice (quasi medicamentariam dicas) rationem
docet præscribendorum medicamentorum, quæ ad morborum curationẽ sunt
necessaria. Chirurgica vero tradit rationem, qua quis posit manuum opera
morbis mederi. Porro sex illę Medicinæ partes, physiologica, pathologica, di-
gnostica, prognostica, salubris, & curatrix, à primis illis auctoribus inuentæ
sunt methodo resolutionis, proposito scilicet fine, & ratione inuentis mediis,
quæ necessaria sunt ad finem comparandum. Atq; id est quod inquit Galenus
lib. de const. art. med. Medicinam, vt reliquas etiam artes, potissimumq. effe-
ctrices,

A ctrices, ex cognitione finis constitutionem obtinuisse. Ceterum artem medicã methodo resolutionis inuentam, contraria methodo docere oportet, nempe methodo compositionis. Nam vt methodus resolutionis ad artes inueniendas, ex suisque partibus constituendas, omnium est aptissima, ita methodus compositionis ad artes docendas maxime idonea censetur; quemadmodũ methodus soluendæ definitionis ad totius artis compendium, & particularium memoriã vtilissima iudicatur. Atqui in compositione eorum quæ methodo resolutionis inuenta fuerint, ab iis perpetuo in tradendis artibus exordiri necesse est, quæ sunt omnium prima, ac simplicissima. Cum autẽ de his (vt antea diximus) pars Medicinæ physiologica disputet, ratio postulat, vt ad eam primo loco tradendam aggrediamur.

In arte med. cap. 1.

B HIP-

HIPPOCRATIS COI DE NATVRA HOMINIS LIBER. IOHANNE GVINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.

GALENI PROOEMIVM.

A *E elemẽtis ex Hippocratis ſentẽtia cõmentariũ, quẽ olim conſcripſi, familiariũ cuidã peregrinationẽ inſtituẽti tradidi, ad illius me ingenii captũ, habitũq. in eo accõmodans. Quæ igitur ipſũ exacte nouiſſe ſciuerã, ea neq. operis initio demõſtraui, neq. cõmemini, etſi ita factitare conſueuerim, cũ ſermo omnibus ipſũ lecturis eſt cõmunis futurus. Quoniã vero in multorũ manus liber, haud noui qua ratione, iam excidit, alium præter illũ conſcribere viſum mihi non eſt, & interpretationem libri de natura hominis hoc nomine diſtuli, quod omnia quæ ad eã rẽ attinebãt, in cõmentario prius edito, cui titulũ indidi de elementis*
B *ſecundũ Hippocratis ſententiã, manifeſto ſim perſequutus. Proinde nunc quandoquidẽ familiares mei ipſius quoq. Hippocratici libri expoſitionẽ, nõ modo dictionũ ad dogma neceſſariarũ, vt in illo prius feci, ſed omniũ ordine a me deſiderarunt accipere, exordiens interpretationem illa prius ſcribã, quæ in libri de elementis ſecundũ Hippocratem initio dicere omiſi, quod familiarẽ noſtrum ea non latere ſcirem.*

In prooemium Galeni commentarius.

Nter libros omnes phyſiologicos primum locũ merito ſibi vendicat liber Hippocratis de hominis natura, quod totius artis Hippocraticę
C veluti fundamẽta contineat. In hunc, vt in alios pleroſq; libros Hippocratis, ſcripſit Galenus doctiſſimũ cõmentarium, in quo ſingulas auctoris ſententias interpretatur. Huic tamẽ prooemium prępoſuit, in quo ſui inſtituti rationẽ reddit, & alia quędã præfatur ad libri explanationẽ neceſſaria. Quod ad inſtituti rationẽ attinet, mirũ videri poſſet, cur huius libri interpretationẽ aggreſſus fuerit, cum idẽ hoc argumentũ libris de elemẽtis antea tractaſſet, agitur enim vtroq; in opere de cõmunibus & propriis hominis elemẽtis, quamuis diuerſa ſit vtriuſq; operis inſcriptio. Siquidẽ Hippocrates ſui tẽporis conſuetudinẽ ſequutus, librũ hunc inſcripſit de natura, vt veteres fere ante ipſum omnes, qui cũ libros nullos de elementis ſcripſiſſent, in ſuis tamẽ de natura libris (vt teſtatur Galenus) de elementis diſputabant. Ac ne Ariſtoteles quidẽ peculiarẽ librũ de elemẽ- Lib. 1. de elem. cap. vlt.
D tis edidit, quemadmodũ neq; Chryſippus, hic tamẽ libro de ſubſtantia, ille vero & libris de cœlo, & libris de ortu & interitu, de elementis optime diſſeruit. Galenus tamẽ de elemẽtis potius quã de natura opus illud ſuũ inſcripſit, quia philoſophi omnes ſuis tẽporibus ab antiqua illa cõſuetudine iã omnino receſſerãt. Quãobrẽ parũ intereſſe putat, ſi quis huiuſmodi libros de elemẽtis inſcripſerit, aut de natura, aut de ſubſtãtia, aut de generatione & corruptione. Ne igitur exiſtimaret quiſpiã, fruſtra Galenũ de elemẽtis ſæpius diſputaſſe, hanc ſui cõſilii rationẽ reddit, quod in opere de elemẽtis, nõ omnes Hipp. ſententias hoc libro cõſcriptas ordine explanarit, ſed eas dũtaxat attigerit, quæ ad confirmandũ Hipp. dogma de elementis videbantur neceſſariæ: nunc vero integram totius libri interpreta-

tionem aggrediatur, vt amicis eam efflagitantibus morē gerat. Hic obiter obser- A
ua honestam Galeni consuetudinem, qui in amicorum gratiam libros fere omnes à se conscriptos, in lucem edere solitus est, vt libros de elementis in gratiam familiaris longā peregrinationē instituentis; librum de optima secta in gratiā Thrasybuli; librum de constitutione artis medicæ in gratiam Patrophyli; librū de prænotione in gratiā Posthumi: librum de pulsibus ad tirones in gratiā Teuthræ; libros de arte curatiua in gratiam Glauconis; & sex libros priores methodi medendi in gratiam Eugeniani; & post ipsius obitū reliquos octo in gratiā Hieronis. Explicata sui cōsilii ratione, alia quædā proponit ad libri interpretationē necessaria, quæ tamen libris de elemētis consulto prætermiserat, quod certo sciret, familiari cui opus eiusmodi tradiderat, cognita iam esse. Hinc intelligitur docendi, scribēdiq; ratio veteribus familiaris, qui habita ratione lectorum, aut auditorum, videntur B
interdum variis in locis de eâdem re varia dixisse: quod potissimū constat ex Platone. In iis igitur, quæ omnibus futura sunt communia, multo aliter scribendum, quam in iis quæ priuatim aliquibus traduntur. In his enim aliqua interdum licet omittere, quæ vel lectorum captum excedant, vel sint ipsis exacte cognita. Licet quoq; interdum aliqua addere, quę quod supra vulgi opinionē sint, paucissimis, iisq; selectissimis auditoribus, tradi possunt, quale illud est, quod de anima mundi in Timæo dictū est à Platone. Atq; vt in vniuersum dicā, aliter in exotericis, aliter vero in acroamaticis disputationibus oportet disserere. Hæc sola præceptiūcula in legendis veterū libris obseruata, multas lites potest componere, quas sophistæ multis adhibitis distinctionibus sedare vix poterunt. Hanc si recentiores quidā obseruassent, qui maledicendi studio inanem glo- C
riam aucupantur, sibi haud dubie in reprehendēdis veteribus magis tēperassent.

Vnum itaque, & primum dicendum est quid φύσεως, hoc est naturæ, vocabulum significet, a quo etiam veterum philosophorum nonnulli nomen sortiti, φυσικοὶ, hoc est naturales, sunt nuncupati. Fiet autem nobis perspicuum id cuius gratia hoc dico. Si libros περὶ φύσεως, hoc est de natura, ab ipsis cōscriptos perlegamus. Videntur enim hi libri exponere primam substantiam, qualis nam sit, quam non generatam, verum sempiternam esse dicāt, omnibus corporibus quæ generationi & corruptelæ obnoxia sunt, subiectam.

Libri inscriptionem, methodum, auctoris institutum, libriq; vtilitatem nunc explicat, & simul docet hunc librum esse Hippocratis: quæ tamen in opere de elementis consulto prætermiserat. Inscribitur hic liber περὶ φύσεως ἀνθρώπου, D
hoc est de natura hominis. Quæ inscriptio vt intelligatur, explicat primum quid φύσεως, hoc est naturę vocabulū significet, à quo veterum philosophorum pleriq; φυσικοὶ, id est naturales sunt appellati, q libros περὶ φύσεως, id est de natura cōscripsissent: ex quibus colligit tres significationes naturæ. Significat in primis natura primā substātiā, quā nō generatā, sed sempiternā esse veteres illi physici voluerūt, omnibus corporibus quæ oriuntur & intereūt, subiectā. Hæc in Timæo variis nominibus exprimitur à Platone, dicitur enim τιθήνη, μήτηρ, ἐκμαγεῖον, ὑποδοχὴ, χώρα, πανδεχὲς, hoc est nutrix, mater, formabile, susceptaculū, locus, omniū receptaculū, quæ sane varietas nullū olim propriū nomē ipsi fuisse inditū declarat. Galenus tamen à posteris Melissi ὕλην, id est syluam vocatā fuisse scribit, quoniam vt sylua cuilibet ædificio extruendo materiam affatim suppeditat, rudem tamen & impolitam, sic prima ista substantia, rudis quidem illa, & informis, omnibus corporibus gignendis materiā præbet. Sed quis primus fuerit huius appellationis auctor, non satis constat. Sentit Chalcidius, Platonis discipulos omnium primos

Com. 2. huius lib.

Com. in Timæum Plato.

A eam appellationē vſurpaſſe. Et quoniā inter diſcipulos Platonis primum locum obtinuit Ariſtoteles, hunc potiſſimū intelligendum eſſe credimus, vt recte obſeruat Iohannes Baptiſta Monlorius, ſummus noſtri tēporis philoſophus. Quo factum eſt, vt nuſquam Plato, Ariſtoteles vero frequentiſſime vſus ſit nomine ὕλης. Qui vero Ariſtotelem ſubſequuti ſunt, ſimiliter quoq; primā illam ſubſtantiam ὕλην vocarunt, quemadmodum & noſtri philoſophi, qui materiam primā appellare ſunt ſoliti. Hanc igitur vetuſtiſſimi illi philoſophi ingenitam, ſempiternamq; eſſe crediderunt: neq; id mirum, cū mundū æternū ſtatuerent. Immo (quod magis mirandum eſt) diuinus ille Plato, qui teſte Diuo Hieronymo in Aegyptum profectus multa didicit, & Iuſtino martyre auctore, ex libro Moſis plura quæ ad mundi creationem pertinent, accepit, hanc materiam primam ingenitam eſſe voluit. Nos tamen qui ſummo Dei Opt. Max. beneficio Chriſtianam religionem libentiſſime profitemur, & mundum incepiſſe, & finem aliquando habiturum affirmamus, & materiam primam à ſummo rerum opifice Deo ex nihilo creatam aſſerimus. Eum namq, in primo mundi ortu, quem diuinus deſcripſit Moſes, ordinem ſeruatum fuiſſe ſacrorum interpretum pleriq; perhibent, vt hanc materiam primā ex nihilo Deus ante omnia creauerit; ex hac vero quattuor elementa, ex hiſque tandem mixta omnia corpora produxerit. Quamuis Diuus Auguſtinus, & alii grauiſſimi auctores eodem temporis momento omnia creata fuiſſe potius ſentiant. Id namq; ab Eccleſiaſtico ſignificari putant, dū ait, Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. Sed Græca dictio κοινῶς, qua vſi ſunt Septuaginta duo interpretes, communiter, vel pariter potius ſignificat quā ſimul. Sed & priori ſentētiæ, quam iudicamus probabiliorem, vetuſtiſſimi philoſophi, ac poetæ plurimum fauent, qui rudem hanc, & informem materiam ante omnia ex nihilo creatam, Chaos appellarunt: cuius naturā Ouidius ex Heſiodo elegantiſſime depinxit his carminibus.

Com. in li. priorum Ariſt. in epiſt. ad lecto.

Epiſt. 103. ad Paulinum.

In poſteriori apologia pro Chriſtianis.

B

Lib. 4. de gene ſi ad literā c. 21

Cap. 18.

C

Lib. 1. metamorpho.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos: rudis indigeſtaq; moles,
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaq; eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum, &c.

Hæc igitur prima eſt naturæ ſignificatio, qua materiam primā ſignificat, quo pacto Ariſtoteles cū Antiphone, aliiſq; vetuſtiſſimis philoſophis, materiā primam naturam etiam appellauit.

Lib. 2. phyſic. cap. 1.

D *Itē declarāt, quæ peculiari ratione inſunt ſingulis generatis et corruptibilibus.*

Hæc ſecunda eſt naturæ ſignificatio. Significat autem id quod peculiari ratione ineſt ſingulis corporibus quæ oriūtur, & intereunt. Sed quidnam hoc ſit, nō ſatis conſtat. Iacobus Syluius videtur ſentire id eſſe temperamentū, cum ſcribat, naturā maxime proprie ſignificare tēperiē ex calido, frigido, ſicco, & humido, conflatam, & Hippocratē toto hoc libro hac naturæ ſignificatione vſum fuiſſe. Placuit hæc opinio noſtrorū medicorū pleriſq;, qui tamen non vident, aliquid quoq; propria ratione elementis ineſſe, in quibus, cū ſimpliciſſima ſint corpora ac ſummis qualitatibus prædita, tēperies nō inuenitur. Probabilius multo ſentiunt alii, quod peculiari ratione corporibus ineſt, alterū illud eſſe corporū naturæ cōſtituentiū principiū, quod vocāt philoſophi formā ſubſtātialē. Quippe cū hæc propriā eſſentiā corporibus tribuat, merito dicetur peculiari ratione ineſſe corporibus, quorū commune ſubiectū eſt materia prima. Atq; hinc factū eſt vt Ari-

In ſuis Schol.

 ſtoteles

Lib. 2. Phys. cap.1. stoteles formam magis naturã esse dixerit quam materiam, cũ hæc, natura quædam communis sit, illa vero, natura peculiaris ac propria. Ceterũ neq; hanc sententiã probo, quoniã Galenus naturæ significationes quas hoc loco proponit, desumpsit (vt ipsemet fatetur) ex libris veterum physicorũ, qui omniũ primi de natura disputarunt, quibus sola materia videtur fuisse cognita. Nã vt scribit Aristoteles, plurimi eorũ qui primo philosophati sunt, ea sola principia omniũ existimarunt, quæ sub ratione materiæ collocantur: id enim elementũ rerũ, id principium esse dicunt, ex quo fiunt vniuersa. Vnde constat, primos illos physicos qui dixerunt omnia esse vnum, ex quattuor caussarum generibus solam materiã agnouisse. Parmenides omnium primus caussam efficientem cognouit, quam dixit esse contrarietatẽ inter lumen & tenebras: Anaxagoras vero dixit esse mentem: Hesiodus amorem: Empedocles concordiam & litem. Et vt idem Aristoteles innuit, Platoni omnium primo cognita fuit forma. Præterea verba Platonis quæ in hunc locũ ex Phædro transfert Galenus, manifesto monstrant, quod peculiari ratione rebus inest non esse necessario formã. Docet namq; Plato, animę naturam (propriã scilicet, & quæ peculiari ratione ipsi inest) cognosci non posse sine totius natura: atqui hæc natura quæ peculiari ratione inest animæ, nõ potest esse forma, quam sane non habet anima, cum sit ipsa potius corporis forma. Ex quibus necessario colligitur, naturam hac secunda significatione non significare formam. Nos vero sentimus, quod peculiari ratione rebus inest propriam esse ipsarum rerum essentiam, quæ quidem maxime proprie natura dicitur hac secunda significatione. At propria rerum essentia non semper est eadem, nã in corporibus primum quidem ac maxime est forma substantialis, deinde vero qualitas, in elementis quidem simplex, in mixtis autem composita, nempe temperamentum. Sed & materia proxima (quæ à materia prima distinguitur) corporum quæ ex ipsa fiunt, natura & essentia dicitur, vt æs statuæ æneæ. At res incorporeæ, siue substantiæ sint vt anima, siue sint accidẽtia, propriã suam habent essentiam, à forma, qualitatibus, & materia proxima omnino distinctã. Quoniam vero nunc agimus de propria natura corporũ quæ oriuntur & intereunt, ex veterum physicorum sententia, neq; formã ipsis prorsus incognitam, neque temperamentũ, quod solis mixtis inest; natura significare potest, sed solã materiã proximam, quam veteres illi propriã corporum essentiam esse crediderunt: cum peñes huius materiæ proximæ densitatem, aut raritatem, corpora à se inuicem potissimum distinguerent. Huic tamen sententiæ illud videtur quodammodo aduersari, quod Aristoteles duplicem statuerit materiam primã, vnam omnino, alteram ad aliquid, quã certum est esse materiam proximam. Si ergo materia proxima dicitur Aristoteli materia prima, potius pertinebit ad primã naturæ significationem superius explicatam, quam ad hanc secundam. Sed facilis est respõsio, nam materia proxima dici potest materia prima, non tamen primo, simpliciter, aut omnino, sed tantũ ad aliquid, siue secundũ quid, vt aurum vasorũ aureorum. Quare cum vtraq; materia prima plurimum à se differat, diuersa quoq. ratione dicetur vtraque, corporum natura. Nam materia omnino ac simpliciter prima, natura communis est omnium corporum quæ oriuntur & intereunt; materia vero prima ad aliquid, quam proximam appellamus, veteribus illis philosophis natura propria censebatur. Merito igitur materia prima, natura est in prima significatione, materia vero proxima in secunda, vt dictum est.

Lib.1. metaph. cap.3.

Lib.1. Metaph. cap.6.

Lib.5. methaphy. cap.4.

Quæ postquam noueris, alia quoq. nosces, nẽpe quæ non propria ratione vnicuiq; particulari substantiæ accidunt. Perfecta igitur singularũ rerum existen-

tium

A *tium naturæ doctrina hunc in modum efficitur, etiam si vnum aliquis aut duo, quæ rei cuipiam insunt, recenseat. Atq; sic homines loqui solent, vbi nonnihil de rei natura pronuntiant, quemadmodũ & Poëta factitauit. Nã, cũ prædixisset.*

Sic iam Mercurius fatus, terra medicamen
Exhibet euulsum, naturamq; ipsius edit,
Mox subiicit,
Nigra ipsi radix, verum flos lacteus exstat.

In hunc modum qui de herbis, aut omnino de stirpibus scripserunt, sensibilẽ ipsarũ naturã edocent, quales sint singulæ, si tactu, gustu, olfactu, & visu eas examines, exponentes: item quam vim habeant vel intra corpus assumptæ, vel foris applicatæ. Siquidem in his vniuscuiusque rei natura sensibilis consistit.

Tertio natura significat accidentia quæ vnicuiq; substantiæ insunt, & potissi-B mum ea quæ aut propria sunt, aut inseparabilia. Nam quamuis hæc non pertineant ad rei essentiam, natura tamen dicũtur, quia ex his deuenire vtcunq; possumus in cognitionem propriæ naturæ. Ac quoniam hæc accidentia percipiuntur sensibus, naturam sensibilem merito appellare solent. Reperitur hæc & in elementis & in mixtis. In elementis quidem, veluti in igne, cuius natura sensibilis ex leuitate, tenuitate, raritate, & splendore perficitur. In mixtis vero, veluti in humoribus, quos Hippocrates postea ex sensibili natura à se inuicem distinguet, nempe ex colore, qualitatibus, & consistentia. Hæc natura sensibilis dicitur hoc loco à Galeno perfectam efficere doctrinam naturæ cuiusque rei, non quod ipsius cognitio perfectior sit, (est enim multo perfectior propriæ naturæ cognitio) sed quod cuiusque rei cognitio perficiatur tandem cognitis accidentibus. Neque oportet, dũ sensibilẽ alicuius rei naturam exprimimus, omnia C accidentia percurrere, satis enim est, vnum interdum aut alterum recensere. Quod confirmat testimonio Homeri, qui herbam moly à Mercurio datã Vlyssi aduersus Circes carmina, ex solo colore, radicis quidem nigro, floris autem candido optime descripsit. Sunt qui putent, herbam hanc moly, esse rutam silnestrem, quorum error ex Dioscoride intelligitur, qui vtramq; seorsum describit. Et quamuis referat Plinius, herbæ moly radicem longam triginta pedes, sibi ex Campania allatam fuisse, probabilius tamẽ est eam nobis esse prorsus incognitam. Sensibilem hanc naturã omnium diligentissime coluerunt plantarum scriptores, qui natiuos ipsarum colores, odores, sapores, & qualitates tactiles secundas, vt leuitatem & asperitatem, accurate describunt, simulq; de-D clarant vires ipsis congenitas, siue intra corpus assumantur, siue applicentur foris. Vnde intelligimus, naturam rerum sensibilem potissimũ esse positam in qualitatibus secundis: inter quas non enumerat sonum vbicunque de his sermo incidit, forte quod ictum corporum sequatur potius quam primarum qualitatum temperiem. Quamuis neque sonum omnino negligant qui plantas describunt, nam ocimastri vascula, cum exaruerint, & semen exciderit, exufflantes pueri, acutissima sibila edere solent: quæ nota ad sensibilem quoq; ocimastri naturam haud dubie pertinet. Atque hæc de tribus naturæ significationibus, quas Galenus hoc loco proposuit. aliis cõsulto prætermissis quas tradiderat Aristoteles, & ipsemet accuratius explicauerat libro de nominibus medicis, vt fatetur in hoc proœmio. Eas enim naturę significationes in præsentia dumtaxat persequitur.

[Marginal notes: Sent. 24. — Odiss. x. — Lib. 3. cap. 49. & 50. — Lib. 25. cap. 4. — Com. 6. huius lib. & lib. 1. de fat. nat. cap. 5. — Lib. 5. Metaphy. cap. 4.]

quitur, quæ primis, ac vetutissimis philosophis fuerant in vsu, quæq; ad intelligendam huius libri inscriptionem videbantur vtiliores. Rectius igitur fecisset Sylvius, si omissis variis naturæ significationibus in quibus colligendis plurimum laborat, diffi cilem hunc Galeni cõtextum, in quo tres illę significationes traduntur, diligentius explicasset. A

τούτων.

*At hac * superior & prima est, de qua tũ ego prædixi, tum Plato consulit, vt is eam habeat cognitam, qui volet quamcumque rem, methodo [hoc est ratione & via quadam] tractare.*

Naturæ significationes eo consilio hactenus proposuit, vt doceret, quid naturę nomen Hippocrati significaret hoc libro: Quoniam vero eam significationẽ potissimum commendat, quę superior est & prima, secundã haud dubie innuit, quæ tertia superior est, & dignitate prima vere dicitur, cum sit omniũ maxime præcipua: nisi cum Trincauelio malis priorem legere. Præterea natura quam Plato consulit cognoscendam esse ei, qui velit rem quamcumq; methodo tractare, ea est (vt postea dicemus) quæ peculiari ratione animę inest: at Plato eam naturam in anima cognoscendam esse præcipit, quã Hippocrates hoc libro in corpore demonstrat, ergo de ea natura agit Hippocrates quæ peculiari ratione homini inest. Rursus ex Hippocratis instituto id certo intelligitur, cum enim neq; de materia prima, neq; de accidentibus hominis disputet, fatendum est necessario, agere de natura quæ peculiari ratione homini inest: hæc enim triplex erat naturæ significatio. Cum autem forma substantialis, & temperamentum, & materia proxima, peculiari ratione (vt antea diximus) corpori humano insint; Hippocrates vero neque de hominis forma, neq; de temperamento disputarit hoc libro, restat tandem, vt natura materiam proximam Hippocrati significet. Porro proxima hominis materia sunt elementa, eaq; potissimum quæ propria sunt. Hæc quidem parum attente considerantes medicorum pleriq;, nullaq; prorsus ratione persuasi, frustra contendunt, naturam Hippocrati significare temperamentum: quę itidem videtur fuisse sententia Galeni lib. 2. aphor. com 34. ad hũc modum scribentis: Cum multifariam dicatur natura, in eo significatu nunc accipienda est, quo sæpius Hippocrates cũ multis aliis locis, tũ maxime toto de natura hominis libro vsus est; quo loco ex primis elementis temperationẽ appellat naturam. Sed hunc locum, alioqui difficilem, sic explicarem, vt dicatur Hippocrates vsus fuisse hoc libro naturæ nomine pro temperamento, non quod de homins temperamento disputet, (cum agat potius de elementis) aut quod significatio naturæ vt temperamentum significat, huius libri inscriptioni accõmodari debeat, sed quod significatio naturæ qua temperamentum significat, ex hoc Hippocratis libro certissime colligatur: docebimus enim sententia duodecima, Hippocratem omnium primum temperamenti nomen inuenisse. Et quamuis & ipsimet Hippocrati & aliis posterioribus medicis natura potissimum & maxime proprie temperamentum significet, hîc tamen Hippocrates suorum temporum consuetudinẽ sequutus, naturæ nomine cũ vetustissimis illis physicis materiã proximã intelligit. Ex iis quæ diximus facile intelligitur huius libri inscriptio, cuius gratia tres naturæ significationes proposuerat Galenus. Quippe cum inscribatur hic liber de natura hominis, monstratũq. sit, naturam significare propriam essentiã, & hanc Hippocrati aliisq. vetustissimis physicis esse materiã proximã: perinde est dicere de natura hominis, ac si dicas de elemẽtis hominis: sunt namq. elementa, proxima hominis materia. Quo etiã pacto dictum

B (margin, beside "præcipua")
C (margin, beside "libro, restat tandem")
Lib. 3. aphor. com. 2. (margin, beside "Hippocratem omnium primum")
D (margin, beside "ri debeat")

fuit

A fuit à veteribus, vt Aristoteles testatur, elementa naturam eorū esse, quæ natura constant. Et Hippocrates hoc libro, elementa ipsa nō semel naturā appellauit. Galenus quoq. id satis aperte significauit, dicens parum referre, si liber iste de natura aut de elementis inscribatur. Sed hæc intelligentur facilius ex iis quæ de methodo, & instituto dicemus. Lib. 5. metaph. cap. 4. S[illegible] Lib. 1. de elemen. cap. [illegible]

Ascribam autē tibi verba ipsius. SO. Animæ igitur naturam sine totius natura intelligere te, vt cōuenit, posse arbitraris? PHÆ. Si sane Hippocrati ex Asclepiadarum genere credendum est, ne corporis quidem naturam citra hanc methodum possis. SO. Recte quidem ô amice dicit, attamen præter Hippocratem, ratio inspiciēda, examinādaq. est, an ipsi cōsentiat. PHÆ. Assentior. SO. Et quid B *tandem Hippocrates dicit, veraq. ratio? an non sic? considerandum est de cuiuslibet rei natura, simplexne sit, an multiformis, cuius nos sciētes esse voluerimus, quamq alios docere studeamus. Postea vero si simplex fuerit, facultas ipsius inspicienda est, quam videlicet ad quid agendum, item quam ad patiendum ab alio habeat. Quod si species habet multas, his dinumeratis, in singulis similiter vt in vna, naturalis & agendi & patiendi vis inquirenda. Hæc tibi Platonis verba sunt ex Phædro, quæ tum naturæ vocabuli significatum, tum quomodo substantiam ipsius methodo conueniat inspicere, docent.*

Hæc Platonis verba quæ in hūc locū transcribit ex Phædro, & naturæ significationem maxime propriam, & eius naturæ cognoscendæ methodum elegāter docent. Naturæ quidem significationem, quia cum monet Plato, animę C naturam cognoscendam esse crateri, nomine naturæ id haud dubie intelligit, quod peculiari ratione vnicuiq. animæ inest: vnde recte nos antea collegimus, naturam in secunda significatione non significare formam. Methodum vero huius naturę cognoscendæ Hippocrates omnium primus inuenit, candem Plato ex Hippocrate acceptam amplexus est. Nam vt ipsemet fatetur, qua methodo Hippocrates corporis naturam inuestigat, eadem ipse in Phædro animæ naturam inquirit. Methodus autem huiusmodi est: Vt rem quamcumq. methodo tractare possis, necessariū prorsus est, propriam ipsius naturam cognoscere: neq; enim perfecta haberi potest rei cuiuspiam cognitio, nisi illud cognitum sit quod propria ratione ipsi inest. Hæc tamen propria natura cognosci non potest sine totius natura, à qua primum exordiri oportet. Nomine vero totius non solum intelligimus totum vniuersum, sed etiam D totum integrum. Neq. enim id tantum hęc methodus præcipit (quemadmodū arbitrantur pleriq.) vt à natura vniuersa exordiamur, sine qua naturæ propriæ ac particulares cognosci non possent; sed præcipit potissimum, naturam totius integri ante cognoscendā esse, vt propria singularum partium totum illud constituentium, aut perficientium, natura cognoscatur. Porro in inuestiganda natura totius, considerare in primis oportet, simplex ne sit, an multiformis, id est ex pluribus composita. Si simplex fuerit, ipsius facultas inspicienda est, quid scilicet, & in quod agere, aut quid, & à quo pati possit: sic namq. perfecta erit eius naturæ simplicis cognitio. Quod si species habet multas, (id est ex multis specie differentibus sit composita) inuestigandum est, quot ea sint, ex quibus componitur: quibus tandem inuentis inquirendum, quid eorum singula agere, &

pati possint. Hac methodo inquirit hoc libro Hippocrates hominis naturam, vt docet in pręsentia Galenus, & clarius multo commentario vltimo huius libri. Quippe cum propriam hominis naturam, id est proximam materiã, aut elementa propria ex quibus constat, hoc libro demonstrare instituisset, homo vero veluti pars quędam totius mundi sit, propriam hominis naturam sine totius mundi natura cognosci non posse recte intellexit. Quo consilio totã hanc disputationem a natura totius mundi exorsus est, quam iuxta prędictam methodum inuestigat, inquirens primum simplex ne sit, an multiformis, id est an vnicum sit mundi elementum, an plura. Demonstrat vero firmis rationibus, vnum non esse mundi elementum, sed plura. Quare rursus inquirit, quot, qualiaq. sint plura illa mundi elementa, necessariisq. rationibus quattuor esse demonstrat, B in quorum singulis naturalem & agendi & patiendi vim expendens, ipsa vocat calidum, frigidum, siccum, & humidum. Absoluta ad hunc modum disputatione de natura mundi, accedit deinde ad disputationẽ de natura hominis propria, in qua eandem methodum seruans, inquirit primum, simplex ne sit, an ex pluribus composita. Probat vero firmis demonstrationibus, simplicem non esse, id est vnicum non esse proprium hominis elementũ, sed plura: quæ tandẽ quattuor esse ostendit, natiuasq; ipsorum vires, ac facultates explicat. Iam vero Hippocratis vestigia sequutus Plato, eâdem prorsus methodo animæ naturam inquirit in Phædro. Quippe, vt ipse ait, medendi artis atque dicendi eadem ferme est ratio: proindeq; in vtrâq; naturam partiri oportet, corporis quidem in vna, in altera vero animæ. Quemadmodum igitur in Medicina propriæ humani corporis naturæ cognitio ad morborum curationem est necessaria, sic in Rhetorica ad recte persuadendum proprię cuiusque animę naturæ cognitionem necessariam esse docet. C Dicitur autem propria cuiusq; animę natura, id quod peculiari ratione cuique animæ inest: alia namq; est iracundę animæ natura, alia mansuetę & mitis: alia itidem est animæ liberalis, alia auaræ. Hanc igitur propriam animę naturam recte sensit Plato, cognosci non posse sine totius natura, à qua primum exorditur, inquirens scilicet simplex ne sit, an multi formis. Demõstrat vero multiformem esse, & ex tribus siue partibus, siue facultatibus constitutam, concupiscibili, irascibili, & rationali. Ac rursus harum singulæ multiformes esse videntur, pro diuersitate affectuum quos sustinent, & obiectorũ in quæ feruntur. Hinc enim variæ nascuntur animarum differentiæ, vt anima continens & libidinosa, anima fortis & timida, anima prudens & stolida. Quod igitur singulis animæ differentiis peculiari ratione inest, id oratori cognoscendum esse pręcipit Plato, ne suo fine frustretur. Alioqui enim vix persuadere possit, nisi primum intellexerit, quid singulæ animæ & agere & pati possint: cum dissimili ratione patiatur, & agat anima continens aut libidinosa, anima timida aut fortis. D Immo & accuratius adhuc visus est plato Hippocratis methodum imitari, nã vt disputaturus Hippocrates de hominis natura à totius mundi natura exorsus est: ita & Plato videtur sentire, ad cognoscendam humanæ animæ naturã, exordiendum esse ab anima mundi, cuius veluti partes quasdam esse voluit hominis, ceterarumq; rerũ animas. Quo nomine commendauit Periclem oratorum longe præstantissimum, qui ex iis quæ de natura mentis & dementiæ (vt ipse loquitur) ab Anaxagora didicerat, ad dicendi artem traduxit quæ sibi conducere videbantur. Tot igitur ac tanta voluit Plato oratori cognoscenda esse, vt recte suo munere fungi possit.

Tales vero omnes veterum philosophorum libros de natura conscriptos inuenias,

A *nias, nempe Empedoclis, Parmenidis, Melißi, Alcmeonis, & Heracliti. Aliqui non vnum, sed plures huius speculationis libros composuerunt: aliqui etiam multo plures, quemadmodum Epicurus. Incipit enim is, sicuti & alij omnes, â quæstione, vnum ne sit & simplex cuius naturam inuenire conemur, an compositũ ex simplicibus quibusdam se prioribus, quæ veterum ipsorum successores elemẽta nominare consuerunt.*

Methodum ante explicatam non solum obseruarunt Hippocrates & Plato, sed etiam veteres illi philosophi, qui libros de natura conscripserunt, vt Parmenides, Empedocles, Melissus, Alcmeon, Heraclitus, & Epicurus, quorũ omnium opera prorsus perierunt. Incipiebant enim omnes ab ea quæstione, sit ne B vnum & simplex; cuius naturam inuenire studebant, an compositum ex simplicibus quibusdam se prioribus, quæ veterum successores elementa vocarunt. Iam vero & Aristoteles eâdẽ methodo disputasse videtur de rerum naturaliũ principiis & elementis. Obseruatione dignum illud est hoc loco, quod elementi nomen à veterum successoribus inuentum dicatur ad significanda prima illa corpora, ex quibus cetera fiunt: hæc namque (vt antea docuimus ex Aristotele) veteres illi philosophi naturam potius quam elemẽta appellarunt. Id quod ex eo etiam constare potest, quod nusquam Hippocrates, nusquam Plato, ignem, aërẽ aquam, & terram vocarunt elementa. Immo nusquam (quod sciam) elementi nomine vsus est Hippocrates, quamuis id putarit fortasse quispiam, deceptus iis quę leguntur sententia septima, & decima tertia huius libri, in quibus nominis C elementi fit mentio. Docebimus tamen suo loco, errorem esse interpretis, qui dictioni Hippocraticæ elementi nomen temere adiecit. Hippocrates ergo ignem, aërem, aquam, & terram, aut (vt ipse loquitur) calidum, frigidum, humidum, & siccum, numquam vocauit elementa, sed tantũ naturã corporum. Plato vero elementi nomine sępe vsus est, nusquam tamen ignem, aërem, aquam, & terram, sed potius triangula rectilatera, elementa esse dixit. Siquidẽ prima illa corpora diuisit Plato in materiam & formam, quam voluit esse compositam ex ęquilateris triangulis, aut ex quadratis, atq; hęc rursus ex aliis simplicioribus constare asseruit: triangulum scilicet æquilaterum ex rectilateris duobus, quadratum vero ex quattuor. Ac quoniam vlterius progredi nõ poterat, in his quasi minimus quieuit, eaq; proinde elementa appellauit. At veterum successores, potissimumq; Platonis discipuli, prima illa corpora ex quibus cõstamus, omniũ D primi elementa vocarunt, veluti Aristoteles, quem Galenus ceteriq; philosophi hactenus sequuti sunt.

Lib. 1. physi. & lib. 3. de coelo.

Gal. lib. 5. de Hipp. & Plat. cap. 3.

Quomodo Grammatici in voce quattuor & viginti elemẽta esse pronuntiant, hoc est simplices, primasque particulas, quæ non amplius in alias diuidi possunt, sicuti syllabæ. Nam si de hac syllaba, stra, primum adimas elementum, s, licet reliquam adhuc integram habere syllabam. tra. ita si rursus ab ipsa, tra, primam adimas literam, t, id quod ex hac reliquum est, habebis, ra, quod diuidi potest. Non tamen, a, adhuc diuidere licet, neq. illam ex duobus, tribusue sonis, sicut alias multas constare ostendes: verum indiuisus vnus ipsius sonus est, non secundum quantitatem simpliciter (vt alibi & nos, & alii pleriq. philosophi ostendimus

*mus) verum secundum solam speciem. Pari modo qui quattuor elementa corporum quæ generationi & corruptelæ subiecta sunt, esse dicunt aërem, ignem, terram, & aquam, quoniam amplius singula ipsa in plures species secari nequeunt, ideo naturalis * speculationis principia, ipsa statuunt.* A

* φυσιολογίας.

Ex iis quæ de libri inscriptione ac methodo hactenus diximus, Hippocratis institutum intelligitur: instituit enim agere de elementis. Galenus tamen nonnulla nunc docet de elementis, vt Hippocratis institutũ certius innotescat. Docet itaq; in primis, elementi nomen, quod ad significanda prima illa corpora ex quibus constamus, à veterum successoribus inuentum fuit, ad res alias significandas sępe transferri. In vniuersum enim simplices ac primæ rei cuiusq; particulę, quæ amplius in alias diuidi non possunt, elementa dici solent: per abusum tamē, vt ipsemet ait commentario vltimo huius libri. Quo pacto musica, rythmica, arithmetica, geometrica, & demonstrationis elementa statuuntur. Et Grammatici quattuor & viginti Græcæ orationis, seu vocis, elementa esse pronuntiant, quæ primæ sunt, ac simplicissimæ, vocis ac orationis particulæ; quæ in alias simpliciores diuidi nequeunt. Quo nomine conueniunt cum primis illis corporibus, quæ proprie ac vere elementa appellantur, quæ primæ itidem sunt ac simplices mistorum corporum particulæ, secundum speciem omnino indiuisibiles. Et quamuis elementa (vt postea dicemus) à principiis distinguantur, prima tamen illa corpora, quæ proprie sunt elementa, dicuntur hoc loco à Galeno principia, non corporũ mixtorũ quorum sunt elementa, sed naturalis speculationis, quæ sane incipit ab elementorum cognitione. Porro ex iis quæ Galenus hoc loco docet, hæc elementi definitio colligitur, quam alibi tradidit manifestius, Elementum est minima particula eius cuius est elementum. Et Aristoteles elementum esse ait, id ex quo quidpiam componitur primo, ita vt insit, indiuisibileq; sit specie in aliam formam. Quæ sane definitiones, corporum, vocis, & demonstrationis elementis conueniunt, & in vniuersum simplicibus ac primis rei cuiuscumq; particulis: vnde perspicuum est, elemētum, non secus ac partem, ad aliquid dici. At elementa corporum, de quibus solis agendum est hoc libro, ab Aristotele ita defininntur, Elementum est corpus simplex, in quod cetera corpora diuidũtur, cum potestate insit vel reipsa, ipsum autē in ea quæ specie differunt, diuidi non potest. Auctor finitionũ accuratius definit in hunc modum, Elementum est id, ex quo primo & simplicissimo progenita omnia sunt, & in quod simplicissimum resoluuntur. Aliquando tamen Galenus corporum elemēta considerat, non quatenus referũtur ad mixta, sed quatenus talia corpora sunt propriam seruantia naturam: qua ratione elementum inquit esse corpus simplicissimum, & impermistum.

B — C — D

Lib. 1. de elementis. cap. 1. & li. 8. de Hip. & Plat. decre. cap. 2. Li. 5. meta. c. 3.

Lib. 3. de cœlo cap. 3.

Lib. 1. de elemen. cap. 6.

Prima siquidem est corporum minimorum notio quantitatis ratione, deinde alia secunda qualitatis, vt in elementis vocis ostensum est. Atq. hinc naturales philosophi inter se differunt, nonnulli sane elementa corporum generatorum & corruptibilium, particulas quantitate minimas statuentes, nonnulli vero qualitate. Verum de significatu vocis elementi libro primo de nominibus medicis copiosissime disputatum est, quemadmodum & de naturæ vocabuli significatione in quincto.

Cum elementum sit minima pars eius cuius est elementũ, proponit duas significatio-

gnifi-

A gnificationes minimi, vt doceat quomodo elementa corporum minimæ dicantur mistorum particulæ. Dicitur ergo minimũ bifariam, quantitate, & qualitate siue specie. Quantitate minimum illud dicitur, quod in minorem quantitatem diuidi non potest: & quoniam quantitas diuidi potest in infinitũ, nihil profecto erit minimum quantitate: quamuis philosophorum nonnulli id perperam olim concesserint. Specie minimum illud appellatur, quod quamuis secundum quantitatem possit diuidi, in sua tamen specie amplius diuidi nequit. Quo fit, vt in singulis rerum formis detur minimum, quo minus in eadem specie dari nequeat. Ex hac duplici significatione minimi ortum habuerunt duæ veterũ philosophorum sectæ de primis corporum elementis. Quidam enim elementa particulas specie minimas esse voluerunt, vt Hippocrates, quem sequuti sunt Peripatetici omnes & Stoici: alii vero existimarunt, esse particulas quantitate minimas, vt
B Democritus, Leucippus, & ceteri omnes, qui atoma corpuscula dixerunt esse rerum elementa. Eiusdem sententiæ fuit Empedocles, qui mista corpora ex igne, aere, aqua, & terra componi opinatus est, non tamen per se tota temperatis, sed ad minima tantum diuisis, sibiq; mutuo appositis. Hæc docet in præsentia Galenus de significatione nominis elementi, reliqua consulto prætermittit, quoniam de hac re copiose disputauerat libro primo de nominibus medicis, quẽadmodũ de significationibus naturæ libro quincto. Nemini ergo mirum videatur, si non omnes naturæ, & elementi significationes hoc loco tradiderit, sed eas dumtaxat quæ ad præsens institutũ potissimũ pertinebant: didicerat enim ex Aristotele, id omne quod vnum est, & paruum, & ad multa conducit, elemẽtum quoque per translationem vocari. Opus Galeni de nominibus medicis nõ Lib. 5. methaphy. cap. 3.
C exstat iniuria temporum, ad ipsius tamen similitudinem conscriptus est liber finitionum medicarum, qui Galeni nomine falso circumfertur. Et nostris temporibus definitiones medicas edidit Iohannes Gorræus Galenum imitatus.

At in præsentia non de appellationibus, aut significatis, sed de rebus ipsis disputatio est, ex quibus minimis siue secundum magnitudinem, siue secundum speciem prima corporum generatorum compositio sit conflata, quæ Aristoteles & nos appellamus ὁμοιομερῆ, *id est similaria. Secunda namq; ex his alia corporum fit constructio, quæ vocamus* ὀργανικὰ, *id est instrumentaria, manus, cruris, oculi, linguæ, pulmonis, cordis, iecinoris, lienis, renum, ventris, vteri, & id genus aliorũ Quippe cõstat ex primis & similaribus, quæ sane etiam* πρωτόγονα, *id est primogenia, Plato appellare consueuit: de quorum differentia dictum quidem iam est vno quodam volumine, nunc autem summatim dicetur clarioris doctrinæ gratia.*
D *Similare igitur est os, cartilago, & ligamentum: similare & membrana, & pinguedo, & caro, tum quæ musculorum fibris circundatur, quæ & ipsæ sunt similares, tum quæ in visceribus habetur, quam Erasistratus etiam* παρέγχυμα, *quasi dicas affusionem, vocare solitus est.*

Quamuis ex veteribus philosophis alii elementa quantitate, alii specie minima statuerint, in eo tamen omnes consentiunt, quod ex illis siue quantitate, siue specie minimis, partes corporis similares generentur. Constat enim & hominis, & reliquorum animalium corpus, ex duplici partium genere, similarium scilicet, & organicarũ. Partes similares, vt vocant Aristoteles & Galenus, aut primoge-

mogenię, vt Plato appellat, eæ dicuntur, quæ si diuidantur, eandem naturam, idemque nomen habent cum toto: vel quę ex aliis partibus non componuntur Harum multa exempla hoc loco scribit, ex quibus duo potissimum obseruare oportet. Primum est, exemplum pinguedinis, quo vsus innuit pinguedinem veram esse corporis partem, quod tamen controuersum est, vt alibi dicemus. Alterum est exemplum carnis, quam duplicem statuit, musculorũ scilicet & viscerũ, quamuis præter has, alias etiam carnis species ipse concesserit, vt dicemus etiã alibi. Partes organicæ, siue instrumentariæ appellantur, quæ ex partibus similaribus componuntur, aut quæ vbi diuiduntur, neque idem nomen, neque candẽ naturam seruant cum toto: cuius generis sunt cerebrum, cor, iecur, & manus. Habent singulæ istæ partes propriam suam constitutionem, partes quidem organicæ ex similaribus, similares vero ex primis elementis. Quare vt prima illa ac simplicissima corpora, partium similarium sunt elementa, ita & partes similares elementa sunt partium organicarum, ex quibus vniuersum corpus cõflatur. Hæc sane quæ de elementis Galenus hactenus docuit, vtilissima sunt ad intelligendum Hippocratis institutum; qui agit tantum hoc libro de elementis partium similarium. Quippe cum partium organicarum elemẽta sensui subiiciantur, nõ sunt per demonstrationem inuenienda, sed ex anatome cognoscenda; quæ sola docet, quot qualesque sint partes similares, ex quibus singulæ partes organicæ componuntur. At elementa partium similariũ sensum prorsus effugiunt, solaq; demonstratione inueniri possunt; vnde factum est vt de his olim maxime sit à philosophis dubitatum. Merito igitur Hippocrates de his solis disputare hoc libro instituit.

Lib. 2. de tem. cap. 5

Ibidem.

A B C

Ceterum significaui statim ab initio operis, quo medendi methodum qualis nã sit demonstraui, fieri non posse, vt per indicationes similaribus corporibus medearis, nisi prius cognitum habeas, vtrum singula ipsa simplicia sint, an ex pluribus conflata: item temperata illa ne sint per tota, an solum se mutuo contingant. Iam vero ostensum est à me, nonnullos medicos (è quorũ numero & Erasistratus est) ex dimidio esse dogmaticos, qui instrumentariarum partium morbos ratione curant, similarium, aut neutiquam, aut Empiricorum more. Nec sciunt pleriq. ipsorum, quomodo instrumentariorum morbi, ab iis qui similaribus accidunt, differant, veluti nec de vtrorumque ipsorum numero. Sed vos, ô sodales, etiam de morborum differentiis vnum aliquem è nostris commentariis habetis, & remediorũ non exiguum opus, cui titulum indidi Methodum medendi. Verum tum hæc, tũ alia, de natura corporis nostri disputationem requirunt, quæ præsenti in volumine docetur.

D

Explicata libri inscriptione, methodo, & instituto, docet nunc quartò huius libri vtilitatem, quæ est potissimum duplex, altera ad inueniendas differentias morborum partium similarium, altera vero ad instituendam iisdem morbis curationem. Neq; enim morbi partium similarium proprii inueniri, neque certa methodo curari possunt, nisi antea cognitum sit, an partes similares ex vnico elemento constent, an ex pluribus: & rursus si plura sint, sint ne per se tota temperata, an sibi tantum apposita. Hinc enim factum est, vt diuersas morborũ species in partibus similaribus, & diuersam quoq; curandi rationem, Rationales & Metho-

A Methodici tradiderint. Hi namq; cum ex impatibilium atomorum concretione partes similares fieri putarent, duos tantum simplices morbos concesserunt, meatuum scilicet laxitatem, & eorumdem densitatē: illi vero, cum ex quattuor elementis per se tota tēperatis, similares partes fieri arbitrati sint, quattuor potius simplices partiū similarium morbos statuerūt, & rursus quattuor in vniuersum genera remediorum, cum tamen Methodici duobus essent contenti. Sed & ex iis qui sectam rationalem profitebantur, quidam extiterunt, qui partiū organicarum morbos recta methodo curabant, quod partium organicarum elementa exacte cognoscerent, morbos vero partium similarium, quarum elementa ignorarunt, aut nulla ratione, aut certe Empiricorum more curabant. Quos proinde merito & hîc & alibi semidogmaticos vocat, è quorum numero Erasistratum fuisse testatur. Illud tamen silentio prętereundum non est, quod opus de medendi methodo vocet hoc loco non exiguum remediorum opus, cum tamen paucissima ibi describantur remedia. Vt hinc facile sit intelligere, ea tantum vocanda esse remedia, quę recta methodo ex indicationibus constituta inuenta fuerint, eumq; solum de remediis optime deliberaturum, qui medendi methodum ad vnguem didicerit, non qui plures schedulas, ex aliorum libris transcripserit, aut à suis præceptoribus, vel etiam (si Diis placet) à pharmacopolis acceperit. Neque enim quod à medico præscribitur remedium esse potest, nisi ægrotum iuuerit. Lib. 2. metho. cap. 6.

B (marginal letter beside "inuenta fuerint")

Quare etiam mirari aliquis posit illos, qui librum de natura hominis non esse germanum Hippocratis censent, sed vt ipsi vocare consueuerunt νόθον, *id est spurium, decepti ab iis quæ ipsi afficta sunt, & interposita, de quibus in his ipsis commentariis fusius tractabo. In præsentiarum satis est explicare, quæ in germano, vel etiam adulterino Hippocratis opere comprehensa sunt, quorum lectio sic habet. Huius libelli prima in vno volumine pars ad ducentos & quadraginta versus porrigitur, ostendens ex calido, frigido, sicco, & humido, animaliū corpora esse conflata, pariter & de humorum natura docens. Altera post hanc pars varia est, etenim prima pars erraticos morbos a publice grassantibus, pestilentibusq. discernit, & propriam vtriusq. generis curationē summatim tradit. Hanc subsequens libri pars consectionem venarum persequitur. Deinde de morbis varia est doctrina; & postea salubris victus ratio ad priuatos conscripta: postremo qua ratione quis crassissimos homines attenuet, aut tenuissimos repleat: quibus coniuncta est de vomitu præceptio: mox breuis quædam puerorum victus rationis descriptio: deinde mulierum: post eorum qui exercentur: ad finem adiecta est versibus circiter decem, cerebri morborum doctrina temere, & sine iudicio. Proinde clarum omnibus est, totum libellum ex multis instructum, conflatumq; esse, ad sexcentos fere versus, aut paulo minus extensum. Habet autem primam sane disputationem, vbi de elementis & humoribus agit, omnino Hippocratis arti consentaneam, quemadmodum & secundam, quæ morbos publice grassantes, & erraticos inuicem distinguit. At eam, quæ de venarum consectione est euidenter ab aliis interposita, totam habet viciosam. Neque enim iis quæ apparent consonat,*

& ab

& ab iis quæ in secundo de morbis paßim ingruentibus sunt comprehensa, dissentit. Subsequentiũ alia supposititia sunt, de quibus, cum tibi librum interpretabimur, exacte agemus: alia vero sunt mentione digna, & paucis recte dicta, nec ab arte Hippocratis aliena, sicuti quæ de salubri victus ratione prodita sunt. Ex his totus quidem liber constat, verum prima ipsius pars totius Hippocraticæ artis veluti fundamentum continet. Quare demirari nonnullos me dixi, qui eam ab Hippocratis sensu alienam esse tuentur, plurimi siquidem, qui Hippocratis artem habent cognitam, germanis ipsam adscribunt, iudicantes magni Hippocratis esse commentarium: quidam vero Polybi eius discipuli, simul & in iuuenibus docendis successoris, qui nullum plane Hippocratis dogmatũ videtur trãsmutasse in vllo suo libro, quemadmodum neque Thessalus eius filius, mirabilis sane vir & hic existimatus, sed qui non in patria, sicuti Polybus, permanserit, nam Archelao regi Macedoniæ familiariter conuixit. Itaq. persuasum habent, vt dixi, & alii prope vniuersi medici præter paucos quosdam, Hippocratis esse librum de natura hominis: id quod nec Plato ipse ignorat. Scribit itaq. in Phædro sententiam paullo ante a me recitatam, cuius initium hoc est. SO. Animæ igitur naturam sine totius natura intelligere te, vt conuenit, posse arbitraris? PHÆ. Si sane Hippocrati Asclepiadæ credendum est, ne corporis quidem naturam citra hanc methodum poßis. Hæc verba perlegentes, inconsultos illos nugatores considerare oportebat, quo in libro Hippocratis methodus, quam Plato cõmendat, perscripta sit, quippe non in alio quam præsenti hoc cõmentario de natura hominis tradita esse videbitur. Deinde vero & alia singula, quæ Plato cõmemorauit, quæ etiam ego in opere de elementis secundũ Hippocratem edocui, & nihilominus inpræsentia persequar. Ad idque nunc me accingo, quandoquidem ita vobis visum est, illud sane adhuc vbi sermoni adiecero, orationum, quæ in libro sunt, expositionem aggrediar. Cum liber de elementis secundum Hippocratis sententiam à me aliquando conscriptus, in multorum manus incidisset, probatusq. ab omnibus esset eruditis, pauculi indocti, qui demõstrationum in eo scriptarum nullam potuerunt reprehendere, (quamuis id aggreßi) contabescebant, rumpebanturq. inuidia, hoc satis esse ad calumniã putantes, si dicerent opus non esse ipsius Hippocratis. Esto igitur neque Hippocratis, nec ipsius Polybi, nec, si velint, omnino conscriptus liber sit de hominis natura, qui ostendat corpora nostra ex calido, frigido, sicco, & humido esse conflata: etsi enim hoc ipsis donabimus, tamen corpora nostra ex his constare, Hippocratis est dogma. Nã in libris qui maxime germani ipsius sunt, non modo differentias morborum his principiis consentaneas facere videtur sed etiam curationis modos illinc inuenire. Siquidẽ morbi ipsorum [principiorũ] ratione calidi, frigidi, humidi, & sicci inter se differunt: curatio autem fit, calidorum sane dum refrigerantur, humidorum

A B C D

A *rum dum ſiccantur, veluti & frigidorum dum calfiunt, ſiccorum dum hume-*
ctantur. Præterea ante hæc, ipſas naturas hominum alias calidas, alias frigi-
das, has humidas, illas ſiccas arbitratur. Aetateſque ſimiliter, & regiones etiam
pari modo inuicem differre autumat: cum nihil horum Eraſiſtratus vnquam
prodiderit, ſicut nec alius quiſpiam eorum, qui calidum adſcititium, non inna-
tum eſſe putant. Sic etiam alia omnino particularia Hippocrates ſane ad hæc
principia refert, Eraſiſtratus autem non obſeruat: quæ cauſſa eſt, vt nonnulla
naturæ opera indiſcuſſa reliquerit, quemadmodum in commētariis de facultati-
bus naturæ docuimus. Quoniam vero qui omnibus honeſtis obſtrepunt, ſermo-
B *nis prolixitatem criminantur, dicentes, nos quiduis potius quam commentarios*
ſcribere, decreui, & hanc ipſorum contumeliam reſcindere proprio alio opere* *ἐπηρίαν.
à me conſcripto, in quo opinionem eandem cum Hippocrate me tueri oſtendam,
quæ in libro de natura hominis ſcripta eſt, & in aliis omnibus commentariis.
Noui autem rurſus, quemadmodum in omnibus iis quæ à nobis demonſtrantur,
inuidi ea calumniari veriti quæ ab omnibus collaudantur, criminantur aliquas
ſpeculationes eorum quæ ipſis communicant: ita etiam nunc facturos ipſos.* * θεωρήματα τῶν κοινωνούντων αὐτοῖς.
Etenim in libris qui ſcribuntur dicunt, Hippocratem vti quidem vere ſcopis*
elementaribus, calido, frigido, ſicco, & humido, non tamen vere ipſum ſentire. * γραφησομένων.
C *Cum autem demonſtret rurſus ex his corpora noſtra conſtari, non videri hoc*
Hippocrati dictitant, quippe librum de natura humana non eſſe Hippocratis.
Sicut igitur illi malefacere non deſiſtunt, ita & nos conuenit, memores eorũ quæ
in ſingulis commentariis erant propoſita, in memoriam illis reuocare, & neque
cum demonſtramus Hippocratem in omnibus cõmentariis, artis ſuæ fundamen-
tum in ſcientia de elementis repertis ſtatuere, hoc omiſſo de veritate ipſorum in-
quirant: neque cum de veritate inquirimus, aut etiam demonſtramus, digredian-
tur ad ſententiæ ipſius conſiderationem. Sed priuatim quidem an vera de ele-
mentis diſputatio ſit, diſquirant, priuatim quoque, an hæc elementa Hippo-
D *crates ſtatuerit. Cum itaque duo hæc diſquirenda proponantur, prius in opere*
de elementis ſecundum Hippocratem, & in diſputatione modo propoſita conſi-
derent. Hinc abunde colligitur, eadem ſemper elementa ſtatuiſſe, librumque
præſentem conſcripſiſſe, viris non imprudentibus apparet.

Hippocratis liber de hominis natura varias olim diſputationes continebat, quarum aliæ dogmatis Hippocraticis erant omnino conſentaneæ, aliæ vero ab iiſdem prorſus alienæ: quæ ſane perperam ab aliis adiectæ fuerant. His itaq; decepti nonnulli medicorum, librum de hominis natura Hippocratis non eſſe crediderunt, quorum opinionem Galenus hoc loco refutat. Diſtinguit vero diligenter quæ vera ſunt, & Hippocrati conſentientia, ab iis quæ falſo fuerant adiecta, quæ itidem interpretum diligentia reiecta iam ſunt in alios

libros: potiſsimumq. in librum ſecundũ de natura humana. At liber iſte de natura hominis prima erat totius eius voluminis pars, quæ diſputationem continet de communibus & propriis elementis. Hanc igitur eſſe Hippocratis legitimam, Platonis teſtimonio nũc probat, & ex aliis libris, quos Hippocratis eſſe conſtat, recte confirmat, in quibus & varias corporum naturas, & varias morborum differentias, & diuerſas curandi rationes, ad elementa hoc libro demonſtrata perpetuo retulit. Cetera, quia facilia ſunt, explanatione non indigent, etiam ſi ſint a Guinterio obſcure tranſlata. Nimiam tamen Marſilii Cagnati diligẽtiam animaduertere non pigebit, qui fruſtra obſeruat, totum hunc locum, in quo Galenus totum librum de hominis natura diuidit in duas partes, in Græcis exẽplaribus deprauatũ eſſe. Quippe cum toti volumini ſexcentos fere verſus Galenus aſſignet, & priori voluminis parti ducentos & quadraginta: partem alteram priori longiorem eſſe, & verſibus tercentum & ſexaginta conſtare neceſſe eſſet: quod tamen falſum eſſe credit Cagnatus. Quare lectionem audacter immutans pro διακοσίους, id eſt ducentos, ſentit legendum eſſe δ', numeri quaternarii notam; & pro ἑξακοσίους, id eſt ſexcentos, ſentit legendum eſſe ἑξηκοστοὺς, id eſt ſexaginta. Ex qua lectione hunc ſenſum elicit, vt prior voluminis pars ad quattuor & quadraginta, totum vero volumen ad ſexaginta fere verſus protrahatur. Quam ſententiam vt veram efficiat, στίχους, interpretatur contextus, aut particulas, totumque volumen in ſexaginta ſex contextus partitur: ex quibus prior pars quattuor & quadraginta, poſterior vero duos & viginti contineat. Ridiculum tamen eſt, στίχους interpretari particulas, aut contextus, cum ſignificet potius verſus, aut lineas. Neque verum eſt, ſecũdam voluminis partem breuiorem eſſe priori, quæ ſane fuit Cagnati ratio, eaque leuiſſima. Neque enim ſecunda voluminis pars, ſecũdum librum de natura humana (vt ipſe forſan arbitratur) dumtaxat complectebatur, verum etiam (vt fatetur Galenus hoc loco) librum Polybi de ſalubri diæta, qui nunc ab vtroque libro de natura humana ſeparatus iam circumfertur. Quod ſi librum ſecundum de natura humana, & alterum de ſalubri diæta, ad ſecundam totius voluminis partem referas cum Galeno, rem proculdubio ita habere comperies, vt hoc loco ſcriptum eſt. Hæc igitur ab obſeruationum auctore paullo diligentius obſeruari debuiſſent.

Lib. 3. variar. obſeruat. c. 11.

A B C

HIPP. SENT. I.

VI de natura humana vlterius quam ad medicinam pertineat, diſputantes audire conſuerit, ei hunc ſermonem audire commodum non eſt. Neque enim τὸ πάμπαν, hoc eſt in totum, aërem dixerim hominem eſſe, neque ignem, neque aquam, neque terram, neque aliud quidpiam, quia non vnum in homine eſſe apparet. Sed hæc iis qui volent dicere permitto. D

GAL. COM.

A QVantum ad seriem hanc dictionum attinet, haud adeo fieri posse videbitur, vt manifesto auctoris sententiam intelligas. Accusat enim eos qui disputationem de natura vlterius abducũt quam medicina postulet: vlterius autem abducere, aliquis poterit intelligere illos, qui ignem, aquam, aërem, & terram, hominis naturæ elementa esse dictitant, si non misceant ipsa, item illos qui elementum vnum aliquod ponunt: quorum priorem sententiam prompta imaginatione, secundam vero exacta magis consideratione percipimus. Nam qui corpora nostra ex igne, terra, aqua, & aëre inuicem temperatis constare ar-
B bitrantur, ab his inique postulabit aliquis, vt secernant ostendendo in nobis aquam, aut ignem, aut terram, aut aërem, aut si non ostendunt, conuinci dicat. Simile enim hoc est, ac si voles in medicamento tetrapharmaco, vel ceram, vel picem, vel seuum, vel resinam puram, sinceramque ostendi, aut iis qui nequeant ostendere, non concedas ex his ipsum esse compositum. Nam dum quattuor contemperari dicuntur, nullum ex ipsis sincerum esse ostenditur. Possis igitur ambo in proposita oratione intelligere; verum in iis quæ mox dicentur, secundum ab auctore astrui videtur. Et siquis animum diligenter aduertat, etiam hac ipsa oratione, vbi inquit, Neque enim hominem in totum aërem esse dixerim, non hoc dicit, quod non sit omnino in nobis aër, quemadmodum neque quod ignis,
C vel aqua, vel terra, sed quod non in totum sit, quod Græce ἐν τὸ πάμπαν dicunt. Ex qua dictione significatur [Græcum] illud μὴ παντελῶς, hoc est non omnino, non autem [illa dictio] μηδ' ὅλως, hoc est, nulla ex parte. Neque enim res de qua disputamus, per dictionem πάμπαν, tollitur omnino, sed quod in ea absolutum est, & misturæ expers, comminuitur. Quin & Homerus in eo significatu voce πάμπαν vti videtur, in quibus scribit.

οὐδ' ὅ γε πάμπαν
ἤθελε λαὸν ὀλέσθαι ἀχαιϊκὸν ἰλιόθι πρό,
id est,
D Non quia Græcos
In totum voluit sub Troiæ perdere muris.

Item Hippocrates ipse, cum ait, Morborum acutorum οὐ πάμπαν, id est non in to-
” tũ securæ sunt prædictiones, siue ad sanitatẽ, siue ad mortẽ. Eterim poëta scribit,
” Iouem in gratiam Thetidis magnam Græcorum cladem velle moliri, non tamen omnino ipsos extinguere: Hippoc. vero multas sane prædictiones firmas esse dicit (vt in cõmentariis in librum Prognosticωn ostendimus) non tamẽ omnes præstat intelligere. Quod etiam subsequentibus declarat, *Hippocratẽ non cõcedere* iis, qui aërem solum humani corporis esse elementum dictitant; quemadmodum

* δηλοῖ
* συγχωρεῖν.

neque iis qui terram solam, aut aquam, aut ignem: neque enim vnum aliquod A
horum est, sed omnia elementa. Proinde etiam dictionem ad finem orationis positam, cum ambigua sit in eo ambiguitatis genere quod ex diuisione & compositione nascitur, satius est diuisim legere, vbi inquit [Græco sermone] ἐπεὶ μὴ φανερὸν ὅτι ἓν ἐὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, hoc est, quoniam non vnum in homine ens apparet. In qua sententia ἓν ἐὸν, non vt priorem interpretationem celebrantes censent, vna est orationis pars, quæ ab aliis Græcis duabus syllabis effertur, ἓν ὄν, ab Ionicis tribus ἐνεὸν, verum duæ sunt orationis partes; prior, nomen monosyllabum, vt cum numerando dicimus, ἓν, hoc est vnum, duo, tria: altera, quam nos quidem ὄν, (id est ens) dicimus, Iones autem duabus syllabis ἐόν. Ostendetur enim in subsequentibus Hippocrates refragari, non iis qui putant, singula quattuor elementorum in corpore contineri, sed iis qui vnum dumtaxat B
ex ipsis naturam hominis esse arbitrantur. Quomodo igitur, inquies, vlterius quam medicina postulat, disputatio hæc procedit, in qua vnum quodlibet elementum nonnulli naturam hominis esse statuunt? Quoniam, vt ipse paullo post dicet, hanc opinionem sequitur nunquam hominem dolere: & si quis hoc concesserit, vnum etiam remedium esse: sed dolere & curari videtur multifariam, eoque falsa plane est opinio. Inspiciamus igitur singula iam dicta, quomodo
ipsa in subscriptis verbis κατασκευάζει. Neque enim τὸ πάμπαν, hoc est in totum, ”
dixerim hominem esse aërem, neque aquam, neque terram, neque aliud quid- C
uis, quia vnum in homine esse non apparet, sed iis quibus hæc libet dicere ”
permitto. Artemodus cognomento Capito, Hippocratis libros in lucem edidit,* ”
quæ editio non solum apud Adrianum Imperatorem in pretio est habita, verum etiam nunc admodum à multis studiose affectatur, probaturque, sicut & ea quam Dioscorides ipsi coætaneus inuulgauit. Multa igitur vterque transcribendo corrigens, veteres scripturas immutauit, quas solas norunt, qui Hippocratis libros interpretati sunt. Capito autem cum pleraque alia, tum hanc modo propositam orationem immutauit, hunc in modum scribens, οὔτε γὰρ τὸ πᾶν ἠέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον εἶναι, οὔτε πῦρ, οὔτε ὕδωρ, id est, neque enim in totũ aërem dixerim D
esse hominem, neque ignem, neque aquam. Quia enim neque librum viri veteris inuenit, qui terram solam elementum esse diceret, neque apud eos viros qui maxime huiusmodi historiam pertractarũt, puta Peripateticos, huius opinionis auctorem quemquam prodi; lectionẽ audacter immutauit. Satius autem erat increpare eos, qui contentiose inuestigarunt, quis esset vir, qui terrã solam elementũ opinatus sit: perinde enim hoc est, ac si quæras, quis erat, qui manum luxatã, supinã deligari voluerit: & quis ille exstiterit, qui calcanei deligaturã, aliter quam Hippocrates, fieri præcepit: quis rursus, qui clauiculã; aut quis, qui fracturas cum vlcere coniunctas in ipso quidem vlcere non deliget, in vtraque autẽ ipsius
parte

* Ἀρτεμίδωρος.

A parte deliget, aut quis in adurendo humeri articulum, non in quibus conuenit partibus, crustas induxit: aut qui erant, quos in oratione de spinis dorsi accusat. Multa enim id genus Hippocrates & in opere de fracturis, & de articulis est persequutus, nunc quasi vno, nunc quasi multis errantibus. Quemadmodum in opere de victus ratione in morbis acutis, simul multos medicos ac-
» cusans, hunc in modum scripsit, Noui medicos longe aliter quam conuenit fa-
» cere, volunt enim omnes sub morborum initiis, vbi homines, aut duos, aut tres,
» aut etiam plures dies fame cruciauerint, ita iam & sorbitiones, & poculenta
» offerre. Qui igitur fuerunt qui ita victus rationem tradebant, ostendant nobis interpretes: qui rursus erant, qui pituitam solam esse hominem arbitraren-
B tur: qui flauam bilem; aut qui atram bilem hominem esse iudicabant: nam inferius in hoc ipso de natura hominis libello, esse nonnullos ait, qui sic opinati sunt. Quare præstiterat interpretibus dixisse, quod forsan omnes hi suas ipsorum opiniones ne scriptis quidem mandauerint. Rursus fieri potuit, vt ipsi conscripserint, sed libri interciderint, nam hoc pluribus de caussis fieri videtur. Nonnulli enim, qui susciperent ipsorum disciplinam, non habebant: nonnulli vero libros, dum viuerent, non ediderunt, deinde mortuis ipsis, vnum aut alterum exemplar, quod supererat, periit. Iam potuerunt etiam, quia scripta ipsorum in pretio nullo erant, negligi, & temporis spatio prorsus interire. Quin
C etiam inuidi quidam aut supprimunt, aut omnino abolent veterum libros: sunt qui id faciant, vt quæ in eis sunt tradita, sua esse dictitent. Vel quid mirum est, eorum libros, qui alienas opiniones litteris prodiderunt, perire, cũ etiã apud Atheniẽses nõnulli inueniantur, tũ Comici, tũ Tragici poëtæ, magna celebritate operũ commendati, quorũ fabulæ non amplius supersint? Vt enim alias vniuersas caussas omittam, duarum dumtaxat, quæ Romæ nuper acciderunt, meminero. Sæpe conflagrata incendio tẽpla, sæpe terræmotibus collapsa, aut alia de caussa, fecerunt, vt non pauci libri interierint. Perperam igitur Capito ausus est antiquam lectionem abrogare, ita vt ne hoc quidem adiecerit, fieri potuisse, vt primus librorum scriptor errauerit, pro alio scribens aliud. Male item inter-
D pretes quidam de Xenophane mentiti sunt, quemadmodum & Sabinus, sic ad
» verbum scribens. Neq. enim in totum aërem dico hominem, sicut Anaximenes,
» neque aquam vt Thales, neq. terram, sicut alicubi Xenophanes: nullo enim in loco sic pronuntiasse Xenophanes inuenitur. Quin etiam Sabinus ipse ex suismet verbis mentiri perspicitur, non præ inscitia in errorem prolapsus, alioqui certe librum, in quo hæc pronuntiauit, nominatim protulisset: nunc autẽ sic scripsit, Neq. terram, sicut quodam in loco Xenophanes. Theophrastus autem in naturalium opinionum Compendio, Xenophanis opinionem, si ita haberet, conscripsisset. Ac tibi licet, si historia de his prodita te oblectat, Theophrasti libros

perlegere, in quibus naturales opiniones cõpendioſe perſtrinxit. Quemadmodũ A
rurſus ſi veterum medicorum opiniones voles diſcere, integrum tibi eſt, medicinæ
contractionũ * *libros euoluere, qui ſane Ariſtoteli adſcribuntur, ſed à Menone*
eius diſcipulo ſcriptos eſſe; pro confeſſo habetur: quare etiã nonnulli hos libros
Menonios appellãt. Conſtat autem, quod & Menon ille, inueſtigatis diligẽter ve-
terum medicorum libris, qui ipſius tempore adhuc ſupererant, opiniones ipſorum
inde collegerit: eorum vero qui iam prorſus interiiſſent, aut ſuperſtites quidem
eſſent, ſed non in lucem editi, ſententias haud potuit præſcribere. In his itaque
libris haud inuenias vel ab vno proditum, flauam bilem, aut nigram, aut pitui-
tam, hominis naturæ eſſe elementum: ſanguinem vero, etiam qui Hippocrati ſuc-
ceſſerunt permulti, ſolum nobis ineſſe arbitrati ſunt, quod prima generatio no-
ſtra ex ipſo fiat, mox in vtero incrementum, deinde in lucem editorum abſolutio. B
Sed Hippocrates paullo poſt ſcripſit, tanquam nonnulli ſint, qui & pituitam, &
bilem, hominem eſſe arbitrarentur: non ita ſcripturus, ſi non quidam fuiſſent,
vel ipſius tempore, vel ante ipſum, qui ſic opinarentur.

* συναγωγῆς.

Diſputaturus Hippocrates de hominis natura, id eſt de propriis hominis ele-
mentis, methodum ſeruans in procœmio explicatam, à natura totius, hoc eſt à
à cõmunibus mundi elementis exorditur. Et antequam propriam, ac veram de
his ſententiã proponat, reprehendit primum abſurdas veterũ philoſophorum
opiniones, qui de iiſdem elementis falſa opinati ſunt: quæ ſane docendi ratio
veteribus omnibus familiaris eſſe ſolet. Qui de natura humana, inquit Hippo-
crates, vlterius quam ad medicinam pertinet, diſputantes audire conſueuit, ei
hunc ſermonem audire commodum non eſt. Per hunc ſermonem, aut vniuerſa
Medicinæ præcepta ab Hippocrate tradita intelligere oportet, aut (quod ma-
gis probo) demonſtrationes hoc libro ſcriptas, vt explicat Syluius. Quippe qui C
de natura humana, vlterius quam ad Medicinam pertineat, diſputare cõſueue-
runt, demonſtrationũ vim non aſſequuntur, & pleraq; Medicinæ præcepta ſub-
uertunt, vt poſtea dicemus. Sed quinam iſti ſunt, qui vlterius quã ad Medicinã
pertineat, diſputant de natura humana? Galenus quidẽ ex dictionis ſerie nõ ita
facile Hippocratis inſtitutum colligi poſſe affirmat. Nam diſputationem de na-
tura vlterius abducere, intelligere quis poſſit illos, qui ignem, aërem, aquam,
& terram, elementa eſſe dictitant, ſi non miſceant ipſa: item illos, cui elemẽtum
vnum aliquod ponunt. Quem ſane Galeni locum aliquantulum obſcurant ver-
ba illa, Si non miſceant ipſa, quibus ad ſententiam Empedoclis videtur allu-
dere, qui ex igne, aëre, aqua, & terra, non quidem mixtis, & temperatis, ſed D
mutuo tantum ſibi appoſitis, omnia corpora fieri credidit. Atque hoc pacto
locum intellexit Syluius, cum tamen nuſquam Hippocrates huius ſententiæ
Empedoclis meminerit. Quare non immerito ſuſpicabatur doctiſſimus Colla-
dus, locum eſſe deprauatum, & pro negatione μὴ, legendum eſſe μὲν: cũ certum
ſit, Hippoc. interpretes olim dubitaſſe, (vt ex ſequẽtibus patebit) an reprehen-
dantur hoc loco qui quattuor ſtatuunt elemẽta, ex quibus mixtis cetera omnia
fiant, an potius qui vnicũ elementum ponunt. Meo tamen iudicio verba illa re-
dundant, ſiue cum negatione, ſiue cum affirmatione legantur, nullum enim fe-

A re sensum reddunt, si quæ sequuntur aduerteris. Quod itidem indicat dictio τὰ-σοιχεῖα in Græco exemplari perperam repetita: præterquam quod in antiquis exemplaribus verba illa haud quaquā legantur. Inquiramus ergo in vniuersum, an eos reprehendat Hippocrates qui quattuor elementa statuunt, an eos qui
" vnum. Priores quidem videtur reprehendere, cum hæc verba subiungat, Neq;
" enim in totum, aërem dixerim hominem esse, neque ignem, neque aquam, neq;
" terrā, quia non ἓν ἐὸν in homine apparet. Quæ sane Athenęus, ipsiusq; sectatores ita interpretabantur, vt velit Hippocrates, non componi hominē ex igne, aëre, aqua, & terra, quia nullum ex his quattuor ab aliis secretum in homine ostendi potest. Hanc rationem, quam ipsi falso Hippocrati adscripserunt, inefficacē esse ostendit Galenus hoc loco, & lib. 1. de elem. quia iniquum est postulare ab iis, qui ex quattuor elementis per se tota mistis & tēperatis hominē constare affirmant, vt solum ignem, aut aërem, aut aquam, aut terram, in homine ostendant: quemadmodum iniquum etiam esset postulare à pharmacopola, vt in medicamento tetrapharmaco (basilicon nunc vocant) ceram solam ostenderet, aut re-
B sinam, aut picem, aut seuum. Vt nemo igitur recte probauerit, tetrapharmacum ex quattuor illis simplicibus nequaquam componi, quod ipsorum nullum seorsum ostendi possit: ita neq; illi recte probant, hominem non componi ex quattuor elemētis, quod nullū possit seorsum in homine ostendi. Nā dum in homine elementa quattuor, & quattuor illa simplicia in tetrapharmaco contēperari dicuntur, nullum plane sincerum manere intelligitur. Neque id tantum verum est in iis quæ per se tota miscētur, sed etiam (vt testatur Galenus) in siccioribus medicamentis, quę veram mistionem non admittunt. Ex his intelliges, quā male hunc locū pleriq; explicent, putantes scilicet, proposita ea ratione Galenum
C ostendere, eos reprehendi ab Hippocrate, qui vnicum elemētum ponunt, non eos qui quattuor; quasi hæc esset Galeni ratio. Ab iis, qui quattuor statuunt elementa, iniquum est postulare, vt aliquod ex his solum in homine ostendant: atqui ab iis quos reprehendit, id postulat Hippocrates: ergo non reprehendit eos qui quattuor elementa ponunt. Ceterum neque hîc, neque alibi, ab iis quos nunc reprehendit, Hippocrates postulat, vt aliquod solum elementum ostendant, quamuis à medicis, qui vnicum humorem dixerunt esse hominis naturam, aliquando postularit, vt vnicum eum humorem ostenderent in homine, aliqua saltem ætate, aut aliquo anni tempore. Non est igitur ratio Galeni, sed solutio potius rationis Athenæi, & aliorum, qui eam male colligebant ex hac Hippocratis sententia, à se male intellecta. Nam si quæ hîc scribuntur attentius
D expendamus, intelligemus certissime, eos potius reprehendi, qui vnicum elementum constituunt. Id ita se habere, plures huius libri sententiæ aperte indicabunt, quas priuatim obseruabit Galenus sequentibus commentariis, & diligenter collegit lib. 1. de elem. Nusquam enim Hippocrates, sententiā eorum, qui quattuor elementa concedunt, sed eorum potius qui vnicum elementum ponunt, refutasse deprehenditur. Sed & ex hac sententia idem colligi potest, licet obscurius, ex Græca scilicet dictione πάμπαν, qua vsus Hippocrates, non negat hominem aliqua ex parte esse ignem, aërem, aquam, & terram; sed negat tantum, hominem esse solum ignem, aut solū aërem. Hæc enim propria est eius vocis significatio, vt omni ex parte non neget, sed aliquid semper demat, ita vt idem significet quod παντελῶς, non autem quod καθόλως, vt docebit etiam commentario decimo septimo. Probat vero hanc significationem ex Homero & Hippocrate. Homerus enim significare volens, Iouem in

Cap. 5.

Lib. 1. de elem. cap. 5.

Sentent. 7.

Cap. 3.

gratiam Thetidis magnam Græcorum cladem velle moliri,nō tamē ipsos prorsus extinguere,ea dictione vsus est.Hippocrates vero dum ait in Aphorismis, A

Apho.19. lib.2. in morbis acutis οὐ πάμπαν certæ sunt mortis, aut salutis prædictiones,non negat plerasq; prædictiones certas esse,sed non omnes certas esse tantum significat.Docet vero Galenus,vnde nata sit tanta inter Hippocratis interpretes dissensio de legitimo huius primæ sententię sensu,vt alii eos ab Hippocrate reprehendi existimauerint,qui quattuor elementa statuunt,alii potius eos,qui vnicū elementum admittunt.Causa autem tātæ dissensionis sola fuit ambiguitas,quæ latet in Græca dictione ἐνεόν, qua vtitur Hippocrates: quæ quidem & coniunctim legi potest, ita, vt vna sit dictio Ionica, & participium verbi ἔνειμι: & disiunctim,ita vt duæ sint dictiones,quarum altera sit ἕν, id est vnum,altera ἐόν, id est ens.Qui ergo ex Hippocratis interpretibus coniunctim legebant, eos qui quattuor ponunt elementa,ab Hippocrate reprehendi colligebant, quasi vellet Hippocrates,hominem non esse ignem,aerem,aquam,& terram,quia nullū ex his ἐνεόν, id est existens, in homine apparet.Qui vero legebant disiunctim, B (vt legendum censet Galenus)multo verius colligebant, reprehendi eos qui vnicum ponunt elementum,quasi sic dicat Hippocrates, Neq; enim dixerim, hominem esse solum ignem,aërem,aquam,aut terram,quia non ἕν ἐόν, id est nō vnum ens in homine apparet,sed plura. Atq; hunc censet Galenus legitimum esse huius sententiæ Hippocraticæ sensum,vt docet etiam sequenti commenta-

Cap.3. rio,& libro primo de elementis.Porro cur ii qui vnicum elementum statuunt, dicantur ab Hippocrate,vlterius quam ad Medicinam pertineat,de natura humana disputare,hanc rationem reddit Galenus,quia ex dogmate isto Medicinę principia euertuntur,cum ex eo sequatur(vt postea docebimus)hominē non dolere,aut si doleat,vnicum esse remedium.Hæc quidem pertinent ad sententiæ Hippocraticæ explanationem: Galenus tamen extremo commentario re- C prehendit Artemodum,(vel,vt Græce habetur, Artemidorum) cognomento Capitonem,tum etiam & Sabinū,Hippocratis interpretes,qui sententiæ istius lectionem audacter immutarunt.Artemidorus in primis particulam illam sustulit, Neq; terram,quia in veterum philosophorum libris nusquam inuenit, eius opinionis auctorem prodi,vt sola terra sit rerum omnium elementum. Quod

1.metaphy.c.7. quidem vere à Capitone dictū videtur, vt cōstat ex Aristotele,qui reliqua elementa suos habuisse auctores, solam vero terram assertorem nullum habuisse, ad hunc modum scribens testatur.Nemo namq; eorum qui vnum dicunt, terrā elementum censuit esse,ob magnitudinem partium vti patet: trium autem elementorum quodq; iudicem aliquem habuit,quidam enim ignem,quidam aquā, quidam aërem,id inquiunt esse. Et miratur profecto Aristoteles, quod terram elementum esse nemo dixerit,cum hæc opinio vulgaris sit, videaturq; Hesio- D

Cap.4. dus ad ipsam multum accessisse:cuius sententiam antea ipse proposuerat,citatis eiusdem Hesiodi his carminibus.

Ante chaos,post hoc facta est latissima tellus,
Quiq; aliis decus est Diuis,Deus ipse Cupido.

Cō.25.huius. lib. Galenus quoque huius sententiæ Hesiodi mentionem facit,scribens tueri Hesiodum,ex terra cœlum,& animalia quæ in ea habentur,fuisse genita. Præterea

1.de anima.c.2. idem Aristoteles,cum multas de animæ essentia veterum philosophorum opiniones recensuisset,quorum alii putarunt animam esse ignem, alii aerem, alii aquam,hæc subiunxit,Ita omnia elementa preter terram iudicem habuerunt, hanc autem nemo tribuit animæ,nisi quis ipsam dixerit ex omnibus elementis constare

A constare, aut omnia esse. Ex quibus patet, nullum ex veteribus philosophis asseruisse, solam terram esse rerum elementum; cum tamen reliquorum elementorum singula suos auctores habuerint. Nam Hippasus Metapontinus, & Heraclitus Ephesius, ignem dixerunt esse rerum omnium elementum, Anaximenes & Diogenes, aërem: Thales vero aquam, proptereaq; terram supra aquam collocauit. Hæc igitur cum animaduertisset Capito, lectionē temere immutans, illud, Neq; terram, omnino sustulit. Hunc ergo merito Galenus reprehendit, quoniā multæ aliæ leguntur apud Hippocratem opiniones absurdæ, quarum auctores prorsus ignorantur: quod probat ex libris de fracturis, de articulis, & de ratione victus in morbis acutis. Immo & hoc eodem libro scribit, aliquos medicos credidisse, solam bilem aut pituitam esse hominis naturam, ignoramus tamen B quinam isti fuerint. Quare vt credimus Hippocrati, aliquos fuisse earum absurdarum opinionum auctores asserenti, ita quoq; credere oportet, aliquem olim asseruisse, terram esse rerum omnium elementum; quæ tamen opinio vna cū suo auctore extincta fuerit. Vnde arrepta occasione varias caussas enumerat, ob quas antiquæ opiniones (potissimū quæ absurdæ sunt) fuerint prorsus abolitæ. Sunt autem in vniuersum duæ, vna quidem, quod suas opiniones scriptis nō mādauerint auctores, altera vero, quod ipsorum libri interierint. Cuius itidem interitus caussas plures enumerat, ac potissimum duas, validos terræmotus, & magna incendia templorū, in quibus olim bibliothecæ seruabantur. Siquidē Romæ, cum templū Pacis aliquando conflagrasset, tū alios libros à se conscriptos, C cum potissimum insigne quoddam opus de compositione medicamentorum secundum genera, periisse refert Galenus. Sabinus quoque Hippocratis lectionē temere immutauit, nihil tamen auferens, vt Artemidorus, sed adiiciens potius singulis elementis suos auctores. Sic namq; legebat Hippocratis sententiam, „ Neque enim in totum aërem dixerim hominem esse, sicut Anaximenes; neque „ aquam, vt Thales: neque terram, sicut alicubi Xenophanes. Et quamuis de Anaximene & Thalete vera dixerit, & de Heraclito verum dicere potuerit, qui ignem solum opinatus est esse rerum elementum; de Xenophane tamen aperte mentitus est. Idq; ex Aristotele constat, qui scribit Xenophanem, quem ferunt fuisse magistrum Parmenidis, ante hunc & Melissum affirmasse, omnia esse vnū, cumq; in totum cœlum respicientem, Deum esse ipsum vnum, dixisse. Si ergo vnum illud voluit Xenophanes esse Deum, quomodo illud vnum poterit esse terra? sed & id nunc probat ex naturalium opinionū compendio, in quo Theo- D phrastus veterum omnium philosophorum opiniones persequebatur. Vbi cum proditum non esset, Xenophanem voluisse omnia esse terram, credendum est haud dubie, falso Sabinum absurdam hanc opinionem Xenophani adscripsisse. Hoc naturalium opinionum compendium à Theophrasto conscriptum, nō exstat iniuria temporum, quemadmodum nec; libri contractionū Medicinæ (quorum hoc loco meminit Galenus) Aristoteli falso adscripti, à Menone tamen Aristotelis discipulo editi, ac Menonii proinde à quibusdā appellati; in quibus veterum omnium medicorum opiniones continebantur.

1. Metaph. c. 3.

Li. de lib. prop cap. 11. & lib. 1. de comp. medi. sec. gen. cap. 1.

1. metaphy. c. 5.

HIPP. SENT. II.

VIdentur autem mihi non recte sentire qui huiusmodi affirmant: nam sententia eadem omnes vtuntur, dicunt tamen non eadem, sed sententiæ eundem inferunt epilogum. Quippe

aiunt vnum esse quod est, & hoc esse tum vnum, tum omne; hic A ignem, alius aerem, ille aquam, alius terram. Tū suæ quisq. orationi testimonia, & indicia quæ adducunt, nullius sunt pretii. Quod enim in vnam omnes sententiam descendunt, verbis autem discordant,* id ipsos, quæ profitētur, ignorare arguit. Cognoueris autem hoc potissimum, si ipsorum controuersiis interfueris, nam cum hi viri inter se contendunt, nunquam ter ordine idem homo in disputando fit superior, etiam coram iisdē auditoribus, sed nunc hic vincit, nunc ille, cuicunq. contigerit lingua potissimum fluxilis, turbæq. accommodata: etsi æquum est, vt qui recte se de rebus sentire B pronuntiat, rationem suam semper præstet superiorem, siquidem vere sentiat, & recte pronūtiet. Verum mihi videntur hi homines, nominibus dū disputant,* præ inscitia seipsos subuertere, Melissi vero sententiam restituere.* De his igitur dicta iam mihi sufficiunt.

* λέγουσι δὲ οὐ ταὐτά.

ἐν τοῖσιν ὀνόμασι τῶν λόγων αὐτέων

* ἐπανορθοῦν.

GAL. COMMENT.

Verba facit tamquam cum scientibus ea quæ proferunt, qui elementum vnum statuunt. Nam qui ignem esse elementum affirmant, ex hoc alia generari volunt, densato, coacto, concretoq. ita vt si modice concreuerit, aërem generet: si amplius, aquam: si absolutissime & plurimū, terram. Qui aquam, quiq. C *aërem ponunt elementum, pari modo ex concretione, & fusione illorum, alia procreari tuentur, concretam siquidem aquam, terram gignere dicunt, fusam, aërē: sicut & aerem concretum, aquam, fusum, ignem. Quare ex mutua in se quattuor elementorū mutatione, ratio orta est eorum, qui vnum quodlibet elementum esse statuunt: atq. ideo sententia ipsos eādem vti, diuersa autem dicere scribit. Proinde manifesto hac oratione tota iis aduersatur, qui hominem vnum quoddam solum ex quattuor elemētis esse autumant, aitq. ipsos aberrare. Nam quia nihil demonstrant, summe probabilis* oratio ipsorum exstiterat, vnum siquidem quattuor [elementorum] esse hominem non tuentur,* astruuntq. Melissi vero sententiam erigūt,* probantq. qui sane etiam esse vnum [elementum] existimet, non* D *tamē ex quattuor illis aere, terra, aqua, igne. Videtur autē vir hic considerasse substantiam quandam communem, quattuor subiectam elementis, non generatā, incorruptibilem, quam posteri ipsius [Græce]* ὕλην *[idest materiam] appellarunt: non tamen perfecte id potuisse ostendere. Hanc igitur ipsam substantiam, nominat vnum & omne. Verus autem nequaquam hic sermo est, non enim illud vnum est solum principium corporum, quæ generationi & corruptelæ subiiciuntur, quemadmodum Melissus opinatus est: sed præter id qualitates quattuor, frigiditas summa, siccitas, caliditas, & humiditas. Non tamen hæc elementa sunt, vel aliorum, vel hominis naturæ, sed principia. Hoc autem apud veteres confusum*

* πιθανὸς legitur Græce, sed legendum ἀπίθανος, vt legitur in antiquis, & cō. 5. huius lib.

κατασκευάζουσι.

* λόγον.

* ὀρθοῦσιν.

A *sum erat, vt quibus ne in mentem quidem peruenerat principii & elementi differentia, eo quod potuerint vti etiam in principijs elementi appellatione. Verum duæ res sunt manifesto inuicem differentes, altera sane est minima totius particula, altera vero, in quam diuidas intellectu ipsam in hanc particulam minimam. Etenim ignem ipsum non licet in duo corpora diuidere, & temperatum ex illis ostendere, quemadmodum neque terram, aut aquam, aut aërem. Considerare tamen possis, alteram esse eius quod mutatur substantiã, alteram ipsius mutationẽ: neque enim idem est, corpus quod mutatur, & mutatio quæ ei accidit. Siquidem quod mutatur subiectum est, mutatio vero ipsius ex qualitatum vicissitudine cõ-*
B *tingit. Nam cum summa ei fuerit innata caliditas, ignis efficitur. sicut & aër, vbi summam humiditatem acceperit. Simili modo terra fit, vbi illud subiectum secundum suam ipsius naturam qualitatis expers, omnem in se receperit siccitatẽ sine calore, aqua vero, cum humiditatem. Etenim de primo frigido quæstio non exigua oborta est, quæ cum ad medicæ artis opera nihil conferat, non est vsui. Quippe vtilitas est in disquirendo, vtrum corpus hominũ simplex sit, an ex quattuor simplicibus compositũ, vt & Platonis verba declararunt, & nos in medendi methodo statim inter initia docuimus. Verum de hoc etiã postea dicetur, nũc in memoriã reuocabo, quomodo suprascripta oratione aduersatus sit iis, qui vnũ aliquod ex quattuor hominem esse, non iis qui quattuor, asseuerant. Melior itaq.*
C *lectio merito diceretur in prima sententia, quæ primã syllabam dictionum ἓν ἐὸν [hoc est vnum existens] in pronuntiatione aspirat, quod enim non vnum sit, sed plura hominis naturam constituentia, Hippocrates ostendit, non tamẽ quod vllũ sit ex quattuor elementis sincerum in corpore. Neutiquam enim id dicunt principium opinionis huius principes, vnum vero aliquod præter quattuor, quod est ex ipsis compositum, enuntiant: sicut tetrapharmacũ medicamentũ, neq. cerã, neque picẽ, neque resinã, neque adipem, sed vnũ quoddã aliud præter hæc, quod ex omnibus contemperatis prouenerit. Porro cum hæc rursus opinio duplex sit,*
D *(nonnulli enim quattuor qualitates solas per totas inuicem cõteperari, nonnulli vero substantias, pronuntiarunt) Peripatetici sane prioris opinionis auctores, secundæ vero Stoici habentur. Præterea ante hos Empedocles, corporum compositorum naturam, ex immutabilibus quattuor elementis generari arbitratur, ita primis illis inter se commistis, vt si quis, læuigata exacte, & in puluerem redacta, æruginem, calcitidem, cadmiam, mysi, ita miscuerit, vt nullum ipsorũ sine altero possit contingi.*

Vix intelligi possunt quæ hic scribuntur ab Hippocrate, nisi philosophorum, qui vnicum esse dixerunt rerum omnium elementum, opinio & rationes prius explicentur. Constat vero ex Galeni commẽtario, & potissimũ ex libro primo de elementis, philosophos eos, qui vnicum elementum statuerunt, ex eo cetera omnia Cap. 4.

omnia corpora, concretione, aut rarefactione fieri voluisse. Veluti si ignis solus elementum statuatur, ex igne modice cõcrescente fiet aër, ex eodem magis dẽsato aqua, & plurimum densato terra. Ita quoque, si vnicum illud elementum sit aër, ex eo rarefacto fiet ignis, ex eodem densato aqua, magis densato terra. Idẽ de aqua & terra intellige. Aduerte tamen, Syluium in explicanda philosophorum opinione bifariam peccasse: tum quia existimat, voluisse philosophos, ignẽ, aërem, aquam, & terram, ad hominis, aliorumque mistorum generationẽ concurrere, etiamsi vnum ex his sit rerum elementum; tum etiã, quia concretionem à frigido, rarefactionem à calido ex horum philosophorum sententia fieri arbitratur. Atqui neutrum constare potest, nam si quattuor illa ad hominis generationem concurrunt, homo non erit vnũ; quod tamen illis aduersatur. Quare qui ignem dixerunt esse rerum elementum, non ex eo densato fieri primum aërem, aquam, & terram, deinde vero ex his quattuor mixta gigni voluerunt, sed ex solo igne, omnia, quæ in mundo sunt, corpora generari affirmarunt, eaq; tantum differre penes maiorem, vel minorem, ignis, ex quo constabant, concretionem. Præterea, cum vnicum illud elementum, omnis qualitatis expers philosophi statuerent, vt scribit Galenus, certũ est, eos, omnes alterationes negasse, nullasque agentes qualitates concessisse. Quare neque concretio à frigido, neque rarefactio fiet à calido. Quod attinet ad rationes, ex Hippocrate & Galeno constat, ex mutua elementorũ in se inuicem transmutatione collegisse veteres illos philosophos, omnia esse vnum. Eorum namque, qui omnia dixerunt esse aërem, hæc erat ratio, ex aëre rarefacto fit ignis, ex eodem densato fiunt aqua & terra; ergo aer est rerum elementum. Eâdem argumentandi forma colligebant alii, omnia esse ignem, aut terram, aut aquam. His ita positis, facile intelligetur Hippocratis sententia, in qua reprehendit rationes philosophorũ, qui vnicum rerum elementum statuerunt. Hos itaque reprehendit in primis, quia sententia eâdem omnes vtuntur, dicunt autem non eadem, sed sententiæ eundẽ inferunt epilogũ. Vtũtur quidẽ omnes eâdẽ sentẽtia, quia affirmãt omnes, vnũ esse quod est, & hoc esse tũ vnũ tũ omne. Dicũt autẽ, nõ eadem, sed diuersa, quia vnũ illud alii dicunt esse ignẽ, alii aërem, alii terrã, alii aquam. Sententiæ vero eundẽ inferunt epilogũ, quia ad suam sententiã confirmandam, eâdem argumẽtandi ratione, ex mutua elementorum in se inuicem transmutatione, desumpta, omnes vtuntur. Quæ sane auctore Galeno duplici nomine est inefficax, tũ quod vna eademque ratio ad quattuor diuersas materias transferatur, cum potissimum, quod mutua elementorum trãsmutatio vnicum potius eius trãsmutationis subiectum, quam vnicum elementum demõstret, vt cõstat ex Timæo. Porro, quam vanæ essent horum philosophorum rationes, ex publicis disputationibus ostendit Hippocrates, in quibus non semper idem erat superior, sed nunc hic, nunc ille potissimum, cui lingua esset fluxilis, & turbæ accommodata quod sophistis peculiare esse solet. Concludit tãdem, hos philosophos præ inscitia se ipsos subuertere, Melissique sententiam restituere. Subuertunt quidẽ seipsos præ inscitia, quia inter disputãdum vtuntur nominibus, quæ suæ sectæ omnino aduersantur. Quippe cum dicant omnia esse vnum, id temere probant ex transmutatione, ad quam plura sunt necessaria. Restituunt vero, ac veluti suscitant Melissi sententiam è philosophia iam diu explosam, quia omnia dicunt esse vnum, quẽadmodum & Melissus affirmauit. Galenus (vt patet ex commentario) non legit ἐπανορθοῦν, id est restituere, sed potius ὀρθοῦν, id est erigere, & probare, vt vertit interpres: & locum sic explicat libro primo de elementis, vt Melissi sententiam

Marginal notes: Lib. 1. de element. cap. 2. — Lib. 1. de element. cap. 4. — Cap. 4.

A tentiam dicãtur erigere, ac probare, quoniã data optione vt ex his duobus decretis adeo absurdis alterum eligatur, res periclitari videtur, ne præferẽda sit sententia Melissi. Is namque sua principia semper seruans, vnum illud intransmutabile statuit, philosophi vero suis principiis minime stantes, & vnicum elementũ ponunt, & de transmutatione verba faciunt, ad quã plura desiderantur. Quo fit, vt videantur erigere, ac probare, idest firmiorem, ac probabiliorem reddere Melissi sententiam, alioqui maxime absurdam. Quænam autem fuerit sentẽtia Melissi, non dixit Hippocrates, explicarunt tamẽ Aristoteles & Galenus, ex quibus constat voluisse Melissum, substantiam quandam cõmunem, quattuor elementis subiectam, quam ingenitam, & incorruptibilem esse censuit, quamq; ipsius posteri (ac potissimum Platonis discipuli) ὕλην, appellarunt, & nunc vocant materiam primam, esse vnum & omne. Hanc Melissi sententiã nullis rationibus refellit in præsentia Galenus, cum id multo antea præstitisset Aristoteles; sed tantum simpliciter pronuntiat, non solam materiam primam esse principium corporum quæ oriuntur, & intereunt, sed præter hanc etiam B qualitates quattuor primas, caliditatem summam, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem. Cum autem Galenus hoc loco duo aduersus Melissum corporum natura constantium principia statuerit, materiam & qualitates primas, nõ videtur formam substantialem admisisse, quam Plato & Aristoteles alterum rerum naturalium principium esse affirmarunt. Vnde nata est celebris illa, & inter philosophos ac medicos diu multumque agitata quæstio, de proprio principio elemẽtorum, an scilicet qualitates primæ, elementorum principia sint, an formæ substãtiales à qualitatibus distinctæ. Philosophi, multis (vt solent) congestis rationibus nituntur ostendere, primas qualitates non esse elementorum formas, sed C tantum formarum instrumenta. Quippe cum in mistis qualitates primæ accidẽtia sint, quomodo in elementis, substantiæ aut formæ esse poterunt? Præterea cuiusque rei substantiam & essentiam, intellectus obiectũ esse aiunt, quare qualitates, cum obiecta sint tactus, non erunt formæ elementorum. Rursus formæ, cum sint ex Aristotele veluti numeri, neque intendi, neque remitti possunt: at qualitates & remittuntur, & intenduntur. Iam vero substantiæ nihil est contrarium, at qualitates sunt inter se contrariæ. Ac tandem elementorum qualitates, cum termini sint alterationis, non generationis, accidentia erunt, non formæ: nam vbi aqua calfit, eius alterationis terminus à quo, frigiditas est, quemadmodum caliditas terminus ad quem. Multa quoque sequi absurda dicunt, si qualitates, elementorum formæ statuantur. Nam ignis qui summũ haberet calorem, D esset magis ignis, quam alter, in quo summus calor non esset: & elementa essent entia per accidens, quia componerentur ex substantia & accidenti: & tandem substantiæ fierent ex non substantiis. At medicorum plerique contra sentiunt, qualitates primas esse propria elementorum principia, fictitiasque esse formas substantiales à philosophis inuentas. Ea enim, inquiunt, sunt propria principia elementorum, quæ ad efficiendam mixtionem sunt maxime accommodata, cum elemẽtorum vsus is sit, vt ex ipsis mixta corpora generentur: at qualitates, cum in se inuicem agere, & a se inuicẽ pati possint, principia sunt ad mixtionem magis accommodata, quam formæ, quæ neque agunt, nec patiuntur. Idem, aiũt, sensisse Hippocratem & Galenum medicorum principes. Siquidem Hippocrates hoc libro, vt propriam elementorum naturam explicaret, à qualitatibus ipsa denominans, vocauit calidum, frigidum, siccum, & humidum. Galenus vero hoc commentario non solum dixit, materiam & qualitates esse principia corporum

Lib. 1. physic. cap. 2. & 3. & lib. 1. meta-phy. cap. 5.

porum quæ oriuntur & intereunt, sed etiam agens postea de singulorum elementorum constitutione ex propriis principiis, ignem fieri docebit, quando summa caliditas innata materiæ fuerit:& aërem, quando materia summam humiditatem acceperit. Et quod maius est, hanc putat Galenus sententiam fuisse omnium philosophorum, cum libro primo de elementis hæc scribat, Iam enim, quod summus calor sit igne simplicior, atque etiam quod illo ad materiam accedente ignis gignatur, pro cõfesso ab omnibus philosophis habetur:& fatẽtur etiam omnes, quod materia quædã, quæ omnibus elementis subiecta est, quæq; omni caret qualitate, necnon & summus calor in ea procreatus, sint igni suæ generationis principia. Et rursus, Ignis, aër, aqua, & terra, ex nullo alio corpore constituta sunt nisi ex materia & qualitatibus:& proinde has, principia esse concedimus, elementa vero nequaquam. Dum hæc, aliaque similia, in vtramque partem proponunt nostri philosophi, ac medici, transeunt quoque non raro ad conuicia. Clamant enim philosophi, solum Aristotelem veram docuisse philosophiam, Galeno autem aliisque medicis, artificibus (vt ipsi vocant) sensualibus, in iis quæ ad philosophiam spectant, non esse omnino adhibendam fidem. Medici contra, philosophos aiunt, quod in nuda rerum contemplatione versentur, multa plerumq; fingere, & Aristotelem nõnulla falso dixisse, vel parum accurate explicasse, quæ tamen diligentius sint à Galeno elaborata. Quo factum est, vt dum vtrique aduersariorum rationes dissoluere tentant, mille monstra pariant. Sed quis quæso non doleat, immo quis æquo animo ferat sophistarum audaciam, qui inter principes viros, Aristotelem & Galenum, dissidia frustra quærunt? Nonne Galenus magistrum Aristotelem semper admiratur, & colit? Nonne ipsius decreta (paucissimis exceptis, iisq; anatomicis) vbiq; amplectitur? Quis igitur, nisi insaniat, de rerum natura constantium principiis diuersa ipsos sensisse, vnquam crediderit? Formas itaque substantiales a primis qualitatibus distinctas, vna cum Platone & Aristotele Galenus agnouit, nihilominus tamẽ qualitates primas verissime statuit elementorũ principia. Quamuis enim ignis, aër, aqua, & terra, vt corpora naturalia sunt, à formis substantialibus suam essentiam habeant, quatenus tamen sunt elementa, à primis qualitatibus, tamquam propriis principiis constituuntur: cũ mutua actione & passione à qualitatibus proueniente misceantur, ex iisdemque mixtis, & temperatis, mixta omnia gignantur. Huc accedit, quod elementũ dicatur ad aliquid, nempe ad mixtum, cuius est minima particula, proindeque qualitates primæ, etiamsi accidentia sint, merito dicentur formæ, & principia elementorum, non secus ac albedo hominis albi: accidit namque igni, aëri, aquæ, & terræ, vt elementa sint, non secus ac homini esse album. Idem proculdubio voluit Aristoteles, lib. 2. de ort. & inter. sic scribens, Nos autem sensibilium corporum quandam esse materiam dicimus, sed eam separari non posse, sed semper esse cum contrarietate, ex qua elementa vocata fiunt. Et paullo post, Quare primo quod potentia sensibile corpus existit, principium est, deinde cõtrarietates ipsæ. Ac rursus inquirens communia omnium elementorum principia, ea esse docet materiam & contrarietates qualitatum. Huc etiam pertinet, quod scribit lib. de sensu & sensili, Nihil itaque, quatenus ignis sit aut aqua, agere aut pati natũ est, sed omnia quatenus contrarietatem subeunt, eatenus agunt & patiuntur. Et lib. 10. metaphy. Non est idem esse ignis & elementi, sed vt est res quædam ipse ignis, atq; natura, est elementum: nomen autem significat hoc ipsum accidisse, esse inquam, aliquid ex hoc primo, ea lege vt insit. Iam vero & Aristotelis interpretes, & potissi

Marginal notes: A; Cap. 6.; Cap. 8.; B; C; D; Cap. 1.; Cap. 2.; Cap. 4.; Cap. 1.

A potissimum Græci, vt Alexander, Philoponus, Ammonius, & Simplicius, idem prorsus sentiunt de principiis elemẽtorum. Cur ergo, dices, raro aut nunquam formarum Galenus meminit, frequentissime vero qualitatum? An quia formarum contemplatio nullum in Medicina vsum præbet, qualitatum vero in singulis elementis cognitio medicis est maxime necessaria? Quod & Hippocratem fecisse testatur Galenus, rationem reddens, cur Hippocrates & Plato, ignẽ, aërem, aquam, & terram, nusquam elementa vocarint. Scribit namq. Hippocratẽ vocasse potius calidum, frigidum, siccum, & humidum, vt explicans primorum corporum facultates, ex eorum concursu & confusione naturalia corpora constare ostenderet. Nihilque vltra hæc, inquit Galenus, cum nulla id actiua postularet necessitas sibi progrediendum Hippocrates putauit, quippe qui speculatiuam artem minime tractaret. Plato autem, qui contemplatiuam Philosophiã nobiliorem existimabat, solas, quæ in elementis extant, qualitates considerare satis non habuit, sed caussam quoque earũ generationis inquisiuit, inutilem nimirum medico speculationem sequutus. Sed satis sit hęc dixisse de proposita B quęstione, ex qua etiam pendet alterius quæstionis profligatio, an temperamẽtum forma sit corporum mixtorum, an potius substantia aliqua à temperamẽto distincta. Galenus quidem variis in locis solam qualitatum temperiem videtur in mixtis corporibus formam statuisse. Nam lib. 1. de vsu part. primũ ac maxime partibus inesse dixit temperamenta, quæ propriam particularum substantiam complent. Corpus enim, inquit, tale natura est, propterea quod caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, commistum est. Nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum vnicuique id esse quod est, ob qualitatum quattuor prædictarum certam quandam temperaturam contigit. Et lib. Quod animi mores C sequ. corp. temp. Ceterum, inquit, nobis communis omnium corporum constitutio in mentem veniat, ex duobus enim ipsam principiis constare ostensum est; ex materia videlicet, quam nudam qualitatibus mẽte concipimus, sed quattuor qualitatum temperaturam in se continet. Ex his, æs, ferrum, aurum, caro, neruus, cartilago, adeps, omniaque absolute à Platone primogenia, ab Aristotele similaria vocata, effecta sunt. Denique Galenus in singulis corporis partibus temperamentum statuit omnium actionum principium. Quod tum alibi, cum potissimum lib. 1. de fac. nat. fatetur, his verbis, Ac mihi quidem tam venæ, quam reliquarum partium singulæ, ob certam quandam temperiem, quam ex quattuor qualitatibus sunt nactæ, hoc, vel illo modo agere videntur. Hæc expendentes plerique nostrorum medicorum, nullam aliam formam in mistis corporibus admittunt præter tẽperamentum: vno excepto homine, cuius for- D mam (ne impij iudicentur) concedunt libenter esse animam rationalem, quæ, vt non educitur de potentia materiæ, sic ex nihilo à Deo creata, futura est immortalis. Ceterum quamuis medici temperamento tantum tribuant, reuera tamen in mixtis forma reperitur, à temperamento prorsus distincta. Sed quoniam formarum contẽplatio ad medicæ artis opera est omnino inutilis, temperamẽtorum autem cognitio maxime necessaria, propterea Galenus, aliique medici, actiones ad temperiem referunt, eamque & hominis, & aliorum mixtorum naturam esse asserunt. Immo & mixtorum forma vere dici potest qualitatum temperatio, non quatenus corpora naturalia sunt, sed quatenus mixta: accidit nãque corporibus, vt mixta sint, quemadmodũ igni, aëri, aquæ, & terræ, accidit esse elementa. Quemadmodũ ergo ignis, vt ignis est, suã habet formam à qualitate distinctam, vt elementum vero à summa caliditate, tamquã proprio principio, consti-

Lib. 8. de Hippoc. & Plat. decre. cap. 3.

Cap. 9.

Cap. 3.

Cap. 3.

cōstituitur: ita & corpora mixta, vt naturalia corpora sunt, suā habent formā sub A
stantialē à tēperamento distinctam, vt autē mixta sunt, ipsorū natura, ac forma,
dicitur temperamentū, à quo proculdubio habent, vt mixta sint. Ergo (vt ad rē
redeamus) duo sunt elementorū principia, materia, & qualitates primæ, non
sola materia, vt voluit Melissus. Non tamen oportet elemēta cū principiis con-
fundere, vt ante Aristotelem fecisse videntur veteres philosophi: vsqueadeo
vt Plato triangula illa, quæ primorum corporum formas statuebat, elementa
vocarit. Distinguit vero Galenus elementum & principium hoc nomine, quod
elementum sit minima totius particula, non quantitate, sed specie, principium
vero res sit elemento simplicior, in quam minima ea particula intellectu di-
uiditur. Ex duobus namque principiis singula elementa constituuntur, mate-
ria, & qualitate: ab hac quidem transmutatio prouenit, illa vero transmutatio-
nis est subiectum. Alterum discrimen inter principium & elementum scribit
lib. 1. de elemen. quod scilicet elementum sit necessario eiusdem generis cum
Cap. 6. eo cuius est elementum. Quod non solum verum est in elementis corporum, B
sed etiam in aliarum rerum elementis: nam vt corpus simplex elementum est
corporis compositi, sic qualitas simplex elementum est qualitatis compositæ,
nempe temperamenti. At principium non est eiusdem generis cum eo cuius est
principium, neque enim principia corpora sunt, quamuis sint corporum princi-
pia. Hinc arrepta occasione explicat Galenus singulorum elementorum con-
stitutionem ex propriis suis principiis docetque ignem fieri ex materia prima,
& summo calore ipsi adueniente: aërē & aquam ex summa humiditate: terram
vero ex summa siccitate. Quo loco merito dubitari potest, cur duobus elemen-
tis, aëri & aquæ, eandem qualitatem, nempe humiditatem, tribuerit, & cur nul-
lum elementum primo frigidum statuerit. Quod ad priorem dubitationem at-
tinet, varius videtur Galenus, qui cum in præsentia vtrique elemento humidi-
tatem tribuerit, alibi soli aquæ, alibi soli aëri tribuit. Libro quidem primo de
Cap. 8. simp. medic. fac. aquam inquit summe humectare: & lib. 1. de temper. aquam
Cap. 1. scribit esse summe humidam. At eodem lib. 1. de temper. & com. 13. huius li- C
Cap. 6. bri summam humiditatem tribuit aëri. Sed & Aristoteles similiter videtur in-
Cap. 4. constans, cum lib. 4. meteoro. ex omni elementorum genere, aquæ peculiaris-
Cap. 3. sime humidum tribui scribat: libro vero secundo de ort. & inter. dicat, aquam
frigidi magis esse quam humidi, aërem vero humidi magis quam calidi. Rem
Schol. 13. hanc sic interpretantur Iacobus Syluius & Christophorus Vega, vt aër quidem
huius lib. vere ac proprie summe humidus dicatur, quia summam habet humiditatem; a-
Lib. 1. de art. qua vero dicatur summe humida, non quod humiditatem summam obtineat,
meden. cap. 1. sed quod eam nunquam amittat, quantumuis ab igne calfiat, quam tamen faci-
le exuit aër ob substantiæ tenuitatem. Eandem quoque explicationem ample-
Lib. 1. contro. ctitur Franciscus Vallesius, sed hanc alteram addit, quod aër humidissimum e- D
cap. 2. lementum sit, aqua vero humidissimum medicamentum. Quæ sane explicatio,
neque libro primo de temperamentis, neque huic commentario accommoda-
ri potest, cum hîc ex instituto agat de elementorum constitutione; ibi vero a-
quam consideret vt elementum. Dicerē potius, verissime Aristotelem & Ga-
lenum aëri & aquæ summam humiditatem tribuisse, quia vtrumque elementum
summe humidum est; insunt enim (vt postea dicemus) singulis elementis binæ
qualitates summæ. In eo tantum discrimen est, quod in aëre summa humiditas,
primaria & constitutrix qualitas sit, in aqua vero primariæ qualitatis adiutrix.
Hoc autem loco sine aliquo discrimine vtrique elemento summam humidita-

tatem

A tem assignat, quoniam nullum elementũ primo frigidum constituit. Nam vt ipsemet fatetur, de elemento primo frigido quæstio nõ exigua olim oborta est, quã ne cogeretur in præsentia tractare, vtpote ad artis opera inutilem, maluit, frigidi elementi nulla facta mentione, duo elementa summe humida ponere. Sed quoniã phisiologica nunc tractamus, nõ abs re fuerit quæstionem à Galeno prætermissam breuiter explicare. De elemẽto primo frigido, magna olim inter Peripateticos & Stoicos (vt refert Galenus) orta est cõtrouersia; non quod alii aquã, alii terrã primo frigidã statuerẽt, vt male interpretatur Petrus Peramatus; sed quod alii aquã, alii aërem primo frigidũ esse vellent. Stoici nãq; (quorũ sententiam nostris etiã temporibus sequutus est Gaspar Lopezius) aerẽ putarũt esse frigidũ, Peripatetici vero calidũ, & aquã proinde primo frigidã. Rationes vero, quæ vtrinq; adferri possunt, cõsulto nunc præterimus, ne disputatio longior

Lib. 2. de simp. med. fac. c. 20.
Lib. de elem. cap. 9.
Com. in cap. 4. Lib. 1. de temp.

B euadat: præsertim cũ pleræq; inefficaces sint, & (vt Galenus dicere solet) è longinquo petitæ. Neq; id mirum, cũ facile non sit, aut sensu, aut ratione, propositã quæstionẽ dirimere. Ratione quidẽ, quia de calore & frigiditate quęstio tractatur, quarum iudex sensus esse debet, potius quam ratio. Sensu vero, quia is externũ aerẽ nunc calidũ, nunc frigidum agnoscit, qui tamen impurus est, & aliis permistus: neq. enim elementum aeris purũ ac sincerũ (cuius qualitates inquirimus) alicubi nunc reperitur. Ceterum Peripateticorum sententia probabilior semper visa est, & rationi magis consentanea, ne scilicet aeri & aquæ eædem qualitates tribuantur: cum tamen ad mistionem potius oporteat, elementa omnia aliquã habere inter se qualitatum contrarietatem. Galenus quoq; Aristotelis sententiã amplexus est, vt constat ex lib. 1. de elem, vbi cũ tribuisset igni summum calorem cũ siccitate, & terrę cum siccitatè summũ frigus, reliquis elemen-

Cap. 6.

C tis reliquas qualitatum coniugationes conuenire dixit, prout sua cuiusque natura postulat. Quare cũ aqua frigida sit & humida, aẽrẽ calidum & humidũ esse necesse erit. Et lib. 1. aphor. com. 14. semen inquit, terrenæ substantiæ minimum, aeris vero, rei calidæ & humidæ, in se plurimũ cõtinere. Interdum tamen videtur sentire aerẽ esse frigidum, nã lib. quod animi mores, agens de aere, ita scribit: Nam is ipse, quantum in seipso frigidus est, ceterum permistione ignei elementi bene sit temperatus. Qui sane locus nonnullos credere coegit, Galenum Stoicorum potius quam Peripateticorum sententiam sequutum fuisse; cum tamen dictionis series manifesto monstret, Galenum loqui secundũ Stoicos, quorum opinionem de animæ essentia eo loco explicabat: quod recte obseruatum est à Vallesio. Sed difficilior est alter locus lib. 8. de vsu part. vbi videtur Aristotelem reprehendere, quod aerem dixisset calidum. In eo, inquit, sane pec-

Cap. 4.
Lopezi. com in c. 4. lib. 1. de temper. & Peramat. lib. de elem. cap. 11.
Lib. 1. contra cap. 3.

D cat, quod nunc oblitus sit, se alibi aerem calidum statuisse, an hoc quidem recte fecit, quod falsarum assertionum sit oblitus? Putat Vega, aerẽ quidem calidum esse, dici tamen hoc loco frigidum comparatione ad cordis calorem, qui maior est calore aeris. Vallesius tamen Galenum inquit, non dixisse aerem esse frigidum, sed tantum non esse calidum, vt voluit Aristoteles: quasi velit, neque calidum esse, neque frigidũ. Neuter tamen meo iudicio locum apte explicauit, qui sane intelligendus non est de elemento aeris, sed tantum de externo aere, quem inspiratione attrahimus, qui purum elementum non est. Nam elementum aeris purum, atque sincerum, calidum est, vt antea diximus: qui vero inspiratione attrahitur aer, & calidus, & frigidus, & aliquando temperatus persentitur. Hunc itaque falso putauit Aristoteles esse calidiorem cerebro, vnde colligebat, refrigerando cordis calori inspiratum aerem nequaquam sufficere, proindeque naturam in animalibus creasse cerebrum, vt

Cap. 3.
Lib. 2. de part. ani. cap. 7.

ſua inſigni frigiditate cordis calorem temperaret. Non ergo Ariſtotelē reprehendit, quod elemētum aëris calidū ſtatuerit, ſed quod aërem quē inſpiramus, cerebro calidiorē eſſe dixerit: quod tamen falſum eſt, quia, vt ait Galenus, quouis tēpore, etiam æſtate media, externus aër frigidior eſt cerebro. Quæ ſane Galeni ſententia difficilis videtur, cum aër aliquando calidior ſit cute, qua tamen cerebrum eſt frigidius. Sed locum explicabimus lib. 2. de temper. agentes de temperie cerebri. Prætereunda tamen hoc loco non eſt noua Hieronymi Cardani de qualitatibus aëris opinio, quam doctè refutauit Iulius Scaliger. Voluit namq; aërem ex ſua natura tēperatum eſſe, refrigerari tamen ob velociſsimum cæli motū, rurſuſq; temperari propinquitate ſiderū, ac potiſsimū Lunæ. Vallesſius quoq; aërem humidiſsimū ſtatuit, in calore tamen & frigore temperatiſsimum, &, quod maius eſt, hanc putat fuiſſe Galeni mentem, deceptus loco illo à ſe male intellecto ex lib. 8. de vſu part. Ceterum cum in elementis, corporibus ſimpliciſsimis, qualitates abſque mixtura & tēperie eſſe debeant, quomodo in aëre qualitates contrariæ temperari poſsint non video. Porro quod aër cōtrarias mutationes facile ſubeat, prompteq; incaleſcat & refrigeretur, id quidem temperamenti mediocritatē non arguit, ſed ſolā ſubſtantiæ tenuitatē. Quæ tamen in igne efficere non poteſt vt facile refrigeretur, quoniā ab ignis efficacia, & ad agendum vehementia, longo interuallo ſuperatur. Quod ſi facilis ea ad calorē & frigus mutatio, earum qualitatum mediocritatē in aëre poteſt oſtendere, cur eandem non oſtendet etiam in aqua? quæ, quamuis aëre difficilius, facile tamen refrigeratur, & incaleſcit. Excluſa igitur ab elemētis omni qualitatum temperie, aërem cum Ariſtotele & Galeno ſumme humidum & calidum ſtatuimus. Quamuis enim ſingulæ qualitates primæ, propria ſint ſingulorū elementorum principia, habent tamen alteram qualitatem veluti adiutricem. Cōſtituitur itaq; ignis à ſummo calore, cui ſumma ſiccitas ſit coniuncta: aër à ſumma humiditate, coniuncta ſummo calori: aqua à ſummo frigore ſummæ humiditati adiuncto: ac terra tandem à ſumma ſiccitate, cui frigiditas ſumma copuletur. Sed hæc intelligentur facilius, vbi demonſtrauerimus, ſingulis elementis binas qualitates, eaſque ſummas ineſſe. Extremo commentario colligit ex hac ſententia Galenus, Hippocratem ſuperius reprehēdiſſe eos, qui vnicū elementum ponunt, non eos qui quattuor. Huius enim ſentētiæ primus auctor fuit ipſemet Hippocrates, eandemq; amplexi ſunt Peripatetici omnes, & Stoici, & ante vtroſq; Empedocles: quorum omnium cōmune id dogma fuit, vt quattuor ſint rerum omnium elementa, ignis, aer, aqua, & terra. In eo tamen diſſentiunt, quod Empedocles huiuſmodi elemēta impatibilia ſtatuerit, ex quibus ad minimas particulas dūtaxat diuiſis, ſibiq; mutuo appoſitis, mixta corpora fieri credidit. Peripatetici vero & Stoici Hippocratem ſequuti, eadē illa elementa patibilia & in ſe inuicem tranſmutabilia concedunt, ex quibus & ad minima diuiſis, & per ſe tota mixtis & temperatis, cetera corpora fiant. Rurſus inter Peripateticos & Stoicos id leue fuit diſcrimen, quod illi ſolas elementorū qualitates, hi vero & qualitates, & ſubſtantias elementorum tēperari affirmarint, ita vt corporū penetrationē conceſſiſſe videantur, & qualitates eſſe corpora. Et quāuis plerūq. Galenus, dū incidit in hāc quæſtionē, quid ſentire oporteat aperte non dixerit, (quia, vt ipſe ait, id medico definire ſuperuacaneum eſt) conſtat tamen, Peripateticorum dogma magis probaſſe. Nam lib. de ſubſt. fac. nat. probabilius eſſe cenſet, ſolis qualitatibus temperaturas fieri. Et lib. 1. de elem. decretum Peripateticorum, ſi non propter aliud, ſaltem propter ſecuritatē potius eligendum eſſe ſcribit, quoniā quæ Aſclepiades aduerſus eos ſcripſerat, qui totas ſubſtan-

Marginalia: A; Cap. 5.; B; C; Com. 13.; D; Lib. 2. de fac. nat. cap. 4. & lib. quod quali. ſint incorpo. Lib. 1. de fac. nat. cap. 2. & lib. 2. cap. 4. & lib. 1. metho. cap. 2. Cap. 9.

A substātias per totas misceri asserunt, vim nullam in eos habere poterāt qui solas qualitates tēperari affirmant. Hinc constat, sententiā Peripateticorum mediam esse inter sententiam Stoicorum & Empedoclis, quæ inter se sunt omnino contrariæ. Tollit nāque Empedocles qualitatum temperationem, & verā substantiarum mistionem negat: Stoici contra, & qualitates, & substantias elemētorum misceri, & tēperari concedunt: Peripatetici vero substantiarum mixtionem, & qualitatum dumtaxat temperationem admittunt. Constat itidē, mixtionem distinctam esse à temperatione, hæc nāque (si propriè loquendum sit) solis qualitatibus, illa vero solis substantiis debetur. Sunt tamē inter se vsqueadeo affinia, vt neq. mixtio sine tēperatione, neq. sine mixtione tēperatio constare vnquam possit. Quippe cum mixtio definiatur ab Aristotele, mistilium alteratorū vnio, Lib. 1. de ort. B & mistilia ea dicantur, quæ ex agentibus contrarietatem habent, & inter hæc, & inter. c. vlt. quæ facilius ad minima diuiduntur: certum est, temperationis beneficio vniri quæ alterata miscentur.

HIPP. SENT. III.

AT medicorum nonnulli dicunt hominem esse sanguinem solum, alii bilem esse affirmant, aliqui pituitam.

GAL. COMMENT.

Cum superiori oratione aduersus philosophos egisset, qui aut ignem solum, aut aquam, aut terram, aut aërem, naturam corporis nostri esse cēsent: etiam ad medicos digressus est proposita serie, ostendens, similiter illis etiam hos aberrare, qui C *arbitrantur hominem aut solum esse sanguinem, aut bilem, aut pituitam. Manifesto igitur iam distinctum est quod in prima omnium oratione ambiguū esse videbatur, non enim iis qui quattuor elemēta ponunt, sed illis qui vnicū aliquod solum ex ipsis, contradicere semper apparet. Ceterū relinquitur hîc opinio quædā medicorū, absurditate Melissi placito respōdens, eorū scilicet qui dicunt hominē esse vnum, quod dum mutatur, vnumquodque eorum quæ dicta sunt, efficitur.*

Reprehendit hac sententiā veteres medicos, qui falsa opinati sunt de elemētis propriis hominis, vt postea facilius doceat, quid vere de illis sentire oport- D eat. Sunt autem propria hominis elementa humores ipsi, ex quibus constat, vt ex sequentibus intelligetur. Et quomodo antea philosophos eos reprehēderat, qui vnicum dixerunt esse rerum elementum, non eos qui quattuor; ita & nunc medicos illos reprehendit, qui vnicum humorem dixerunt esse hominis naturam. Quæ medicorum opinio, quemadmodum & philosophorū, multiplex fuit, alii namq; vnicū eum humorem putarunt esse sanguinem, alii pituitam, alii bilem flauam, aut atram. Porro quod in fine commentarii scribit Galenus, relinqui scilicet ex horum medicorum sententia, opinionem quandam Melissi dogmati absurditate respondentem, sequenti commentario explicabitur.

HIPP. SENT. IIII.

HI quoque omnes idem concludunt, nam vnum esse affirmant, quod vnusquisque ipsorum volet nominare: atque hoc vnum cum sit, mutare speciem & potentiam, cum à calido & frigido cogitur: fierique dulce, amarum, album, nigrum, & omnifarium.* * παντοῖον. Mihi vero neque hæc ita habere videntur.

GAL. COMMENT.

*Medicos etiam ait, qui humorem vnum solum secundum naturam esse, tutati sunt, idem inter se quod philosophos, concludere, indicantes, vnum hunc humorem, quemcunq. singuli illi statuunt, mutari in alios. Quæ vero astruens suam quisque opinionem assumpsit, nullum ex quattuor humoribus secundũ naturam esse declarant, sed loco ipsorum alium quendam priorem, ex cuius mutatione hi fiant. Dogmatis eiusmodi sunt; quod in medica speculatione nequit consistere quemadmodum neque Melissi sententia in physica. * In quibus igitur dicunt vnum hoc mutari si à calido & frigido cogatur, fierique dulce, amarum, nigrum, & album, nullum ex his quattuor dicere illi videntur. Quibus cõtradicens profert, id non secundum naturam esse, sed aliud quidpiam quod in hæc mutatur. Dulcem enim, sanguinem: amaram vero, flauam bilem: albam, pituitam: nigram vero, atram bilem, bona ratione dicta esse, in quæ vnum illud degenerare inquit, si à calido & frigido cogatur. Quod autem ad finem orationis adiectum est* καὶ παντοῖον *[id est & omnifarium] sanies* in difficilibus morbis oborientes indicat. Apparet enim & æruginosa, & fusca bilis, quam vocant* ἰσατώδη *[quod isatidis herbæ, id est glasti, colorem fuscum referat] & quædam rubra, & porracea, aliæque nonnullæ nominis indigæ, præsertim vbi morbus putridus fuerit.*

* δόγματος τινὸς τοιοῦδε μὴ δυναμένου συστῆναι κατὰ τὴν ἰατρικὴν θεωρίαν, ἀνάλογον τῷ τοῦ Μελίσσου, κατὰ τὴν φυσικήν.

* ἰχῶρας.

Nudam hactenus proposuit eorum medicorum opinionem, qui vnicum humorem dixerunt esse hominis naturam: nunc autem accuratius eandem explicat, & reprehendit. Qui ergo vnicum humorem hominis naturam statuerunt, reliquos etiam humores in homine reperiri concesserunt: non tamen ita, vt humores quattuor ad hominis generationem simul concurrerent, vt male explicat Syluius. Alioqui enim nullius momenti esset ratio, quam ipsis postea obiiciet, Si homo esset vnus humor, necessariũ esset eum solum in homine apparere, aliqua saltem ætate, vel aliquo anni tempore, idque potissimum in sanis, vt Galenus interpretatur. At si quattuor humores ad hominis generationẽ cõcurrunt, quocunque tempore & ætate quattuor in homine reperiẽtur. Voluerunt itaque ex vnico illo humore hominem gigni, mutare tamen speciem, & potentiam, cum in morbis à calido & frigido cogitur. Mutat quidem speciem, quando in alium humorem degenerat, potentiam vero, quãdo insitas qualitates exuens nouas induit; veluti si vnicus ille humor sit sanguis, mutari potest in humorem alterius speciei, veluti bilem vtramque, aut pituitam, quo etiam tempore potentiam mutabit. Nam dum sanguis erat, calidus erat & humidus, vel potius temperatus, mutatus vero in bilẽ, calidus fiet & siccus; quemadmodũ frigidus & humidus, si in pituitam mutetur. Huiusmodi autem transmutationes humoris elementaris in alios, à calido & frigido fieri existimarunt: quo nomine a superioribus philosophis manifesto dissentiunt, qui omnes alterationes negabant, quas tamen medici isti concedebant. Neque id mirum, quoniam quamuis vnicum elementum hominis proprium esse dicerent, quatruor tamen communia elementa admittebant, eaque & patibilia, & in se inuicem transmutabilia. Has vero vnius humoris in alios transmutationes significat Hippocrates, cũ ait, fieri dulce, amarum, album, & nigrum: dulce enim vocat sanguinem: amarum, bilem; album, pituitam: nigrum vero, atram bilem, sensibilem singulorum humorum

Sent. 7.

Com. 7.

A naturam duobus dumtaxat accidentibus exprimens, sapore scilicet & colore. Sed cur sanguinem & bilem ex sapore, pituitam & humorem melancholicũ ex colore potius denominarit, rationẽ recte reddit Syluius. Sãguis enim, siue quartus humor sit, siue ex quattuor humoribus constitutus, si secundum naturam habeat, semper est dulcis, colorem tamen eundem non habet, cum aliquando rubicundior, aliquando flauior, aliquando nigrior appareat. Eadẽ bilis ratio est, quæ quidem semper gustatur amara, infecta tamen colore vario, etiam si naturalis sit; nam & pallida, & rufa, & flaua esse potest. At contra pituita semper quidem est alba, interdũ tamen insipida, interdum dulcis: & humor melancholicus semper niger, austerus tamen, vel acidus. Porro quod dixit Hippocrates *καὶ παντοῖον*, id est & omnifarium, interpretatur Galenus esse ichores, vel sanies, in difficilibus morbis oborientes, id est viciosos, prauosq; humores præter natu-
B ram genitos. Quasi vellent medici, eum vnicum humorem, dum à calido & frigido cogitur, non solum in eos humores quos naturales appellamus, transmutari, sed in alios etiam, qui pessime affectis corporibus præter naturam gignuntur. Quorum sane variæ sunt differentiæ, vt exemplo bilis confirmat Galenus, cuius quattuor species præter naturã enumerat, æruginosam, isatodem, rubrã, & porraceam: quamuis præter has aliæ sint duæ, vitellina, & atra. Neque vero nunc oportet examinare, an aliqua sit bilis rubra, & an bilis æruginosa distincta sit à porracea, hæc enim alibi explicabuntur. Alteram olim huius loci interpretationem ab eruditissimo Collado didicimus, qui illud, omnifarium, ad omnes corporis partes referebat: quasi is sit huius loci sensus. Vnicus ille humor, dum à calido & frigido cogitur, non solum in alios humores mutatur, sed etiam fit omnifarium, id est mutatur in omnes corporis partes, cum ex eo solo partes o-
C mnes gignantur. Hæc itaque fuit horum medicorum opinio. Quod vero attinet ad eorundem rationes, ex Hippocrate & Galeno intelligitur, ex transmutatione humorum in se inuicem ostendisse, vnicum humorem esse hominis naturam. Nam qui sanguinem, exempli caussa, naturam hominis esse voluerunt, id ostenderunt ex eo, quod ex sanguine, dum à calido cogitur, fiat bilis; dum cogitur à frigido, fiat pituita. Quamuis alii quidam medici exstiterint, quorum postea mentionem faciet Hippocrates, qui non ex transmutatione humorum, sed ex Sent. 27.
purgationibus immodicis colligebãt, vnicum humorem esse hominis naturam. Cum igitur hi, de quibus nunc agimus, non secus argumententur ac philosophi, qui vnicum dixerunt esse rerum elementum; quæcunque aduersus philosophos
D supra diximus, in hos medicos transferri possunt. Siquidem eâdem sententia omnes vtuntur, quia affirmant omnes vnicum humorem esse hominis naturam. Dicunt autem non eadẽ, sed diuersa, quia vnicum illum humorem quidã dicunt esse sanguinem, alii pituitam, alii bilem flauam, alii bilem atram. Et sententiæ eũdem inferunt epilogum, quia vtuntur omnes eâdem argumentandi ratione, ex humorum in se inuicẽ transmutatione desumpta. Quæ sane inefficax est, tum quia ad quattuor materias accõmodatur, cum potissimum, quia, vt Galenus ait, ex transmutatione humorum in se inuicem nõ recte colligitur aliquem humorem esse hominis elementum, sed aliquod esse commune eius transmutationis subiectum, ex quo gignantur quattuor humores. Quocirca superiori commentario recte Galenus dixerat, ex sententia horum medicorum relinqui dogma, Melissi placito absurditate respondens. Quamobrem quemadmodum in Philosophia absurda censetur sententia Melissi, ita in Medicina absurda quoque iudicanda erit horum medicorum opinio.

HIPP. SENT. V.

A

MEA vero sententia, si homo esset vnum, nunquam doleret; neque enim esset à quo dolorem perciperet, si homo vnum foret. Si vero dolebit, necesse est etiam remedium vnum esse.

GAL. COMMENT.

Superius rationes ipsas reprehendebat, quas, qui hominem vnũ esse arbitrantur, adducunt, indicans, non solum demonstrationis expertes, sed etiam improbabiles esse. In præsentia opinionem illorum subuertit, qui hominem vnum esse autumnant. At idem non est, aut rationem productam coarguere, aut opinionem vt B *non veram criminari: quippe fieri potest, vt vera sit opinio, non recte autẽ à quibusdam sit defensa, eoque non opinio, sed hi qui ipsam tuentur, coarguendi sunt. Nunc igitur relictis eorum rationibus, opinionem ipsam solam coarguit, oratione per se validissima, sed breuissima quoque vsus: si enim homo vnum esset, non doleret. Quam sententiam coarguere dixi etiam eos, qui elementa indiuidua, incompactilia, & minima statuunt. Vnum namque specie etiam his auctoribus est, id quod reuera est: sic autem nominatum est primum corpus, generationis & corruptelæ expers; quandoquidem alia omnia ex illius compositione generationem capiunt. Nascetur enim ex his opinio, generationem nostrã in certa æternorum illorum corporum compositione constituens, quemadmodum Hippocratis placitum in quattuor elementorum temperatura: quod Aristoteles & Stoïci admiserũt. Quod autem si vnum simplex elementum esset, non doleret corpus ex huiusmodi elemento constructum, indicium esse ait, nullum aliud existere secundum, quod in ipsum possit agere: non enim fieri potest, vt vnum illud corpus a seipso patiatur. At si etiam aliquis dolere ipsum concesserit ex se patiens, remedium simplex erit; cum enim multa in eo non sint, multos curandi modos esse non licet.* C

Philosophorum ac medicorũ, hominẽ vnum esse affirmantiũ, rationes hactenus reprehendit: nunc autem vtrorumq; sententiã firmissimis rationibus refellit. Neq; vero hanc disputationem aggreditur, quod se magnũ aliquid facturum arbitraretur, sed quod videret (vt Galenus ait) in magno pretio habitam olim fuisse horum philosophorum opinionem, quæ tamen hisce temporibus absurdissima merito iudicatur. Duabus itaq; demonstrationibus ostẽdit hac sentẽtia aduersus philosophos, hominem non componi ex vnico elemento. Prior demonstratio hęc est, si homo vnum esset, non doleret: atqui homo dolet, ergo homo vnum non est. Pendet quidem huius demonstrationis vis ex caussis & generatione doloris, de quibus tamen non est nunc dicendi locus: satis namque fuerit hic obseruare, ad dolorem hæc saltem duo esse necessaria, mutationem, & eius mutationis sensum. Dolorem quidem mutatio aliqua necessario præcedit, nam si in eodem statu corpus omnino permaneat, vt antea non dolebat, ita neque nunc dolere poterit. Debet autem hæc mutatio subita esse, & violenta, si futura sit caussa doloris. Est quoq; necessarius eius mutationis sensus, sine quo

Lib. 1. de elem. cap. 4. D

non fiet

A non fiet dolor, etiam si corpus multifariã mutetur. Lapides enim & ligna, & in nostris corporibus ossa, etiamsi scindantur, aut vrantur, non dolent, quia sensus expertia sunt. His ita positis facile intelligitur Hippocratis demonstratio, si homo, inquit, vnum esset non doleret, neque enim esset à quo dolorem perciperet: quasi dicat, si homo ex vnico elemento cõstaret, non posset dolere, quia nihil esset aliud diuersæ naturæ, à quo immutari posset. Nã si ex solo igne cõstet homo, & reliqua quæ in mũdo sunt corpora, nihil profectò erit, à quo possit homo immutari, cũ eadem sit hominis & aliorum omniũ natura. Quod si mutatio fieri non potest, neq; etiã fiet dolor, quia ad dolorẽ (vt statutũ est) mutatio aliqua desideratur. Præterea nõ doleret, quia tollitur mutationis sẽsus. Quippe ex eo quod sensu caret, corpus sensu præditũ fieri nõ potest, quin mutatio aliqua B præcedat: atqui elementum illud vnicũ expers est sensus, & impatibile: ergo fieri ex eo nõ potest corpus aliquod sentiẽs. Si quis vero dixerit sensum non tolli, quia vnicum illud est sensus particeps, alterum sequetur maius absurdũ, omnia scilicet corpora sensu esse prædita. Sed dicet fortasse quispiam pro philosophis respondens, posse citra alterationem hominem dolere, soluta vnitate à re quapiam externa, cum dolor non tantum fiat ab iis quæ alterant, verum etiam ab iis quæ vnitatem soluunt. Dicemus tamen, Hippocratis demõstrationẽ id absurdũ dumtaxat concludere, hominem scilicet non doliturũ ab iis quæ alterare possunt, si ex vnico elemento constaret: quod tamen experientiæ aduersatur, quæ monstrat frequentissime, ab iis quæ alterant, dolores fieri. Dicere etiam licet, neque ab iis quæ vnitatem soluunt hominem dolere posse, tum quia vnitas à re eiusdem naturæ non posset corrumpi, cum potissimum, quia licet corrumperetur, nullus esset eius corruptionis sensus. Quare firmissima semper erit demon- C stratio Hippocratis, si homo vnum esset, non doleret, neq; enim esset, à quo dolorem perciperet. Quæ licet ab Hippocrate scripta dumtaxat sit aduersus philosophos, qui vnicum dixerunt esse mundi elementum, simul tamen euertit (vt Galenus in commentario testatur, & lib. 1. de elem.) absurdas eorum opiniones, qui elementa quidem plura, impatibilia tamen statuerunt. Quorũ sane multiplex fuit opinio, quidam enim corpuscula minima (qualia ea sunt, quæ in aëre volitant) dixerunt esse rerum omnium elementa, ex quorum concretione, dum per vacuum resilirent, mista corpora fieri crediderunt. Vnde factum est, vt vnum & nihil omnia esse dicerent; vnum quidem, atomos; nihil vero, vacuum appellantes. Sed & hæc opinio in varias sectas distracta fuit, alii namq; minima D ea corpuscula vocarunt ἄναρμα id est incompacta, vt Asclepiades; alii vero ἄτομα id est insectilia. Et rursus ex his alii insectilia esse dixerũt, quia præ duritie frangi non poterãt, vt Epicurei: alii vero, quia præ nimia paruitate non poterãt amplius diuidi, vt sectatores Leucippi. Iam vero Empedocles plura quoque statuit elementa impatibilia, ignem scilicet, aërem, aquam, & terram; ex quibus ad minima diuisis, sibique tantum mutuo appositis, mista fieri voluit. Postremo Anaxagoras infinita pene elementa, eaque impatibilia concessit, particulas scilicet minimas, quæ in singulis corporibus continentur, veluti in pane, minimas sanguinis, carnis, & ossis, & aliarum rerũ particulas. Cum igitur his omnibus id sit cõmune, vt plura elementa, & impatibilia concedant, vim profectò habebit aduersus hos omnes Hippoc. demonstratio: quia quamuis elemẽta numero sint plura, specie tamẽ omnia sunt vnũ. Si igitur ex pluribus elemẽtis impatibilibus (veluti ex atomis) homo constaret, nõ doleret, tũ quia ab elemẽtis impatibilibus nulla fieret alteratio; tũ etiã, quia tolleretur sensus. Et quemadmodũ Hippoc. ex dolore demonstrauit hominem non esse vnum, ita & nos ex aliis simi-

Cap. 2.

libus, veluti ex voluptate, ſenſu, imaginatione, & memoria, idem demonſtrare poſſumus. Si enim homo vnum eſſet, non afficeretur voluptate, neque ſentiret, & ſublato ſenſu, neq; imaginaretur, neque recordaretur, cum imaginationis & memoriæ veluti fons ſit ipſe ſenſus. At homo voluptate afficitur, ſentit, imaginatur, & recordatur: ergo homo vnum non eſt. Hippocrates enim ab vno apparente ducto argumento, locum nobis reliquit, vt ex aliis eandem vim habentibus, eandem opinionem refutaremus: conſuetudinem ſcilicet ſibi in docendo familiarem ſeruans, vt ſub vno exemplo, reliqua, quæ eandem vim habent, nobis intelligenda, & addenda relinquat. Hæc pertinent ad priorem demonſtrationem: alteram tamen non minus efficacem adiungit, ſi homo vnum eſſet, & doleret, vnicum eſſet remedium: at remedia ſunt plura: ergo homo, etiam ſi doleat, non poteſt eſſe vnum. Cum autem ex curatione hæc ratio petita ſit, in medicos potius quam in philoſophos videtur eſſe conſcripta. Et res profecto ita habet, fuerunt enim medici quidam, qui philoſophorum ſententiam ſequuti, vnicum eſſe rerum omnium elementum voluerunt. Id quod ex Galeno certo colligitur, qui Hippocratis priorem demonſtrationem in vniuerſum tam contra medicos, quam contra naturales philoſophos, maxime efficacem eſſe ſcribit. At contra quos medicos? non ſane contra eos, qui vnicum humorem dixerunt eſſe hominis naturam, (hi namque quattuor elementa communia, & patibilia, conceſſerunt) ſed potius contra eos, qui vnicum rerum elementum ſtatuerunt cum philoſophis. Horum igitur cauſſa adiunxit Hippocrates hanc alteram demonſtrationem, cuius vim breuiter attingit in commentario Galenus, & lib. 1. de elemen. copioſius explicat. Vt autem clarius oſtendat opinionis abſurditatem, falſam poſtulat hyppotheſim, quod ſcilicet homo, etiam ſi vnum ſit, dolere poſſit, conceſſa namque ea hypotheſi, alioqui falſa, alterum ſequetur abſurdum, nempe vnicum fore remedium. Si enim homo, vnum cum ſit, dolet, & mutatur, à ſeipſo tantum mutatur, & dolet, cum aliud ſit nihil diuerſæ naturæ, a quo mutari poſſit. Quod ſi vnica eſt mutatio, vnicus erit affectus. ſi vnicus affectus, vnicum erit remedium: ergo ſi homo vnum ſit, & doleat, remedium vnicum erit. Oſtendet autem ſequenti ſententia, remedia eſſe plura: vnde colligetur neceſſario, hominem non eſſe vnum. Obſerua tamen, hanc ſecundam demonſtrationem vim tantum habere aduerſus eos qui vnicum elementum ponunt; nam qui plura elementa ſtatuunt, etiam impatibilia, plures mutationes admittunt, & plures affectus, pluraque proinde remedia concedunt. Veluti Methodici, qui atoma corpuſcula, communia rerum elemẽta ſtatuentes, duos ſimplices morbos in partibus ſimilaribus concedebant, laxitatem ſcilicet meatuum, & eorundem denſitatem: & duo quoq; remediorum genera, denſantia ſcilicet, & laxantia.

Lib. 1. de elem. Cap. 3.

Lib. 1. de elem. Cap. 3.

Ibidem.

HIPP. SENT. VI.

NVnc autem multa habentur, multa namq; in corpore inſunt, quæ cum à ſe mutuo præter naturam calfiunt, refrigerantur, ſiccantur, & humectantur, morbos pariunt. Quare plures morborum ſpecies, plura item remedia ipſorum habentur.

Superiore

A GAL. COMMENT.

Superiore oratione eos qui hominem vnum esse dicunt (quod est idem ac si dicas, compositorium ipsius elementum vnum esse) ex absurditatibus quæ opinionem consequuntur, coarguit. Non enim doleremus vnquam, si nullum omnino secundum esset, quod vnum illud posset afficere: deinde, etiamsi hoc donauerimus, remedium esset vniforme, non multiforme. Præsenti vero sententia exposuit ea, quæ ostensurus est primario esse, à quibus alia omnia procreantur. Hæc autẽ sunt, calidum, frigidum. siccum, & humidum, quæ cum inuicẽ mediocriter fuerint temperata, animal sanum est, cum autem se mutuo calfaciunt, refrigerant, exsiccant, & humectant, dolores generari solent, non vno curationis modo consanescentes. Nonnulli siquidem ipsorum terminantur, si particulæ quæ dolent,
B *incalescant: nonnulli, si refrigerentur, aut siccentur, aut humectentur, desinunt. Traditum de his fusissime est in opere de simplicium medicamentorum viribus, & in medendi methodo, quamquam nihil mali sit, etiam nunc paululum aliquid dicere, cum manifestam habeam indicationem, nos à calido, frigido, humido, & sicco dolere, & curari. Quis enim non nouit dolorem oboriri, cum in hyeme vehementi quis foras progredi tentauerit? quis, cum in æstu vehemẽti? quis non dolet sitiens? aut quis potu repletus? cum sitis quidem fiat nobis siccescentibus, repletio autem nimia contrariam dispositionem efficiat. Et inflãmationes, omnesq;*
C *tumores præter naturam dolorifici fiunt, interim a superflua humiditate in partem influxa, interim, quod humores, aut calidi præter naturam, aut frigidi existãt. Quinetiam curationes, corporum quidẽ quæ nimia humiditate repleta sunt, euacuatione peraguntur: eorum vero quæ magis quam pro naturæ modo siccescunt, humidorum adhibitione: sicuti etiam qui ex perfrictione dolet, si excalfiat: qui ex immodico calore, si refrigeretur. Ostensum vero a me est, etiam medicamenta omnia, calefaciendo, aut refrigerando, aut siccando, aut humectãdo operari. Nã primariæ hæ qualitates sunt, & effectrices, & alteratrices corporum, vt in primo de elementis secundum Hippocratem explicauimus. Has autem sequuntur gustatrices facultates, quarum nomina sunt, adstrictio, austeritas, acerbitas, amaror, salsedo, acrimonia, acor, dulcedo, & vnctuositas. Item*
D *coloris qualitates versantur in albedine, nigredine, rubore, & consimilibus. Tactrices, in duritia, mollitie, friabilitate, & lentore. Gustatoriis autem pares numero sunt & olfactoriæ, sed non habent speciei nomina, nam odorum in fragrantia & fœtore differentia, hoc ipsum differentia conuenienter putari queat, diciq; multas species consequi. Hæc sane sermonis capita sunt, quædam ipsorum in libro de elementis ex Hippocratis sententia cõprehensa, quædã in opere de simplici medicina. Vulgus autẽ demonstrationes discere detractat, aduersatur autem iis quæ ignorat, promptius: è contrario studiosi, & veritatis amotores faciunt, qui demonstrationes diligenter ediscunt, tarde autem, ac inuiti, contraueniunt.*

Minorem superioris syllogismi propositionem probat, ostendens plura esse remedia, quia plures sunt morborum species. Quod vero plures sint morbi, cōfirmat, quia multa in corpore sunt, quæ, cum à se mutuo pręter naturam calfiunt, refrigerantur, siccantur, & humectantur, morbos pariunt. Quasi sic dixisset clarius, multa sunt doloris remedia, quia plures affectus, doloris caussæ esse possūt: dolemus enim à calido, frigido, sicco, & humido. Obseruat recte Galenus in commentario, Hippocratem hac sententia ea primum exposuisse, quæ ostensurus est postea, communia esse rerum omnium elementa: nunc enim primū meminit calidi, frigidi, sicci, & humidi. Immo ex iis quæ nunc scribit, vtcunque ostendi potest, calidum, frigidum, siccum, humidum, & elementa esse communia. Nam si ab his, vbi à iusta temperie deflectunt, dolemus, ergo in iisdem, vbi mediocriter fuerint temperata, sanitas posita erit: atqui sanitas posita est in natura: ergo calidum, frigidum, siccum, & humidum, sunt hominis natura. Nunc tamen nondum elementorum numerum demonstrare instituit, sed tantum docere, à calido, frigido, sicco, & humido, dolores prouenire. Id quod Galenus in commentario accuratius explicat, ostendens à quattuor primis qualitatibus dolores fieri, & ab iisdem peti dolorum remedia. Videtur autem omnes caussas doloris ad externas & internas reuocasse. Hyeme quidem, dū per loca niuosa iter facimus, dolemus à frigido externo: à calido vero, dum in æstu vehementi diutius sub sole versamur. Iam vero cum sitimus, dolemus à sicco, cum sitis fiat nobis siccescentibus, deficiente scilicet humida substantia. Ac tandem ab humido dolemus, quando replemur potu, à quo ventriculus violenter distēditur. Videtur hoc loco sentire quattuor primas qualitates esse caussas doloris, quod tamen maxime est controuersum, quemadmodum & illud, an intemperies dolorem per se efficiat, an media vnitatis solutione. Hæc tamen, cum à nostro instituto sint prorsus aliena, alibi explicabuntur commodius. Porro quod à caussis internis, calidis, frigidis, humidis, siccis, dolores fiant, exemplo tumorum præter naturam ostendit, in quibus à superflua interdū humiditate quæ ad partem influxit, interdum quod humores calidi sint, aut frigidi, dolores fieri scribit. Quod fiat in tumoribus dolor à copioso humore ad partem influēte, phlegmone ipsa declarat, quæ quia pars inflammata, copioso, qui influxit, sanguine repleta distenditur, vehementem dolorem excitare solet. Ac rursus, quod ab humoris caliditate fiat in tumoribus dolor, ex erysipelate & herpete certo intelligitur. At tumores frigidi, vt œdema & scirrhus, indolentes omnino sunt, vt monstrat experientia, proindeque ab humoribus frigidis fieri nō poterunt dolorifici tumores, quod tamen affirmauit Galenus. Non igitur video, quî possit locus iste constare, nisi de his tātum frigidis tumoribus explicetur, qui compositi sunt, quale est œdema phlegmonodes, aut erysipelatodes: quamuis & dolor in his à calido humore fiat, qui frigido permiscetur. Præstat tamen sic locum interpretari, quam totam dictionis seriem audacter immutare, vt quidam faciunt; qui, locum deprauatum esse censentes, sic legendum esse volunt, vt dolorificos tumores à superfluo humore partem distendente; alios vero dolorificos affectus citra tumorē, ab humoris caliditate, vel frigiditate fieri significet Galenus. Ceterum præter quam quod lectionem immutant, falsa quoq; dicunt, neq; enim in omnibus dolorificis tumoribus, à superfluo humore partem replente dolor efficitur, sed interdum ab humoris caliditate immodica, vt in erysipelate, & herpete dictum est. Vtcunque tamen res habeat, à calido, frigido, sicco, & humido dolores fieri monstrat frequentissime experientia. Quod si plures

A ſi plures affectus dolorem inferunt, & plures remediorum ſpecies eſſe neceſſe erit. Nam ſi doleat corpus quod multo humore repleatur, eiuſmodi dolorem ſedat peccantis humoris euacuatio. Si à cauſſa frigida dolor naſcatur, quæ calfaciunt remedio eſſe ſolent: & in vniuerſum contrariorum contraria oportet eſſe remedia. Quod autem inquit Galenus, medicamenta omnia, calfaciendo, refrigerando, ſiccando, & humectando operari, de iis medicamentis intelligẽdum eſt, quę manifeſtis qualitatibus agunt; nam & tota ſubſtãtia agere poſſunt, vt purgantia, & pleraque ex alexipharmacis. Ex iis quæ dicta ſunt, colligit tandem Galenus, quod lib. 1. de elem. copioſius docuerat, caliditatẽ ſcilicet, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem, primas eſſe qualitates, effectrices, & alteratrices corporum. Sunt quidem alteratrices, quia hæ ſolæ agere & pati poſsũt: effectrices vero, quia prima illa corpora, ignem, aërem, aquam, & terram efficiunt, conſtituuntque. Dicuntur autem primæ, quia reliquæ omnes qualitates has ſequuntur, vnde & qualitates ſecundas eas vocare ſolent: quæ ſane (vt teB ſtatur etiam Ariſtoteles) nullam ex ſeipſis agendi vim habent. Harum differentias quattuor proponit, colores, odores, ſapores, & qualitates tactiles, quarum omnium varias differentias eſſe docet, de quibus non eſt nunc dicendi locus. Cur autem inter qualitates ſecundas non enumerarit ſonos, explicatum iam eſt in prooemio huius libri. Sed cur, ſi ſecũdæ qualitates primas ſequuntur, in quibus elementis primæ qualitates ſunt omnino contrariæ, contrariæ etiam omnino non ſunt qualitates ſecundæ? Quippe cum ignis calidus & ſiccus, ſumme tenuis ſit ac leuis; aqua, quæ frigida eſt & humida, non eſt ſumme grauis aut craſſa, ſed potius terra, quæ primis qualitatibus non eſt igni contraria. Sunt qui dicant id propterea fieri, quia eius qualitatis actio, quæ ſingulis elemẽtis eſt proC pria, aut acuitur, aut exoluitur ab altera qualitate ſibi adiuncta. In vniuerſum enim caliditatis & frigiditatis actionem acuit ſiccitas, eandem vero exoluit humiditas: non quod calorem, aut frigiditatem (quæ in elementis ſumma ſunt) humiditas remittat, ſed quod agendi vim quodãmodo obtundat. Quamobrem etiam ſi in igne & aëre ſumma reperiatur caliditas, merito tamen fit, vt ignis tenuiſſimus ſit, leuiſsimus, atque rariſsimus, quia ſummæ caliditatis actio ab adiuncta ſiccitate acuitur in igne, in aëre vero ab adiuncta humiditate exoluitur. Et rurſus licet aquæ & terræ ſumma inſit frigiditas, terra tamen euaſit craſſiſſima, denſiſſima, & grauiſſima, potius quam aqua, quia frigiditatis actio (quæ eſt cogere, denſare, & incraſſare) acuitur in terra à ſiccitate adiuncta, in aqua vero exoluitur ab adiuncta humiditate. Hinc ergo fieri aiunt, vt quamuis ſecundæ qualitates primas ſequantur, in igne tamen & aqua, quibus primæ qualitates ſunt omnino contrariæ, non ſint omnino contrariæ qualitates ſecundæ. Alii tuD tius reſpondent, craſſitiem & tenuitatem, denſitatem & raritatem, grauitatem & leuitatem, potius ſequi modum ſubſtantiæ, quam primas qualitates.

Lib. 2. de ort. & inter. cap. 2. & 3.

HIPP. SENT. VII.

Ceterum mea quidem ſententia, qui hominem ſanguinem ſolum eſſe, & nihil aliud affirmat, is iure demonſtrare deberet, eum non mutare ſpeciem, neque omnimode varium effici. Aut ſi hoc minus poſsit, ſaltem tempus anni aliquod, aut vllam hominis

ætatem

ætatem ostendere, qua homo vnum existens, sanguis solus appareat. Verisimile enim est, tempus saltem aliquod esse, quo id vnũ [elementum] in ipso appareat. Eadem contra illos pronuntio, qui pituitam, qui bilem, hominem esse asseuerant. A

GAL. COMMENT.

Hîc quoque adhuc contra illos agit, qui hominem vnum esse tuentur: quod per initia ipsum propesuisse dixi. Ac primum reprehendit eos, qui sanguinem ipsum esse ferunt, maxime enim conueniebat, inquit, sanos homines sanguinem citra vtramque bilem & pituitam in corpore obtinere, si natura est sanguis solus in corpore. Deinde vero, etiam si admittatur bilem aliquando & pituitam colligi, ætatẽ sane vnam aliquam, aut anni tempus inueniri, quo sanguis solus sine aliis humoribus in corpore esset. B *Pari modo coarguit eos quoque, qui hominem esse pronuntiant aut bilem, aut pituitam, hoc est, naturam* esse hoc solum, putantes in hoc, & ex hoc humore primam generationem prouenisse.*

* κατὰ φύσιν.

Vt demonstrauit aduersus philosophos vnicum esse non posse cõmune rerum elementum, ita & nunc aduersus medicos demonstrat, vnicum humorem non esse hominis naturam. Fuit autem omnium celeberrima eorum opinio, qui hominem solum sanguinem esse affirmarunt, quam proinde potissimum refellit hac ratione; Si homo esset solus sanguis, oporteret eum non mutare speciem, neque omnino varium effici: atqui mutat speciem, & varius efficitur: ergo homo C solus sanguis non est. Dubium est in huius rationis propositione, an pronomen illud, eum, referri debeat ad hominem, an potius ad sanguinem. Galenus in commentario videtur retulisse ad sanguinem, libro tamen secundo de elementis ad hominem potius retulit: neque id mirum, cum sit vterque sensus verissimus. Nam si ex solo sanguine homo constaret, neque speciem mutaret sanguis, neque varius efficeretur, saltẽ in hominibus sanis, in quibus solus sine aliis humoribus haud dubie reperiretur. Rursus neque homo speciem mutaret, nam ex solo sanguine constans non componeretur ex partibus diuersæ naturæ, & speciei. Atqui sanguis speciem mutat, etiam in sanis, in quibus varius apparet, ruber, flauus, nigricans. Mutat itidem speciem homo, quia constat ex partibus diuersæ, immo contrariæ, naturæ, veluti ex carnibus calidis & humidis, & ossibus frigidis & siccis. Græca tamen dictio αὐτὸν, qua vtitur Hipp. ad αἷμα, id est sanguinem, relationem fieri non posse aperte monstrat; nisi forte legendum sit αὐτό, vt innuit Syluius. Galenus autem ad hominẽ referens, ex partiũ corporis D diuersitate demonstrat lib. 2. de elemen. hominem ex solo sanguine non constare. Absurdum namque est fateri, naturam alioqui prudentissimam, ex eadẽ materia tam varias corporis partes formasse: præstabat enim, partes solidas ex crassiori, carnosas vero ex tenuiori materia gigni. Quare merito docebit postea Galenus, propter partium corporis diuersitatem, sanguinem aliis humoribus indiguisse. Sed hæc Hippocratis ratio nihil aduersus medicos videtur concludere, quia quamuis sanguis solus sit hominis natura, speciem tamen mutare, & varius fieri potest, in alios humores degenerans, dum à calido & frigido cogitur, vt

Cap. 4.

Cap. 2.

Com. 38.

A tur, vt antea dictum est. Id itaque considerans Hippocrates, alteram rationem adiungit, aut saltem superiorem reddit efficaciorem. Si homo, inquit, solus esset sanguis, aliquod saltem esset anni tempus, aut aliqua ætas, in qua solus sanguis in homine appareret: at nulla est ætas, nullum anni tempus, in quo solus sanguis in homine appareat: ergo solus sanguis non est hominis natura. Ex huius rationis propositione intelligitur error Syluii, qui quattuor humores ex horum medicorum sententia ad hominis generationem concurrere, falso concesit, vt antea annotauimus. Assumptio huius rationis probanda erat, probationē tamen distulit in sententiam vigesimamsextam, vbi demonstraturus est, quocunque anni tempore, & quacunq; ætate, quattuor humores in homine inueniri. Iisdem quoque rationibus refutantur opiniones aliorum, qui pituitam, aut alterutram bilem dixerunt esse hominis naturam. Comm. 4.

B

HIPP. SENT. VIII.

EGo siquidem quæcunque hominem esse dixero, & secundum legem, & secundum naturam in eo semper inesse, similiter & in iuuene & in sene, & frigido anni tempore & calido, demonstrabo: atque signa, necessitatesque edam, ob quas singula in corpore tum augescunt, tum contabescunt.

GAL. COMMENT.

C *Ostensurum se promittit, elementa quæ ab ipso statuuntur, perpetuo in corpore contineri, & secundum ætates, annique tempora, habere tum incrementum, tum contabescentiam, quod est imminutionem. Secundum legem quidē est quod homines existimant, & opinātur: secundum naturam autem, id quod secundum rerum veritatem est.*

Ne quispiam forte putaret, importune Hippocratem à medicis postulasse, vt solum eum humorem, quem hominis naturam esse dicebant, aliquo saltem anni tempore, aut aliqua ætate in homine ostenderent: pollicetur hac sententia, se multo maiora præstiturum. Promittit enim se, & secundum legem, & secūdum naturam demonstraturum, quocunque anni tempore, & quacunque ætate, sua elementa in homine inueniri. Secundum legem hîc, & com. 23. interpretatur D Galenus secundum hominum opinionem: sic namque veteres philosophi loqui consueuerunt, vt ipsemet docuit lib. 1. de element. explicans sententiam Democriti & aliorum, qui atomos dixerunt esse rerum elementa. Quippe cum hi qualitates corporibus inesse negarent, lege dicebant esse album, lege amarum, id est secundum hominum existimationem. Secundum naturam interpretatur secundum rerum ipsarum veritatem, quæ expendenda est, vt ait Aristoteles, ex conuenientia sermonis cum rebus ipsis. Hanc vero conuenientiam iudicamus, aut sensu, aut intellectu, quæ duo sunt instrumenta nobis à natura tributa, ad res omnes inueniendas, iudicandas, & demonstrandas. Sensu quidem res euidentes, intellectu vero res abditæ cognoscuntur. Sed ex rebus euidentibus, quædam sensibus per se innotescunt, vt sensuum obiecta; aliæ aliis mediis, vt quæ sensibus cognoscuntur signis; cognoscimus enim redundare bilem, ex flauo vrinæ,

Cap. 2.

Lib. periermen.

Lib. 9. de Hippoc. & Plat. decret. cap. 1.

Lib. de opt. sect. ad Thras. cap. 2.

no vrinæ,linguæ,& cutis colore.Ex rebus itidem abditis,quædã per se intelle- A
ctu cognoscuntur,vt prima principia,aliæ aliis mediis, vt principia quæ vocant mediata. Vtitur ergo Hippocrates tum sensu, tum ratione, ad sua elementa demonstranda,& signa necessitatesque se editurum promittit, ob quas humores singuli tum augeantur, tum contabescant. Signa videtur vocasse rationes probabiles,necessitates vero, rationes necessarias, vtrisque enim vtetur ad ostendendum, qui humores quibus anni temporibus augeantur. Rationes necessariæ sumentur ex propria natura humorum,& propria anni temporum temperie; rationes autem probabiles sumentur ex accidentibus,excrementis, & morbis.

HIPP. SENT. IX.

PRimum igitur necesse est, generationem ipsius non ab vno esse profectam,quomodo enim aliquid quod vnum est,generare a- B
liud poterit, nisi alicui immistum fuerit?

GAL. COMMENT.

Hippocrates igitur semper ea quæ manifesto apparent,sequitur, eoque nunc dixit nihil ab vno generari, nisi aliud quidpiam extrinsecus admisceatur, atq; id temperaturæ symmetria cum ipso conueniens. Nonnulli autem philosophi naturales appellati, haud scio, quomodo opinionem absurdam pronuntiare sunt ausi, quæ omnem naturalem speculationem euertat. Nam qui omne dicit esse vnum, tollit oratione vniuersam generationem. Si enim vnum existit id quod natum est,non erat prius,sicut neq; erit paullo post:neque enim Thales, neque Me- C
lissus,neque Heraclitus prius erant, aut nunc sunt. An igitur vere aliquis dixerit,hos viros non fuisse? An fuerunt quidem,& annis non paucis singuli vixerunt, non erant autem quo tempore viuebant? An quod essent ipsi illo tempore concedemus,eos autem qui erant,non esse dicemus,cum essent? Atqui si esse quis ipsos fateatur,fuisse quoque fatebitur,quomodo enim platanus,lapis,& leo non erant olim,generationem habentia & interitũ? Si autem est generatio eius quod prius non erat, necessarium est,ipsam ex substantia quadam subiecta prouenisse:hanc autem videmus, non posse ipsam per se solam quidquam generare.Nam D
stirpiũ semina,humiditate & calore mediocri externo,ad aliquid generãdum indigent. Quod si semen solum generare posset, nullius alterius externi auxilium requirens,haud differret vel breuissimo tempore generationem,sed statim pullularet. Verum sæpe,non mensem solum,sed etiam annos,haud pauca semina permanere videas. Non enim ex se tantum generandi facultatem habent,sed externum quoddam præsidium postulant,quod non simpliciter & solum tangat ea, verum aliquam tangendo virtutem tradat,quæ intro in totum quod tangitur distribuatur. Si iam semen inter generandum alterationem subire videtur in arboribus,herbis,& cunctis stirpibus:multo magis in animalibus euidenter apparet, neque ex masculo solo,neque ex fœmina, sine mixtione aliquid posse procreari.

Cum

A Cum demonstrasset hactenus, vnum esse non posse elementum cômune, neq; etiam proprium, iuxta methodũ traditam in procemio, vtrorumq; elementorũ numerum inquirit. Agens vero primum de elementis communibus, quattuor ea esse demonstrat duabus rationibus, quarum altera desumpta est ex communi rerum omnium generatione, altera vero ex communi interitu. Prior demonstratio ex hac sententia, & aliis quæ sequuntur, ad hunc modum contexenda est. Ea sunt communia corporum elementa, ex quibus omnia corpora generantur: generantur autem omnia corpora ex calido, frigido, humido, & sicco: ergo calidum, frigidum, humidum, & siccum, communia sunt mixtorum omnium elementa. Propositio verissima est, vt constat ex definitionibus elementi, quas in procemio tradidimus. Assumptionem vero vt probet, demonstrat hac sententia ex iis quæ experientia sunt cognita, generationem ab vno fieri non posse. Galenus tamen in commentario ostendit primum generatio-B nem è medio tolli, si vnicum tantum statuatur elementum, deinde vero quod ab Hippocrate dictum est, optime confirmat, non posse scilicet fieri generationẽ ab vno. Quod generatio tollatur si omnia sint vnum, perspicuum est, sequitur enim inde, nihil nunc esse quod antea non fuerit: aut si antea non erat, neque nunc esse. Quippe quod vnum est, vna eâdemque ratione perpetuò est affectum, cum aliud sit nihil, à quo affici, aut mutari possit. Quare si quod genitum est nunc est, & antea erat: aut si non erat antequam gigneretur, neq; nunc profecto erit: quæ certe omnia propriæ generationis rationi omnino aduersantur, cum generatio sit eius quod antea non erat productio. Porro quod ab vno generatio fieri non possit, exemplo plantarum & animalium recte confirmat. Neque enim plantæ ex solo gignuntur semine, alioqui ne breuissimo qui-C dem tempore generatio differretur, sed statim planta pullularet. Experimur tamen, plantarum semina alicubi reposita per multos menses, aut etiã annos (ferunt enim, milii & panici semina, quò venti non perueniunt condita, in annos cẽtum durare) nihil vnquam ex se producere. Vnde patet, præter semen, aliud quiddam necessarium esse ad plantarum generationem. Sunt autem necessaria, moderata terræ humiditas, cuius beneficio terra semen sibi commissum concipit, ac fouet; & solis calor viuentibus omnibus familiaris, qui sopitas seminis facultates in actum euocat, potissimumque facultatem generatricem. Sed euidentius multo experimur in animalibus, ab vno generationem fieri non posse; cum neque ex solo mare, neque ex sola fœmina gignatur fœtus, sed necessarius sit vtriusque congressus. Verum quamuis certum sit, solum marem gignere non posse, de fœmina tamen merito dubitari potest. Quippe cũ ad concipiẽdũ fœtum tria sint necessaria, principium efficiens, nempe semen, principiũ ma-D teriale (vt vocant) nempe sanguis, & vtriusque conceptaculum, nempe vterus: nihil profecto obstare videtur, quo minus possit ex se sola mulier concipere, quæ & semen, & sanguinem, & vterum habet. Huc accedit, quod gallinæ sine galli congressu oua pariant, & molam concipiant mulieres, etiam si non coïerint. Quamobrem quod hic dictum est à Galeno, nihil ex sola fœmina gigni posse, de animalis perfecti generatione interpretatur Syluius; res enim imperfectas, vt ouum & molam, ex sola fœmina gigni posse quotidie experimur. Porro quod mola res quædam sit imperfectissima, propria ipsius forma declarat, est enim caro quædam rudis, informis, & otiosa, nullis partium lineamentis distincta. Ouorum autem sine galli congressu genitorum imperfectionem ex eo intelligere licet, quod ad gignendos pullos sint prorsus inepta.

Hæc

Lib. 10. de nat. hist. cap. 60.

Hæc ὑπηνέμια Græci, Latini ſubuentanea, Plinius irrita vocat. Ea inquit gigni, aut mutua libidinis imaginatione, aut puluere, aut (vt aliqui volunt) vento, vnde & Zephiria ſunt appellata: quæ ſane ſterilia ſunt, minora, minus iucundi ſaporis, & magis humida. Quod attinet ad oua, recte quidem ac vere dictũ eſt, ex ſola gallina interdum naſci ſine maris congreſſu, molã tamen ex ſola muliere ſine viri concubitu fieri poſſe negat Galenus: immo eos qui hoc affirmant, in eorum quæ fiunt hiſtoria mentiri ſcribit. Non enim, inquit, ſicut gallinæ ſine maribus oua pariunt, ita mulierem aliquãdo viderunt, vel molam, vel eiuſmodi quidpiam aliud ſine viro concepiſſe. Cuius rei rationem hanc paullo antea reddiderat, quod aues greſsilibus ſint multo ſicciores, frigidique humoris redundantia, ob temperamenti ſiccitatem, in ipſarum ſemine abſumatur: qua abſumpta, ſemen validius euadat, atque robuſtius, ſi non ad perfecti animalis generationem, ſaltem ad rei cuiuſdam imperfectæ (quale ouum ſubuentaneum eſt) productionem. At in greſſilibus, propter humiditatem tẽperamenti, fœmininum ſemen imbecillius eſt, ac proinde ineptum, non ſolum ad perfecti fœtus, verumetiam ad molæ generationem. Quæ cum ita ſint, mirari profecto licet Syluium, Fernelium, Valleſium, alioſque doctiſsimos medicos, qui hunc Galeni locum prætereuntes, maluerunt cum Plinio ſentire, poſſe mulierem ex ſeipſa molam concipere: quæ ſane opinio non exiguam peccandi licentiam mulieribus concedere videtur. Sed ratio videtur ſemper vrgere, quam tamen ita diſſoluit Peramatus, vt mulier non poſsit ex ſeipſa concipere, etiã ſi ſemen, ſanguinẽ, & vterũ habeat, ob maſculoſitatis (vt ipſe loquitur) defectũ: quaſi vero aliud dicat ab eo quod quæritur. Quæritur enim, cur maſculoſitas ad generationem ſit neceſſaria. Probabilius multo ad fœminini ſeminis infœcunditatem, quod paucum eſt, & aquoſum, huius rei cauſſam alii retulerunt. Ceterum neq; id perpetuum eſt, nam quamuis plerunque ita contingat, fieri aliquando poteſt, vt mulier viro calidior, atque robuſtior, ſemen calidum gignat, robuſtum, & ex ſeipſo fœcundum. Id enim eſt quod dixit Hippocrates, in viro & maſculinum ſemen eſſe, & fœmininũ: & in muliere fœmininum, & maſculinũ. Præſtat igitur cum Galeno rationem ita diſſoluere. Si proprii ſexus naturam, atq; temperiem (vt plerunque fit) ſeruauerit mulier, ob ſeminis infœcunditatẽ non concipiet. Si vero à proprii ſexus temperie recedens, virili temperamento ſit prædita, ſemen quidem fœcundum habebit, non tamen cõcipiet, ob menſtrui ſanguinis, qui alterum eſt generationis principium, inopiam. Abſumetur enim ab excedente calore ſanguis, qui in mulieribus ſuam temperiem ſeruantibus, in ſingulos menſes excernendus colligitur, quod ob caloris imbecillitatem, totus qui in iecore gignitur, nec digeri, nec in partiũ nutritionẽ abſumi queat. Argumento ſunt viragines, quibus aut nulli, aut parciſsimi menſes fluere ſolent, ob temperamenti ſiccitatem calori coniunctã. Hoc, cum aliæ confirmarũt, tum maxime Brigida à Pegnaranda, mulier quinquagenaria, quam, ceu rarum naturæ miraculum, non ſemel hic Valentiæ vidimus, anno nonageſimo ſupra milleſimum quingenteſimum. Erat hæc & pulſu, & voce, & facie, & vniuerſo corporis habitu, viro omnino ſimilis; nam & barbam habebat vndique denſam, & ita prominentem, vt palmi fere longitudinem æquaret. Huic (vt ipſamet referebat) anno duodecimo menſes primum eruperant, pauci tamen, & qui in annum decimum octauum ſimiliter permanſerant. Quo tempore apparente barba, ſenſimque increſcente, in poſterum omnino ſuppreſſi fuerunt.

Lib. 14. de vſu part. cap. 11.

Lib. 10. de nat. hist. cap. 64.

Lib. de ſemi. & in appẽdice.

Lib. de genit.

Lib. 2. de ſemi. cap. 4.

HIPP.

A

HIPP. SENT. XII.

DEinde neque generant, nisi eiusdem generis quæ miscentur, sint, & eandem vim obtineant: neque similia nobis effici potuerunt.

GAL. COMMENT.

Non solum ex vno generari aliquid non posse dicit, sed ne ex duobus B *quidem, nisi eiusdem generis sint quæ miscentur, hoc est familiaritatem substantiæ habeant. Id quod manifesto apparet fieri in diuersi generis animalium generatione, quemadmodum in equis habet & asinis, vulpibus & canibus: nam ex horum mistione generatur animal, veluti ex duobus mistum. Quæ autem naturam habent multum inter se differentem, neque si misceantur, vnquam generare aliquid possunt. Porro quod ad orationis finem adiectum est, Neque similia nobis efficiantur, libri interpretes ceu manifestum prætereunt; obscurum autem est, aut non probe à scriptore interpretatum, aut à transcriptoribus viciatum. Quod autem mihi videtur velle innuere, id est, etsi non simile specie sit animal alterum,* C *quod alteri miscetur, communionem certe quandam naturæ esse dicit. Non enim similia nobis effici poterunt, hoc est, non generatio ex congressu fieri potest animalis, iis quæ procrearunt ipsum, similis. Forsan etiam oratio non sic habebat, Neque similia nobis efficientur.*

Ab vno generationem fieri non posse hactenus dixerat: nunc vero docet neque à pluribus fieri, nisi eiusdem generis, quæ miscentur, sint & eandem vim obtineant: id quod experientia quoque cognitum est. Ea vero interpretatur Galenus eiusdem esse generis, & eandem vim obtinere, quæ D substantiæ familiaritatem habent, potissimum in seminibus. Quo fit, vt non tantum generent quæ sunt eiusdem speciei, sed etiam ea, quæ cum eiusdem generis sint, specie differunt, dummodo ipsorum semina familiaritatem substantiæ habeant. Ex equa namque & asino nascitur mulus, ex vulpe & cane lycisca, mistæ speciei animalia, & quæ vtriusque parentis speciem referunt. Gignuntur autem in Africa huiusmodi plurima, quia, vt ait Aristoteles, ob aquæ penuriam, animalia specie diuersa, in locis irriguis (quæ paucissima sunt) congregantur, alienigenaque copulantur libidine: vnde natum est illud, Africa aliquid noui semper adfert. Eadem vis in plantis apparet, quæ alieno etiam concubitu gaudent. Nam pyrus & pomus si simul inserantur, mistam arborem, fructumque mistum producunt, quæ vtriusque parentis naturam referunt. Malus itidem persica pomo, aut conco insertia, arborem, fructumque producit vtriusque naturæ participem. So- E lent

Lib.2.de gener. ani. cap. 5.

lent autem plantæ variis modis misceri, insitione, consitione, & aliis quibusdã A insertionum generibus, quæ agricultura inuenit. Porro quod extrema hac sententia scriptum est, Neque similia nobis effici potuerunt, vsqueadeo est obscurum, vt dubitet Galenus, sitne ab aliquo temere adiectum, aut male à librariis transcriptum. Sentit vero; si lectio seruanda sit, significasse Hippocratem, nisi quæ miscentur eiusdem sint generis, nihil, quod suis progenitoribus sit simile, gigni vnquam posse. Est autem triplex in vniuersum similitudo, sexus, formæ & generis aut speciei: de quarum caussis consule Aristotelem & Plinium, & potissimum Galenum. Et quamuis ad semen & sanguinem, duo generationis principia, omnis, quæ inter filios & parẽtes intercedit, similitudo referri debeat, habet tamen vnaquæq; peculiarem, à qua nascitur, caussam. Similitudo sexus ex principiorum temperie ortum habet, nam ex calidioribus principiis mares, ex frigidioribus fœminæ potius gignuntur: nam & B mares calidiores sunt fœminis. Quod recte confirmat Aristoteles ex iis, quæ experientia sunt cognita. Nouella enim, & senescens ætas, gignit potius fœminas, quia in hac calor deficit, in illa nondum est perfectus: at florens ætas, quia calida, mares gignit frequentius. Præterea quæ corpora humidiora sunt & frigidiora, fœminas gignere solent, quemadmodum calidiora & robustiora mares. Adhæc flante aquilone, magis quam austro, mares concipiuntur, quod partes internæ calidiores euadant. Pastores itidem longa experientia docti, multum interesse affirmant ad fœtus maris, vel fœminæ generationem, si oues, dum coëunt, aquilonem vel austrum spectent. Galenus quoque firmissimis rationibus demonstrat, mares in vniuersum esse calidiores fœminis. Siquidem mares & breuiori tempore in vtero perficiuntur, & citius mouentur quam fœminæ. Habent & C viri pulsum maiorem, thoracem ampliorem, & vasa latiora: quæ sane caliditatis sunt soboles, quemadmodum & hirsuties. His etiam fidem facit, quod ex calidiori semine (quale est quod gignitur in teste dextro) generationem obtineant mares; fœminæ contra ex semine genito in teste sinistro, quod frigidius est. Fertur namque ad sinistrum testem frigidior sanguis, per venam spermaticam, quæ ex vena emulgente ortum habet. Quo fit, vt masculinos fœtus frequentius generent, quibus dexter testis corpulentior fuerit; fœmininos vero, quibus sinister. Quod potissimum accedente pubertate in pueris obseruare oportet, iuxta illud Hippocratis, Cum hirsescit, vter exterius testis apparuerit, si dexter, mas, si sinister, fœmina. D Neque tantum ex calidiori semine gignuntur mares, verum etiam in dextra vteri parte gestari solent, quæ tum ob iecoris vicinitatem, tum quia ad dextrum testem calidior sanguis descendit, sinistra calidior est. Atq; id sane à vetustissimis medicis olim obseruatum fuisse legimus, potissimumq; ab Hippocrate, cum ait, Circa naturam plurimam vim habet mamma dextra, & oculus dexter, & quæcunque in dextra parte subtersunt; nam & mares dextris partibus inhærent. Et alibi, Quoniam in calidiore firmiorum, in dextris & nigri. Ac rursus in Aphorismis multo manifestius id docuit, dicens, Mulieri geminos ferenti, si altera mamma extenuetur, alterum abortu edit; & siquidem dextra mamma extenuata est; marem, si sinistra, fœminam abortione excludit. Et in vniuersum, Mares, inquit, dextra vteri parte; fœminæ sinistra magis gestantur. Postremo cum partibus potissimum genitalibus mares à fœminis differant, hæ vero vtrique sexui communes sint, distin-

Lib. 7. de nat. anim. cap. 6. & Lib. 4. de gener. cap. 3.

Lib. 7. de nat. hist. c. 12.

Lib. 2. de sem. cap. 2. & 5.

Lib. 4. de gener. anim. cap. 1. & 2.

Lib. 2. de sem. cap. 5.

Lib. 6. epide. part. 4. sen. 27.

Lib. 2. epid. par. 6. sent. 22.

Lib. 6. epid. part. 2. sent. 44

Aphor. 38. lib. 5.

Aphor. 48. lib. 5.

A distinguanturq; solo situ:mares fœminis caliares esse constat. Nam quod in maribus partes genitales foras promineant, calori acceptum referri debet, cuius proprium est, in prima formatione subiectam materiam dilatare, ac foras propellere; quemadmodum frigiditatis eandem cogere. Vnde fit, vt in fœminis ciusmodi partes intus delitescant, etiamsi in vtroque sexu (vt recte Galenus docuit) iusta quadam proportione sibi mutuo respondeant. Quippe præterquã quod testes & vasa spermatica, maribus & fœminis sunt communia, vterus scroto, vteri ceruix peni, pudendum muliebre virili glandi, præputioque respõdet. Cum itaque mares sola temperamenti caliditate à fœminis distinguantur, caussa similitudinis sexus referenda est necessario ad caliditatem vel frigiditatem principiorum. Nascetur ergo mas ex calidioribus principiis, fœmina vero ex frigidioribus. Altera est similitudo formæ, quam potissimum in faciei, aliarumque partium formatione spectamus. Huius caussa est principium generationis efficiens, nempe semen, cum huic soli insita sit vis formatrix. Quippe cum fœtus & patri & matri in partium formatione similes esse experiamur, ita tamen vt magis similes sint patri quam matri: huius similitudinis caussam vtrique parenti communem esse, patri tamen magis quam matri deberi necesse est. Atqui principuim generationis efficiens vtrique quidem parenti, patri tamen potius quam matri debetur: ergo principium efficiens caussa est similitudinis formæ. Atque hinc fit, vt parentibus plerumque similes sint filii, interdum auis, vel atauis, aut etiam iis, quibuscum nullam habent affinitatem: præsertim cum facultas formatrix diuinioris originis sit, vt alibi dicemus. Sed & fixa, attentaque imaginatio magnam vim habet, ad hanc vel illam formam partibus imprimendam: cuius sane rei plura extant testimonia. Visum namque aliquando fuit, pudicam, honestisque moribus præditam mulierem, puerum nigrum, æthyopi prorsus similem, sine aliqua criminis suspitione peperisse. Legimus quoque lib. de ther. ad Pis. virum quendam diuitem, deformem tamen, cum formosam prolem appeteret, vxori iussisse, vt dum coiiret, pulcherrimam imaginem attentiisime intueretur: eaque industria factum esse, vt formosus puer ipsi nasceretur. Huc etiam pertinet, quod refert diuinus Moses, Iacob virgas populeas, amygdalinas, & platani, partim excorticasse, partim cum cortice reliquisse, easque proiecisse in canales, vbi bibituræ erant oues; quæ cum in feruore coitus variegatas virgas aspicerent, maculatam prolem ediderunt. Est & tertia similitudo generis aut speciei, cuius caussam esse materiale generationis principium, ex animalibus mixtis, quæ ex coitu animalium diuersæ speciei gigni antea diximus, apertissime colligitur. Experimur enim, eiusmodi animalia vtriusque parentis speciem referre, magis tamen accedere ad speciem matris quam patris. Nam quæ ex asino & equa genita est mula, magis probatur quam ea quæ nata sit ex equo & asina; hæc namque asininam, illa vero equinam potius speciem referre solet. Ex quibus patet, caussam similitudinis generis aut speciei vtrique parentum deberi, matri tamen magis quam patri. Atqui materiale generationis principium mater potius præbet, quam pater: ergo principium materiale caussa est similitudinis generis aut speciei. De hac tertia similitudine loquitur Hippocrates hac sententia, necesse enim est, fœtum eiusdem esse generis cum vtroq; parente, etiamsi diuersæ speciei esse possit, quemadmodum mixtum animal. At similitudo formæ non intercedit necessario inter filios & parentes, cum aliquando neu-

Lib. 14. de vsu. part. cap. 6.

B

C Cap. 11.

Lib. gen. cap. 30.

D

do neutri parentum similes appareant. Similitudo vero sexus, licet in filiis cum alterutro parente reperiatur, nunquam tamen cum vtroque; nisi forte ex naturæ errore nascatur hermaphroditus. A

HIPP. SENT. XI.

RVrsus nec generatio futura est, si non calidum, & frigidum, humidum, & siccum mediocriter inuicem, & temperate, & æqualiter se habuerint, sed alterum altero longe præpolleat, & valentius imbecilliori.

GAL. GOMMENT.

Antea quidem dixit, non posse prolificam fieri generationem vllius, nisi quæ coëunt eiusdem sint generis. Non tamen eorum, quæ generis sunt eiusdem, congressus necessario generat. Porro hanc orationem in aphorismis integre persequutus est, vbi inquit, Quæcunque frigidos densosque habent vteros, non concipiunt: & quæcunque præhumentes vteros obtinent, non concipiunt, nam in his genitura extinguitur: adhæc, quæ siccos magis, & ardentes, nam alimenti inopia semen corrumpitur. Quæ vero ex vtrisque temperamentum mediocre habent, fœcundæ fiunt. His verbis docet, quas ob caussas mulieres steriles fiant. Indicat autem id etiam, quod hoc consequitur, de quo & nos alibi, & alii plerique ante nos scripserunt. Innuit & Plato, cum diceret, non exiguam esse artem, qua quis nouit, & viros & mulieres temperamento inter se conuenientes, ad generandum coniungere. Quæ enim de vteri temperamentis dixit, eadem etiam de seminis temperatura intelligere conuenit. Siquidem & hoc humidius est, quam conuenit aliquando, aut frigidius, aliquando siccius, aut ardentius. Familiare autem est sicciori vuluæ humidius semen, humidiori siccius, quemadmodum & calidiori frigidius, frigidiori autem calidius: de quibus vberius in libro de ratione procreandi liberos pertractamus. Nunc satis est scire, quod neque aliquid potest ex vno gigni, neq; ex duobus, aut pluribus coëuntibus (nisi familiaritas mutua sit, & commoderatio quædam temperamenti, quæ ex coeuntibus perficitur) id generari potest.

B ,, ,, ,, ,, ,, C D

Neque ab vno, nec; à pluribus etiam si eiusdem generis sint, fieri potest generatio, nisi calidum, frigidum, siccum, & humidum mediocriter inuicem, & temperate, & æqualiter se habuerint. Quod non ita intelligendũ est, vt omnino æqualiter quattuor illa temperari debeant, satis enim est vt nullus sit immodicus excessus pro gignendi corporis natura: id quod significauit ipsemet Hippocrates dicens, Sed alterũ altero longe præpolleat. Porro quod mediocris calidi, frigidi, sicci, & humidi temperies ad generationem sit necessaria, cõfirmat Galenus ex hominis generatione. Experimur enim, pręcipuã sterilitatis causã in mu-

A in mulieribus esse vteri intemperiem, quemadmodum in viris intemperiem
seminis: neque id mirum, cum semen sit principium generationis efficiens, vte-
rus vero sit conceptaculum, concipiendo semini, fœtuique retinendo à natu-
ra præparatum. Sterilitatis caussas in mulieribus breuiter complexus est Hip-
pocrates aphor. 62. lib. 5. quas docuit esse insignes vteri intēperies. Frigida qui-
dem intemperies, quæ tanta sit, vt dēsiorem vterum efficiat, caussa est sterilita-
tis, tum quod in frigidiori vtero semen virile refrigeretur, & contabescat, tum
quod angusta admodū ob densitatē sint ora vasorum eo peruenientium. Vnde
fit, vt secundæ ad vasorum ora cohærere nequeant; aut si id quandoq; fiat, con-
ceptus probe nutriri non possit. Quippe vel nullo prorsus modo huiusmodi
mulieribus purgationes fluunt, vel admodum paucæ, & hæ ipsæ viciosæ, solo te-
B nuiore, aquosioreq; sanguine per arcta vasorum ora effluente: præsertim cū &
ipsa facile obstruantur, tum ob natiuam angustiam, tū quia magna ex parte tali
natura præditæ humorem cumulant pituitosum. Præterea humida vteri intem-
peries sterilitatem inducit, quia, vt Hippocrates ait, in humido vtero genitura
extinguitur, non secus ac in palustri solo cerialia semina. Iam vero intemperies
calida tum etiam & sicca sterilitatis sunt caussæ, quoniam alimenti defectu semē
corrumpitur; nam quod arenosæ, squallentiq; terræ accidit, idem ardenti, sic-
coque vtero videtur accidere. Quod si vterus composita intemperie laborauе-
rit, multo magis sterilitatem inducet. Vnde constat, mediocrem vteri tempe-
riem necessariam esse, vt mulier concipiat: id enim est, quod in fine aphorismi
,, dicebat, Quæ vero ex vtraq; oppositione moderatam nactæ sunt locorum tem-
,, periem, eæ fœcunditate valent. Quemadmodum autem vteri intemperies in
mulieribus, ita & in viris intemperies seminis infœcunditatem parit. Calidius
C enim semen, exsiccatum est, & veluti tostum: frigidius, crudum, & maxime im-
becillum: quod vero siccius est, in omnes vteri partes nequit commode exten-
di: neq; ex humidiori partes facile formari possunt. Neque vero de procrean-
dis liberis desperandum est viris qui semen intemperatum habent, aut mulie-
ribus quibus intēperatus est vterus. Nam qui temperati sunt, tam viri quā mu-
lieres, possunt quidem semper gignere, etiamsi cum intēperatis coēant: intem-
perati vero vt gignant, cum iis copulari debent, qui contrariam habeant in-
temperiem: potissimum si intemperies modicæ fuerint, nā quæ immodicæ sunt,
sterilitatem plerunque inducunt. Quamobrem semen calidum in vtero frigido,
& frigidum semen in calido vtero fœcundum esse potest: præsertim si contra-
D riæ seminis & vteri intemperies pares omnino fuerint. Merito itaque dictum
est a Platone, non exiguam esse artem, quæ doceat, qui viri quibus mulieribus — In Theæteto.
ad procreandos liberos copulari debeant: quod præcipuum esse voluit obste-
tricum munus. At nostræ suo muneri satisfecisse putant, si magnis clamoribus
parturientem adhortentur, vel potius deterreant, & sponte prodeuntem fœtū
vtcunque excipiant. Porro liber de ratione procreandi liberos, quem fatetur
Galenus se conscripsisse, nostris temporibus desideratur.

HIPP. SENT. XII.

QVapropter quomodo rationi consentaneum est, ab vno ali-
quid generatum esse, cum ne à pluribus quidem generetur, ni-
si probam temperamenti inuicem communionem sortita sint?

GAL. COMMENT.

A

Reliqua huius sententiæ ex prædictis sunt conspicua, meminisse autem oportet nominis in ea dicti κράσεως, id est temperamenti, quod Ionico more κρήσιος protulit; quoniam primus, quorum memoria ad nos peruenit, Hippocrates elementa κεράννυσθαι, id est contemperari docuit, quemadmodum & paullo ante ostensum est. Atque hac ratione differt ab Empedocle, qui ex eisdē elementis, quibus & Hippocrates, nos, aliaque omnia corpora, quæ circa terrā sunt, constare dicit, non tamen inuicem contemperatis, sed per exiguas partes commissis, & se contingentibus. Quod vero & hæc opinio simili modo coarguitur, quo illæ opiniones, quæ sensile corpus ex insensilibus, impatibilibusq; primis corporibus generant, in cōmentario de elementis ex Hippocratis sententia ostensum est: vbi etiam omnium fere physicarum opinionum mentionem fecimus, quæ de primis principiis, aut elementis exstiterunt. B

Hæc sententia nihil noui continet, cum sit veluti epilogus trium superiorum, in quibus statutum est, ab vno generationem fieri non posse, neque à pluribus, nisi eiusdem sint generis, neq; etiam ab his, nisi calidum, frigidum, humidum, & siccum, æqualiter inter se fuerint temperata. Illud solum obseruatione dignum est, quod Galenus animaduertit, nunc primum scilicet meminisse Hippocratem nominis Temperamenti, quo primum ipse vsus videtur, cum & ipse philosophorum omnium, ac medicorum primus, elementa per se tota temperari affirmauerit, vt alibi etiam testatur Galenus. Quam Hippocratis sententiam amplexi postea sunt Peripatetici omnes & Stoici, de quorum discrimine antea diximus com. 2. Quomodo vero Empedocles eadem elementa statuens, ab Hippocrate dissenserit, & quomodo ipsius opinio demonstratione illa Hippocratica refutetur, dictum quoque est com. 5. C

Lib. 1. de fac. nat. cap. 2. & lib. 1. metho. meden. cap. 2.

HIPP. SENT. XIII.

Cvm igitur talis & hominis & aliorum omnium natura sit, hominem non ex vno conflari elemento * necessario colligimus, sed singula quæ ad generationem conferunt, vim aliquam in corpore obtinere, qualem contulerunt. D

* μὴ ἓν εἶναι.

GAL. COMMENT.

Cum Hippocrates prædixisset, nisi calidum frigido, & siccum humido mediocriter contemperatum sit, corporum videlicet generabiliū generationes haud posse fieri: nunc sane manifesto non hominis tantum, sed omnium etiam quæ generationem corruptionemq; corporis sustinent, ex ipsis generationem esse pronuntiat. Nā ex calido, frigido, sicco, & humido, omnia creātur, eoq; communi a

omnium

A *omnium esse hæc elementa: propria autē hominis naturæ, sanguinem, pituitam, bilem flauam, & nigram. Quamquam ne hæc quidem propria recte dixeris, vt quæ omnium sanguine præditorum animantium sint communia. Constat autem [cuilibet] & horum singula ex primis creata esse quattuor [elementis] quæ à qualitatibus nominantes, humidum, siccum, frigidum, & calidum dicimus: propria vero substantiæ ipsorum nomina sunt, ignis, aqua, aër, terra. Neminem siquidem latet, elementa secundum simplices, & misturæ expertes qualitates nuncupari; cum caliditas summa igni insit, quemadmodum & humiditas aeri, frigiditas aquæ, siccitas summa vna cum densitate & frigiditate, terræ. Quomodo igitur nonnulli arbitrantur, Hippocratem, humidum, siccum, frigidum, & calidum,* B *elementa statuere, hæc enim in homine apparere; ignem vero, aquam, aerem, & terram non admittere, eo quod neque horum aliquod in humano corpore conspiciatur? Haud tamen assequentes intellectu, ea quæ in corpore apparent calida, frigida, sicca, humida, esse apparentia, & visibilia corporis elementa; quæ, quis audebit, elementa omnium corporum esse communia, pronuntiare? ,, Nemo indubié, etiam indoctissimus. Cum Hippocrates dixit, Necesse igitur est, ,, cum talis & aliorum omnium, & hominis natura sit, non putandum est, nunc ipsum dicere, ea quæ in corpore humano videntur calida, frigida, sicca, & humida; sed quattuor elementa, quæ summas, & expertes misturæ qualitates obtinēt,* C *ex quibus inuicem contemperatis, omnia quæ in medio sunt corpora, gignuntur, per excellentiam, non proprie appellata, calida, frigida, sicca, humida. Nam si hæc iam contemperata, elementa statuamus, ea quæ summas habent qualitates, haud noui, quid esse dicemus. Iam proxima oratione clarius adhuc suam ipsius sententiam explicat, ad quam modo digrediamur.*

Si demonstratum est, ex calido, frigido, humido, & sicco, omnia fieri, recte nunc concludit, calidum, frigidum, humidum, & siccum, communia esse rerum elementa. Quid vero nomine calidi, frigidi, humidi, & sicci, intellexerit, dubium est. Inter Hippocratis interpretes, Athenæus Attaleus, ipsiusque sectatores putarunt, Hippocratem non intellexisse ignem, aerem, a- Lib. 1. de elem. cap. 6. D quam, & terram, quæ obscura sunt, & in homine nequaquam apparent, sed elementa potius sensilia, & quæ in homine manifesto conspiciuntur. Existimaruntque proinde, eos ab Hippocrate reprehendi prima huius libri sententia, qui ignem, aerem, aquam, & terram dixerunt esse hominis elementa: legebant enim isti coniunctim dictionem illam ἐν ἐόν, vt dictum est com. 1. Porro elementa sensilia, & quæ manifesto in homine apparent, sunt partes similares, & humores, ex quibus corpus humanum compositum est. Falsam horum hominum opinionem refellit Galenus ex hac Hippocratis senten- ,, tia, in qua sic scribit, Cum talis, & hominis, & aliorum omnium natu- ,, ra sit, ex calido scilicet, frigido, humido, & sicco constituta. Quibus verbis significat, se de elementis rerum omnium agere, non de elementis solius hominis; at humores, & partes similares elementa sunt hominis propria,

ignis autem, aër, aqua, & terra, elementa sunt rerum omnium communia; ergo A
hæc potius intellexit Hippocrates nomine calidi, frigidi, humidi, & sicci, quam partes similares, aut humores. Quamuis, si vere loquendum sit, solæ partes similares propria sint elementa hominis, humores vero, elementa communia omnium animalium sanguine præditorum; quemadmodum & animaliũ exanguiũ propria elementa ea dicuntur, ex quibus, tanquã ex proxima materia, gignuntur. Quare merito Galenus humores dixit, elementa quædam esse veluti media inter communia & propria. Præterea absurdum est, humores & partes similares, elementa statuere; quæ reuera corpora mista sunt, & calida, frigida, humida, & sicca dicuntur, non proprie, sed tantum per exuperantiam; ignem vero, aërem, aquam, & terram, quæ corpora sunt simplicissima, habentque summas, & misturæ expertes qualitates, elementa esse nolle. Ex quibus constat, Hippocratem nomine calidi, frigidi, humidi, & sicci, non intellexisse humores aut partes similares, sed elementa rerum omnium communia: quorum numerum, & vires vt simul exprimeret, à qualitatibus ipsa vocauit calidum, frigidum, humidum, & siccum, quamuis propria ipsorum nomina sint ignis, aër, aqua, & terra. Porro quod ab Hippocrate dictum est extrema hac sententia, singula quæ ad generationem conferunt, vim aliquam obtinere, qualem contulerunt, sequenti commentario explicabimus. Nunc vero quoniam Galenus in cõmentario non semel dixit, qualitates summas, simplices, & misturæ expertes elementis inesse, disputare breuiter oportebit, an binæ, quæ singulis elementis insunt, qualitates, summæ sint, an potius altera tantum sit summa, altera non summa. Quæ sane quæstio in iis dumtaxat elementorum qualitatibus locum habet, quæ veluti adiutrices sunt; eas enim quæ propriæ sunt, & elementorum constitutrices (qualis est in igne caliditas, in aëre humiditas, in aqua frigiditas, & siccitas in terra) summas esse omnes concedunt. Philosophorum plerique, & non pauci medicorum, solas qualitates proprias summas esse fatentur, adiutrices vero non summas, sed (vt ipsi loquuntur) prope summum. Quod visus est etiam sentire Aristoteles, ad hunc modum scribens. Verumtamen cum quattuor sint omnino, vna in quoque reperitur, nam & terræ siccitas magis est quam frigus: & aquæ frigus magis quam humor: & aëris humor magis quam calor: & ignis calor magis quam siccitas. Ceterum hæc opinio non placet, nam si altera qualitas summa non est, à qualitate contraria necessario retundetur; tresq; proinde, non tantum duas in vnoquoque elemento qualitates statuere oporteret: quas qui concedunt, parum profecto absunt, quin elementa, alioqui simplicissima, mista D
esse fateantur. Alii potius affirmant, qualitatem eam quæ summa non est, non remitti à qualitate contraria, sed talem à natura elementis tributam esse: quod quam philosophice dictum sit, aliorum esto iudicium. Neque locus ille Aristotelis nobis aduersatur, dicitur enim calor ignis magis esse quam siccitas, non quod calor summus sit, siccitas non summa, sed quod calor propria sit, & constitutrix ignei elementi qualitas, siccitas vero qualitas sit caloris adiutrix, & comes. Idem de reliquorum elementorum qualitatibus intelligere oportet. Præterea Galenus singulis elementis binas tribuit qualitates summas, nam lib. 1. de elem. ignem summe calidum & summe siccum, terram vero summe siccam & summe frigidam manifesto statuit. Et hoc commentario summã frigiditatem tribuit aquæ, cui lib. 1. de temper. summam humiditatem etiam impertitur. Et com. 2. huius libri, & lib. 1. de temper. cap. 5. in aëre simul & aqua summam humiditatem constituit. Sed de hac re multa iam diximus com. 2.

Marginalia: Lib. 2. de element. cap. 1. (beside "tur. Quare merito Galenus"); B (beside "misturæ expertes qualitates"); C (beside "(qualis est in igne"); Lib. 2. de ort. & in ter. cap. 3. (beside "Verumtamen cum quattuor", with „ marks on the quoted lines); Cap. 6. (beside "de elem. ignem"); Cap. 1. (beside "tribuit aquæ").

HIPP.

A

HIPP. SENT. XIIII.

RVrsus quando corpus humanum interit, necesse est singula ad suam naturam secreta reuerti, humidum ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum.

GAL. COMMENT.

Singula prædicta elementa, vbi homo vita defungitur, secreta inuicem ad suam naturam recedere commemorat, quæ calidum, frigidum, siccum, & humidum vocabat. Non sanguinẽ dicens, ad mundi sanguinem, pituitã ad pituitam, bilem ad bilem, arteriam ad arteriam, carnem ad carnem, venam ad venam, neruum ad neruum redire; sed singulorum horum calidum, frigidum, humidum, & siccum, ad communia omnium elementa discedere. Neruus enim nimirum ex calido, frigido, sicco, & humido, elementis scilicet, compositus est: quippe non ex alio neruo, sicut nec vena ex alia vena. Quoniam ne cogitari quidem possunt per tota inuicem contemperata esse hæc, caro, vena, os, arteria, & aliæ particulæ. Vult autem ipse, (si paulo ante dictorum meminimus) per tota inuicem calidum, frigidum, siccum, & humidum, esse contemperata. Quare non hæ, quæ palam in corpore humano videntur calidæ, frigidæ, siccæ, & humidæ particulæ, hominis naturæ elementa sunt, sed illa, quæ has ipsas composuerunt, generaruntque. Hæc autem sunt, aqua, ignis, aër, & terra: de quibus abunde in opere de elementis secundum Hippocratis sententiam disputauimus.

B

C

Ex communi rerum omnium generatione elementorum numerum hactenus demonstrauit, nunc eundem demonstrat ex communi rerum omnium interitu. Possumus autem Hippocratis demonstrationem ad hunc modum contexere: Ea sunt communia rerum omnium elementa, in quæ mista corpora tandem resoluuntur: atqui mista omnia, quando intereunt, resoluuntur tandem in calidũ, frigidum, siccum, & humidum: ergo hæc quattuor sunt elementa cõmunia. Propositio verissima est, & ab omnibus philosophis concessa, & ex elementi definitionibus, quas in prooemio proposuimus, cuiuis patere potest. Assumptionẽ probat hac sententia, docens corpus humanum, quando interit, (idem de aliis mistis intellige) resolui in calidum, frigidum, humidum, & siccum. Id enim est quod ipse ait, necesse est, singula ad suam naturam secreta reuerti: ita vt calidũ quod erat in homine, ipso intereunte reuertatur ad mũdi calidum: & frigidum quod in homine erat, reuertatur ad mundi frigidum. Idem de humido & sicco intelligere oportet. Ex hac sententia colligit rursus Galenus, nomine calidi, frigidi, humidi, & sicci, non intellexisse Hippocratem partes similares, aut humores, sed ignem potius, aërem, aquam, & terram. Quippe sanguis qui in homine est, aut pituita, aut bilis, non reuertitur ipso intereunte ad mundi sanguinem, pituitam, aut bilem: neque caro, aut vena, ad mundi venam, aut carnẽ. Probat quoque priuatim, non intellexisse partes similares, ex iis quæ antea do-

D

cuerat sententia duodecima, generationem scilicet fieri nō posse, nisi calidum, A frigidum, humidum, & siccum, probam temperamenti communionem sortita fuerint: certum namque est, partes similares sibi inuicem non permisceri, aut temperari. Quæ sane ratio ad humores transferri non potest, quos postea docebimus per se totos temperari, ac misceri. Vult igitur Hippocrates, ignem, aërem, aquam, & terram, quæ in homine sunt, ad mundi ignem, aerem, aquam, & terram, in ipsius interitu redire. Sed quisnam est in homine ignis, aut aer? quænam est in homine aqua, aut terra? Ex igne quidem, aere, aqua, & terra, communibus rerum omnium elementis, triplex illa substantia, ex qua partes similares constant, per medios humores gignitur, substantia scilicet spirituosa, humida, & solida. In eo tamen discrimen est, quod spirituosa substantia (quam etiam calidum innatum appellant) ex igne potissimum & aere constituatur: quemadmodum humida ex aere potissimum & aqua; & solida ex aqua potissimum & terra. Ignis itaque, aer, aqua, & terra, quæ triplicem hanc partium substantiam constituunt, dicuntur in hominis interitu ad suam naturam, vel ad B mundi elementa reuerti, quia naturam, quam in homine obtinebant, exuunt, induuntque naturam simplicium, purorumque elementorum. Quippe cum & in homine, & aliis mistis corporibus, mista sint elementa, & per se tota temperata, pereunte in interitu eiusmodi mistione atque temperie, elementa à se inuicem secerni, & pristinam suam naturam induere, necesse est. Nam vt ante mistorum corporum generationem pura erant atque sincera mundi elementa, ita & in vltima mistorum resolutione, quæ in mistis impura commistaque fuerant, purissima rursus fiunt, atque omnino sincera. Diuersa ratio qualitatum est, quæ in mistis temperatæ inueniuntur, hæ namque, vt Galenus ait, potius interire vna cum misto, quam ad suam naturam redire dicuntur; cum qualitatum temperatio prorsus aboleatur intereunte misto. Porro elementorum numerum ab Hippocrate hactenus demonstratum, ex primarum qualitatum numero videntur potius demonstrasse Aristoteles & Galenus. Quippe cum solæ primæ C qualitates, & agere & pati, totamque proinde substantiam alterare posſint, merito fit, vt hæ solæ elementorum principia statuantur. Quare cum primæ qualitates sint quattuor, & quattuor esse elementa ab illis constituta, necesse erit. Cuius sane demonstrationis vim non assequuntur, qui ex numero qualitatum primarum elementorum numerum colligi non posse contendunt, quod qualitates quattuor in duobus tantum elementis inueniri posſint, veluti in igne & aqua, in aere & terra. Quippe cum primarum qualitatum singulæ, subiectam substantiam alterare per se totam possint, à singulis singula elementa necessario constituentur. Non ergo ex coniugationum numero (vt aliqui putarunt) sed ex numero potius qualitatum primarum, elementorum numerum demonstrauit D Aristoteles. Quo demonstrato verisſime postea docuit, cum quattuor esse posſint primarum qualitatum coniugationes, singulis elementis singulas conuenire, vt qualitati vniuscuiusque elementi constitutrici altera esset adiutrix, ac veluti comes. Vnde factum est, vt inter elementa omnino contraria, alia quædam sint media, quæ, quod alteram qualitatem communem habeant, symbola appellant. Quæ sane qualitatum communitas, mutuam in se inuicem elementorum transmutationem, vniuersamque mistionem faciliorem, promptioremque reddit, quæ inter duo tantum elementa contrariis qualitatibus prædita difficilime fieri potuisset. Ceterum hæc Aristotelica demonstratio, cum Hippocratica omnino consentit. Quippe cum ad rerum ortum atque interitū, sub-

stantiam

Lib. 1. de elem. cap. 8.

Lib. 2. de ort. & inter. cap. 2. Lib. 1. de elem. cap. 9. & lib. de const. art. medi. cap. 9.

Lib. 2. de ort. & inter. c. 3.

A stantiam per se totam à primis qualitatibus alterari sit necesse, in idem fere recidit, aut ex primis qualitatibus, aut ex communi rerum omnium ortu & interitu, numerum elementorum demonstrare. Ex iis tamē quæ scripsit Hippocrates hac sententia & superiori, nascitur quæstio, an elementa actu maneant in mistis, an tantum potestate: vel, vt alii loquuntur, an maneant in mistis elemētorum substantiæ, an solæ qualitates. Oportet vero substantiarum nomine formas intelligere, de quibus solis est quæstio, cum ab omnibus concessum sit, elementorum materiam remanere, ex qua vna cum qualitatibus, mista omnia cōponuntur. Nemo namque hactenus credidit, ex solis elementorum qualitatibus mista fieri: nisi id fortasse crediderit Athenæus, qui calidum, frigidum, siccum, & humidum, qualitates Hippocrati significare existimauit; quamuis non constanter id affirmarit, vt innuit Galenus. Dicentur itaque manere actu elementa in mistis, si formas substantiales retineant: potestate vero, si easdem amittant. Solus Fernelius præter communem loquendi consuetudinem, elemēta suas formas in mistis retinere, & potestate remanere asseruit: sentiēs scilicet, elementorum formas neque liberas, neque sui iuris in mistis esse, sed implicitas, vinctas, & mutua qualitatum pugnantia, dignio risque formæ præsentia quasi interceptas. Reliqui omnes qui elementa suas in mistis formas retinere arbitrantur, actu in mistis remanere affirmant, alii tamē actu perfecto, alii imperfecto, vt ipsi loquuntur. Ac perfecto quidem, qui elementorū formas perfectas atque integras in mistis seruari putant: imperfecto vero, qui elementorum formas seruari quidem in mistis asserunt, remissas tamen, ac veluti refractas. Sed vtraque opinio videtur absurda, prior namque quinque formas substantiales, easque perfectas, & integras, in vnoquoque misto admittere cogitur; simulque concedere, non omnem partem misti mistam esse. Neque enim elemēta dum suas formas retinent, mista esse possunt, cum tamen sint misti corporis particulæ. Atqui absurdum est, aliquam partem misti mistam non esse, nam teste Aristotele, vt aquæ pars aqua est, ita & temperati corporis pars, temperata esse debet. Altera vero ex eo potissimum refellitur, quod substantiales formæ (etiam imperfectissimæ, quales illi elementis tribuunt) intendi, aut remitti nequeant: alioqui alter ignis magis esset ignis quam alter. Præstat igitur, cum philosophorum ac medicorum optimis sentire, elementa in mistis tantum manere potestate. Idque significauit Hippocrates præcedenti sententia, singula quę ad generationem conferunt, vim aliquam in corpore obtinere dicens, qualem contulerunt: quamuis hūc locum ita sinistre intellexerit Fernelius, vt elementa suas formas in mistis retinere ex eo collegerit. Idem quoque Galenus D manifesto docuit, hoc nomine Platonem reprehendens, quod morborum generationem ad communia elementa retulerit; cum potius referenda sit ad propria, nempe quattuor humores, cum hi quidem actu, illa vero potestate corporibus insint. Galeni verba hęc sunt, Potestate siquidem in corporibus insunt, non actu; actu vero insunt, quæ ex ipsis per media alimenta gignuntur, sanguis, pituita, & vtraque bilis. Hoc ipsum haud dubie voluit Aristoteles, de propria mistionis ratione ad hunc modum disserens. Cum autem eorum quæ sunt, alia actu sint, alia potentia; quæ mista sunt, esse quodammodo, & non esse contingit; actu quidem aliud existit quod ex eis factum est; potentia vero, quidpiam vtriusque eorum quæ erant, antequam miscerentur, & non esse perdita: id quod ratio prius addubitabat. Nam quæ miscentur, & prius ex separatis coiisse, & posse rursum separari videmus. Igitur neque permanent actu, vti

corpus

Lib. 1. de elemen. cap. 6.

Lib. 2. de nat. par. med. c. 6.

Lib. 1. de ort. & inter. cap. vlt.

Lib. 2. de nat. part. med. cap. 6.

Lib. 8. de Hip. & Plat. decre. cap. 4.

Lib. 1. de ort. & inter. cap. vlt.

corpus & albedo: neque corrumpuntur, aut ambo, aut alterum, nam cuiusuis virtus, aut potentia salua manet. Et postea subdit. Cũ vero potentias habẽt quodammodo æquales, tum vtrumque è sua quidem mutatur natura, in id quod vincit ac superat, non tamen fit alterum, sed inter vtrumque medium, atque commune. Quæ sane Aristotelis verba præterquam quod apertissime docent, quæcumque vere miscentur potestate in mixtis manere, quomodo mistio ab ortu & interitu differat, dilucide quoque monstrant. Id namq; iis quæ miscentur est proprium, vt neque omnino pereant, neque integra omnino seruentur, sed potestate tantum manentia, in aliud quoddam medium omnia degenerẽt. Quare lignum, vbi comburitur, non dicetur misceri igni, cum omnino corrumpatur, ex eoque intereunte gignatur ignis. Neque corpus & albedo, quamuis simul cohæreant, vere dicentur misceri, quia ambo seruantur integra. At in mixtione elementorum, neque aër mutatur in ignem, neq; terra in aquam, sed omnia simul in corpus mixtum degenerant. Quoniam vero neque integra seruantur in mixtis, neque omnino corrumpuntur, sola potestate dicentur remanere in mixtis. Quippe cum separabilia sint, possunt aliquando separata pristinam naturam rursus induere, in vltima scilicet mixti corporis resolutione, in qua, à se inuicem secreta formas denuo induunt, quas in mixtione antea exuerant; fiuntq; rursus corpora simplicissima, summisque qualitatibus prædita, cum tamen antea in mixto corpore amissis formis solas qualitates retinerent, contrariarum actione remissas, ac tẽperatas. Sed videtur Galenus concessisse, aëris saltem elementum actu in nobis reperiri, dum sic scribit. Solum autem aëreum elementũ iuxta suam naturam in animaliũ corporibus, tum in respirationibus, tum in pulsibus cernimus perstitisse; quin etiam in palpitatoriis affectionibus, inflationibus, tumoribus, atque iis, quos flatus dicere consueuimus. Quem locum sic aliqui explicant, vt quamuis aër, non secus ac reliqua elemẽta, potestate maneat in osse, carne, ceterisque partibus; dicatur tamen solus iuxta suam naturam in nobis perstitisse, quia externum aërem, qualis reperitur in vniuerso, inspiratione, & transpiratione attrahimus. Sed nonne & aquam quotidie bibimus, qualis est in vniuerso? Non ergo solus aër, sed præter hunc etiam aqua iuxta suam naturam dicetur perstitisse. Locum igitur aliter multo explicare oportet ex dictionis serie, & Galeni instituto. Instituerat autem docere, cõmunibus elementis propria respondere, quod ad ipsorum vires & qualitates attinet. Cumque docuisset, bilem flauam respondere igni, pituitam aquæ, & atram bilem terræ, subiunxit statim, solum aëreum elementum iuxta suam naturam in animalibus perstitisse: indicans scilicet his verbis, aëreo elemento, ex quo constamus, nullum humorem respondere, sed ipsummet aërem, qui nobis quidem bene habentibus inspiratione, & transpiratione attrahitur, ægrotantibus vero præter naturam gignitur in palpitationibus, inflationibus, & aliis eiusmodi affectibus. Neque enim (quod quispiam credere potuisset) sanguis respondet aëri, cum calidus & humidus non sit, sed potius temperatus; æquabilis enim (vt ipsemet ait) ex omnibus quattuor elementis temperatura exquisitum sanguinem creat.

Lib. 8. de Hip. & Plat. decret. cap. 4.

HIPP. SENT. XV.

Hvíusmodi autem tum animantium, tum aliorum omnium natura est.

GAL.

A GAL. COMMENT.

Huiusmodi, inquit, non modo hominis, sed etiam aliorum omnium natura est, ex calido nimirum, frigido, sicco, & humido, simplicibus & summis contemperata: nam quæ in medio consistunt, omnia temperamẽtum ex his obtinuerunt. Igitur ab intellectu alienum est dicere, eorum quæ in medio habentur temperaturam, ex iis quæ in medio sunt, fieri. Hoc autem non percipiunt se dicere, qui ex eo quod in corpore conspicitur, humido, sicco, calido, & frigido, naturam nostram constare tuentur. Adhuc absurdius est, si & aliorum omniũ, animantium, stirpiumque naturam ex his conflari dicamus: Hippocrates enim clare dixit in oratione proposita, & aliorum omnium talem esse naturam. Illi vero haud

B *scio quid dicent, cum fici semine in terrã deiecto, verbi gratia, maxima arbor enascatur. Absurdum est dictu, non ex terra & aqua, sed aliunde talem ipsi inesse naturam. Atqui terra sui ratione summe est frigida, calorem vero, ficus, quo viuit, multum obtinet, eoque etiamsi in valida hyeme perfrigeretur, nõ emoritur. Liquet igitur, corpus fici non solum ex aqua & terra constitutum esse, sed etiam igneæ naturæ particeps euasisse. Quis autem ignorat, & aeris partem recepisse? siquidem lignum ipsius palam est non terra solum, sed & aqua leuius. Ex quattuor itaque et ficus constat, et si hæc inde constat, fructus etiam, tum ipsius, tum*

C *alii omnes. Sunt autem, triticum, hordeum, fabæ, aliaque cerialia semina, fructuum particulæ, atque ipsæ idcirco ex quattuor consistunt, terra, igne, aqua, & aëre. Quoniam vero ex fructuum stirpiumque esu humores, qui in nobis sunt, generantur, & hi nimirum primam generationis originem habebunt, aquam, terram, aerem, & ignem. Sed, vt dixi, hæc etiam in commentario de elementis secundum Hippocratem demonstrata sunt, quare iam ad alteram sententiam digredi tempestiuum est.*

Tres istæ, quæ sequuntur, sententiæ, epilogus sunt sex superiorum. Huiusmodi, inquit, est, tum animalium, tum aliorum omnium natura, constituta scilicet ex calido, frigido, humido, & sicco, per se tota temperatis. Vnde iterum

D Galenus colligit, nomine calidi, frigidi, humidi, & sicci, non intellexisse Hippocratem partes similares, aut humores, sed ignem, aërem, aquam, & terram. Absurdum namque est dicere, corpora quæ in medio sunt quattuor communiũ elementorum, nempe corpora mista, ex iis etiam quæ in medio sunt, id est ex aliis corporibus mistis naturam sortiri. Quod & Hippocratis verba aperte testantur, neque enim tantum dixit, huiusmodi esse aut hominis, aut animalium naturam, sed & aliorum omnium. Atqui sola animalia ex humoribus & partibus similaribus constant: constant autem & hæc, & reliqua mista corpora ex communibus elementis, igne, aere, aqua, & terra. Explicat vero breuissime modum, quo mixta corpora ex quattuor elementis componuntur, quem explicauit accuratius lib. 1. de elem. & aptissimis quoque carminibus expressit Lucretius. Dicuntur ergo mixta ex quattuor elementis componi, non quod ex Cap. 5. & 8. Lib. 2.

his

his proxime fiant, sed mediis aliis transmutationibus. Corpus enim hominis (exempli caussa) proxime quidem ex ossibus, carnibus, membranis, ceterisque partibus similaribus constat: partes autem similares ex semine & sanguine duobus nostræ generationis principiis: semen vero & sanguis ex quattuor humoribus: humores ex alimentis gignuntur: alimenta rursus vel ex animalium partibus sumuntur, vel ex seminibus, aut fructibus plantarum, quæ tandem ex quattuor primis elementis proxime generantur. Id confirmat exemplo ficus, quam ex terra & aqua constare ex eo patet, quod nascatur ex semine in terram irrigatam proiecto. Quod autem constet etiam ex igne, indicat calor, cuius ope viuit hyeme etiam frigidissima. Porro quod particeps aeris etiam sit, ipsius lignum ostendit, quod quidem aqua est leuius, cum supra ipsam ferri conspiciatur. A

HIPP. SENT. XVI. B

NAm cuncta simili modo nascuntur, & similiter desinunt.

GAL. COMMENT.

Nemo, qui vel vaticinatus fuerit tales fore homines, qui perperam ipsum essent intellecturi, toties idem dogma repetiisset, quemadmodum nunc Hippocrates factitauit, omnia dicens, non tantum hominem, similiter nasci, & interire, quemadmodum dictum est, ex quattuor scilicet elementis, non corporis particulis, calidis, aut frigidis, aut siccis, aut humidis. Verum sunt nonnulli adeo imperiti Græcanicæ dictionis, vt putent, id quod in corpore humano est calidum, frigidum, siccum et humidum, sensu percognita, communia omnium generationis esse elementa. C

Rationem reddit, cur huiusmodi sit animalium & aliorum omnium natura, quia scilicet simili modo cuncta nascuntur, & similiter desinunt. Cũ vero dixerit cuncta similiter nasci, ex calido scilicet, frigido, sicco, & humido, & similiter desinere in calidum, frigidum, humidum, & siccum, iterum Galenus colligit, calidum, frigidum, siccum, & humidum, non significare Hippocrati partes similares, aut humores.

HIPP. SENT. XVII. D

QVia ipsorum natura, ab iis, quæ recensuimus, vniuersis constituitur, & desinit, vt prædictum est, in idem: & vnde constituta sunt singula, eodem etiam recedunt.

GAL. COMMENT.

Immoratur suo dogmati, naturam omnium censens ex commemoratis quattuor constitui, & in eadem finire. Vnde enim singula prouenerunt, inquit, illuc etiam recedunt, ad communia scilicet mundi elementa, terram, aquam, aerem,

A *& ignem. Prorsus igitur Hippocratis sententiam ignorant, & id quod initio dictum est οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν, &c. id est, neque enim in totum hominem, dixerim, aerem, neque aquã, neque ignẽ, neq; terrã, pro μὴ δόλως, id est nequaquam & nulla in parte, intelligentes. Liquet enim Hippocratem non velle, communia omnium elementa μὴ δόλως, id est, nequaquam in corpore humano esse: verum eos, qui vnum solum ex ipsis dicunt, insectari.*

Græce integra legitur hæc oratio. οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν ἠέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον οὔτε ὕδωρ, οὔτε πῦρ, οὔτε γῆν.

Et hæc sententia superioris est ratio, explicat enim, cur simili modo cuncta nascantur, & similiter desinant. Simili quidem modo cuncta nascuntur, quia mistorũ omnium natura, ex calido, frigido, humido, & sicco, est constituta. Similiter quoq; desinunt, quia vnde constituta sunt singula, eodem etiã recedũt: resoluuntur enim tandem, quando intereunt, in calidum, frigidum, siccum, & hu-
B midum. Ex iis quæ hactenus dicta sunt, colligit Galenus dictionem illam οὔτε τὸ πάμπαν, qua vsus est Hippocrates sententia prima, non significare idem, quod μὴ δόλως quæ dictio omnino negat, sed idem, quod μὴ παντελῶς vt dictum iam est commentario primo. Vnde constat Hippocratem eos reprehendisse, qui vnum ponunt elementum, non eos qui quattuor.

HIPP. SENT. XVIII.

CORpus autem hominis sanguinem in se continet, pituitam, bilem vtramque, & flauam & nigram. Atque hæc sunt ipsius
C corporis natura, & propter hæc dolet, & sanum est.

GAL. GOMMENT.

Vbi disputationem de communibus elementis absoluisset, ad animalium sanguine præditorum (in quorum numero est & homo) elementa, in oratione proposita digressus est, decernens, tum nostram ab initio generationem ex sanguine, pituita, & duplici bile, flaua, & nigra, constare: tum totius vitæ perseuerantiam; eaque totam esse naturam hominis, cum humores quidem in solidis partibus cõtineantur, ipsæ vero solidæ, in prima animalis, quod gestatur in vtero, conformatione, generationem ex his sortiantur. Nam omnes particulæ ex menstruo san-
D guine factæ sunt, qui non sincerus est sanguis, sed duplicem in se bilem, pituitãq; habet: id quod paullo post auctor ostendet. Quinetiam quomodo fiat, vt ex his sani simus, doleamus, & ægrotemus, proxima oratione persequitur.*

* βουλόμενος.

Absoluta disputatione de natura totius, hoc est de communibus mundi elementis, ad alteram nunc aggreditur de natura propria, id est propriis elementis hominis. Quoniã vero sententia septima demonstrauerat, vnicum humorem propriam hominis naturam esse non posse, propriorum elementorum numerũ demonstrare nunc instituit. Hæc autem sententia, quæ veluti generalis quædam propositio eorum est, quæ in sequentibus demonstranda sunt, tria capita continet, quod hominis corpus sanguinem, pituitam, & bilem flauam, & nigram

gram contineat: quod quattuor ista sint propria hominis natura: & quod ex A
his homo sit sanus, atque ægrotet. Continent in primis partes solidæ humores ipsos, vnde hos contenta, illas vero continentia idem Hippocrates appellare solitus est: veluti cum docet tria esse, quæ corpus nostrum constituunt, continentia, contenta, & impetum facientia. Vocauit namque continentia solidas corporis partes, non solum quod humores vtcunq; contineant, quemadmodum dolia continent vinum; verum etiam quod humores foueant, atque conseruent integros. Vt igitur optimus gubernator ciues, & optimus imperator milites continet in officio, ita & partes solidæ humores dicuntur continere. Quo fit, vt humores, cum primum partium solidarum fotu destituuntur, insigne aliquod vicium contrahant. Contenta vocauit humores, quia vt dictum est, à partibus solidis continentur, & conseruantur. Impetum vero facientia vocauit spiritus, tum vitales, tum animales, qui cum tenuissimi sint, atque leuissimi, nullibi quiescunt vnquam, sed hinc inde cum impetu perpetuo mouentur. Ac B
vitales quidem valida contractione cordis ad omnes corporis partes per arteriam magnam transmittuntur; animales vero contractione cerebri expelluntur, tum ad oculos, cum potissimũ ad principium spinalis medullæ. Porro quod quattuor humores sint hominis natura, demonstraturus est postea sententia vigessima sexta, ea scilicet ratione, quam Galenus attingit hoc commentario, quia ex quattuor humoribus homo gignitur, augetur, & nutritur. Nunc vero prius ostendit, ob quattuor humores hominem sanum esse, & ægrotare. Expendamus igitur quæ sequuntur.

Lib. 6. epid. par 8. sent. 7.

HIPP. SENT. XIX.

C

Sanum igitur est potisimum, cum hæc virtute, & copia, inter se mediocriter habent, & præsertim si commixta sint.

GAL. COMMENT.

Omnium & medicorum & philosophorum, qui absoluti dogmatici sunt, consensu, elementorum commoderatio sanitatem efficit. Cum autem rationalis sectæ elementorum institutio duplex genere sit, altera, appositione & complexu primorum corporum, generationes compositorum fieri profitetur: altera, temperatura. Prior itaque symmetriam in meatuum cõstitutione, quam Græci πορoποιίαν appellant, ponit: secunda ex proba elementorum temperie sanitatem constare affirmat; cuius nimirum opinionis Hippocrates princeps existit. Rursus cum duplex sit symmetria, seu commoderatio, hæc in facultate eorum quæ contemperantur, illa in substantiæ quantitate, vtriusque meminit Hippocrates, inquiens, Virtute, & copia. Quod ad sententiæ calcem subditum est, Et præsertim si commixta sint, accuratam per tota ipsa contemperationem innuit. Nam in dispositione corporis maxime inculpata, non solum quattuor elementorum commoderatio, sed etiam per tota temperatura, mistioque accurrate absoluitur. In deterioribus autem corporis temperaturis fieri aliquando potest, vt in vna aliqua D

particula

A *particula humores non æqualiter, neque similiter, neque per tota inuicem sint temperati. Verum cum nondum functio manifeste læditur, culpata quidem est sanitas, nondum tamen morbus.*

Hominem sanum esse docet, si hæc tria quattuor humoribus insint, vt virtute mediocriter habeant, & copia, & sibi inuicem sint cōmixti. Quæ vt intelligantur facilius, docet Galenus, ex consensu omnium philosophorum & medicorum qui exacte dogmatici sunt, sanitatem nasci ex symmetria elementorū, qualicūq; illa fuerint. Dixit, Ex consensu medicorum qui dogmatici sunt, vt excluderet Empiricos, qui ignorata sanitatis & morbi essentia, & caussis vtriusque, soli experientiæ innitebantur. Vocat itaque dogmaticos, siue rationales, eos qui B rationem sequuntur; proindeque sectæ rationalis nomine non solum eam intelligit, quæ vere ac proprie Rationalis dicitur, sed etiam sectam Methodicorum. Nam & Methodici & Rationales in suorū elementorum symmetria sanitatem collocant, Methodici quidem in symmetria exiguorum meatuum, qui ex atomorum concretione fiunt: Rationales vero in symmetria, & proba elementorū temperie. Quare merito Hippocrates Rationalis sectæ cōditor, docet hac sententia, sanum esse hominem, quando humores symmetriam seruauerint. Meminit autem duplicis symmetriæ, in virtute vel qualitate, & in quantitate vel copia. In qualitate quidem symmetria dicitur, quando singuli humores natiuas vires retinent, ita vt sanguis temperatus sit, pituita frigida & humida: bilis flaua, calida & sicca: & bilis nigra, frigida & sicca. In quantitate vero, quando humores singuli iustum modum seruant, ita vt neque deficiant, neque excedant. C Et quamuis iusta singulorum humorum quantitas certo definiri non possit, vtpote, quæ pro diuersa corporum natura, ætate, anni tempore, regione, & vitæ instituto plurimum variet: certissimum tamen est, sanguinem longo interuallo reliquos humores excedere, cum & tota sui substantia, & qualitate temperamenti, solus ipse inter humores sit nostræ naturæ familiaris. Secundum locum plerique Fernelium sequuti tribuunt pituitæ, quia dulcis est, & in sanguinem mutari potest, & pluribus partibus nutriendis est necessaria. Sed meo iudicio rem oportet distinguere, cum eadem ratio esse non possit eius pituitæ, quæ vna cum aliis humoribus massam (vt vocant) sanguinariam constituit, & eius quæ sanguini nequaquam mista, per venas cum ipso defertur. Quippe cum pituita D crudus humor sit, & veluti semiconcoctus sanguis, ipsam potius in vasis manere, quam extra corpus excerni oportebat, vt sensim concocta in sanguinē mutaretur, quo nomine differt ab vtraque bile. Hanc itaque certum est copiosiorem esse, de altera tamen quæ massam constituit, quæstio esse potest. Porro non aliunde certius de pituitæ, reliquorumque humorum copia, iudicium ferre possumus, quam ex vsu quem sanguini præbent. Docebit autem postea Galenus, ob partium nutriendarum diuersitatem, & varietatem morum, quæ & in variis animalibus, & ipsis potissimum hominibus animaduertitur, sanguinem reliquis humoribus indiguisse. At pituita ad mores formandos est ineptissima: & paucissimæ sunt corporis partes frigidæ & humidæ, qu pituitoso gaudeant nutrimento, vt statim dicemus. Non igitur vera prædicant, qui pluribus partibus nutriendis pituitam necessariam esse credunt, neque pituitæ dulcedine indiget sanguis ex sua natura dulcissimus, præsertim cum pituita na-

Lib. 6. de nat. par. medi. c. 8.

Com. 38.

F turalis

turalis insipida sit, potius quam dulcis. Neque etiam mutatur in sanguinem, A quæ massam constituit, pituita, (alioqui enim corrumperetur potius, quam misceretur:) sed ea tantum quæ impermista per venas vna cum sanguine fertur, in sanguinem mutari solet. Quæ cum ita sint, reliquum est, vt reiecta pituita alterutram bilem in secundum locum transferamus. Et quamuis non desint, qui aliter opinentur, nos tamen sentimus, bilem flauam copiosiorẽ esse, quod plures partes, (vt musculi omnes, iecur, cor, pulmo) calidiori sanguine nutriantur, calorem autem ex bile accipiat sanguis natura temperatus. Id quod confirmari etiam potest Galeni testimonio, qui agens de separatione trium excrementorum iecinoris, manifesto scripsit, excrementum melancholicum paucissimum esse, copiosius autem biliosum. Licet enim de excrementis quæ separantur, nõ de humoribus qui massam constituunt, verba faciat; rationi tamen consentaneum est, copiosius excrementum ex copiosiori humore separari. Neque vero B bilis acrimonia, & mordacitas, sufficiens caussa esse potest (vt multi opinantur) cur sanguini non possit copiosior permisceri; nam sanguinis ceterorumq; humorum mistione bilis acrimonia demulcetur. Tertium locum humori melancholico, postremum vero pituitæ concederem, cũ plures sint partes, quæ ad sui nutritionem solidiori sanguine indigent, veluti ossa omnia, cartilagines, membranæ, & vasorum tunicæ; pauciores vero, quæ pituitoso sanguine aluntur, vt cerebrum, spinalis medulla, nerui, ligamenta, & tendones. Ceterum præter vtramque symmetriam, de qua hactenus diximus, necessaria itidem est quattuor humorum cõmixtio, & (vt Galenus ait) per se totos contemperatio. Fieri enim non potest, quin insitis sibi qualitatibus, & in se inuicem humores agant, & à se inuicem patiantur, seque inuicem propterea temperent, singulorum qualitatibus contrariarum actione castigatis: quo nomine humores cum C primis elementis conueniunt. In eo tamen differunt, quod prima elementa potestate maneant in mixtis, humores autem actu reperiantur in massa: alioqui enim in purgationibus immodicis non traheret medicamentum ex massa sinceram bilem, aut pituitam. Cuius sane discriminis ratio ex eo pendet, quod primorum elementorum mixtio non solum vera sit ac propria, sed etiam perfectissima, humorum autem mixtio vera quidem sit (cum sola non sit appositio, aut ad minimas partes diuisio) non tamen sit absoluta, ac perfecta. Si quidem hæc longiori tempore indiget, humores vero & quotidie in nobis gignuntur, & absumuntur quotidie in partium nutritionem, antequam ad perfectam mixtionem perueniant. Quare mirandum non est, si prima elementa, vbi commista sunt, suas formas amittant, solasque qualitates retineant, easque remissas; humores vero, vbi miscentur in massa, suas ad- D huc retineant formas vna cum qualitatibus temperatis. Errant igitur, qui hac sola ratione persuasi, humores massam constituentes vere ac proprie misceri temere negant, cum hoc commentario, & duobus sequentibus fateatur Galenus per se totos temperari.

Lib. 5. de vsu part. cap. 6.

HIPP. SENT. XX.

DOlet autem, cum horum aliquod minus, aut amplius euaserit, aut separatum in corpore sit, nec contemperatum omnibus.

GAL.

GAL. COMMENT.

A *Quemadmodum in sanitate exactam commoderationem in quantitate, & virtute, & temperamento per tota constituit, eodem modo in morbo contraria ponit: minus quidem aut maius, ad substantiæ quantitatem, & facultatem reducens: non autem contemperatum esse omnibus, ad intemperiē, aut inæqualitatem temperaturæ, aut quomodocunque aliquis nominare voluerit.*

Ex quattuor humoribus sanitatem nasci hactenus dixit, nunc vero ab eisdem hominem ægrotare docet. Quemadmodum autem symmetria in qualitate, & copia humorum, & eorundē mixtio, sanitatem efficiunt: ita & vicia his contraria morbos pariunt. Vicia in qualitate, & copia humorum simul complexus est, dū „ ait, Cum horum aliquod minus, aut amplius euaserit: vitium autem in mix- „ tione significauit, dicens, Aut separatum in corpore sit, nec contemperatū om- B nibus. Vicium in qualitate humorum est ipsorum intemperies, veluti si bilis seipsa calidior, aut pituita frigidior euaserit. Viciū autem in quātitate duplex est, in quantitate scilicet aucta, vel imminuta. Rursus in quantitate aucta duplex est vicium, aut enim omnes quattuor humores augentur, aut vnus vel alter. Omniū humorum redundātia Græcis dicitur πληθώρα, Latinis plenitudo, aut multitudo; quæ in vniuersum est duplex, simpliciter, & secundum quid. Ac simpliciter quidem plethora appellatur, quādo humores quattuor ex æquo augentur, seruata inter se proportione: plethora vero secundū quid ea dicitur, in qua oēs humores ita augentur, vt ipsorū aliquis proportionē excedat. Quoniā vero plures humores proportionē possunt excedere, plures quoq; statuuntur differētiæ ple- C thoræ secundum quid. A plerisq; statuuntur tres, nēpe plethora biliosa, pituitosa, & melancholica: an vero addenda sit sanguinea, in cōtrouersia est positū. Sentiunt multi, nūquam in plethora sanguinē solū proportionē posse excedere, „ sed aucto sanguine & reliquos humores in debita proportionē simul augeri pu- „ tant. Quod visus etiam est sentire Galenus lib. de mult. sic scribens, Nam cum Cap. 10. „ humores omnes intra suā ex natura debitam mensuram creuerint, idem tunc significat sanguinis dominantis, ac humorum nomē: neq; enim quidquam differt affirmare, humores augeri, ac ipsum sanguinē. Quibus verbis videtur significare plenitudinem sanguinis eandē esse cū plenitudine simpliciter dicta, in qua humores quattuor seruata proportione ex æquo augentur. Sed nihil minus voluit eo loco, cum tantum innuat, idem significare plenitudinē sanguinis & quattuor D humorum: quia scilicet sanguis (vt postea dicemus) non solum quartum humorem significat, sed etiam vniuersam massam ex quattuor humoribus constitutā, quæ ex humore prædominanti nomen accepit. Immo & eodē lib. de multi. ma- „ nifesto concessit, excedere interdum sanguinem proportionem in plethora: sic „ enim habet, Et sane in plethoricis constitutionibus potest sanguis alios omnes Cap. 11. „ longo excedere interuallo; verum non ita aliorum humorum quispiam, id nāq; iam in cacochymiam transit. Nihil igitur prohibet, quo minus in plethora, non secus ac bilis, pituita, & melancholia, sanguis quoq; prorportionem excedat: ita vt quattuor sint species plethoræ secūdum quid, biliosa, pituitosa, melancholica, & sanguinea. Tandē plethora, siue sit simpliciter, siue secūdū quid, in duplici est differētia, ad vasa scilicet, & ad vires. Porro vnius humoris redūdantia, neq; plenitudo, neq; multitudo dici solet, nisi forte cū adiectione humoris redūdantis; veluti si bilis, aut pituitæ multitudinē dixeris. Hanc asserūt oēs dici

proprie cacochymiã, ego tamen distinctionẽ adhibendam esse censeo. Nã qui redũdat humor, vel adhuc miscetur sanguini, vel ipsi potius innatat. Si sanguini adhuc permistus fuerit, nondum cacochymia dicitur huiusmodi vicium, sed est potius vicium sanguinis qualitate peccantis: efficitur namque tunc temporis sanguis, aut biliosus, aut pituitosus, aut melancholicus, aut serosus, pro redundantis humoris natura. Quo fit, vt huic vicio corrigendo sanguinis missio conueniat, cũ tamen cacochymiæ debeatur potius purgatio. Quippe sanguinis missio, auctore Galeno, administratur, vt sanguis naturæ inutilis vacuetur, inutilis vero redditur sanguis, vel quantitate, vel qualitate. At vbi tãta fuerit peccantis humoris redundãtia, vt sanguini innatare cogatur, cacochymiam appellandã esse censeo. In qua quidẽ peccans humor, separatus dicitur ab Hippocrate, nec contẽperatus omnibus, nõ quod extra vasa effluxerit, sed quod intra vasa contentus, ceteris humoribus minime misceatur. Vnde patet, cacochymiam viciũ esse potius in humorum mixtione, quam in sola quãtitate adaucta. Cacochymiæ vero quattuor differẽtias Galenus enumerat, pituitosam, biliosam, melancholicã, & serosam: quamuis enim serum humor non sit, sed potius humorum excrementum, merito tamen innatantis seri redundantia, cacochymia dicitur, quia cũ sit sanguinis vehiculum, ipsi secundum naturam permisceri vtcũq; solet. Postulat tamen is locus, vt illud breuiter explicemus, an vt reliquorũ humorũ singuli augeri possunt ceteris iustum modum seruantibus, ita & sanguis quartus humor solus augeri posit: ac rursus si possit, an solius sanguinis redundantia cacochymia dicenda sit, an potius plethora. Sentiũt pleriq; cũ Fulchsio, sanguinem solum augeri non posse, sed eo adaucto simul augeri alios humores, saltem eos qui sunt excrementa sanguinis, qualis est vtraque bilis. Quippe cũ hæc, (vt alibi dicemus) ex sanguine gignatur, flaua quidem ex eo quod in sanguine tenuissimum est, atra vero ex eo quod est crassissimum, & veluti fæculentũ: fieri non posse aiunt, quin si copiosior gignatur sanguis, gignantur quoq; copiosiora eiusdem sanguinis excrementa. Magis tamen probo aliorum sententiam, qui solius sanguinis redundantiam verissime cõcedunt. Si quis enim optima victus ratione seruata, optimi succi cibis frequenter vescatur, quid, quæso, impediet, quo minus reliquis humoribus iustum modum seruantibus solus sanguis augeatur? Hanc autem solius sanguinis redundantiam, plethoram appellandam esse, non cacochymiam, satis aperte indicauit Galenus, docens plethoram fieri, vel quattuor humoribus ex æquo auctis, vel etiã solo sanguine. Quo loco sanguinis nomen quattuor humores significare non potest, vt quidã somniarũt: alioqui enim sensus redderetur prorsus ridiculus, vt recte obseruauit Vallesius Fulchsiũ reprehendens. Neque itidem locus explicari debet de plethora secundum quid, in qua solus sanguis proportionẽ excedit, vt interpretabatur doctissimus Colladus, nam cum plures sint species plethoræ secundum quid, quorsum solius sanguinis meminisset? Agit itaque eo loco Galenus de sola plethora simpliciter dicta, quam duplicem esse verissime docet, alterã, quæ fit ex æquo auctis quattuor humoribus, alterã vero, quæ fit solo aucto sanguine quarto humore. Ex quibus recte colligemus, omnium humorũ redundantia, plethoram esse, non tamen omnem plethoram esse redundantiã omnium humorum, cum solius sanguinis redundantia plethora etiam sit simpliciter dicta, non secus ac ea quæ fit quattuor humoribus auctis ex æquo. Sed de humorum viciis plura fortasse diximus, quam præsens locus postulabat. Illud tamẽ obseruare oportet ex Galeni commentario, quod tria illa humorum vicia, in qualitate, quãtitate, & mixtione,

Lib. 9. meth. cap. 11.

Lib. 2. de cõp. medi. sec. loc. cap. 1.

Lib. 7. contro. cap. 1.

A tione, si exigua sint, culpatam sanitatem efficiant, si vero ita sint magna, vt actio aliqua manifesto lædatur, morbos pariant. Solet autem vicium in mixtione (quod cacochymiam vocari diximus) morbos frequentissime gignere, vt tribus sequentibus sententiis docebit Hippocrates.

HIPP. SENT. XXI.

NEcesse enim, cum aliquid horum recesserit, & per se constiterit, non solum locum, ex quo recesserit, morbidum euadere, sed eum etiam vbi constiterit, & influxerit, nimis quam replens, dolorem, laboremque exhibere.

GAL. COMMENT.

B *Cum quattuor humorum aliquis per se in aliqua particula constiterit ab aliis separatus, neq; totus per tota ipsis contemperatus, animal dolet, dū vtraq; particula intemperiem experiatur, tum vnde discessit, tum in quam transiit. Potissimumque hoc accidit in humoribus qui validas facultates obtinent, hi enim non solum quantitate particulam in quam decubuerunt, aggrauātes, sed etiam qualitate dolorem excitant, dum vehementer calfaciunt, aut refrigerant.*

Redundans humor, qui male permistus sanguini innatat, siue intra vasa contineatur, siue extra effluat, varia morborum genera creare consueuit. Hippocrates tamen tantum agit de humore, qui extra vasa profusus, aut in aliquam corporis partem decūbit, aut extra corpus euacuatur. Hîc vero agit de humore decumbente dum ait, Cum aliquid horum recesserit, & per se constiterit, duC plicem dolorem fieri. Perinde enim est ac si dixisset, cum humor aliquis ab aliis secretus, in aliquam partem decubuerit, duplicem fieri dolorem necesse est; alterum in parte ex qua fluit humor, alterum vero in parte in quam influit. Dolet quidem pars ex qua humor fluit, quia vel ob nimiam copiam, vel prauā qualitatem, vel vtrumque, ad noxii humoris excretionem necessario irritatur. Dolet multo magis pars quæ fluxionem suscipit, tum quia vehemēter calfit, aut refrigeratur, cū potissimum quia ob tumorē præter naturam inibi obortū (veluti phlegmonē) violentam patitur tensionem: quam significauit Hippocrates verbis illis, Nimis quam replens. Sed & fluxionis generationem vtcūque indicauit, cum hinc colligatur, fluxionem fieri partibus quibusdam noxios humores transmittentibus, aliis vero suscipientibus. Transmittunt quidem partes robustæ, suscipiunt autem partes imbecillæ: quamuis & fluxio interdum cōcitetur trahentibus partibus ob calorem aut dolorem, vt alibi dicemus.

HIPP. SENT. XXII.

ETenim cum aliquid horum extra corpus effluxerit amplius innatante, euacuatio dolorem exhibet.

GAL. COMMENT.

Ἐπιπολάζοντος, id est innatante, dictum nunc esse loco πλεονάζοντος, id est abundante, intelliges: aut si non hoc quis velit intelligere, pro nō temperatum omnibus aliis, per summa innatans, positū esse putabimus: vtrūq; enim est probabile.

Non quæcunque peccantis humoris euacuatio dolorem excitat, nam quæ moderata est tantum abest vt sit noxia, quin potius sit plerumque vtilissima, & à grauissimis morbis sæpe hominem liberet. Sola igitur euacuatio immodica noxia censeri debet, vt innuit nūc Hippocrates verbis illis, Amplius innatante: quibus significat dolorem fieri, quando euacuatio ita fuerit immodica, vt excernatur humor copiosior innatante, Græce ἐπιπολάζοντος. Quam dictionem bifariam interpretatur Galenus, aut enim significat humorem redundantem, aut non cotemperatum aliis; is namque solet sanguini innatare. Porro immodica euacuatio humoris innatantis dolorem parit, quia simul cū humore peccante irritata natura excernitur, qui ad constituendam massam est necessarius. Huc accedit, quod per immodicas omnes euacuationes plurimi dissipētur spiritus, & vires labefactentur: quo nomine ipsas damnauit Hippocrates in aphorismis: in vniuersum quidem, dum ait, Semel, multum, & repente, vel vacuare, vel replere, periculosum: priuatim vero in empyis & hydropicis, cum inquit, Quicunque empyi aut hydropici vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnino moriuntur. Dolet autem in euacuationibus noxiorum excrementorum, non solū pars ea ex qua excernitur humor, sed etiam ea per quam transit: Nam & à puris sputo phthisis fieri solet eroso pulmone à puris acrimonia, & eroso intestino dysenteria à sincera deiectione.

Aphor. 51. Lib. 2. Aphor. 27. Lib. 6.

A B

HIPP. SENT. XXIII.

SI rursus intro euacuetur, transferatur, excernaturque ab aliis, necesse omnino est, vt duplicē, sicut prædictum est, dolorem concitet, & vnde excessit, & vbi exuperat.

C

GAL. COMMENT.

Hoc superius esse comprehensum etiam ipse innuit, cum dicit, Sicut prædictum est: nam dictione, non potestate, à nūc dicta oratione differt, quam paullo ante adduxit, vbi in hunc modum inquit. Necesse enim est, cum aliquod horum recesserit, & per se constiterit, non solum locum ex quo recessit, morbidum euadere, sed eum etiam, vbi constiterit & influxerit, nimis quam replens, dolorem, laboremque exhibere. Cum autem ait, Quæ vero hominem esse dixero, ea semper secundum legem, & secundum naturam inesse monstrabo, Secundum legem quidem dixit, volens innuere hominum opinionem, quam de ipsis habent: secundum naturam vero, ipsarum rerum veritatem. Attendamus igitur iam verbis ipsius subsequentibus, vt cognoscamus, an quod initio operis pollicitus est, nunc præstet.

D

Putat Galenus hanc sententiam eandem esse cum vigesima prima, meo tamen iudicio eadem non est: neque enim verisimile est, breuiloquum Hippocratem intra pauculos versus idem omnino repetiisse. Est itaque sententia vigesima prima magis generalis in qua in vniuersum agebat Hippocrates de fluxione innatantis humoris ad quālibet corporis partem. At hæc magis

est par-

A est particularis, cum tantum hîc agat de humoris decubitu ad partes internas, & eiusdem translatione ex vna parte in aliam. Decubitum quidem ad partes internas significauit dicens, Si rursus intro euacuetur: translationem vero, cum ait, Transferatur, excernaturque ab aliis: sic namque angina translato humore mutatur interdum in peripneumoniam. Siue ergo in partem aliquam internam decumbat, siue transferatur noxius humor, duplicem, sicut prædictum est, dolorem fieri est necesse; dolet enim pars ex qua influit humor, dolet itidē & pars in quam decumbit, vel transfertur. Cetera quæ leguntur in Galeni commentario, ab illis verbis, Cum autem ait, Quæcunque vero hominem esse, dixero, &c. perspicuum est ad huius sententiæ explanationem nequaquam pertinere. Quare non citra rationem suspicati sunt aliqui, aliquā Hippocratis sententiam hic desiderari, cuius commentarius esset totus iste locus. Videtur autem colligi ex Galeni commentario, hanc fuisse Hippocratis sententiam. Quæcunque vero hominem esse dixero, ea semper secundum legem, & secundum naturam inesse monstrabo. Atqui ego non video, quorsum Hippocrates breuitatis studiosissimus, quæ antea dixerat sententia octaua, nunc iterum inculcasset. Potius itaque crediderim, Galenum hoc loco lectorem præparare ad sequentis sententiæ lectionem, in qua præstabit Hippocrates, quod se præstiturum pollicitus fuerat sententia octaua. Cuius rei occasione repetit Galenus verba illa Hippocratis ea sententia conscripta, Quæcunque vero hominem esse dixero, ea semper secundum legem, & secundum naturam inesse monstrabo.

B (margin letter beside "hic desiderari"; marks „ beside "que vero hominem" and "turam inesse")

HIPP. SENT. XXIIII.

C DIco autem esse sanguinem, pituitam, bilem flauam, & nigram: & horum primum secundum legem nomina distingui pronuntio, & nulli ipsorū idem nomen esse: deinde secūdum naturam species separari: & neq; pituitā vllā similē esse sanguini, nec sanguinem bili, neque bilem pituitæ. Quomodo enim similia hæc essent inuicem, quæ nec colore ad visum, nec manui ad tactum similia esse videntur? Neque enim calida similiter sunt, neque frigida; neq; sicca, neque humida.

GAL. GOMMENT.

D *Tota ipsius oratio manifesta est, & quod instituerat ostendit. Nam proposita hac serie quattuor esse humores in corpore inuicem differentes docuit: in subsequenti vero, quod etiam secundum naturam hi omnes existant, non vnicus ex ipsis. Sed in hac præsenti oratione humores ait, & colore, & consistentia, & caliditate, & frigiditate, inuicem differre: id quod etiam manifesto apparet. Perturbat autem fortasse quosdam, quod humor ab humore siccitate discrepet, cum omnes humores sint liquidi & humidi. Negent igitur hi, quod neq; humiditate ipsi differant, siquidem alterū altero humidiorem esse concedunt: quod in omnibus pariter humoribus apparet. Etenim flaua bilis vehementer humescit*

 sæpe:

sæpe: cum color ipsius non flauus, sed pallidus efficitur: sæpe vero vitelli modo crassescit, eoque à nonnullis nominatur λεκυθώδης, id est vitellina. Atra bilis perpetuo crassior est pallida, & flaua, non parua minoris maiorisque ratione, quemadmodum & sanguis: nā hic interim humidus adeo vt fluat, interim crassus admodū apparet. Pituitam autem cōmemoratis humoribus proportione respōdere videas, variat enim crassitie & tenuitate, dū nunc est aquea, nūc crassa, vt pus repræsentet. Accidit hoc humoribus, qui non vere sunt elementa, quēadmodum aqua, terra, aër, & ignis sunt: singuli enim, ex quattuor his generati sunt, ita vt in alio aliud ipsorum præpolleat, quemadmodum subinde didicistis. A

Sententia octaua ad hunc modum scripserat Hippocrates, Ego siquidem, quæcunque hominem esse dixero, & secundum legem & secundum naturam in eo semper inesse, similiter & in iuuene & in sene, & frigido anni tempore & calido, demonstrabo. Quæ igitur ibi pollicitus fuerat, nunc præstat, docens, hominem esse sanguinē, pituitam, & bilem flauam, & nigram; atq; hæc secundum legem (id est secundum hominum opinionem) & secundum naturam (id est secundum rei veritatem) à se inuicem distincta, in homine semper inueniri. Quod secundum legem differant, probat ex propriis nominibus, quæ singulis humoribus tributa sunt; quæ nominum varietas diuersas humorum naturas videtur exprimere. Quod autem differant secundum naturam, probat nunc ex iis quæ percipiuntur sensibus, nempe ex colore, viribus, & consistentia, ex quibus sensibilis humorum natura perficitur: idem postea demonstraturus ratione. Colore in primis differunt, quoniam sanguis est ruber, pituita alba, humor melancholicus niger, bilis plerumque flaua, interdum pallida, vel rufa. Et vt ex colore Hippocrates, ita & nos ex sapore humores distinguere possumus, cū sanguis dulcis sit, pituita insipida, bilis amara, melancholicus humor austerus. Consistētia quoq; differūt, nam sanguis mediocris est, bilis tenuissima, humor melācholicus crassissimus, pituita vero plerumque quidem crassa, interdum autem tenuis, & veluti aquea. Differunt tandem qualitate, siue viribus, nam sanguis est temperatus, pituita frigida & humida, bilis calida & sicca, humor vero melancholicus frigidus & siccus. Galenus in commentario quosdam reprehendit, qui humores à se inuicem humiditate & siccitate distingui posse negarunt, quod omnes humores humidi sint, cum liquidi sint ac fluxiles. Respondet tamē, omnes quidem humores actu esse humidos, potestate vero aliquos esse siccos, vt vtrāq; bilem. De hac tamen humorum potestate alibi agendū est ex instituto. B C D

HIPP. SENT. XXV.

QVare necessum est, quoniam tantum inter se differunt specie & facultate, non vnum ipsa esse: siquidem non aqua & ignis vnum sunt.

GAL. COMMENT.

Quamuis absurda eorum sit opinio, qui hominē vnum esse arbitrantur, Hippocrates tamen studiose ei contradicere videtur, forte quod aliqui illius tempore fuerint insignes viri, qui hanc opinionem celebrarent. Cum enim plurima veterum

A *terum opera non amplius superſint, multo veriſimilius eſt, opiniones ipſorum nullis mandatas litteris intercidiſſe: præſertim quoniam nonnulli ne vllum quidem opus conſcripſerunt, quemadmodum Socrates, Pythagoras, & ex claris noſtra tempeſtate medicis Quintus. Præterea magis licet credere, multos viros illuſtres, dum viuerent, exſtitiſſe, ipſis autem fato defunctis, de dogmatibus opiniones interiiſſe: cum & Plato tot conſcripſit opera, diſcipuli tamen quædam ipſius placita non memoriæ prodita eſſe dicant, præter ea quæ ſcripta videmus. Quemadmodum vero diſcipulis dogmata non prodita eſſe dicentibus fidem accommodamus, ita etiam Hippocrati exſtitiſſe nonnullos credimus, qui terram ſolam commune omnium elementum eſſe dicerent; in homine autem bilem, aut*

B *pituitam. Etenim nunc etiam quoſdam noui, qui alia ſcripſerunt, quorum opera partim cum ipſis perierunt, partim peribunt: ſicut eius qui terram omnium eſſe matrem, nutricem, principium, & elementum, affirmat: ipſam namque etiam cælum generaſſe, & animantia quæ in ea habentur, vti Heſiodus tuetur. Iam vero ex Archigenis ſectatoribus aliquis vir non omnino peſſimus crediderat, neque inſpiratione aërem in corpus ingredi, neque in exſpiratione foras egredi. Item alius quidam, primum & elementarem humorem pituitam eſſe volebat. Ne igitur inquiramus nomina illorum, qui abſurdas has opiniones primũ ediderint, etſi enim quod Thales aquam ſolam eſſe elementum pronuntiauit, ex ipſius libris oſtendere nequeamus, attamen hoc quoque omnibus perſuaſum eſt.*

C

Cum ſanguis, pituita, & vtraque bilis, colore, conſiſtentia, & qualitatibus, plurimum inter ſe differant; recte nunc concludit, ea non eſſe vnum. Quemadmodum enim ex qualitatibus contrariis certo cognoſcimus, ignem & aquam vnum non eſſe: ita & diuerſam humorum naturam ex iis quæ prædicta ſunt, neceſſario colligimus. Quæ à Galeno ſcribuntur in commentario, quod ad ſententiæ explanationem parum, aut nihil faciant, conſulto prætermittimus: præſertim cum explicata iam ſint commentario primo.

HIPP. SENT. XXVI.

D COgnoſces autem quod non vnum omnia hæc ſint, ſed ſingula vim habeant & naturam propriam, hac ratione. Si enim alicui homini dederis medicamentum quod pituitam educit, euomet tibi pituitam. Et ſi exhibeas medicamentum quod bilem purgat, euomet tibi bilem. Pari modo & atrã bilem purgat medicamentum, ſi dederis quod atram bilem elicit. Ac ſi vulneraueris rurſus corporis particulam aliquam, vt vlcus fiat, profluet inde ſanguis. Atqui hæc omnia fient quouis die & nocte, hyeme & æſtate; vique dum poſsit ſpiritum ad ſe attrahere, & rurſus emittere: donec aliquo horum connatorum deſtituatur. Connata autem ſunt hæc

F 5 prædicta.

prædicta. Quomodo enim non cõnata sint? Primũ siquidem homo hæc omnia semper, quoad vita fruitur, in se manifesto cõtinet: deinde procreatus est ex homine omnia hæc possidente: post nutritus in homine omnia hæc obtinente. Quæ ego & dico, & demonstro. A

GAL. COMMENT.

Superiore oratione indicauit manifesto simul & vere, hominem omnia in se continere, bilem vtramque, pituitam, & sanguinem: in præsenti vero non hoc solum ostendit, sed etiam quod secundum naturam sint, non, vt quidam aiunt, vnum ex ipsis. Aliæ igitur opiniones eorum qui vnicum humorem in corpore secundum naturam esse referunt, facile possunt conuinci: at illorum, qui sanguinẽ affirmant, non contemnenda est, sed magnum aliquod certamen, quo subuertatur, requirit. Hoc autem aggredi iam tempus est, initio, ab eo quod prius vir dixit, desumpto. Dicit autem hunc in modum, Ceterum mea quidem sentẽtia, qui hominem sanguinem dumtaxat, & nullam rem aliam esse censet, is merito nec speciem ipsum mutare, nec omnimodo varium fieri, demonstrare deberet: aut saltem tempus anni aliquod, aut vllam hominis ætatem ostendere, qua sanguis vnicum existens [elementum] solus inesse homini videretur. Verisimile namque, tempus saltem vnum aliquod esse, quo id vnum per se [corporis elementum] appareat. Si ergo huic sermoni adieceris id quod in sententia modo nobis proposita demonstratur, integrum Hippocratis dogma efficies. Nam ostenditur inibi, neque anni tempus aliquod huiusmodi esse, neque ætatem, in qua hominem commonstret aliquis, aliorum humorum non esse participem. Immo etiam per purgationes liquet, si namque dederis alicui medicamentum, vel bilem ducens, vel pituitam, id vacuari videbis quod ab eo trahi natum est: vt pote cum quouis tempore omnes in corpore contineantur humores. Huic autem orationi quidam renituntur, qui non fatentur, purgans medicamentum familiarem ex corpore humorem attrahere, sed in speciem, in quam natum est, mutare. Verum quod falsa ipsorum oratio existat, commentario vno de viribus medicamentorum purgantiũ inscripto, a nobis ostensum est: dicetur autem etiam nũc vnum quidpiam eorum, quæ illic comprehensa sunt, caussa exempli. Vidistis enim in ipsis artis operibus, non raro conuinci eos, qui id quod euacuatur, a medicamentis purgantibus trahi non admittunt. Vtpote cum aqua intercutem, ascite dicta, laborantes medicamentum aquam ducens assumpserint, nõ exigua aqueæ humiditatis copia euacuatur, & tumor ventris submittitur. Quod si flauæ bilis, aut nigræ eliciens medicamentum ipsis propines, paucissimum euacuabis humorem, & tumor ventris, non modo nihilo minor, sed etiam maior euadet. Contrarium accidere in arquaticis

(Margin letters: B, C, D; quotation marks „ beside lines "qui hominem ... homini videretur. Verisimile namque,")

A *ticis ex iecinoris obstructione conspexistis, nã viscere prius ipsis adaperto medicamentis in id efficacibus, cum bilem ducens exhibitũ fuerit, & copiosa redundantis humoris vacuatio accidit, & affectus statim cessat. His simile nouistis etiam in his fieri, qui pituita, aut atra bile infestantur: etenim multus, qui affligit, humor euacuatur, & ægroti magnum experiuntur auxilium. Si igitur talia purgantium vi trahuntur, & medicamenta in quauis ætate, & anni tempore purgant, perpetuo quattuor in corpore humano existunt. Oportebat enim sicut prædictum est, saltem vnum aliquod anni tempus, aut hominis ætatem, quæ solum sanguinem haberet, apparere, si opinio eorum qui solum sanguinem naturam hominis esse prodiderunt, vera statuatur: quod idem est, ac si omnes ipsius particulæ ex solo sanguine conformentur, nutrianturque semper solo sanguine.* B *Porro cum bifariam sanguis dicatur, alter, qui in venæ sectione, & vulneribus vacuari videtur, vtriusque bilis, & pituitæ (vt ostendi) particeps: alter autem purus, sincerus, & non cum aliis humoribus mistus: ex eo sanguine secundũ prius significatum conceptum efformari, verum forsitan est, ex eo autem qui secundo, falsum: nunquam enim solus hic in iis quæ vterum gerunt, gignitur. Cur autem adiecerim sermoni, forsitan, vos non latere arbitror: nam in commentariis de semine plurimas corporis particulas ex semine generari docuimus, solas autem carnosas ex sanguine conformari. Sed quia exigua seminis moles est, quæ in* C *vuluas coniicitur, nutrimentum vero ipsi & incrementum ex sanguine obuenit: ideo quis particulas propemodum ex sanguine conformari dixerit. Quatenus autem semen generationem ex sanguine obtinet, eatenus concepti generationem ex sanguine esse si quis dixerit, vera fateri videbitur: sed non ex sincero sanguine, aliorum humorum experte, sed ex eo qui per excellentiam nominatus est. Huiusmodi sane totus propositæ orationis sensus est, particularium vero in ea hic erit. Primum si significare conuenit communem, non solum medicorum consuetudinem, sed omnium quoque Græcorum, qui bilem sine adiectiuo nominant, cum pallidam, aut flauam signare voluerint. Ceterum* D *quod hæc vtraque nomina de vna humoris specie dicuntur differentis humiditate & siccitate, paullo ante a me expositum est. Reliquas omnes biles cum appẽdice nominant, æruginosam dicentes, aut nigram, aut rubram, aut porraceam.*
" *Secundum ab hoc in serie proposita indicare oportet, vbi inquit, Quousque spiri-*
" *tum in se possit attrahere, & rursus emittere. Constat enim, inspirationem velle ipsum fieri instrumentis inspiratoriis externum aërem attrahentibus, exspirationem vero emittentibus. Deinde tertium, vbi ait, Donec aliquo connatorum*
" *destitutum fuerit: vult enim, non solum cum sanguine animal priuatum fuerit, interire, sed etiam cum aut pituita, aut flaua, aut nigra bile.*

Demon-

Demonstrat firmissima ratione, quattuor humores secundum naturã distinctos, in homine semper contineri: & sanguinem, qui in nobis est, simplicem non esse, sed ex quattuor humoribus constitutum: & tandem cõcludit, quattuor humores esse propriam hominis naturam: quod præcipuum erat Hippocratis institutum. Sicque non solum præstat quod pollicitus fuerat sententia octaua, verum etiam perficit (vt fatetur Galenus) rationem, quam sententia septima proposuerat aduersus medicos, qui hominem dixerunt solum esse sanguinẽ. Quæ sane opinio celeberrima olim exstitit, neque facile conuinci potest, cum ex clarissimis philosophis non pauci, vt Diogenes, Critias, & Empedocles, sanguinem animam esse crediderint: vnde & Virgilius animam dixit purpuream, & dextra effundi asseruit. Hanc itaque opinionem refutauerat sententia septima hac ratione, Si solus sanguis esset hominis natura, necessarium esset, vt aliquo saltẽ anni tempore, vel aliqua ætate, solus sanguis in homine appareret; at nullum est tempus, nulla ætas, in qua solus sanguis in homine appareat: ergo solus sanguis non est hominis natura. Huius rationis assumptionem probat in pręsentia Hippocrates, ostẽdens, quocumq; anni tempore, & quacumq; ætate, quattuor humores in homine contineri. Id autẽ probat ex medicamentis, quæ proprie purgantia appellantur, quæ similitudine totius substantiæ humores sibi familiares attrahunt, quemadmodum magnes ferrum. Quædam enim sunt medicamenta purgantia bilem, vt aloë; alia pituitam, vt cnicus: alia bilem atram, vt elleborus niger. An vero sit aliquod medicamẽtum, quod similitudine substantiæ sanguinem sincerum purget, dubitatum est à plerisque. Refert tamen Galenus lib. de fac. med. purgant. (si tamen Galeni sit) olim inuentam fuisse herbam huiusmodi vi præditam, quæ ad hæc vsque tempora incognita est, à morte scilicet eius qui primus eam inuenerat: cuius sane historiam scitu dignam in hũc locum transferre non pigebit. In Thracibus, inquit, Bithyniam incolentibus, me adhuc puero, inuenit homo quidam herbam, quam si quis assumpsisset, sanguinem primo, tum vitam emittebat. Multis itaq; hoc pacto morientibus, cum facinus hoc diligenti inquisitione dignum arbitrarentur, herbarium cõprehendunt, & ad gẽtis magistratũ ducunt. Is cum non solũ hominẽ enecare studeret, sed si quis alius herbã aut didicisset, aut docuisset, à nullo se ipsã didicisse veneficus aperuit. Verum in suburbanum cum aliquando suillum iecur deferret, vrgente ventre, super herba quadam iecur deposuisse, quod aliquanto post cum sustulisset, vidisse, ex vniuerso iecinore sanguineos riuulos ad herbam cõfluere. Ex hoc coniectura facta corpori sanguinem ea detrahi posse, periculo mox in obuio quodam facto, vt verũ comperit quod fore sperarat, ad malos vsus herbam postea transtulisse: se tamen alicui alii eam monstrasse negauit. Hæc herbarius ille diu inter quæstiones habitus retulit: populi vero magistratus, cum plurimam illis in locis nasci hanc herbam, ex dictis cognouisset, vinctis oculis ad supplicium ipsum duci iussit, ne cui inter eundum herbam indicaret. Quod itaq; experientia comprobatum est, tãquam certum statuens Hippocrates citra probationem aliquam pronuntiauit, à medicamentis purgantibus familiares humores educi, credens nimirum, neminem vnquam iis quæ manifesta sunt impudenter contradicturum. At post Hippocratem huiusmodi vim purgantibus medicamẽtis negauit omnino Asclepiades, ne facultatem attractricem concedere cogeretur. Eam vero, quam purgantibus medicamentis assumptis experimur fieri euacuationem, accidere dicebat, non quod humores à medicamentis trahantur, sed quod ab iisdem potius gignantur. Absurdam hanc Asclepiadis

Lib. 2. de Hip. & Plat. decret. cap. vet.
Lib. 9. æneid.
Cap. 4.

A dis opinionem cogitur nunc Galenus obiter refutare, ne infirma, aut inconstãs videatur Hippocratis demonstratio: quamuis alibi id præstiterit accuratius. Si ergo medicamenta purgantia non attrahunt humores, sed ipsos potius (vt dicebat Asclepiades) gignunt, parum profecto referret, hoc, vel illud medicamentum purgans quocumque morbo laboranti exhibere: quod tamen falsum esse in artis operibus experimur. Nam si ascite laboranti dederis medicamentum purgans aquam, copiosa sequetur vacuatio, & ventris tumor aqua excreta submittetur. Eidem vero si dederis medicamentum purgans bilem flauam, aut nigram, & paucissima sequetur euacuatio, & ventris tumor maior euadet. Sed cur ventrem magis intumescere dixit? nonne satis erat dixisse, tumorem ventris non fieri minorem? An id dixisse satis non erat, cum euacuata medicamenti vi bile calidissima, aqua vero, atque pituita in corpore relicta, magis refrigeretur iecur, auctoque propterea affectu, ventris tumor maior euadat? Lib. 2. de elemen. cap. 3. & lib. 1. de fac. nat. cap. 13. & lib. de fac. medic. purg. c. 2.

B Contrarium prorsus accidit ictericis, iisq; potissimum qui ex iecinoris obstructione tales euaserunt. His namque si viscere prius aperientium medicamentorum vsu ab obstructionibus liberato, medicamentum bilem purgans propinaueris, & copiosa euacuatio succedet, & affectus prompte cessabit: quod tamen non fiet exhibito medicamento purgante aquam. Refutato ad hunc modum Asclepiade, & eo constituto quod purgantia medicamenta substantiæ similitudine attrahant humores, expẽdamus iam Hippocratis rationem ex purgantibus medicamentis desumptam, qua optime demonstrat, quattuor humores natura distinctos semper in homine contineri. Quocumque, inquit, tempore, & quacumque ætate homini dederis medicamentum purgans pituitam, euomet pituitam: & quocumque tempore, ac ætate, dederis medicamentũ pur-

C gans alterutram bilem, hanc proculdubio educet: & quocumque tempore, & ætate, partem aliquam vulneraueris, profluet inde sanguis: ergo quattuor humores natura & specie distincti, in homine reperiuntur perpetuo, non solus sanguis. Ad tollendam vero omnem ambiguitatem, docet Galenus, sanguinis nomen bifariam vsurpari, aut enim significat sanguinem vtriusque bilis & pituitæ participem, (quem vulgo massam sanguinariam vocant, & quem secta vena, aut parte quapiam vulnerata effluere conspicimus) aut significat sanguinẽ purum ac sincerum, ab aliis humoribus distinctum, quem proinde quartum humorem appellant. In secunda igitur significatione falsum est, sanguinem esse hominis naturam, neque enim ex solo sanguine quarto humore corporis partes fiunt. At in priori significatione forsitan, inquit, est verum, quia scilicet omnes partes ex massa sanguinaria generationem obtinent. Adiecit forsan, vt ipsemet

D interpretatur, propter partes vere solidas, ac spermaticas, quæ ex semine potius quam sanguine gigni videntur. Nihilominus tamen quoniam ex sanguine fit semen, non tantum partes carnosæ, sed etiam spermaticæ, vere dicemur ex sanguine fieri. Adde, quod (vt alibi ostendemus) tam partes spermaticæ quam carnosæ, ex semine simul & sanguine generationem sortiuntur. Hæc quidem ad rationem Hippocraticam pertinent; Galenus tamen tria priuatim explicat, quæ in hac sententia obseruatione sunt digna. Primum illud est, quod nomine bilis simpliciter & sine adiectione, iuxta communem omnium hominum consuetudinem, bilem naturalem intelligere oporteat, quæ pallida est, rufa, aut flaua: reliqua enim genera bilis præter naturam cum adiectione vocant, æruginosam bilem dicentes, porraceam, rubram, aut nigram: quæ itidem bilis genera præter naturam cõmentario quarto similiter recensuit. Secundo explicat

verba

verba illa Vſque dum poſsit ſpiritum ad ſe attrahere, & rurſus emittere : quæ A ſane idẽ valent, ac ſi dixiſſet, dum poſsit reſpirare. Cumq; reſpiratio ex inſpiratione & exſpiratione ſit compoſita, vtriuſque meminit Hippocrates; inſpirationis quidem, cum ait, Vſque dum poſsit ſpiritum (id eſt aërem) ad ſe attrahere: exſpirationis vero, cum inquit, Et rurſus emittere. Ac videtur Hippocrates hoc loco reſpirationem à vita non ſeparaſſe; quæ etiam fuit ſententia Galeni lib. 6. de loc. affect. Quippe, inquit, in confeſſo eſt, & ſpirationem à vita, & vitam à ſpiratione ſeparari non poſſe, adeo vt viuens omne ſpiret, & ſpirãs omnino viuat. Quod intelligendum de animalibus eſt, ac ſanguineis potiſsimum, vtpote calidioribus; nam quæ exanguia ſunt, nihil reſpirationis ſeruare videntur, dum mortuis ſimilia per hyemem in latibulis degunt. Quamuis in hyſtericis mulieribus dubium ſit, & maxime controuerſum, ſeruetur reſpiratio, necne: &, vt Galenus ait, vtrumque probabiliter affirmari poſsit. Quippe cum ob vteri affectum vniuerſum corpus his maxime refrigeretur, minimus ille, qui remanet calor, ſola tranſpiratione conſeruari poteſt, abolita etiam reſpiratione, vt in exãguibus. Sed non minus probabiliter (immo fortaſſe magis) dicere poſſumus, ſeruari quidem reſpirationem in hyſtericis, ita tamen exiguam, vt ſenſum prorſus effugiat. Poſtremo illud explicat, Donec aliquo horum connatorum deſtituatur : quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, Donec aliquo ex quattuor humoribus deſtituatur, connata enim vocat quattuor humores. Vnde colligit velle Hippocratem non tantum hominem mori deficiente ſanguine, ſed etiam quocunq; alio humore deficiente: neque enim dum vixerit homo, aliquo humore deſtitui poteſt, vt poſtea docebit. Cur vero quattuor humores vocarit connata, hãc rationem ipſemet reddit, quia quoad vita fruitur homo, quattuor humores in ſe continet: & procreatus eſt ex homine eoſdem poſsidente: & tandem nutritus eſt in homine eoſdem quoque obtinente. Neque vero hîc ſolum rationem reddit, cur quattuor humores vocarit connata, ſed ſimul quoq; demonſtrat, quattuor humores eſſe propriam hominis naturam, aut propria elemẽta. Ea namq; ſunt propria elementa hominis, ex quibus homo generatur, augetur, & per totum vitæ ſpatium nutritur: atqui ex ſanguine, pituita, & vtraque bile generatur homo, augetur, & nutritur: ergo ſanguis, pituita, & vtraque bilis, ſunt propria hominis elementa.

Cap. 5. (margin)

HIPP. SENT. XXVII.

QVi hominẽ vnum eſſe dicunt, videntur mihi ita ſentire, * quod ex iis qui aſſumptis medicamentis, in nimiis purgationibus perierint, alios bilem vomere, alios pituitam conſpicati, putauit vnuſquiſque ipſorum id eſſe hominem, quod eum qui purgaretur, morientem reiicere videret. Item qui ſanguinem eſſe hominẽ ſtatuerunt, eiuſdem ſunt ſentẽtiæ, * nam conſpicientes in hominibus qui iugulantur, ſanguinem ex corpore effluere, hunc animam eſſe hominis cenſent. Ac teſtimoniis his vtuntur omnes inter diſputandum.

* ταύτῃ τῇ γνώμῃ χρῶνται.

* τῇ αὐτῇ γνώμῃ χρέονται.

GAL. COMMENT.

Qui dicunt, inquit, hominem vnum eſſe, tamquam multi ſint id dicentes, non vnus.

A *vnus. Ex quibus igitur persuasionem hanc sibi induerunt, qui ex quattuor humoribus vnum aliquem homini generando sufficere arbitrantur, Hippocrate ipse indicauit; quæ nobis quidem improbabilia, vt dixi, illis autem probabilia nimirum apparent. Nam in purgationibus immoderatis cum viderent alius alium alio atq; alio humore extreme euacuato interire, illum solum humorem hominis naturam esse censuerunt.*

Arrepta occasione ex iis quæ superiori sententia de purgantibus medicamẽtis dixerat, reprehendit nunc veteres quosdã medicos, qui non ex transmutatione humorum in se inuicem (vt illi de quibus per initia dictũ est) sed ex purgationibus immodicis colligebant, vnicum humorem esse hominis naturam.
B Qui igitur bilem dicebant esse naturam hominis, id ex eo colligebant, quod ex hibito medicamento purgante bilem, si immodica purgatio sequatur, hominem mori vacuata tota bile experiamur. Eadem argumentandi ratione vtebantur, qui pituitam, aut nigram bilem putarunt esse hominis naturam. Ac tandem qui sanguinem naturam hominis esse arbitrati sunt, suam sententiam ex eo confirmabant, quod qui iugulantur, toto sanguine vacuato vitam finiant.

HIPP. SENT. XXVIII.

ETsi primum in purgationibus immodicis nullus perierit, qui solam bilem purgando vacuarit. Sed cum medicamentum aliquis bilem ducens potauerit, primum sane bilẽ euomet, mox etiam
C pituitam, deinde præter bilem, etiam atram bilem compulsi euomunt; postremo autem vitam finientes, purũ quoque sanguinem.

GAL. COMMENT.

Hic rursus clare Græcorum consuetudinem innuit, qui bilem frequenter sine appendice, flauam, atram vero semper cum appendice vocant. Porro quod in tota oratione significatur, manifestum est, nullum enim mori inquit, cui vnus solum humor purgatus fuerit, cum alii quoque semper cum ipso euacuentur.

D Medicorum rationes ex purgationibus immodicis petitas, inefficaces esse docet, quoniam peccant in materia, vt vulgo dici solet. Sed & in forma peccare, vere affirmare possumus, cum omnes vtantur eadem argumentãdi formula, ex immodicis purgationibus desumpta, concludant tamen alii, solam bilem esse hominis naturam, alii pituitam, alii atram bilem. Præterea in simili forma dari potest inutilis argumentatio, nam aqua hydropicorum confertim euacuata, & toto pure confertim in suppuratis effluente, mors sequitur, vt inquit Hippocrates: ergo aqua & pus sunt ipsorum natura. Vt igitur hæc ratio est inefficax, sic quoq; & illa, euacuata in purgationibus immodicis bile sequitur mors, ergo bilis est hominis natura. Hippocrates tamen tantum docet peccare in materia, assumunt enim tanquam verũ, in purgationibus immodicis hominem mori vnico humore vacuato, quod quidem falsum esse monstrat. Quippe si exhibito medicamento purgante bilem superpurgatio sequatur, euacuata bile non

Aphor. 27. Lib. 6.

non statim homo interit, sed post bilem educitur pituita, deinde atra bilis, postremo sanguis purus, post quem moritur homo. Galenus in commentario rursus obseruat, quod iam antea obseruauerat de bilis appellatione: nos vero alia duo obseruamus. Primum illud est, quod dixit Hippocrates, Deinde præter bilem, etiam atram bilem compulsi euomunt: nam dictio illa, cōpulsi, humorem melancholicum summa cum violentia per vomitum educi manifesto indicat. Vt hinc intelligas, facilius multo per inferna purgari, vt ipsemet monuit in aphorismis, dicens, Melancholicos infra vehementius purgabis. Alterum est, quid nomine puri sanguinis intellexerit, dum ait, post purum sanguinem hominem interire. Videtur Syluius eum intellexisse, qui à suis excrementis, sero, & vtraque bile expurgatus est exquisitisime: ego tamen potius intelligerem quartum humorem. Neque inde sequetur, purum sanguinem intra vasa solum reperiri posse. A

Aphor. 9. lib. 4.

HIPP. SENT. XXIX. B

IDem accidit à medicamentis pituitam educentibus. Primum sane pituitam euomunt, mox flauam bilem, deinde atram, postremo sanguinem purum, post quem moriuntur.

GAL. COMMENT.

Postquam humor medicamento purganti familiaris fuerit euacuatus, mox illum consequitur primus, qui ad euacuationem inter alios expeditissimus est: post illum, qui secundum in hoc genere ordinem posidet: deinde sanguis omnium postremus, vt qui humor sit naturæ familiarissimus. Tutum namque est tantillum de eo dicere, quod si non solus est natura hominis, certe omnium aliorum familiarissimus est. C

Si exhibito medicamento purgante pituitam sequatur purgatio immodica, negat quoq; sola vacuata pituita hominem interire: sed ea vacuata bilem, postea atram bilem, postremo purum sanguinem educi asserit. Idem sentire oportet de nigra bile, neque enim hac sola excreta peribit homo, si purgatio immodica acciderit, propinato medicamento atram bilem purgante: sed post hanc educetur primo bilis, mox pituita, tandemq; sanguis purus. Ex iis quæ duobus hisce sententiis dicta sunt ab Hippocrate, colligit Galenus ordinem, qui in vacuandis humoribus seruari solet per immodicas purgationes. Est autem is, vt qui purganti medicamento assumpto familiaris est humor, primo loco semper euacuetur, deinde vero ordine sequatur qui fuerit ad motum paratior. Constat vero ex propria humorum natura, ob caliditatem, leuitatem, ac tenuitatem, ad sequendum paratisimam esse bilem: deinde sanguinem, qui pituita, & atra bile calidior est, & tenuior: postea pituitam, quæ fluxilior, humidiorque est atra bile: quæ quidem, cum crassissima sit, & maxime terrestris, ad motum est ineptisima. Cur igitur, inquies, docuit Hippocrates omniū postremum vacuari sanguinem, qui pituita & atra bile sequacior est? Est sane id peculiare sanguini, vt solus ipse sit nostræ naturæ amicus, & familiaris. Quo fit, vt quamuis paratior sit ad motum, à natura tamen arctisime retineatur, donec omnino victa, ipsum tandem effluere sinat. Hanc solam dubitationem explicat hîc Galenus, D

& lib.

A & lib.2.de elem.occurrunt tamen aliæ,quæ explicationẽ postulant. Est illud in primis difficile, quomodo dictum sit ab Hippocrate,neminem vnquam in purgationibus immodicis mori vnico humore dumtaxat vacuato : cum id & rationi,& ipsimet,Hippocrati aduersetur. Rationi quidem , quia cogeremur fateri, ex tribus , aut duobus , aut vnico etiam humore hominem interdum constare: quod est absurdum.Hippocrati vero , quia is antea dixerat , Donec aliquo horum connatorum destituatur , id est, donec viuat , vt interpretabatur Galenus. Et rursus agens de quattuor humoribus scribet postea ad hunc modũ, Ita etiam si aliquod ex cognatis deficiat , non vtique poterit viuere. Rem hanc optime explicat Syluius. Si,inquit,omnino deficiat aliquis humor, hominem interire necesse est, abolita scilicet quattuor humorum mixtione. At per purgationes immodicas totum aliquem humorem (etiam si is sit medicamento familiaris) euacuari negat; quoniam natura de animalis conseruatione maxime sollicita, B portionem aliquam semper retinet,sine qua tota humorum constitutio corrumperetur. Viuit itaque in superpurgationibus æger , donec naturæ viribus exolutis purus sanguis educatur , Verum res adhuc difficultate non caret , etiamsi concedamus cum Syluio , totum aliquem humorem nõ vacuari, cum monstret experientia , mori aliquando in superpugationibus ægrum , vacuata sola bile, aut pituita, antequam purus excernatur sanguis. Verissime quidem dixit Hippocrates, neminem in superpurgationibus mori vnico euacuato humore , quia qui pereunt ob purgationis violentiam , perire non possunt , donec purum sincerumque sanguinem excernant. Qui vero pereunt nondum excreto sanguine, ob virium exolutionem , aut aliam caussam moriuntur , non ob vehementiam purgationis,de qua agebat hoc loco Hippocrates. Iam vero & illud difficultatem parit , quomodo in purgationibus immodicis omnes humores vacuentur, C cum à purganti medicamento solus humor familiaris attrahi possit. Respondet Galenus, humores, qui medicamento familiares non sunt , ob triplicẽ caussam vacuari , irritationem ac mordicationem , vasorum apertionem,& eorundem imbecillitatem.Nam posteaquam medicamentum humorem familiarem attraxit , si vires adhuc integras seruet,mordet vasorum ora,& facultatem expultricem irritat ; quæ sola caussa sufficiens erat , vt prompte sequeretur humor paratior ad motum. Atqui ob medicamenti mordicationẽ , & vacuationem i inmodicam,reserantur quoq; oscula vasorum,quæ ad vẽtriculum & intestina pertingunt ; & vasa ipsa vehementer defatigantur, tum quia à purgante medicamento suguntur, ac veluti emulgentur ; tum etiam quia vnico humore vacuato , & D eo qui contrarius est integras vires seruante,insignem intẽperiem contrahunt. Quare licet in purgationibus immodicis omnes humores euacuentur, non tamen eadem est eius euacuationis ratio. Quippe humor medicamento familiaris, quem primo loco euacuari diximus , totius substantiæ simi litudine attrahitur ; reliqui vero humores ob prædictas caussas vacuantur quidem , non tamen attrahuntur ; aut si trahantur , solo calore trahuntur , non autem similitudine substantiæ. Restat nunc , vt locum quendam Galeni explicemus , qui cum iis quæ dicta sunt , fortasse pugnare videbitur. Legitur is lib. 2. de elemen. ad hunc modum , Quod etiam purgantibus medicinis euenit, quippe quæ vbi vniuersum id bilis, aut pituitæ, quod in corpore fluitat , attraxerunt , ipsum peculiarem humorem solidarum partium vi & labore attrahunt , eas quasi dissoluentes , & ad elementa deducentes , & animal internecioni tradentes: violentia vero illius attractionis , alius quispiam humor

[Margin notes: Cap.4. — Sent. 26. — Sent. 38. — Lib.3. de simp. med. fac. cap. 27. & 28. — Cap. vlt.]

G mor

mor consequitur illi affinis, qui primum vi attrahebatur. Quibus sane verbis indicat, à medicamento purgante vacuari primum humorem familiarem innatantem, deinde humorem proprium partium solidarum, postremo humorem qui fuerit ad sequendum paratior. At dictum hactenus fuerat, in purgationibus immodicis vacuari primum humorem medicamento familiarem, postea vero eum qui paratior fuerit ad sequendum. Porro nullã esse in his locis pugnãtiam aperte intelligetur, si prius explicauerimus, qui humor dicatur eo loco à Galeno proprius partium solidarum. Cum autem eodem Galeno teste, quattuor sint humores in singulis partibus solidis, nempe sanguis contentus in exilibus partium vasis, ros, caro & adeps, & humidum primogenium; monstrat orationis series, per humorem proprium partium solidarum intelligendum esse necessario sanguinem in exilibus vasis contentũ. Is enim solus, & à partibus corporis, & à purgantibus medicamentis attrahi potest, reliquæ humiditates non possunt. Attrahitur quidem sanguis in exilibus vasis contentus per longiores inedias, in quibus ventriculus alimẽto destitutus, ex propinquis vasis & iecore cogitur sanguinem attrahere: hæ vero partes inanitæ trahunt ex aliis, aliæque rursus ex aliis, donec ad extrema vasa, quæ in habitum corporis finiuntur, attractio peruenerit: quibus sane ob validissimam vasorum attractionem, proprium nutrimentum tandem eripitur. Per venerem quoque immodicam solidæ corporis partes imbecillimæ reddi solent, quoniam proprium ipsarum nutrimentum valida actione testium retrahitur. Quod si corporis partes id præstãt, quid, quæso, facient medicamenta purgantia, in quibus attractionis motus valentior multo esse solet? In eo tamen discrimen est, quod partes corporis sanguinem in exilibus vasis contentum ad se retrahant; purgantia vero medicamenta, non sanguinem, sed humorem familiarem eiusmodi sanguini mixtum. Quippe medicamentum purgans initio quidem familiarem humorem sanguini innatantem attrahit, deinde vero eum qui sanguini mixtus est in vasis magnis, & tandem eum qui mixtus est sanguini in exilibus vasis contento; ex hac autem violenta medicamenti attractione sequitur necessario sanguinis, & carnium, reliquarumque partium colliquatio. Colliquatur enim, & veluti dissoluitur sanguis, dũ humor medicamento familiaris violenter ab eo elicitur. Colliquantur itidem, ac dissoluuntur carnes, & reliquę partes, quia proprio destituuntur nutrimento, dum ex sanguine in propriis vasis contento, humor medicamẽto familiaris violenter attrahitur. Solet quoque huiusmodi colliquatio iis accidere, qui ab omni cacochimia liberi temere purgantur: de quibus dixit Hippocrates, Qui integra sunt corporis valetudine, purgationes ægre, molesteq; ferunt. Nulla igitur est in illis locis contradictio, hîc namque in vniuersum dixit, vacuari primum in purgationibus immodicis humorem medicamento familiarem; ibi vero accurratius docuit, humorem familiarem, qui primus à medicamento attrahitur, innatare interdum sanguini, interdum autem sanguini permistum esse: idque vel in vasis magnis, vel in exilibus, quæ partium solidarum sunt propria.

Lib. 7. metho. med, cap. 6.

Lib. 3. de fac. nat. cap. 13.

Lib. 1. de semi. cap. 16.

Aphor. 37. lib. 2.

A B C D

HIPP. SENT. XXX.

NAm medicamentum, cum in corpus fuerit ingressum, primum sane ducit quodcunque ipsi, inter ea quæ corpori insunt;

A insunt, natura maxime respondeat, deinde alia quoque & trahit, & purgat. Quemadmodum semina, & stirpes terram ingressæ, singula, quæ in terra secundum naturã ipsarum sunt [id est familiaria] attrahunt: est autem & acidum, & dulce, & amarum, & salsum, & omnifarium. Primum igitur plurimum eius quod ipsis cognatum sit, arripiunt, postea alia quoque ad se alliciunt. Tale quid & medicamenta in corpore faciunt, etenim quæ bilem mouent, primũ meracissimam purgant bilem, deinde mixtam. Item medicamenta pituitã cientia, primum purissimam pituitam educunt, deinde mixtã.
B Iam iis qui iugulantur sanguis fluit primum calidissimus & rubérrimus, deinde pituitosior & biliosior.

GAL. COMMENT.

Perspicua est auctoris sententia, vtpote qui rei de qua agit, testimonia adferat. Dicit enim, medicamentum, vbi in corpus venerit, primum sane humorem sibi familiarem attrahere, deinde etiam alios. At meminisse oportet, etiã de stirpibus ipsum verba facere, nempe quod & harum vnaquæq; sibi naturale & cognatum ad se attrahit. Contineri enim in terra acidum, dulce, amarum, salsum, & omnifarium, veluti etiam in homine: acidum quidem, atram bilem; amarum
C *vero, flauam; dulce, sanguinem; salsum, pituitam. Etenim talis quædam est pituita, quemadmodum alia dulcis, alia acida, & quædam alia nullam insignem obtinens qualitatem. Atque ideo mihi videtur, ad orationis finem adiecisse Omnifarium, vt qui non tantum in pituita, sed in aliis etiam humoribus permultas viderit differentias. Sicut enim acida, dulcis, amara, & salsa; ita etiam acerba, austera, acris, & pinguis, humorum species est; tum in animalibus, tum in stirpibus, & nimirum quæ in terra ipsis respondent.*

Quæ hactenus dixerat de ordine euacuandorũ humorũ in purgationibus immodicis, ea nunc illustrat aptissima plantarum similitudine. Hæ namq; ex terra succum sibi magis familiarem perpetuo trahunt; quo si destituantur, & alios mi-
D nus conuenientes alliciunt. Continentur enim, vt in animalium corporibus, sic etiã in terra, varii succi, dulcis, acidus, amarus, salsus, pinguis, & alii, quos verbis exprimere nõ possumus; quos significauit ea dictione Omnifarium. Delectãtur autẽ aliæ plantæ alio succo pro diuersa scilicet cuiusq. natura, vt lupinus & absynthiũ succo amaro. Quinetiã & diuerso gaudẽt solo, vt palma salso; quę proinde circa loca maritima vberius prouenire solet. Et quid mirũ. quæso, si hæc fiãt in plãtis, quæ terræ affixæ viuunt, cũ idipsũ animalibus, quę ad quærẽda alimẽta loco moueri possũt, & nobis ipsis qui ratione ducimur, sępe experiamur accidere? Cogimur enim nõ raro vrgẽte fame viciosis cibis vesci, palustrẽq. ac cœnosã aquã bibere premente siti. Quod igitur plãtis, brutis, & nobis ipsis, frequẽtissime accidit, idẽ & purgantibus medicamẽtis accidere credendũ est. Etenim quæ bilẽ purgant medicamenta, attrahunt primũ bilẽ meracissimã, id est innatantem

sanguini, deinde mixtam, id est quæ sanguinem vna cum aliis humoribus constituit. Iam vero & iis qui iugulantur, docet Hippocrates, sanguinem calidissimum & ruberrimum primum effluere, deinde pituitosiorem, & biliosiorẽ. Quæ tamen sententia difficilis videtur, quia cum sanguis incisa vena suopte impetu foras profluat, neque pulsus ab alio, neq; attractus; qui tenuior est, qualis est serosior, aut biliosior, effluet primo loco, non autem ruberrimus, & optimus, qui mediocris est consistentiæ. Ceterum vere illud dictum est ab Hippocrate, nam per initia, antequam nutrimenti defectum sentiat natura, profluit incisa vena optimus sanguis, qualiscumque scilicet in vasis continetur. At sanguine immodice profluente, cum primum natura sentit nutrimenti defectum, retinet, & amplectitur sanguinem meliorem; eumque solum fluere sinit qui deterior est, qualis est pituitosior & biliosior. Experientia quoque rem ita habere in iis potissimum monstrat, in quibus necessitate vrgente cogimur sæpius sanguinem mittere. Quod sane olim à Ludouico Collado, medico præstantissimo, doctoreq; meo singulari, primum obseruatum memini, dum adhuc adolescẽs ad visendos ægros cum ipso accederem. Nam quod hîc dixit Hippocrates in iis qui iugulãtur fieri, vt scilicet sanguis optimus primum effluat, deinde pituitosior, & biliosior; id ille vxori Ludouici Arcisii, medici celeberrimi, tunc accidisse obseruauit, cui ob vehementissimam vteri strangulationem, sanguis è talo detractus sæpissime fuerat. Animaduertit hoc loco Sylvius practicorum errorem, qui ad confringendos renum calculos hircinum sanguinem maxime commendantes, eum seruandum esse præcipiunt, qui ex iugulato hirco medius effluit. Sentit autem ipse, eum potius eligẽdum esse, qui primo loco effunditur, vtpote qui calidissimus sit & ruberrimus, vt inquit Hippocrates. Verum cũ sanguis biliosior, quem secũdo loco effluere diximus, tenuiorum partium sit, nescio an præferenda sit sententia practicorum.

A B C

HIPP. SENT. XXXI.

Augescit in homine pituita per hyemem, hæc enim hyemi maxime est secundum naturam, inter ea quæ corpori insunt: frigidissima enim est. Indicia sunt, hanc esse frigidissimam, si pituitam, bilem, & sanguinem voles attingere, pituitam reperies frigidissimam, etsi viscosissima sit, & vi potissimum post atram bilem agatur: quæ autem vi aguntur, calidiora redduntur à vi coacta.* Attamen etiã post hæc omnia frigidissima ex sua ipsius natura esse pituita apparet. Porro quod hyems pituita corpus replet, hinc cognoueris. Homines spuunt, reiiciuntque per nares pituitosissima hyeme: item laxi tumores albi (œdemata dicuntur) potissimum in hoc anni tempore proueniunt, aliique morbi pituitosi.

* ἀναγκαζόμενα.

τὰ οἰδήματα λευκά

D

GAL. COMMENT.

Clara est oratio, quæ lectorẽ diligentẽ requirat, non interpretem qui ipsam explicet. Quod autem in fine scriptum est, Aliique morbi pituitosi, hoc modo ex ipsius scriptura intelligendum est. Oedemata alba hyeme potissimũ oriuntur, item alii pituitosi morbi hoc tempore infestant: denique et febres, sicut in æstate omnino biliosiores, sic in hyeme pituitosiores.

Agit

A Agit tandem de incremento & decremento singulorum humorum in singulis anni temporibus; quod etiam se explicaturum promiserat sentētia octaua. Hic autem docet, hyeme augeri pituitam, atque id probat ratione necessaria, quæ desumpta est ex propria hyemis & pituitæ natura. In singulis namque anni temporibus humores illi augentur, qui sunt maxime secundum temporum naturam: at inter humores pituita maxime est secundum naturam hyemis; ergo hyeme secundum naturam augetur pituita. Propositio certissima est, cum pro intemperie aëris in quo versamur, animalium corpora necessario mutētur; & pro varia corporis temperie varii quoque humores gignantur. Assumptionem probat Hippocrates, quia quemadmodum hyems inter anni tempora frigidisima est, ita inter humores pituita. Cuius frigiditatem insignem tactus manifesto percipit, siue in aliqua parte collecta maneat, siue extra corpus vacuetur. Nam & quo tempore à purgante medicamento attrahitur, frigida adhuc B sentitur, cum tamen calfieri debuisset violento eo attractionis motu, qui in educenda pituita, quam bile, violentior esse solet, cum sit plerumq; tenacissima. Ex hoc Hippocratis loco necessario colligitur, motum esse caussam caloris; quamuis inter philosophos ac medicos difficile sit & controuersum, an omnis motus ad locum calorem augeat, an solus motus attritionis: & rursus an omnia corpora motu calfiant, an corpora tantum solida: & tandem quomodo motus posit calorem producere. Hæc tamen breuitatis studio consulto nūc prætermittimus, in nostris commentariis pathologicis accurrate explicanda. Affert præterea rationes probabiles, ab excrementis & morbis desumptas, quibus etiam hyeme pituitam augeri ostendit. Id in primis declarant excrementa pituitosa, quæ plurima per oculos, nares, & palatum, hyeme excerni solent. Id C ipsum confirmant morbi hyemi familiares, qui ex pituita ortum habent, vt peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tusses, pectoris, laterum, & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, & apoplexiæ. Hic tamen tantum meminit œdematum, quæ sunt tumores præter naturam laxi, & albi, ac proinde ex pituita orti. Illud vero obseruatione dignum est, quod dixerit Hippocrates, τὰ οἰδήματα λευκά, id est œdemata alba, quasi dari posint œdemata non alba. Atqui Galenus locis quamplurimis obseruat, œdematis nomen significare in vniuersum Hippocrati tumorem omnem præter naturam; aliis vero medicis recentioribus significare potius tumorem pituitosum. Qua significatione (quæ magis propria est) sic definiri solet, œdema est tumor albus, laxus, & indolens.

Aphor. 23. lib. 3.

4. apho. com. 34 & 5. apho. com. 65. & 1. progn. com. 29. & 6. epid. par. 4. com. 1. & 6. epid. par. 1. com. 2. & 17.

D

HIPP. SENT. XXXII.

VEre autem valida* adhuc quidem pituita in corpore existit, & sanguis augetur, nam frigora remittunt, & aquæ superueniunt. Sanguis autem eadem ratione augescit, & à pluuiis, & diebus calidis: nam secundum naturam ipsi hæc ex omni tempore potissimum insunt; quippe humidum est & calidum. Id quod sic cognosces, vere homines & æstate, potissimum dysenteriis corripiuntur: ex naribus sanguis profluit: calidissimi ipsi sunt, & maxime rubicundi.

* ἰσχυρόν.

GAL. COMMENT.

Est sane & huius sententiæ contextus perspicuus. Dictum tamen à me est in primo de temperamentis libro, satius esse, ver temperatum vocari, non humidum & calidum. Suberat vero caussa aliqua, ob quam medicorum philosophorumque nonnulli ipsum calidum humidumque dicerent. Sic enim in anni temporibus hoc humidum & calidum esse dicunt, vt in genere eorum quæ corpora habent, animalia: hæc sane cum plantis conferentes, ver autem autumno, inter anni tempora optimum, & (vt ita dixerim) solum exacte secundum naturam habens, cum eo quod præter naturã affectum est. At sanguinem vere redundare, cum alia, tum illud indicio est, quod tunc dysenteriæ infestent, cruentæ scilicet dictæ, non quæ ex bile intestina exulcerant. Verum de cruenta hac dysenteria in quarto operis de articulis commentario tractaui, affectum hunc ostendens frequenter copia sanguinis oboriri, qui in venis continetur, deinde quem natura per intestina confertim excernit, sicut & mulieribus per vterum, nonnullis per nares, aut hæmorroidas, aut vomitum. Porro æstatem adiunxit veri, tum dysenteriæ ratione, tum ob cutis ruborem: nam beneficio sui ipsius caloris generatus vere sanguis, & rubicundam totius corporis cutem efficit, & per anum quibusdam excernitur. Ceterum calidi ad tactum tunc apparent homines, tum sanguinis, tum etiam ambientis aëris beneficio.

Singula anni tempora in tres partes diuiduntur, principium, medium, & finẽ, elucescit autem maxime propria temperies media potissimũ parte, quoniam principium cum præcedentis temporis fine magnam adhuc affinitatem habet, & finis cum sequentis principio. Cum igitur ait, vere validam adhuc esse pituitam, de veris principio id intellige, quod præcedentis hyemis fini est adhuc simile. Et rursus cum inquit, sanguinem augeri, de toto quidem vere intelligere oportet, potissimũ tamen de vere medio. Porro quod vere augeatur sanguis, probat primum ex propria vtriusque natura, deinde ex morbis, & accidẽtibus. Quippe sanguis inter omnes humores maxime est familiaris veri, cũ sit calidus & humidus quemadmodum ver; cuius calorem ex eo ostendit, quod frigora remittantur; humiditatẽ vero, quod superueniant aquę, quamuis hæ copiosiores sint hyeme, & frequentiores. Galenus tamen in cõmentario recte aduertit, ver temperatũ potius dici debere, quã calidum & humidũ: & obiter indicat veterum philosophorũ ac medicorum errorẽ, qui ex collatione ad alia anni tempora, pręsertimq; ad autumnũ, ver calidum & humidũ esse perperam collegerũt. Et quod de vere affirmat Galenus, idẽ & nos de sanguine asserimus, quem tẽperatũ potius quam calidũ & humidũ esse sentimus. Sed hęc pertinẽt ad disputationẽ de tẽperamentis. Morbi præterea familiares veri, quales sunt dysenteriæ, & sanguinis è naribus profluuia, sanguinem vere augeri certo demonstrant, vtpote qui ex sanguinis redundantia nascantur. Neque vero omnis dysenteria affectus est familiaris veri, sed ea tantum quæ redundantis sanguinis soboles est, quã propterea cruentã appellant, quod scilicet in ea optimus quidẽ, copiosus tamen sanguis deiiciatur. Hãc docuit Galenus iis accidere, quibus artus aliquis abscissus est, aut qui consuetas exercitationes repente omiserunt: pręsertim

Lib. 4. de art. com. 40.

A præsertim si cibis similiter ac antea repleantur. At dysenteria simpliciter dicta, quæ fit ex vlcere intestini, veri familiaris non est, quemadmodum neq; aliæ duæ dysenteriæ, quæ hepatis affectus sequuntur; in quarum altera sanguis deiicitur loturæ carnium similis; in altera vero crassus, & atrabiliarius. Ceterũ obiiciet aliquis, morbos qui fiunt vere, non solum ex sanguine, sed ex aliis etiã humoribus ortum habere: ait namque ipsemet Hippocrates in aphorismis, „ Vere „ insania, melancholia, epilepsia, fluxiones sanguinis, anginæ, grauedines, distil- „ lationes, tusses, lepræ, impetigines, vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, tu- „ bercula, articulorum dolores. Aphor. 20. lib. 3. Obiectionem dissoluit Galenus in eius aphorismi commentario, dicens, non omnes morbos, qui vere fiunt, proprios ipsius esse, sed eos tantum, qui fiunt ex sanguine. B Reliquos autem veris naturam nequaquam sequi, sed vere ex accidenti fieri sentit, quia noxii humores præcedentibus temporibus geniti, per totamque hyemem in intimo corpore reconditi, à moderato veris calore liquantur: qui dum ad partes principes impetum faciunt, grauissimos pariunt morbos, vt insaniam, epilepsiam, & apoplexiam. Ostendit tandem vere augeri sanguinem ex duobus quæ apparent, accidentibus, calore scilicet & rubore. Vere namque rubicũdi sunt homines, & calidissimi, non acri & mordaci calore vt æstate, sed miti, ac familiari. At calor mitis soboles sanguinis est, quemadmodum & rubor: color enim in cuti (nisi aliquid impediat) redũdanti humori similis semper efflorescit. Quod autẽ Hippocrates veri adiunxerit ęstatem, de æstatis principio intelligendum est, in quo morbi & accidentia veri familiaria adhuc permanent, quoniam adhuc a- C bundat sanguis, vt sequenti sententia docebit.

HIPP. SENT. XXXIII.

AEstate sanguis inualescit adhuc, & bilis in corpore attollitur, producitur que in autumnum: in quo sanguis quidem paucus generatur, contrarius enim ipsius naturæ autumnus est. Bilis autem æstate & autumno corpus occupat, id quod hinc discere licet. Homines hoc anni tempore sua sponte bilem vomunt, & in medicamentorum potionibus biliosiora purgantur: constat autem & D febribus, & hominum coloribus. At pituita æstate imbecillior est seipsa, quippe contrarium ipsius naturæ tempus est siccum & calidum.

GAL. COMMENT.

Aestate, & præsertim per ipsius initia, plerisque sanguis abundat vere auctus, vt qui ab ambientis aëris calore nondum sit discussus. Augescit autem bilis, quod hoc anni tempore corpus præter naturæ modum incalescat. Ceterum nominauit hic rursus bilem citra appendicem coloris vocabuli, flauam, nunquam atram simpliciter nominans, verum semper cum adiectione coloris nominis. Particularia in oratione manifesta iis sunt, qui animum adhibent.

Sanguis vere auctus adhuc inualescit æstate, initio scilicet æstatis, quod simile adhuc est præcedentis veris fini, quoniam, vt inquit Galenus, ab ambientis aëris calore (qui scilicet non est immodicus) nondum discuti potuit. At procedente æstate bilis potissimum augetur, & in autumnum producitur, ad initium scilicet autumni, quod cum præcedentis æstatis fine affinitatem adhuc seruat. Et quamuis ex propria æstatis & bilis natura potuisset Hippocrates (vt in superioribus fecerat) demonstrare, æstate augeri bilem, quæ sola inter humores calida est & sicca: id tamen nunc solum probat ex excrementis, morbis, & accidentibus æstati familiaribus. Nam biliosa excrementa vomuntur potissimum æstate, & in medicamentorum potionibus biliosiora purgantur. Morbi itidem ex bile orti æstate sunt frequentissimi, vt febres, tertianæ scilicet, & ardentes, ophtalmiæ, aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines, & sudationes. Præterea homines æstate pallidi apparent, aut flaui, redundantis bilis colorem referentes. Quoniam vero non solum de humorum incremento, sed etiam de eorundem decremento agere instituerat; proinde cum docuisset æstate augeri bilem, docet quoque æstate pituitam imminui. Nam vt augentur humores tẽporibus familiares, ita contra decrescunt dissimiles & contrarii: at pituita frigida & humida æstati calidæ & siccæ est contraria. Obserua hoc loco dixisse Hippocratem, pituitam æstate imbecilliorem esse seipsa, vt indicaret, in incremento & decremento vniuscuiusq; humoris, sui ipsius, non autem aliorum humorum habendam esse rationem. Veluti cum dicimus æstate augeri bilem, intelligendum non est, maiorem esse copiam bilis quam aliorum humorum, sed maiorem esse bilis copiam æstate, quam aliis anni temporibus. Ac rursus cum æstate dicimus pituitam minui, intelligendum non est, minorem pituitæ quam aliorum humorum copiam esse, sed pauciorem esse pituitam æstate, quam reliquis anni temporibus.

Aphor. 21. lib. 3.

A B C (marginal letters)

HIPP. SENT. XXXIIII.

SAnguis porro per autumnũ paucissimus gignitur in homine, quoniam siccus est autumnus, & refrigerare iam hominem incipit. At atra bilis in autumno plurima, valentissimaque * est.

* ἰσχυροτάτη.

GAL. COMMENT.

Superiore contextu dictum erat, sanguinem in autumno paucum generari, vt qui naturam autumno contrariam habeat: nos autem quomodo contrariam habeat, edocuimus. Si enim sanguis calidus & humidus est veri similiter, autumnus autem, vt ipse dixit, siccus est, & refrigerare iam hominem incipit: merito autumnus veri contrarius est, & humorem redundantem sanguini contrarium obtinet siccum & frigidum. Generatus autem est talis bona ratione, quod in æstate humores prius adurantur, reliquiæ vero adustorum humorum, restincto scilicet calore, statim frigidæ siccæque redduntur: frigidæ quidem propter calorem extinctum: siccæ, quod totus ipsius humor, cum assaretur, sit cõsumptus.

D

Quemadmodum æstate pauca pituita, ita & autumno paucissimus gignitur sanguis, qui naturam habet autumno prorsus contrariam. Est enim sanguis calidus

A lidus & humidus similiter veri (id est modice calidus & humidus, quemadmodum ver) autumnus vero siccus est, & refrigerare iam hominem incipit. Quibus verbis inæqualem in calore & frigore autumni intemperiem indicasse videtur, qui neque calidus, neque frigidus vere dici potest, sed mane ac vespere frigidus, meridie autem calidus. Dicitur tamen incipere iam hominem refrigerare, quia refrigeratur iam autumno aër, qui proxima æstate calidissimus exstiterat. Vt autem autumno paucissimus gignitur sanguis, ita plurima atra bilis redundat. Ceterum cum atræ bilis appellatio & humori melancholico naturali, & atræ bili exquisitæ communis sit, merito dubitari possit, de qua atra bile locus iste intelligendus sit. Contendunt multi intelligendum esse de atra bile exquisita, quia licet humor melancholicus naturalis augeatur etiam autumno, id tamen aiunt tanquam manifestum ab Hippocrate prætermissum. Id confirmant ex generatione atræ bilis exquisitæ, quæ ex flaua bile vehementer adu-
B sta plerumque gignitur: atqui æstate magna flauæ bilis adustio præcessit, cuius occasione plurima in autumno atra bilis exquisita gignatur. Fauet quoque horum opinioni dictio, valentissima, qua vsus est Hippocrates; quæ sane humori melancholico naturali conuenire non potest, sed soli exquisitæ atræ bili, quæ vehementissima est, insignique pollet agendi facultate. Autumnum præterea ab eodem Hippocrate insaluberrimum, & morbis perniciosissimis obnoxium Apho. 9. lib. 3.
censeri asserunt, quod exquisita atra bilis in eo redundet. Præstat tamen meo iudicio, de atra bile naturali locum interpretari, quæ cum frigida sit & sicca, autumno prorsus respondet, cui tamen atra bilis exquisita similis esse non potest, cum sit potestate calidissima. Et quorsum, quæso, hac sola sententia egisset Hippocrates de humore præter naturam redundante in autumno, cum in aliis
C anni temporibus tantum docuerit, qui humores secundum naturam augeantur? Sed & quæ in commentario scribit Galenus, atræ bili exquisitæ accommodari nullo pacto possunt. Reddens enim rationem, cur atra bilis autumno redundet, ad hunc modum scribit, „ Generatur autē talis bona ratione, quod in æstate hu„ mores prius adurantur. Atqui atra bilis exquisita ex humorum, aut (quod idē est) ex sanguinis adustione nequaquam gignitur, sed potius ex bile flaua, vel humore melancholico adusto, vel putrefacto: melancholicus autem humor ex sanguinis adustione secundum naturam gignitur, vt alibi dicemus. Explicans præterea quomodo atra bilis autumno redundans, frigida sit & sicca, ita scri„ bit, Reliquiæ vero adustorum humorum, restincto scilicet calore statim frigi-
D dæ siccęque redduntur; frigidę quidem, propter calorem extinctum; siccæ, quod totus humor, cum assaretur, sit consumptus. At atra bilis, (quam ipse vocat a„ dustorum humorum reliquias) vel actu frigida & sicca dicitur, vel potestate. Actu quidem dici non potest, cum sit potius humida & fluxilis: ergo dicetur talis potestate. Atqui humor melancholicus naturalis potestate frigidus est & siccus, atra vero bilis exquisita potestate est calidissima: ergo de succo melancholico naturali, non de atrabile exquisita locum interpretatur Galenus. Neq; refert, quod bilem atram valentissimam dixerit Hippocrates, Græce ἰσχυρωτάτην, quoniam copiam potius, quam in agendo vehementiam ea dictione significauit; quemadmodum etiam antea φλέγμα ἰσχυρὸν dixit, quamuis pituita Sent. 32.
magna non polleat agendi vi. Adde, quod & humor melancholicus naturalis, alioqui frigidus & siccus, valentissimus hoc nomine dici possit, quod graues, diuturnosque morbos creet, vt quartanam, epilepsiam, apoplexiam, & alios eiusmodi. Caussa vero insalubritatis autumni, non est atræ bilis exquisitæ abū-

dantia, sed inequalis potius intemperies, vt dicemus lib. 1. de temper. Porro quod humor melancholicus naturalis secundum naturam augeatur autumno, non probat Hippocrates aliqua ratione, quia id perspicuum erat ex propria vtriusque natura. Nam si sanguis (vt ipse dicebat) proinde autumno paucissimus gignitur, quia naturam habet autumno contrariam, certe plurimus gignetur melancholicus succus, quod inter omnes humores autumno is sit maxime familiaris. Potuisset quoque idipsum ostendere ex autumnalibus morbis, quales potissimum sunt febres quartanę, & incertæ, lienis tumores, aqua intercus, epilepsia, melancholia, & alii ex humore melancholico orti, quos alibi descripsit. A

Aphor. 22. lib. 3.

HIPP. SENT. XXXV.

* ψυχομένη.

CVm vero hyems ingruit, bilis refrigerascens * pauca gignitur, & pituita rursus augescit, tum a pluuiarum copia, tum à noctium prolixitate. B

GAL. COMMENT.

Humorem in singulis quattuor anni temporibus præpollentem, vult ipsi tempori respondere temperamento. Ideoque pituita frigida & humida nominatur hyemi similiter: sanguis autem calidus & humidus veri: flauam bilem, calidam & siccam esse dicit vti æstatem: & nigram, sicut autumnum, frigidam & siccã. Quod igitur dixit, quibus anni temporibus singuli humores augentur, antea probauit: nunc autẽ caussam reddit, cur pituita hyeme redundet, ex crebris, inquit, pluuiis, & noctibus prolixis, eo quod hoc anni tempus humidum sit & frigidum. C *Humidum igitur esse monstratur pluuiarum copia; frigidum, noctium longitudine. Nam caloris, quem æstate aër nos ambiens obtinet, sol auctor est, dum prope supra verticem nostrum emergit, & diem longiorem efficit. Ita etiam hyeme frigiditatis idem auctor est, cum obliquus, humilisque, & breui tẽpore supra terram fertur. Hippocrates autem vult, animantium corpora pro ambientis nos aëris constitutione affici, ita vt siccentur quidem in siccis ipsius temperamentis, humectentur autem in humidis; ita vero & incalescant in calidis, refrigerẽtur in frigidis. Si igitur hyems humida & frigida est, bona ratione in ipsa pituita superat, cum sit frigida & humida: id quod etiam prius ipse ostendit. Ratio autem ipsi & aliis anni temporibus consentire videtur, nam æstate flaua bilis præcellit, quoniam sicca & calida potestate est: vere sanguis, humidus calidusq; humor, siquidem & ver calidum esse & humidum prædicauit: in autumno autem atra bilis, quæ frigida & sicca est, tempori respondens. Proinde * non exigua quæstio de veris temperamento oritur, quomodo calidum & humidum dicatur: quam cum tractarem, ostendi melius esse temperatum ipsum dicere. Qua ratione constat, et sanguinem non calidum et humidum, sed temperatum appellari. Præterea maior adhuc quæstio erit, ab interpretibus libri omissa, nempe de pituita,* D

* ὅτι μὲν οὖν ἐν ταῖς ἑτέραις ὥραις ἕκαστος τῶν χυμῶν αὔξεται προσθεν ἀπέδειξεν.

* ἐπὶ μὲν.

A *pituita, quæ humida quidem & frigida consistentia est, sed in hyeme generatur. Cur autem dixerim non exiguam fore quæstionem, iam tibi aperiam. Hippocrates ipse in aphorismis inquit, Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, itaque per ea tempora cibi liberalius dari debent, caloris enim natiui copia magna inest, vt cibus proinde plenior requiratur: argumento ætates sunt, & athletæ. Et iterum, Aestate, & autumno cibos ferunt difficilime, hyeme facilime, mox vere. Si igitur hæc sunt vera, & pituitam, frigidum humorem, non temperatum nouimus quemadmodum sanguinem, quomodo in hyeme copiosior generabitur? Conueniebat enim ex alimento probe concocto sanguinem potius generari quam pituitam. Quæ igitur dubitationis solutio? Meo* B *quidem iudicio, ventres hyeme calidissimi sunt naturali calore, hoc est temperatissimi; particulæ autem corporis refrigerātur magis in hyeme: quibusdam & venter ipse ex itinere, aut vestium penuria, aut studiorum genere, aut huiusmodi aliquo. Penetrat igitur omnis* ambientis aëris frigiditas in corpus quam penitissime, quibusdam etiam vsque ad ventris regiones, vt expositum est. Quare licet in ventriculo cibi assumpti probe concocti sint; certe in iecinore dum mutātur non exactum sanguificationis ornamentum* recipiunt, sed aliqua ipsius parte frustrantur. Insuper minus multo totius corporis venæ ipsum transmutant refrigeratæ. Accedit huc etiam copia ciborum qui hyeme offeruntur, qualitatibus si-* C *mul pituitosiores. Nam legumina hyeme multa comedunt, panisque multo amplius quam in aliis anni temporibus, similaginem, placentas seu liba, quæ Græci rhyemata vocant, olera, rapas satiuas, carnesq; multas; quasdā ex his manifesto pituitosas, sicut ouillas; quasdam, nisi probe conficiātur, vt aprorū,* et præsertim porcorum.* Item bulbis, cochleis, caseo, aliisq; hoc genus multis per totā hyemem vescuntur, quæ facile in pituitam transeunt. Quinetiam bibunt complures vinum recēs, quod et ipsum pituitæ generandæ idoneum est. Quare his de caussis pituita hyeme redundat.*

τὴν σύστασιν.

* ἄπασα.

κοσμόν.

ὑῶν.

χοίρων.

Ad hyemē, à qua inchoauerat, tandem reuertitur, docetque bilem refrige- D rascentem paucam in ea gigni, & pituitā rursus augeri. Bilem refrigerascentem putant aliqui esse bilem potestate frigidam, qualis est atra bilis naturalis, quæ, cum plurima genita sit præcedente autumno, accedente hyeme pauca merito gignetur. Ego tamen flauam, non atram, bilem intelligo, vt constat ex Hippocratis instituto. Neque enim tantum instituit docere, qui humores quibus anni temporibus augeantur, verum etiam, qui minuantur. Atqui vt humores illi augētur, qui sunt temporibus familiares; ita qui sunt contrarij, necessario minuuntur. Quemadmodum ergo antea docuit, æstate pituitam imbecilliorem esse seipsa, quia æstati contraria est, & autumno paucissimum gigni sanguinem, quia naturam habet autumno contrariam: ita & nunc oportebat docere, humorem eum hyeme decrescere, qui temperamēto hyemis aduersatur. Aduersatur autem hyemi flaua bilis, quæ sicca & calida simul est; non autem atra bilis, quæ frigiditate

giditate cum hyeme conuenit. Præterea bilis simpliciter dicta citra adiectionẽ coloris, Hippocrati ceterisq; Græcis pallidam, aut flauam bilem semper significat, vt antea annotatum iam est: atqui nunc Hippocrates bilis nomine vsus est citra coloris adiectionem: ergo pallidam intellexit, aut flauam. Neque vero bilis refrigerascẽs dicitur, quod sit potestate frigida, sed potius quod accedente hyeme refrigeretur: vox enim illa refrigerascens passionem potius quam actionem grammaticis significat: quod etiam indicat vox Græca ψυχωμένη. Docet secundo, pituitam hyeme augeri ob pluuiarum copiam, & noctium prolixitatem: quasi dicat, pituitam humidam & frigidam, hyeme frigida etiã & humida secundum naturam augeri: est enim ob pluuiarum copiam humida hyems, frigida vero ob noctium longitudinem. Siquidem vt caloris, qui æstate viget, auctor est sol, dum fere supra verticem fertur, & diem efficit longiorem; ita & hyemis frigiditas referenda est ad solem, qui obliquus, & humilis, & breui tempore fertur supra nostrum hemisphærium. Vnde colligimus, ex pluuiarum copia vel defectu, & solis accessu vel recessu, expendẽdam esse in anni temporibus propriam temperiẽ. In vniuersum enim ex pluuiarum copia humida fit constitutio, sicca vero ex earundem inopia. Rursus constitutio calida fit ex accessu solis, & recto ipsius motu; frigida autem ex solis recessu, & motu obliquo. Galenus in commentario difficilem tractat quæstionem, an hyeme augeri potius debeat sanguis quam pituita: videtur enim Hippocrates contraria de hac re docuisse. Nunc enim, & sententia trigesima prima manifesto docuit augeri pituitam, vtpote quæ hyemi temperamento respondeat: at in aphorismis sanguinem potius augeri voluit, dum ait, Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quo fit, vt copiosiore indigeant alimento, quia plus insiti caloris habent. Et rursus, A estate & autumno cibi copiam ferunt difficilime, hyeme facilime, vere minus. Nam si ventres hyeme natura calidissimi sunt, calor autem insitus concoctionis est instrumentum, perfectissima fiet hyeme concoctio ciborum, cuius soboles sanguis est: non pituita, quæ imbecillam cõcoctionem sequitur. Hanc igitur quæstionem dissoluit Galenus, subobscure tamen. Quare vt quæ à Galeno dicuntur facilius intelligi possint, aduertere oportet, corpora nostra & per se, & ex accidẽti ab hyeme affici posse, diuersasq; esse, immo contrarias, huiusmodi mutationes. Per se namque refrigerantur corpora hyeme, quæ humida & frigida est; ex accidenti tamen calfiunt, calore per antiperistasin ad interna reuocato. Qui igitur sibi non cauent ab externi aëris frigore, hi sane non solum corporis habitu, sed etiam cauitatibus, & internis visceribus perfrigerari solent; atque id est quod inquit Galenus, quibusdam hyeme refrigerari ventrem, ex itinere, aut vestium penuria, aut studiorum genere. His nãq; ambientis aeris frigiditas in corpus quâ penitissime penetrat, refrigeratoq; vẽtriculo, iecinore, & venis, & vniuerso corporis habitu, læsisq; proinde tribus concoctionibus, pituita his omnibus hyeme abũdat. Qui vero ab externi aeris iniuriis se tutos seruant, neq; hyemis vim sentiũt, neq; perfrigerantur, aut saltẽ refrigerantur tantũ extima cute: quo fit, vt calore ad interna fugato, & viscera interna, & ventres magis calfiãt. Concoquũt igitur optime ob copiã natiui caloris assumpta alimenta, non solum in ventriculo, verum etiam in hepate & venis, & vtilem potius sanguinem colligunt, quam redundantem pituitam. Quinetiam solæ corporis partes perfrigerantur interdum hyeme, cauitates autem solæ calfiunt: quo tempore in iecinore & venis & vniuerso corporis habitu pituita redundabit; in ventriculo autem ob caloris copiam optima fiet ciborum

Marginalia: A (beside first line); B (beside "hyemis frigiditas..."); 1. aphor. 15. (beside "nem potius augeri voluit"); 1. aphor. 18. (beside "insiti caloris habent"); C (beside "insiti caloris habent"); D (beside "me refrigerari ventrem").

A rum concoctio. Ex his facile profligatur proposita quæstio, nam si propriã hyemis naturam expendas, quæ per se corpus refrigerat & humectat, certissimum est pituitam hyeme augeri: quod dixit hoc libro Hippocrates. At in aphorismis, expendens potius quod ex accidenti contingit iis qui externi aëris vim nequaquam experiuntur, verissime quoque docuit, copiosiora alimenta facilius superari hyeme: vnde sequitur, augeri potius sanguinem. Ceterum præter frigidam & humidam intemperiem, quæ caussa efficiens est, alteram caussam materialem (vt vocant) adiungit, quæ magni quoque momenti est ad redũdantem pituitam hyeme gignendam. Hæc autem caussa est copia ciborum pituitosorũ, aut frequens ipsorum vsus. Vescuntur enim homines hyeme pane copiosiore, B leguminibus multis, oleribus, rapis, carne suilla recenti, cochleis, caseo, & iis quæ Græci rhyemata vocant. Sunt autem rhyemata, vt testatur Galenus, præstantiora itriorum genera; nam quæ deteriora sunt, lagana potius appellantur. Lib. 1. de alim. fac. cap. 4. Præterea potus vini recentis, quo nonnulli vtuntur hyeme, ad pituitam augendam non parum conducit. Ex quibus tandem colligimus, pituitam in his hyeme augeri, qui internis visceribus perfrigerantur, aut qui pituitosis eduliis, aut nimis aut frequenter vescuntur: contra vero in his hyeme augeri sanguinem, quibus interna viscera per antiperistasin calfiunt, aut qui optimam seruare student victus rationem. Alteram quæstionem de temperie veris & sanguinis, quam Galenus hoc commentario attingit, lib. de temper. explicabimus.

HIPP. SENT. XXXVI.

C HAbet igitur corpus humanum hæc omnia perpetuo, temporis autem anni circumacti ratione, nunc magis augescunt, nunc imminuuntur singula ipsorum, secundum partem, & secundum naturam.

GAL. COMMENT.

Omnia, inquit, cõmemorata, hoc est quattuor humores, corpus humanũ toto vitæ curriculo obtinet: id enim significat ipsi τα ἀιδια, id est perpetuo. Augescũt D *autem, inaniunturque hæc, prout anni tempora mutantur: nam temporis anni circumacti ratione, idem significat quod transmigrantis, id est mutati, & in aliud quoddam sibi proximũ transeuntis. Porro quod augescere hæc & diminui secundum partem, & secundum naturam dicit; nonnulli quidem secundum partem intelligunt de corporis partibus esse dictum: nonnulli vero, ei quod secundum naturam dixit, contrarium. Vt oratio sit talis, quattuor humores comprehenso humanum corpus semper obtinet, copiosiores autem & pauciores pro anni partibus, et pro natura. Quod si mutata orationedicas, sensum habebit tum vtilem, tum verum, nam humorum copia secundum anni tempora variat, si annus secundum naturam dispensetur: et secundum totius anni partes, etiam si non secundum naturam gubernetur, humores quantitate differunt. Licet etiam de anni temporibus partes inaudire.*

Perspicua

Perſpicua eſt auctoris ſententia, vtpote quæ ſuperiorum ſit epilogus. Illud A tantum continet difficile, quod ad finem ſcriptum eſt, Secundum partẽ, & ſecundum naturam: cuius loci tres adfert interpretationes Galenus. In prima illud Secundum partem refert ad partes corporis, quaſi velit quattuor humores augeri & imminui pro diuerſa partium corporis temperie: quod certe veriſſimum eſt. Nam in ventriculo frigido abundat pituita, in calido nequaquam: & in iecore calido augetur bilis, in frigido autem pauciſsima gignitur. Altera vero pars, Secundum naturam, & de propria temporum anni, & vniuſcuiuſq; humoris natura apte intelligi poteſt: neque enim id explicauit Galenus. Propoſuit vero his verbis hanc primam interpretationem, Vt oratio ſit talis, quattuor hu- „ mores comprehenſos humanum corpus ſemper obtinet, copioſiores autem, & „ pauciores, pro anni partibus, & pro natura. Quo loco ſuſpicor, in Græco etiam B exemplari mendam ſubeſſe, & pro τοῦ ἐνιαυτοῦ, id eſt anni, legendum eſſe τοῦ „ σώματος, id eſt corporis. Si enim illud Secundum partem retulit ad partes corporis, quomodo quæſo harum non meminit, ſed tantum partium anni? In altera interpretatione Secundum partem contrarium facit ei quod eſt Secundum naturam; vt ſit is ſenſus, Per anni tempora augentur & minuuntur humores; ſecundum naturam quidem, ſi totus annus ſecundum naturam diſpenſetur; ſecundum partem vero, ſi præter naturam ſe habuerit. Nã ſi hyems frigida ſit & humida, augebitur pituita: ſi frigida & ſicca, atra bilis potius augebitur. Quæ ſane interpretatio vtilis eſt, licet videatur aliquantulum violenta. Tertia interpretatio eſt omnium facilima, in qua illud Secundum partem refert ad partes anni, illud vero Secundum naturam, quo referri debeat, non docet. Quod ſi referatur ad propriam cuiuſque humoris naturam, is erit ſenſus, Augentur & minuuntur humores, & ſecundum anni tempora, & ſecundum propriam naturã, C quæ anni temporibus reſpondeat, vel aduerſetur. Aliam interpretationem à ſuperioribus omnino diſtinctam commentus eſt Euſtathius Quercetanus. Putat enim Hippocratem his verbis docere, humores augeri ac decreſcere per temporum viciſſitudines; ita vt & priſtinum modum ſuperent, aut infra eum conſiſtant; & nonnumquam illum etiam excedant, qui eſſe cuiq; ſalubris ſolet. Illud, inquit, innuit Hippocrates vocibus κατὰ μέρος hoc vero indicat ſub verbis κατὰ φύσιν. Atqui hæc interpretatio violentiſsima profecto mihi videtur: quomodo enim violentum non ſit, ſecundum partem interpretari, ſupra, aut infra priſtinam humorum menſuram; Secundum naturam vero, ſupra propriam cuiuſque corporis naturam? Sed & grauius adhuc peccat, quod iuxta hunc ſenſum Hippocratis ſententiam peſſime conuertat, nimia licentia vſus.

HIPP. SENT. XXXVII. D

QVemadmodum enim totus annus particeps eſt omniũ, & calidi, & frigidi, & ſicci, & humidi; neque enim in hoc quidquã vllo tempore conſiſteret ſine omnibus quæ in hoc mundo inſunt: verum ſi vnum aliquod deficiat, omnia ſimul abolebuntur; nam omnia ab eadem neceſsitate conſtituta ſunt, & à ſe mutuo aluntur.

GAL. COMMENT.

Calidum, frigidum, ſiccum, & humidum, non quod ſecundum excellentiam

nomina

nominatur, consideraturque, sed elementare intelligens, etiam in proposita ora-
A *tione indicauit, vbi inquit, annum vniuersum omnium esse participem. Quippe non eorum omnium quæ per excellentiã dicuntur, vniuersus annus cõpos est, sed elementorum; tota quidem hyems humidi & frigidi: æstas contrariorum, sicci & calidi: autumnus frigidi & sicci. Præterea manifestius hoc innuit, cum diceret, corrũpenda etiam alia, si vnum ex ipsis interierit. Etenim cum vnum ex elementis perit, id quod ex ipsis compositum est corruptũ iri vera est oratio; cum ex iis quæ secundum excellentiam nominãtur, falsa. Quippe contrarium ipsum verum est, cum aliquid ex illis perit quæ ex dominio appellationem sortiun-*
B *tur, oppositum ipsi conseruari; cum enim æstas non est, hyems est: cum hyems non est, æstas est: cum ver abest, autumnus est: cum autumnus non est, ver est. At si omnino calidum elementum perierit, humidum quidem concrescet, quoniam non amplius calidum est. Sin autem sol omnino interit, nulla plãta, neque animal relinquetur. Eâdem ratione si frigidum elementum pereat, omnia ignis erunt: & si siccum, aqua erunt omnia: atque sic vniuersa in mundo generata corpora corrumpentur. Idcirco dixit, elementaria in ipso corpora ex se inuicem nutriri; nã exactum elementum intelligitur magis quam sit; quod vero cũ illo propemodum idem est, vnum aliquod est ex eorum numero quæ subsistunt. Si igitur absolute*
C *humidam frigidamque aquam fieri cogites, non aqua adhuc seruabitur, quippe statim concrescet, subsistet, & fluere cessabit. Item si terram simili modo adamussim siccã frigidamq; consideraueris, durius adamante tale corpus erit. Atq; si eiusmodi euaserit, stirpiũ generatio desinet; vbi autem hæc desierit, etiam animalium nutrimentum abolebitur; & si hoc, nimirum ipsa etiam animantia. Cum igitur elementum secundum excellentiam intelligitur siccum & frigidũ, & terra quæ in mundo est, siccum esse & frigidum corpus dicitur, & aqua humidum. Verum ignis ipse cuiusdam aëriæ etiam substantiæ, sicut & fumosæ particeps est; quin & humiditatis ad nutritionem manifesto indiget, sicut in lucer-*
D *nis flammæ ostendunt. Quapropter mundi elementa alimentum ex se mutuo obtinent, atque ideo Plato quoque dixit, Idem enim, vt sibi alimentum suum & corruptionem exhibeat, ac omnia in se, & â se, tum patiatur, tum agat, artificiose fabricatum est.*

Absoluta disputatione de communibus & propriis elementis, vtraque comparat inter sese, duplicemque inter ipsa similitudinem inueniri docet. In eo in primis conueniunt, quod quemadmodum totus annus particeps est calidi, frigidi, sicci, & humidi, ita vt si aliquod ex his deficiat, necessarium sit omnia quæ in mundo sunt aboleri: sic quoque corpus hominis & aliorum animalium sanguine præditorum, quattuor humores ita perpetuo continet, vt si aliquis horum deficiat, necesse sit hominem interire. Colligit rursus ex hac sententia Galenus, nomine calidi, frigidi, sicci, & humidi, intellexisse Hippocratem com-

munia mundi elementa, non autem ea quæ dicuntur talia per exuperantiam. A
Quippe dixit Hippocrates, totum annum, calidi, frigidi, humidi, & ſicci, participem eſſe: at annus non dicitur particeps humorũ, & partium ſimilarium; ſed potius ignis, aëris, aquæ, & terræ, ex quorum qualitatibus anni tempora conſtituuntur. Dixit præterea, ſi calidum, vel frigidum, vel humidum, vel ſiccum defecerit, omnia quæ in mundo ſunt, neceſſario corrumpi: at deficiente parte aliqua ſimilari, aut aliquo humore, interire quidem poſſunt animalia, non tamen proinde peribunt omnia quæ in mũdo reperiuntur. Vnde patet, nomine calidi, frigidi, ſicci, & humidi, cõmunia mundi elementa intelligi oportere: de quorũ neceſſario vſu agit Hippocrates in præſentia, omnia, dicens, ab eadem neceſſitate conſtituta eſſe, & à ſe mutuo ali. Conſtituta quidem ſunt ab eadem neceſſitate, quia ob communem quẽ præbent vſum, neceſſaria omnino ſunt ad mundi B
conſeruationem. Vſus autem eſt, vt contrariis qualitatibus ſe inuicem temperent, quibus agentibus & patientibus mixtio fit, ad compoſitorum corporum generationem neceſſaria. Atqui deficiente aliquo elemento mixtio ſimul è medio tollitur, quia elementum deficienti contrarium integras vires ſeruabit. Si namque, vt Galenus ait, calidum elementum omnino perierit, elementum humidum, nempe aqua, à ſumma frigiditate, quæ pereunte calido remanebit, neceſſario concreſcet. Sin autem, inquit, ſol omnino interit, nulla planta, neq; animal relinquetur. Sed quorſum agit de ſole, cum de communi quattuor elemẽtorum vſu ſermo ſit inſtitutus? Nũquid ſol e numero elementorũ eſt, vt videtur aſſerere, qui igneũ elemẽtum negant? Ceterũ culpa interpretis nata eſt hæc difficultas, qui locũ hunc male tranſtulit, qui Græce ſic habet. ἀπολεῖται δὲ παν- C
τάπασιν ὁ ἥλιος, οὐδ' ἐν δὲ οὔτε φυτὸν, οὔτε ζῶον ὑπολειφθήσεται, id eſt, auferetur autẽ omnino etiam ſol, vnde nulla planta, neq; animal relinquetur. Quaſi velit Galenus, pereunte elemento calido, nempe igne, non ſolum aquam concreſcere, ſed auferri etiam ſolem; eoque ſublato auferri ſimul plantas & animalia; vtpote quæ ad ſui generationem, & conſeruationem, viuifico ſolis calore indigeant. Quod ſi pereunte igne aufertur ſol, ſentit haud dubie Galenus, ſolem non ſecus ac corpora hæc inferiora ex quattuor elementis conſtare: de qua re inter philoſophos eſt quæſtio. Neque tantum aufertur mixtio pereunte elemento calido, ſed alio quocunque deficiente neceſſario aboletur. Si enim frigidum elementum pereat, omnia ignis erunt: & ſi pereat elementum ſiccum, aqua erunt omnia; proptereaque vniuerſa quæ in mũdo ſunt corpora corrumpentur. Sed præter hunc vſum communem, quem ſolum attigerunt Hippocrates & Galenus, alios peculiares ſingula elementa mixtis corporibus, potiſsimumque a- D
nimalibus, priuatim exhibent. Calidi elementi multiplex eſt vſus, id namque generationis, auctionis, & nutritionis auctor cẽſetur: atque, vt vno verbo dicam, præcipuum inſtrumentum eſt omnium fere actionum naturæ, quarum beneficio viuimus. Frigidi elementi iidem fere ſunt vſus ad exercendas naturæ actiones: niſi quod calidum per ſe agit, frigidum vero ex accidenti. Neque enim frigidum alicuius actionis naturæ organum eſt, immo pleriſque naturæ actionibus, veluti concoctioni & aſſimilationi, aduerſatur. Ex accidente tamen naturæ actiones iuuare dicitur, quatenus ſcilicet calidum temperat, ac retundit. Quo fit, vt innatum calidum, cui naturæ actiones debentur, ſimplex calidum non ſit, ſed frigido temperatum. Cum primum vero ab hac temperie calidum receſſerit, idoneum naturæ organum amplius non eſt, vt in febrientibus experimur. Adhæc elementum frigidum in cauſſa eſt, vt calidũ aliquando à ſuo motu quieſcens,

A scens, feratur ad interna, fruaturque nutrimento sibi à natura præparato, vt in plures annos animalia durare possint. Alioqui enim insito sibi motu ferretur perpetuo in sublime, & perpetuum efficeret triplicis substantiæ effluuiũ. Iam vero elementum humidum in prima statim animalis formatione insignem præstat vsum, vt actiones, alterationesque a calido prouenientes in subiectam materiam facile suscipiantur: quod sane humidi propriũ est, vt recte docuit Aristoteles, humidum definiens id esse, quod alienam figuram facile admittit. Præterea vinculum est, ac veluti gluten, quo diuersorum elementorum substantiæ vniuntur: neque enim humidum primogenium aqueum est dumtaxat, verum etiam aëreum, ac propterea pingue. Est quoque pabulum, ac veluti nutrimentum calido innato præparatum, non secus ac externæ flammæ oleũ, cera, aut seuum. Tandem elementi sicci triplex est vsus, in prima enim formatio- Lib. 2. de ort. & inter. cap. 2.
B ne id præstat, vt alterationes quæ proficiscuntur à calido, in subiecta materia retineantur, diutissimeque durent: quod sicci proprium est. Efficit deinde, vt generationis nostræ principia sensim exsiccentur, ne scilicet præ nimia humiditate inepta essent ad partium potissimum solidarum formationem. Cum vero duplex sit elementũ siccum, igneum, & terreum, illi potissimum debetur principiorum exsiccatio: tum quia oportebat humida remanere principia, cum potissimum quia ignis præter quã quod siccat, agilitatem quoque actionibus præbet. Postremo siccum elementum terreum, solidam substantiam tribuit, ex qua vna cum spirituosa & humida singulæ animalium partes constituuntur. Quæ cum ita sint, manifesto liquet quattuor elementa ad mundi conseruationem esse necessaria. Sed & mutuam operam sibi inuicem præstare videntur, quoniã,
C vt inquit Hippocrates, à se mutuo aluntur. At cùm solis viuentibus vera conueniat nutritio, eo tantum nomine dicentur elementa nutriri, quod in se inuicem transmutentur: quo etiã pacto Plato & Aristoteles nutritionem elementis concesserunt. Quod si à se inuicem elementa aluntur, recte Galenus colligit, pura ac sincera elementa mente potius concipi, quam reuera dari. Sunt igitur, quæ nunc in mundo sunt, ignis, aer, aqua, & terra, sibi quidem inuicem permixta; eadem tamen cũ veris purisque elementis nomina seruãt, quia videntur adhuc veterem illam purorum elementorum formam retinere. Quod accuratius explicauit lib. 1. de elem. sic scribens, Sunt enim hæc omnia quasi adulterata, & aliis mista quæ sunt diuersi generis, semperque alterum alterius tum magis tum minus particeps est; vt tamen in mistione ipsa illius (si quis animum in Timæo. Lib. 2. de ort. & inter. cap. 8. Cap. 5.
D intendat) forma appareat, quod alia excedit. Et lib. 1. de simp. medi. fac. cum docuisset aquam puram dignoscendam esse gustu, visu, & olfactu, explicans quid per sinceram aquam intelligere oporteat, ita habet, Igitur aqua, quæ absque his est omnibus, vt ad naturam certe, ne ipsa quidem adamussim sincera fuerit, sicut nec aliud vllum ex quattuor elementis; sed vt ad sensum & vsum sincera est. Sed & hoc commentario probat exemplo aquæ & terræ, pura elementa nullum vsum mundo præbere posse. Nam pura sinceraque aqua à summa frigiditate necessario concresceret, essetque proinde ad nostros vsus prorsus inutilis. At quæ nunc reperitur in vniuerso, & ad irrigandã terram, & ad animalium potum, & ad balnea, vtilissima, immo necessaria censetur. Similiter terra, si purum elementum esset, ob summã frigiditatem & siccitatẽ durior esset quouis adamante; talis vero ad plantarum generationem ineptissima fuisset: quibus è medio sublatis, ob nutrimẽti defectũ animalia periissent. Nec; mirum videri debet, si terra & aqua impura elementa sint, & aliis mixta; cũ & ignis ipse, Cap. 5.

H qui

qui ceteris purior videtur, aliorũ quoq; elementorũ sit particeps. Cur enim flã-ma (quod in cucurbitulis fieri experimur) cũprimũ externi aeris cõmercio priuata fuerit, extinguitur, nisi quod aëre participet? Fumosæ itidẽ vstilagines, quæ conspiciũtur lucernis extinctis, flãmã terrę participẽ esse certissime demõstrãt. Iã vero quod flãma humiditate aërea simul & aquea ad sui nutritionẽ indigeat, candelæ accensæ & lucernæ manifesto ostendunt; in quibus absumpto oleo, cera, aut seuo, flamma promptissime extinguitur. Quæ cum ita se habeant, nescio profecto qua ratione ducti nostri philosophi, pura impermistaque elementa in suis locis naturalibus seruari contendant; aut quem vsum otiosis istis & fictitiis elementis tribuere possint. Nullus igitur sub concauo lunæ purus est ignis, sed solus iste qui nobiscum est, quemque antea diximus aliorum esse participem, mundi est elementum: vt recte inter alios sentit Cardanus, quem sane immerito Iulius Scaliger, & Ioannes Argenterius hoc nomine reprehendunt. Non tamen propterea negauerim, vtilissimum esse, immo necessarium, de elementis disputare, quasi integra sint, & nullo pacto adulterata, vt propriam singulorum naturam, natiuasque vires assequamur: quod veteres omnes philosophos fecisse constat.

HIPP. SENT. XXXVIII.

ITa etiam, si aliquod ex his cognatis in homine deficiat, non vtiq; poterit viuere.

GAL. COMMENT.

Cognata vocauit sanguinem, pituitam, & vtramque bilem, quandoquidem primam conformationem habuit conceptum * *ex materno sanguine omnium participe, item augmentum, alimentumque similiter. Si igitur omnino e corpore nostro vel humidum, vel siccum, vel calidum, vel frigidum interit, statim humores corrumpentur, qui per excellentiam, non sincere, neque exacte sunt humidi, sicci, calidi, & frigidi. Nam pituitam humidam & frigidam esse dicimus, non ceu contrariorum expertem, sed veluti ab his superatam. Et si frigida exacte esset solum, glaciei modo concresceret; sicut etiam si humida ad amussim esset, non haberet crassitiem, neque viscositatem. Eâdem ratione dicitur & de vtraque bile; nam flaua, sicca; nigra, sicca & terrestris esse dicitur; humiditatis etiam nimirum particeps: alioqui non esset humor, sed solidum corpus, vt adamas. Sic autem & frigida dicitur, quod plus in ea frigiditatis quam caloris existat, nam si exacte esset frigida, glaciei instar concresceret. Sed quid opus est de his verba facere, cum ipse sanguis, qui videtur temperatissimus, talis dicatur, quod nihil in ipso contrariorum inter se admodum præpolleat, neque calidum frigido, neque frigidum calido, neque humidum sicco, neque siccum humido? Quoniam igitur & sanguis ipse quattuor indiget qualitatibus, humiditate, siccitate, caliditate, et frigiditate; constat omnibus, aliorum quoque humorum mistionem ipsum*

* τὸ κυόμενον.

A B C D

sum

A *ſum requirere. Atque ob id temperatiſsimus ſanguis particeps erit & pituitæ, & bilis flauæ, & atræ. Iam vero eſt quædam alia ratio naturalis, non parum ad probandum efficax, qua humores quattuor ad mores idoneos generandos vtiles demonſtrantur. Verum prius oſtendiſſe in ipſa conueniebat, animi mores corporis temperaturam ſequi: de quo nos etiam alibi ſcripſimus. Itaque hoc ſtatuto acrimonia animi & prudentia ex bilioſo humore proficiſcitur: conſtantia vero & firmitas ex melancholico: ſimplicitas autem & ſtoliditas ex ſanguine: pituitæ vero natura ad mores fingendos inutilis. Neceſſariam vero ex prima ciborum mutatione generationem habere videtur.*

Communium elementorum vſum antea docuerat, nunc autem proponit B vſum elementorum propriorum, nempe quattuor humorum, quos vocat hoc loco (quemadmodum etiam ſententia vigeſimaſexta) homini cognata, quoniam ex illis homo gignitur, augetur, & toto vitæ tempore nutritur. Atqui vſu conuenire videntur vtraque elementa. Nam vt communia ita ſunt neceſſaria ad mundi conſeruationem, vt ipſorum aliquo deficiente, omnia quæ in mundo ſunt, aboleantur: ita quoque elementa propria ad hominis conſeruationem ſic ſunt neceſſaria, vt ſi ipſorum aliquod deficiat, hominem interire ſit neceſſe. Hinc intelligimus, nunquam voluiſſe Hippocratem, vnum aliquem humorem in purgationibus immodicis omnino euacuari, vt annotatum iam eſt com. 29. Porro quattuor humores duplicem præbent vſum, communem, & proprium. Communis quidem eſt, vt ſe inuicem temperēt mutua contrariarum qualitatum actione, ſicque temperati miſceantur. Alioqui C enim ſi integras ſeruarent vires, neque ad conſtituendam maſſam, neque ad partes nutriendas conducerent: nedum ſi ſummas obtinerent qualitates, vt prima elementa. Quippe ſi pituita ſumme eſſet frigida, neceſſario concreſceret: ſi vero eſſet ſumme humida, nullam haberet craſſitiem. Et atra bilis ſi ſummā ſiccitatem haberet, eſſet profecto ſolidiſsimum corpus potius quam humor. Quare pituita frigida dicitur & humida, quia hæ qualitates in pituita præpollent, etiamſi aliarum ſit particeps. Idem dicendum de vtraque bile. Immo & ſanguis ipſe, qui temperatiſsimus videtur, talis dicitur, non quod contrariarum qualitatum ſit expers, ſed quod nulla in ſanguine qualitas admodum præpolleat. D Quibus verbis videtur ſignificaſſe Galenus, exiguū aliquem qualitatū exceſſum reuera in ſanguine reperiri: quod ſane veriſſimum eſt, quia modice calidus & humidus eſt, vt alibi dicemus. Ceterum quamuis quattuor humores qualitates remiſſas habeant, vtpote qui ex primis elementis per ſe tota temperatis gignantur; noua tamen ſui ipſorum temperatione, & per ſe totos miſtione indiguerunt, ne eorum aliquo deficiente totius ſanguinis conſtitutio aboleretur. Sed præter hunc vſum communem, alios priuatim ſinguli humores præbent, dum proprias ſubſtantias & qualitates ſanguini impertiuntur. Pituita namque frigiditatem ſanguini tribuit, quemadmodum caliditatem vna cum ſubſtantiæ tenuitate, bilis: & humor melancholicus ſoliditatem ac craſſitiem. Atqui hæc partium varietas in ſanguine ad diuerſarum corporis partium generationem & nutritionem erat omnino neceſſaria, quemadmodum etiam ad morum varietatem inſignem, quæ in ipſis hominibus obſeruatur. Quippe cum partes quædam calidæ ſint, aliæ frigidæ, aliæ molles, aliæ duræ; oportebat profecto, ex partibus calidis, frigidis, humidis, ac ſiccis

constitui sanguinem; vtpote qui generationis nostræ sit principium, & commune omnium partium nutrimentum: vt scilicet gignendis partibus idonea materia, nutriendis vero familiare alimentum suppeteret. Atque id est quod innuit Galenus in commentario, cum sanguinem ait aliorum quoque humorum mistionem requirere, quia quattuor qualitatibus (exuperantibus scilicet) indiget, caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate. Vnde recte colligit, ob id temperatissimum sanguinem pituitæ & vtriusque bilis esse participem. Sed dubium est, quem sanguinem dicat esse temperatissimum, an quartum humorem, an potius ex quattuor humoribus constitutum. Hunc putat Vallesius temperatissimum dici hoc loco, quoniam is particeps est pituitæ & vtriusque bilis, à quibus tamen omnino distinctus est sanguis quartus humor. Monstrat tamẽ dictionis series, & Galeni institutum, locum potius de quarto humore intelligẽdum esse. Instituerat enim in præsentia docere, sanguinem quartum humorem, quem paulo antea temperatissimum esse dixerat, reliquorũ humorum mistionem postulare, quia ob corporis partium diuersitatem quattuor qualitatibus indiget. Indiguit quoque sanguis aliorum humorum mistione, propter diuersitatem morum, quæ non aliunde magis pendere videtur, quam ex diuersa natura humoris in sanguine præpollentis. Cuius rei caussa vt intelligatur, postulandum est id de quo peculiarem librum conscripsit Galenus, quod scilicet animi mores sequantur corporis temperiem: quod tamen de insitis, non de adquisitis moribus intelligere oportet. Voco autem insitos mores, propẽsiones quasdam singulis hominibus congenitas, à quibus ad rem aliquam vel amore, vel odio prosequendam veluti incitantur. Quibus sane non raro contrarii sunt, qui studio, consuetudine, aut alia quapiam ratione adquisiti sunt mores. Sic enim Socratem ferunt, cum esset ex sua natura in venerem procliuis, philosophiæ studio continentissimum euasisse. Sequuntur autem merito corporis temperiem insiti mores, quoniam ex actionibus, seu pathemathis facultatis irascibilis & concupiscibilis potissimum expenduntur; quarum altera in corde, altera vero in iecore sedem habet. Sed & ex animæ actionibus mores colliguntur, vt indicat prudentia, quæ ad rationem haud dubie pertinet. Quo fit, vt non solum cordis & iecoris temperiem mores sequantur, verum etiam temperiem cerebri, quod animæ est sedes. Quamuis enim rationalis anima separabilis à corpore sit, & immortalis, negari tamen non potest, quin ipsi, dum in corpore veluti in ergastulo quodam detinetur, cerebri temperies ad suas actiones exercendas vsum aliquem præbeat. Non tamẽ licet ex iis quæ dicta sunt impie colligere, neque supplicio vicia, neq; virtutes præmio dignas esse, quasi non libere, sed solo naturæ impetu boni simus, aut mali. Quippe cum ratio, no secus ac regina quædam, subditis sensibus præsit, præsit itidem irascibili & concupiscibili, veluti auriga equis: liberum est cuique, & bona amplecti, & mala vitare. Hoc itaque semel statuto, quod animi mores corporis temperiem sequantur, facile intelligitur, quomodo ex diuersitate humorum nascatur morum varietas, cum pro diuersa corporis temperie varii humores redundare soleant. Qui autem mores ex quibus humoribus nascantur, breuissime nunc Galenus explicat, à bile exorsus. Acrimonia, inquit, animi, & prudentia, ex bilioso humore proficiscitur: quod plane tum cerebro, in quo animæ actiones vigent; tum spiritibus animalibus, qui earum actionum instrumenta censentur, acceptum referri debet. Nam quibus sanguis biliosus fuerit, his cerebrum in suo genere calidum erit & siccum; caliditas

Lib. 1. contro. cap. 15.

A B C D

vero

A vero temperamenti, ac potiſsimum quæ ſiccitatem coniunctam habet, omnibus animæ actionibus agilitatem quandam, & promptitudinem tribuit. Adhæc cerebri bilioſo ſanguine nutriti ſubſtantia, ſubtilior, tenuiorq; neceſſario euadit: at tenuitas (ſi Galeno credimus) non ſecus ingenium acuit ac hebetare ſolet cerebri craſſities. Id quod ſignificauit etiam Ariſtoteles, dicẽs tenuiorem ſanguinem ſentiendi ac intelligendi vim maiorem habere, craſſiorem vero roboris potius eſſe cauſſam; vt in tauris experimur. Præterea ex ſanguine bilioſo ac tenui ſplendidiores gignuntur ſpiritus, & magis ætherei, qui ſane ad ingenii acrimoniam plurimum facere videntur. Hinc ortum habuit veriſsimum illud Heracliti dictum, Splendor ſiccus, animus ſapientiſsimus: & dogma Stoicorum, naturæ ſpiritum frigidiorem & humidiorem, ſpiritum vero animæ

In art. med. cap. 12.
Lib. 2. de part. anim. cap.

B calidiorem & ſicciorem ſtatuentium. Ab eiſdem quoque cauſſis fit, vt bilioſus humor prudentiam gignat; ſi tamen vera prudentia ſit quæ in bilioſis inuenitur, quibus ſane, vtpote ingenio mobilibus & inconſtãtibus, calliditas ſeu vafrities potius quam prudentia familiaris eſſe ſolet. Quod indicat etiam Græca dictio συνετὸς, qua vtitur Galenus, quæ callidum potius, & aſtutum ſignificat, quam prudentem. Ex melancholico humore docet naſci firmitatem & conſtantiam, ob ſolidiorem ſcilicet partium ſubſtantiam, quæ ſanguine melancholico nutriuntur. Vnde fit, vt in ætate declinante, in qua melancholica temperamenta ſecundum naturam fiunt, reddantur homines conſtantiſsimi, & laborum patientiſsimi; euadantque proinde eadem illa ætate, & optimi rerum publicarum gubernatores, & in bello milites ſtrenui, prudenteſque

C imperatores. Sed quæ de bilioſis & melancholicis hactenus diximus, ita ſe habere intelligendum eſt, dum recte ſanguini vterque humor permiſtus fuerit. Alioqui enim, ſi tantum increuerit, vt ſanguini innatet, periculum profecto imminet, ne bilis pro ingenii acrimonia maniam, humor vero melancholicus pro firmitate & conſtantia melancholiam morbum inducat. Sed progrediamur iam ad ſanguineos, quorum dignitati non parum videtur detraxiſſe Galenus, cum ſimplicitatem & ſtoliditatem ex ſanguine fieri ſcribat: quem tamen optimorum morum auctorem potius eſſe oportebat; vtpote qui humorum omnium optimus ſit, noſtræque naturæ maxime familiaris. Confirmat id quoque experientia, quæ frequentiſsime monſtrat, ſanguineos hilares eſſe, humanos, ac prorſus ingenuos. Quænam igitur erit propoſitæ dubitationis ſolutio? Sanguis quidem, vt Galenus ait, hominem reddit ἁπλοῦν, id eſt ſimplicem. Hæc tamen ſimplicitas à fatuitate & inſcitia (quæ pituitoſis potius conuenit)

D maxime diſtinguitur. Eſt enim hæc animi morumque ſimplicitas maxime probanda, ingenuique hominis propria. Sunt itaque ſanguinei moribus & animo ſimplices, non ſecus ac bilioſi duplices ob ingenii mobilitatem & inconſtantiam. Huc accedit, quod Græca dictio ἁπλὸς, non ſimplicem tantum, & incautum, verum etiam ingenuum ſignificet. De ſtoliditate res eſt difficilior, ſed neque hanc ſanguineis ſimpliciter tribuit, ſed collatione tantum ad bilioſos & melancholicos, de quibus antea diſputauerat. Certum enim eſt bilioſos & melancholicos prudentiores eſſe & callidiores ſanguineis, quos fallere ob animi ſimplicitatem, morumq; integritatem, difficile non eſt. Indicat id vox comparatiua, qua vſus eſt Galenus, neq; enim ἠλίθιον dixit, ſed ἠλιθιώτερον. Agens tandẽ de pituita id tantũ docet, quod ipſius natura ad mores fingendos ſit inutilis. Siquidẽ frigiditas actiones oẽs, animaleſq; potiſsimũ torpidas reddit: & cerebri ſubſtantia ſanguine pituitoſo nutrita, craſſa indies efficitur; & ſpiritus

gignũtur craſſi ac caliginoſi, qui cerebro veluti nebulã offundũt. A quibus cauſ- A
ſis merito fit, vt pituitoſi inertiſſimi ſint, & ad quiduis agendũ, aut intelligendũ omnium ineptiſſimi. Sunt nãq; ex ſua natura ſtolidi, & maxime fatui, atque, vt vno verbo dicam, ad omnia prorſus inutiles: nam cibo repleti, & profundo ſomno obruti, porcorum ritu vitam traducunt. Dum vero ait extremo cõmentario, Neceſſariam vero ex prima ciborum mutatione generationẽ habere videtur; pituitæ generationem obiter attingit, eo nimirum conſilio, vt cauſſam explicet, cur pituita ſit ad mores fingendos inutilis. Quippe ſi ex prima ciborum mutatione generationem obtinet pituita, erit neceſſario crudus, rudis, nec ſatis elaboratus humor. Quid igitur miri, ſi talis cum ſit, homines itidem in quibus redundat, rudes, & inertes efficiat? Ex hoc loco intelligitur, pituitam, (eam etiam quæ naturalis eſt) in ventriculo potius gigni quam in hepate, cum prima ciborum mutatio ſiue concoctio in ventriculo fiat.

B

HIPP. SENT. XXXIX.

INualeſcit autem in anno nunc hyems maxime, nunc ver, nunc æſtas, nunc autumnus. Ita & in homine modo pituita inualeſcit, modo ſanguis, modo bilis, primum ſane flaua, deinde nigra.

GAL. COMMENT.

Clara eſt viri ſententia, qui oſtendere nititur, quemadmodum in anno alias humidum & frigidum præpollet, vocaturque tale anni tempus hyems; alias humidum & calidum, quando ver eſt: alias ſiccum & calidum, quæ æſtas nominatur: poſtremo ad hæc ſiccum & frigidum in autumno: ſic & in homine præualet pituita quidem hyeme, humor frigidus & humidus: ſanguis in vere, calidus & humidus: flaua bilis æſtate, ſicca & calida facultate prædita: nigra in autumno, ſicca & frigida, quemadmodum & ipſe autumnus exiſtit. C

Scribit alteram ſimilitudinem inter elementa communia & propria, nam quemadmodum totus annus particeps eſt calidi, frigidi, humidi, & ſicci: ita & corpus humanum toto vitæ tempore particeps eſt ſanguinis, pituitæ, & vtriuſq; bilis. Et rurſus, vt in diuerſis anni temporibus diuerſa elementa præpollent: ita & in homine varii augentur humores, vere quidem ſanguis, æſtate bilis, autumno nigra bilis, & hyeme pituita. D

HIPP. SENT. XXXX.

TEſtimonium huius rei manifeſtiſsimum eſt. Si eidem homini idem medicamentum quater in anno voles exhibere, per hyemem pituitoſiſsima tibi euomet, vere liquidiſsima, æſtate bilioſiſſima, in autumno nigerrima.

GAL.

A GAL. COMMENT.

Testimonium prædicti sermonis manifestißimũ esse dicit, in quo singulos humores in singulis anni temporibus excellere docuerat. Nempe quod vomitus, si medicamentum quater in anno quod illum citet propinetur, hyeme sit pituitosior, in vere humidior, æstate biliosior, in autumno nigrior.

Quamuis recte demonstrasset in superioribus, singulos humores singulis anni temporibus sibi familiaribus augeri; nunc tamen veluti ex abundanti idem B confirmat ex iis quæ vomitu reiiciuntur. Nam si eidem homini idem medicamentum singulis anni temporibus propinaueris, vomitus pituitosior erit hyeme, vere liquidior, æstate biliosior, nigrior autem autumno: quod fieri non posset, nisi hyeme pituita, vere sanguis, æstate bilis, autumno vero nigra bilis redundaret. Hæc tamen non videntur conuenire cum iis quæ sententia vigesimasexta docuit. Ostendit enim eo loco, quatuor humores in homine semper inueniri, quia quocumque anni tempore, & quacumque ætate propinetur medicamentum purgans, euometur humor medicamẽto familiaris. Quare si æstate exhibeatur medicamentum purgans pituitam, euometur profecto pituita, non bilis, vt videtur in præsentia dixisse. Respondet recte Syluius, quæ dicuntur hoc loco intelligenda esse de medicamento quod vim habeat solam C ciendi vomitum: quæ vero superius dicta fuerant, intelligenda esse potius de medicamento purgante per vomitũ totius substantiæ similitudine. Id ergo quocumq; tẽpore exhibeatur, purgabit haud dubie per vomitũ humorem sibi familiarem: at quod vim dũtaxat habet ciendi vomitũ (cum id omne quod in ventriculo continetur, per vomitum euacuet, siue in ipsomet ventriculo sit genitum, siue aliunde confluxerit) hyeme quidem pituitosissima, æstate biliosissima, autumno nigerrima vacuabit. Sed cur vere liquidissima potiusquam cruenta, cum vere sanguis augeatur? An quia antequam sanguinis redundantia plurimum grauentur vasa, modice per initia reserari solent vasorum ora, ita vt solis aquosis ichoribus aditus pateat, qui per venarum tunicas interdum etiam resudant? Quippe si sanguis plurimum auctus fuerit, aut temporis diuturnitate magis D grauentur, ac distendantur vasa, non amplius liquida, sed cruenta potius vomitu reiicientur; ipsomet sanguine à vasis per ora patentiora ad ventriculum propulso. Cum autem sanguinem vere augeri ex vomitu liquidissimo ostenderit Hippocrates, colligendum est necessario, talem vomitus speciem redundantis sanguinis esse indicium. Quod ita se habere in artis operibus experti sumus, id primum monstrante Collado eruditissimo, & veteris medicinæ cultore diligentissimo. Quippe cum me adhuc adolescente Onuphrius Torres sacrificus, molestissimo vomitu vexaretur, neque ex vsu adstringentium, quæ alii medici ventriculo admoueri præcẽperant, melius se habere cognosceret; Colladum tandem ad se venire iussit: qui vomitus speciem diligenter contemplatus, huius sententiæ Hippocraticæ memor, abiectis adstringentibus, tenui victus ratione præscripta, & iterata sanguinis detractione, hominem promptissime curauit. Tanti momenti est veterum medicorum sentẽtias intelligere, semelque intellectas vsui accommodare.

HIPP. SENT. XXXXI. A

COnuenit igitur, cum hæc ita se habeant, morbos qui hyeme augescunt, æstate finiri; qui rursus æstate augentur, hyeme desinere: qui ex ipsis non intra dierum circuitum soluuntur. Circuitum vero dierum quis sit, alias exponam. Qui vere gignuntur morbi, eos in autumno solutum iri exspectandum est. Autumnales morbos vere terminari necesse est. Quicumq; vero hæc anni tempora excesserit, hunc annuum fore sciendum est.

GAL. COMMENT.

Initium sententiæ duplicem habet [*in Græco*] *scripturam. Nonnulli loco conuenit, legunt Græce* ὀφείλει, *nonnulli* φιλεῖ, *quod idem valet ac par est, seu conuenit; vtuntur enim nonnumquam voce hac pro conuenit. Reliqua perspicua sunt, vult enim auctor, morbos qui in vetustatem incidunt, & non dierum, sed mensium circuitu fiunt, hos contrario anni tempore ei quo generati sunt, hoc est septimo mense finiri: in quo si non soluti fuerint, annuũ fieri morbum pronuntiat. Porro Annuum nomen potest signare etiam eum, qui post annum suæ generationis soluitur: potest etiam eum innuere, qui septem annorum circuitu, vt septem mensium, finitur. Etenim in aphorismis ita quoque dixit, Plurimi affectus puerorum iudicantur, aut intra quadragesimum diem, aut intra septimum mensem, aut intra septimum annum, aut cum ad pubertatem itur.* B C „ „

Docet extremo hoc libro, quanta sit vtilitas superioris disputationis de incremento & decremento singulorum humorum in singulis anni temporibus. Est autem vtilitas duplex, altera ad prænoscendam prædicendamque morborum solutionem, de qua in præsentia agit; altera vero ad morborum curationem, de qua aget sententia sequenti. Vtilis quidem est ad prædicendam solutionem morborum, quia vt certis temporibus certi gignuntur morbi, quos ipsemet descripsit in aphorismis; ita & certis quibusdam anni temporibus certi quidam morbi soluuntur. Nam qui æstate fiunt, hyeme finiuntur, & contra; & qui autumno incipiunt, soluuntur vere, & contra: & in vniuersum desinere solent parte anni contraria. Minuitur enim tunc temporis humor, qui caussa morbi exstiterat; & humor ipsi contrarius augetur; & habet aër temperiem morbo ipsi contrariam. Sed hæc de his morbis intelligenda esse inquit Hippocrates, qui non soluuntur intra dierum circuitum: tales vero sunt morbi chronici. Acutorum namque terminus est decimusquartus dies, nisi acuti fuerint ex decidentia, vt vocant, qui protrahuntur plerumque ad quadragesimum. Chronici vero dierum circuitu nequaquã finiuntur, sed mensium potius, veluti mense septimo. Nã quæ in acutis ratio est diei septimi, eadem est in chronicis septimi mensis. Quod si chronicus morbus septimum mensem, hoc est partem anni contrariam excesserit, hunc, inquit, annuum fore sciẽdum est. Dicitur autem D

A morbus annuus bifariam, vel quod post annum primæ suæ generationis finiatur, vel quod soluatur annorum circuitu, vt septimo anno, aut decimoquarto. Si quidem morbi in vniuersum soluuntur, aut circuitu dierum, vt morbi acuti; aut circuitu mensium, vt morbi chronici; aut circuitu annorum, vt morbi annui, qualis est epilepsia, & aliquando quartana. Et quæ in acutis ratio est diei septimi, & septimi mensis in chronicis, eadem est in annuis septimi anni. Id confirmat Galenus eo Hippocratis aphorismo, Pueris maxima ex parte iudicantur morbi intra quadragesimum diem, aut intra septimum mensem, aut septimum annum, vel cum ad pubertatem peruenerint. Huc quoque pertinere videtur & aphorismus ille, Epilepsia laborantes pueros, cum loci victusque, tum maxime ætatis mutatio liberat. Nam ætatum mutationes per annorum septenarios solent accidere.

Aphor. 28. lib. 3.

Aphor. 45. lib. 2.

B

HIPP. SENT. XXXXII.

ATque sic medicum ad morbos accedere conuenit, non ignarum, singula hæc in corpore secundum anni tempus pro natura sua maxime constitutum inualescere.

GAL. COMMENT.

Ad quid tota superior de anni temporibus disputatio valeat, nunc in præsenti oratione edocuit: indicans eundem quoque vsum præbere de ætatibus, locis, vitæ studiis, & quotidiana victus ratione enarrationem. Namque medicum ad C *hæc omnia respicientem, oportet coniicere quis humor præpolleat, aut quantitate, aut ipsius viribus; in qua potissimum corporis particula redundet: sic enim curationem optime obierit, sicut in medendi institutionibus docetur. Hippocrates, cum corporis nostri naturam hoc in libro proposuisset inuenire, hac via & ratione ad inuentionem vsus est. Primum sane disquisiuit, vtrum simplex, an multiplex esset: deinde vbi inuenisset esse multiplex, simplicium in eo substantiã qualis sit inspexit, hoc est quam vim habeat, vt ab aliquo patiatur, aut agat. Et huius rei gratia anni temporum, ætatumque meminit, considerans quomodo elementa a se inuenta ipsis respondeant Item inuenit, & morborũ solutionis præ-* D *sagia, & curationes, ad eosdem referendas esse scopos. At dum elementa corpus nostrum componentia inuestigaret, etiam vniuersi mundi elementorum commeminit, quæ reuera sunt elementa. Dicuntur enim nonnumquam per abusionem vocabuli, cuiusque rei ad compositionem simplices & primæ particulæ, illius rei elementa: quemadmodum musica elementa, rhytmica, geometrica, arithmetica, orationis, vocis, & demonstrationis, dixerunt. Similiter etiam plaustri centũ elementa ab Hesiodo esse dicta Plato commemorat, in eo hemistichio, Centum lignaque plaustri. Omnia sane quæ sic dicuntur singularum rerum elementa, non adamussim simplicia sunt, & primaria; communia vero omnium rerum, simpli-*

cia, & prima vere existunt, & proprie nominantur elementa. Hippocrates autem a qualitatibus ipsa denominat, calidum, frigidum, humidum, & siccum: non quæ media summorum sunt, sed ipsa summa, ignem videlicet, & terram, & aquam, et aërem. Hanc igitur methodum Plato censuit sibi esse imitandam, cum de natura animæ consideraret: nullum enim particulare citra totius naturam exacte posse cognosci. Adscribam autem tibi ipsam Platonis dictionem, quæ hunc in modum habet. SO. Animæ igitur naturam sine totius natura intelligere te vt conuenit posse arbitraris? PHAE. Si sane Hippocrati ex Asclepiadarũ genere credendum est, ne corporis quidem naturam citra hanc methodum posis. SO. Recte quidem, ô amice, dicit; attamen præter Hippocratem ratio inspiciunda, examinãdaq; est, an ipsi cõsentiat. PHAE. Assentior. SO. Et quid tandẽ Hippocrates dicit, veraque ratio? an non sic? Considerandum est de cuiuslibet rei natura, primum sane simplexne sit, an multiformis, cuius nos scientes esse voluerimus, quamque alios docere studeamus. Postea vero si simplex fuerit, facultas ipsius inspiciunda est, quam videlicet ad quid agendum, item quã ad patiendũ ab alio, habeat. Quod si multas habeat species, his dinumeratis, in singulis similiter vt in vna, naturalis et agendi et patiendi vis inquirẽda. Verũ cum hæc Plato sic conscripserit, ostendat aliquis nobis, in quo Hippocratis libro alio, quã qui de natura hominis inscribitur, methodum hanc sit inuenire: aut si non posit, nullum quærat fide digniorem Platone testem, eius quod hic liber sit germanus. Nam præter alia Plato proxime Hippocratis discipulis tempore succesit, quorum sicuius liber esset, ipsum auctoris nomen fuisset inscriptum. Nam priusquã in Alexandria et Pergamo reges essent creati, qui veteribus libris comparandis vincere se mutuo contendebant, nondum opus falso fuit inscriptum. Verum post quam præmium capere inceperunt, qui vetusti cuiusdam scriptoris monumenta ipsis offerrent, hac tandem ratione multa falso titulo inscribentes attulerunt. Verum hi reges post Alexandri mortem exstiterunt: Plato autem ante Alexandri principatum hæc memoriæ mandauerat, cum nullæ adhuc inscriptiones essent dolo effictæ, sed suum quisque liber scriptorem titulo repræsentaret. Itaque Plato fatetur, se secundum Hippocratis methodum de animæ natura cõsiderare, vt ille de corpore: fierique hoc aliter posse negat, antequam totius naturam habeas cognitam. Nonnulli tantum aberrarunt, vt tam mirabilem methodum alterius cuiusdam esse censerent, eoquod is qui primum rem adeo magnam et grauem inuenit, demonstrationem ipsius scribere non sit grauatus. Quomodo enim non magnum et graue censeas, omnium generatorum corruptibiliumq; corporum elementa inuenire? Quomodo non multo magis, demonstrationibus fidem facere? atque hæc in versibus ne totis quidem trecentis, sed multo paucioribus complecti potuerit. Non enim verisimile est, Hippocratem in omnibus medicandi præ

A *di prænoſcendique inuentis, elementis tamquam demonſtratis vti, nuſquam vero demonſtrationem ipſorum explicaſſe. Hæc igitur ex ſuperfluo mihi dicta ſunt, vt oſtenderem, germanum Hippocratis eſſe librum. Non tamen in hoc ceu ſerio ponendum eſt ſtudium, ſed de veritate eorum quæ in ipſo conſcripta ſunt, accurate conſiderandum eſt: id autem nos in opere de elementis ex Hippocratis ſententia factitauimus. Quod cũ inuidi apud omnes eruditos in pretio haberi viderent, frigidam defenſionem* attulerunt, cur librum Hippocratis non eſſe dicerent. Porro quod hæc ſtatuerit, ad illaque ſemper reſpiciens, omnia particularia opera conſcripſerit, pro confeſſo habetur. Quoniam vero æmuli (vt ſunt impudentes) etiam iis quæ apud omnes in confeſſo ſunt, & omnium conſenſu probantur, contradicunt: idcirco alterum opus edidi tali inſcriptum titulo, Quod etiam in aliis operibus Hippocrates eandem habere opinionem, quam in libello de natura hominis, videatur.*

* ἀπολογίαν.

B

Vtilis quoq; eſt ſuperior diſputatio de incremento & decremẽto humorũ, ad morborum curationem, eorumq; præſertim, qui ex humore quopiam naſcũtur, quos vulgo materiales appellant. Neque enim huiuſmodi morbi certa methodo curari poſſunt, niſi prius cognita ſit propria ipſorum natura, & eorundem cauſſa prius auferatur. Atqui neutrum fieri poteſt, niſi antea cognitũ fuerit qui humor in corpore redundet, aut qualitate peccet. Id vero artificioſa coniectura ex anni temporibus aſſequetur medicus, vt explicatum eſt. Oportet tamen C (vt monet in commentario Galenus) anni temporibus cetera omnia adiungere, quæ ad augendos vel imminuendos humores eandem vim habeant; qualis eſt ætas, regio, vitæ ſtudium, ratio victus, & propria corporis temperies, ſiue natiua ſit, ſiue adſcititia. Is enim mos eſt familiaris Hippocrati, vt rei vnius exemplo, cetera quæ eandem vim obtinent, comprehendi velit; vt Galenus ſæpe annotauit. Vt ergo demonſtratum eſt augeri pituitam hyeme, ita intelligere oportet, in ætate frigida, vt ſenectute, in frigida regione & humida, ex nimio otio, & victus ratione refrigerante & humectante, plurimam pituitæ copiam gigni. Idem de aliis humoribus dicendum. Quare ſi hæc, quæ recenſuimus, omnia diligenter conſiderauerit medicus, facile ipſi erit intelligere, à quo humore peccante morbus originem traxerit. Extremo commentario methodum repetit Galenus, qua inueſtigauit D hoc libro Hippocrates hominis naturam: & rurſus probat, hunc librum eſſe Hippocratis. Hæc tamen, cũ in huius libri procemio copioſe à nobis explicata fuerint, ne eadem repetere cogamur, conſulto nunc prætermittimus.

1. aphor. cõ. 12.

***

A

IACOBI SEGARRAE ALONENSIS IN TRES GALENI LIBROS DE TEMPERAMENTIS COMMENTARII.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE TEMPERAMENTIS LIBER PRIMVS. B

THOMA LINACRO ANGLO INTERPRETE.

CAPVT I.

ONSTARE animalium corpora ex calidi, frigidi, sicci, humidique mistura; nec esse horum omnium parem in temperatura portionem, demonstratum antiquis abunde est, tum philosophorum, tum medicorum præcipuis. C *Dixinus autem & nos de his, ea quæ probabilia* sunt visa, alio opere, in quo de his quæ Hippocrates constituit, elementis egimus.*

*εἰκότα.

Ab elementis, de quibus dictum est libro de natura hominis, recto ordine ad temperamenta progredimur. Nam vt ex elementorum substantiis mixta corpora materiam accipiunt, ita ex eorundem qualitatibus sibi adsciscunt temperamenta: quorum ratione à se inuicem distinguuntur, non secus ac elementa summis ipsis qualitatibus. Neq; id profecto mirum, cum temperamenta propria sint mixtorũ principia; nõ secus ac qualitates summæ principia sunt elementorũ. D

Hoc cap. & lib. de lib. prop.

Quare cum tanta sit temperamentorum cum elementis cognatio, merito Galenus opus hoc de temperamentis operi de elementis ordine succedere scripsit. Aggreditur autem disputationem hãc de tẽperamentis, statutis primũ duobus principiis, quæ demonstrata iam sunt lib. de nat. homi. & lib. de elem. Primum principium est, Constare animalium corpora ex calidi, frigidi, sicci, humidique mistura. Nomine vero calidi, frigidi, sicci, & humidi; ignem, aquam, terram, & aërem intelligere oportet: ex his namque per se tota mistis & temperatis, non solum animantium corpora, sed reliqua etiam mixta generationem obtinuisse demonstratum est. Colligit ex hoc principio Christophorus Vega, temperamẽtum esse mixturam calidi, frigidi, humidi, & sicci: quam temperamẽti definitionem amplexi sunt etiam Franciscus Valleriola & Gaspar Lopezius. Ceterum neque temperamentum recte definiunt, neque ex hoc loco definitionem recte colligunt

Lib. 1. de art. med. cap. 4.
Lib. 1. loc. cõ. cap. 10.
Com. in cap. 2. lib. 1. de temp.

A colligunt. Quippe cum elementorum substantiæ misceantur, solæ vero qualitates temperentur, fieri profecto non potest, vt temperamentum mistio sit. Sunt quidem (vt alibi diximus) temperatio & mixtio adeo inter se affinia, vt & mutua indigeant opera, & alterum sine altero consistere nequeat. Est tamen omnino diuersa vtriusque natura, cum in mixtione elementorum substantiæ ad minima diuisæ vniantur; vnio vero fiat, dum qualitates primæ mutua actione & passione temperantur. Neque ex hoc loco recte colligi potest, temperamentũ esse mixturam, cum Græca lectio sic habeat, ὅτι μὲν ὅτι ἐκ θερμοῦ, καὶ ψυχροῦ, καὶ ξηροῦ, καὶ ὑγροῦ, τὰ τῶν ζώων σώματα κέκραται, id est, Quod ex calido, frigido, sicco, & humido, animalium corpora temperata sint. Neque aliud significat Latina Linacri interpretatio, quam constare animalium corpora ex igne, aqua, terra, & aëre, sibi inuicem temperatis. Id namque fuit Hippocratis dogma lib. de nat. hom. demonstratum, & à Peripateticis omnibus atque Stoicis postea receptum. Sed quoniam in temperamenti definitionem semel (quamuis inuiti) incidimus, quæ ad ipsam pertinent accuratius persequi, alienum prorsus ab instituto non fuerit, vt ex his saltem tẽperamenti essentia innotescat. Sentit Ioannes Fernelius temperamentum esse non mistionem ipsam, sed mistionis potius rationem, quam interpretatur, principum qualitatum, quæ in mistis elementis sunt, harmoniam & concentum. Huic similis est definitio tradita à Francisco Vallesio, temperamentum est proportio calidi, frigidi, humidi, & sicci: Sed neque has definitiones probo, quæ Mathematicis potius quam Medicis videntur conuenire. Nam si concentum illum aut proportionem, relationem esse dicant, quomodo temperamentum omnium naturæ actionum principium, aut instrumentum statuere possint non video. Quis enim ad relationẽ naturæ actiones referre ausit? Contradicent quoque Galeno, qui temperamentum solet qualitatem appellare. Si vero qualitatem esse velint, præterquam quod proportionis nomini dissentanea loquantur, ab illis quærere oportebit, an eiusmodi qualitas à primis quattuor sit distincta, an potius cum ipsis eadem. Eadem quidem esse non potest, quia idem non sunt qualitatum proportio & qualitates ipsæ, quæ inter sese proportionem seruant. Quod si distincta sit, in Auicennæ sententiam, quam ipsi tamquam fictitiam damnant, imprudenter labuntur. Voluit autem Auicenna, temperamentum esse qualitatem, ex mutua primarum qualitatum actione & passione prouenientem: quam postea ipsius sectatores quinctam qualitatem appellarunt. Et quamuis hæc definitio recentiorum medicorum non paucis omnino probetur, his tamen, qui bene de rebus sentiunt, quincta ista qualitas fictitia esse creditur: & multo adhuc magis, si non solum ex primis qualitatibus, verum etiam ex cœlestiũ corporum influxu ipsam prouenire quis dixerit, vt quidam somniarunt. Reiectis itaque his omnibus definitionibus, temperamentum sic definirem, temperamẽtum est forma corporis mixti, ex primis qualitatibus constituta. Dicitur autem temperamentum mixti corporis forma, non secus ac qualitates summæ dicuntur elementorum formæ. Atqui alibi dictum iam est, qualitates summas formas esse ignis, aëris aquæ, & terræ, non vt corpora naturalia sunt, sed quatenus sunt elementa. Quare & temperamenta mixtorum formæ dicentur, non vt corpora sunt natura constantia, sed quatenus mixta sunt; nam vt mixta sint, id haud dubie à temperamentis habent. Quo fit, vt temperamentum à forma substantiali maxime distinguatur, non solum in homine (vt quidã crediderunt) verum etiam in brutis, stirpibus, metallis, lapidibus, & reliquis mixtis corporibus. Atque id indicat

Margin notes: Lib. de nat. hom. com. 2. — Lib. 5. de nat. par. med. cap. 1. — Lib. 1. contro cap. 6. — Lib. 1. f. n. 1. doct. 3. — Lib. de nat. hom. com. 2.

Margin letters: B (at "ceptum."), C (at "nes referre"), D (at "porum influxu").

indicat altera illa definitionis particula, Ex primis qualitatibus constituta ; siquidem substantialis corporum forma principium est simplicissimum; temperamentum vero quidpiam est compositum. Est enim, vt Galenus ait, composita qualitas, cuius elementa sunt simplices qualitates, quemadmodū simplicia corpora compositorum corporum sunt elementa. Dum vero temperamentum cōpositam qualitatem voco, à singulis quidem primarum qualitatum ipsum distinguo, à quattuor simul sumptis nequaquam. Quemadmodum enim mixtum corpus neque ignis est, neque aër, neque aqua, neque terra, ab his tamen quattuor certa ratione mixtis ac vnitis reuera non distinguitur: ita & temperamentum neque caliditas est, neque frigiditas, neque humiditas, neq; siccitas, ab his tamen quattuor qualitatibus certam inter sese proportionem seruantibus, reuera distinctum non est. Sed de temperamenti definitione satis iam diximus; nunc illud potius inquiramus, quod ad temperamenti essentiam maxime pertinet, temperenturne solæ elementorum qualitates, an præter has etiam substantiæ. Vega quidem duplex temperamentum constituit, substantiarū alterum, alterum vero qualitatum. Quippe cum temperamentum ex ipsius sententia mixtura sit calidi, frigidi, humidi, & sicci, hæc autem nomina & qualitates ipsas, & corpora his qualitatibus affecta significare possint; & qualitates, & substantias elementorum misceri, ac proinde duplex esse temperamentum colligit. Temperamentum substantiarum firmum esse ait, & à prima generatione innatum, mutarique propterea difficillime, ætatis scilicet processu, aut magno aliquo morborum incursu, aut longa contrariorum ciborum consuetudine. At temperamentum qualitatum infirmum esse ait & inconstans, à variisque caussis singulis fere momentis mutari affirmat. Proinde Vallesius, qui duplex quoque temperamentū statuit, temperamentum qualitatum dispositionem quandam, temperamentum vero substantiarum, habitum quendam naturalem, & omnium facultatum fundamentum esse asserit. Hi tamen meo iudicio dogma id de duplici corporum temperamento legislatorum ritu introduxisse videntur, nulla firma ratione persuasi. Nam quasi certum esset, aut recte ab ipsis demonstratum, temperamentum esse mixturam, aut proportionem calidi, frigidi, humidi, & sicci: ita duplex hoc temperamentum colligunt; alter quidē ex eo, quod elementorum substantiæ & qualitates misceantur; alter vero, quod & qualitates & substantiæ elementorum proportionem seruent inter sese. Atqui demōstratum antea fuit, temperamentum neque mixturam esse, neque proportionem: quo principio euerso, opinionem de duplici temperamento corruere necesse est. Ac mihi profecto nihil noui inuenisse videntur huius opinionis auctores, sed antiquum potius Stoicorum dogma suscitasse, qui non solas elementorum qualitates (vt voluerunt Peripatetici) verum etiam substantias temperari crediderūt. Porro absurdum hoc dogma rationibus aliquot probabilibus confirmari aptissime potest, quas suis auctoribus in mentem minime venisse miror. Certum namque est, & à Galeno non semel dictum, ad cuiusque similaris corporis constitutionem duo esse necessaria, certam scilicet temperamenti qualitatem, & iustam substantiarum elementorum molem: quæ nihil aliud videtur esse, quam temperamentum substantiarum. Rursus cum duplex esse possit, Galeno etiam auctore, elementorum symmetria, in qualitate scilicet, & quantitate; duplex quoque videtur esse temperamentum. Præterea cum temperamentum actionum omnium principium statuatur, quemadmodum actionum in vniuersum duplex est genus; ita & duplex temperamentum esse oportet. Est au-

Lib. 1. de elemen. cap. 6.

Lib. 1. de art. med. cap. 4.

Lib. 1. contro. cap. 6.

Lib. 11. metho. med. cap. 1. & lib. 12. cap. 5.

Lib. de nat. homi. com. 19.

A Est autem duplex actionum genus, quoniam aliæ sunt manifestæ qualitatis, veluti calfacere, & refrigerare; aliæ vero sunt totius substantiæ, vt alimenti cõcoctio, & sanguinis generatio. Harum itaque temperamentum substantiarum, illarum vero temperamentum qualitatum principium esse, rationi est consentaneum. Hæc quidem probabilitatem aliquam præse ferunt, temperamentum tamen substantiarum nequaquam demonstrant. Neque enim certa illa moles elementorum, quæ præter temperamenti qualitatem ad cuiusque mixti generationem desideratur, temperamentum substantiarum est; sed potius proxima mixti corporis materia, vel iusta eius materiæ quantitas. Et quamuis duplicem elementorum symmetriam concedamus, non inde sequitur temperamentum
B duplex esse, quia temperamentum symmetria nõ est. Neque itidem duplex actionum genus duplex temperamentum recte ostendit, dicuntur enim actiones manifestæ qualitatis, non quæ fiunt à temperamento qualitatum, sed quæ alicui qualitati excedenti debentur, veluti calfactio calori. Ita quoque actiones totius substantiæ dicuntur, non quod fiant à fictitio temperamento substantiarum, sed quod cum ab aliqua excedente qualitate non fiant, toti temperamẽto qualitatum debeantur, quod propria est mixti corporis substantia atque natura. Quo sensu dictum est à Galeno, singulis corporis partibus propriam quandam functionem ex substantiæ proprietate contigisse. Vocat enim substantiæ proprietatem, non temperamentum substantiarum (vt falso interpretatur Vallesius) sed certam quattuor primarum qualitatum constitutionem, cũ iusta substantiarum mole debitam inter se proportionem seruantium. Hæc namque pri- Lib. 6. de Hip. & Plat. decret. cap. 6.
C marum qualitatum constitutio vnicuique particulæ est propria, & propriæ functionis principium. Quod sane indicauit manifeste Galenus, cum alibi, tum potissimum lib. 1. de fac. nat. sic scribens, Ac mihi quidem tam vena, quam reliquarum partium singulæ, ob certam quandam temperiem, quam ex qualitatibus sunt nactæ, hoc vel illo modo agere videntur. Neque vero temperamentum substantiarum (etiam si dari posset) firmum esset ac stabile, vt illi prædicãt; cum elementorum substantiæ è nostris corporibus perpetuo effluant, ac dissipentur. Neque rursus temperamentum qualitatum varium est ac inconstans, quale illi fingunt; nam quamuis corpora frequentissime calfiant, aut refrigerentur, primarum tamen qualitatum constitutio immutabilis permanet, donec grauis cuiuspiã morbi vehementia, aut ætatis decursu, corpus insigniter immutetur. Quæ cũ ita habeant, temperamento substantiarũ prorsus exploso, vnicum dumtaxat in mistis corporibus temperamentũ qualitatum admittimus: quoniã Cap. 3. Lib. 1. de elem. cap. 6.
D vt solæ elemẽtorũ substantiæ vere miscentur, ita & solæ qualitates vere temperantur. Nã quæ ante mistionem summæ in elementis fuerant, eædẽ in mistis mutua actione remittuntur. Nescio igitur, quid sibi velit Fernelius, cũ elementorũ qualitates summas fere in temperamento remanere scribit, cohiberique dumtaxat contrariarum qualitatum repressione, quominus possint suas summas vires expromere. Negat itaque qualitates elementorum in mistis remitti, solasq; qualitatum vires retundi concedit: quam sententiam falso Galeno adscribit. Vt mirãdum profecto sit, quomodo placere potuerit Simoni Touario, Hispalensi medico longe præstantissimo, multiplicique rerum cognitione ornatissimo. Sed iam nos ad institutum reuocat alterum Galeni principium, superiore non minus certum, quo vere statuitur, non esse parem calidi, frigidi, humidi, & sicci in tẽperatura portionem. Ita vt quamuis commune id sit omnibus mistis, vt ex quattuor elementis per se tota mistis & temperatis componantur, in eo Lib. 3. de nat. par. med. c. 2. In noua meth. de comp. med. exa. cap. 1.

tamen

tamen discrimen sit, quod in diuersis mistis par omnino esse nequeat eorundem A elementorum portio. Quod sane verissimum est, siue ad elementorum substãtias, siue ad qualitates referas. Nã si mista conferas inter sese, in aliis plus ignis, in aliis plus aquæ, aut terræ, aut aëris, inueniri deprehendes. Ac rursus mista quædam calida, alia frigida, alia humida, alia itidem sicca, vel magis, vel minus esse cognosces. Quod si præter portionũ imparitatẽ, dissimilitudinẽ quoq; proportionũ, tam in substãtiis quam in qualitatibus elementorum expenderis; non amplius miraberis, cur licet interdum eadem qualitas in diuersis mistis similiter excedat, diuersa tamen maxime sit elementorum constitutio, quæ singulis mistis videtur esse propria. Is quidem legitimus est huius loci sensus: nam quod à quibusdam dici solet, Galenum hoc principio temperamentum ad pondus è medio tollere, ridiculũ prorsus est: cum huiusmodi temperamẽtum in sequentibus admittat. Adde, quod licet dari non posset, intempestiue tamen illud ne- B gasset, cuius naturam nondum explicauerat.

Hoc autem opere, quod illi ordine succedit, omnium temperamentorum differenrentias, quot hæ, qualesque sint, siue generatim quis siue membratim diuidat, inuenire docebo: sumamq; ab ipsa nominum interpretatione principium.

Statutis duobus illis principiis, à quibus ortum habuisse videtur hæc disputatio de tẽperamentis, docet huius libri institutũ. Instituit autem docere, quot, qualesq; sint omnes tẽperamentorũ differentiæ, & generatim, & mẽbratim. Hoc postremum sic interpretantur quidam, vt Generatim ad totũ corpus, Mẽbratim vero ad corporis partes referant. Quasi dicat se explicaturum oẽs differentias temperamentorum, non solum in humanis corporibus, verum etiam in singulis C corporis humani partibus: vtrumq; enim præstabit hoc libro. Multo tamen probabilius est, generales & particulares differentias intelligere; cũ tẽperamentorũ differẽtias ita explicet, vt à generalibus exorsus, ad particulares descendat, vt postulat optima diuidendi ratio. Quẽ sensum haud dubie reddit Græca dictio, quæ sic habet, καθ' εἴδη τέ καὶ γένη διαιρουμένοις, id est, secũdum species & genera diuidentibus. Hæc de instituto huius primi libri. Sed vt intelligatur totius huius operis institutum, animaduertere oportet, mistorum corporum temperamenta in duplici esse differentia in vniuersum; quædam enim sunt actu talia, alia vero potestate. De temperamentis actu agit duobus libris prioribus eo ordine, vt quæ libro primo in vniuersum docet de temperamentorum differẽtiis, & de communi eorundem cognoscendorum ratione, priuatim accommodet libro secundo solis humanis corporibus, & singulis corporis humani partibus. At libro tertio, de temperamentis potestate disserit; explicans diligenter D quæ ad naturam eorum pertinent quæ sunt potestate talia; & simul tradens generalem methodum explorãdi facultates alimentorum, & medicamentorum: quæ quidem ad hominem priuatim dicuntur talia potestate.

CAP. II.

VM namque ex calidi, frigidi, sicci, & humidi temperatura conflari corpora dicũt, de iis quæ summo gradu sic se habent, ipsis scilicet elementis, aëre, igne, aqua, & terra, intelligendum aiunt. Cum vero animal, stirpemve calidam, humidam, frigidam, vel sic-

cam

A *cam esse, non item. Neque enim vllum animal aut calidum in summo esse posse, vt est ignis; aut in summo humidum, sicut est aqua; pari modo nec frigidũ, siccum ve in summo: sed ab eo quod in mistura præpollet, appellationem sortiri; vocantibus nobis id humidum, in quo maior est humiditatis portio; siccum, in quo siccitatis. Ita vero & calidum, in quo calidum frigido plus valet; frigidum vero in quo frigidum calido præstat. Atque hic quidem nominum vsus est.*

Ad disputationem de temperamentis aggreditur, eum docendi ordinẽ seruans, qui fuit veteribus maxime familiaris. Tradit enim primum hoc capite, quæ de temperamentorum differentiis à veteribus philosophis ac medicis B falso sunt prodita, vt refutatis postea erroribus, quæ vera sunt lectorum animis facilius inhæreant. Hanc autem disputationem recte exorsi sunt veteres à significationibus calidi, frigidi, humidi, & sicci; quorum nominum in tota hac disputatione frequens est vsus, & ab eisdem appellationes sortiuntur variæ temperamentorum differentiæ. Hæc itaque nomina bifariam dici posse existimarunt, simpliciter, & per exsuperantiam. Simpliciter quidem (Græce ἀκρῶς) aut summo gradu (vt vertit interpres) sola elementa dici possunt, calida frigida, sicca, aut humida; quoniã ipsa sola summis qualitatibus sunt prædita. Quo sensu dictum à veteribus est, constare animalium corpora ex calido, frigido, sicco, & humido; id est ex igne, aqua, terra, & aëre. Per exsuperantiam vero, id est ex qualitate præpollenti, sola mista dicuntur calida, frigida, humida, & sicca. Quo C pacto animal dixerunt esse calidum, aut stirpem frigidam, aut aliud quoduis corpus mistum, siccum, aut humidum. Quippe nullum animal, aut aliud quodcunque mistum, calidũ in summo esse potest, vt ignis; aut in summo humidum, vt aqua. Miratur hoc loco Hieremias Thriuerus, quod summam humiditatem quæ debetur aëri, aquæ tribuerit Galenus. Mirari tamen desiisset, neque Galenum, quem passim accusare solet, frustra excusasset, si semel intellexisset, binas quæ in singulis elementis reperiuntur qualitates, summas reuera esse. Inest igitur humiditas summa non tantum aëri, sed etiam aquæ; cum eo tamen discrimine, quod in aëre primaria sit qualitas, in aqua vero primariæ adiutrix. Sed de his alibi iam diximus, ac simul docuimus, Aristotelem huius quoq; sententiæ fuisse. Quare immerito ipsum reprehendit Leonarthus Fuchsius, putans ex ipsius sententia in vnoquoque elemento alteram qualitatem summam esse, alteram vero (vt loquuntur) prope summum.

Lib. de nat. hom. com. 13.

D

Nunc de temperamentis ipsis agendum. Eorum igitur, qui tum medicorum, tum philosophorum maxime illustres fuere, plurimi sane opinati sunt, humidum & calidum temperamentũ ab humido frigidoque diuersum esse, ac tertium ab his siccum & frigidum diuersum a sicco & calido. Nonnulli tamen eorum, humidum simul ac frigidum temperamentum quoddam esse concedunt, atque etiam ab hoc alterum calidum siccumque: non tamen aut humidum simul & calidum, aut frigidum pariter & siccum temperamentum esse: neque enim posse aut humiditatem cum abundante calore consistere, aut cum frigiditate sic-

citatem. Quippe absumi a calido, cum superat, humiditatem, itaque fieri, ut calidum simul & siccum corpus euadat; eandem, ubi imbecillus in corpore calor est, incoctam, imperfectamque manere: quo fieri, ut calido vincente sequatur siccitas, frigido superante humiditas. Atque hi quidem his rationibus nixi, duas tantum esse temperamentorum differentias opinantur. A

Explicatis nominibus, ad res ipsas, ad tradendas scilicet temperamentorum differentias recto ordine veteres philosophi ac medici accesserunt. Duplex autem fuit horum opinio, eaque absurda; quidam enim opinati sunt, quattuor esse differentias temperamentorum, nempe temperamentum calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidum & siccum; alii vero magis errantes duas tantum esse voluerunt, nempe temperamentū calidum & siccum, & frigidum & humidum. Negarunt autem temperamentū calidum & humidum, quia cum humidum semper absumatur à calido, eo absumpto, calidum corpus euadet necessario siccum. Negarunt itidem temperamentum frigidum & siccum, quia in quo corpore ob caloris imbecillitatem frigiditas viget, in eodem multa colligitur incocta humiditas, cuius ratione frigidum corpus erit necessario humidum. B

Qui vero ea quattuor autumant, bifariā his contradicunt. Alii statim id quod petunt negantes, nempe quod necessum sit humorē à calido superante digeri: alii contra id quidē assentiuntur, sed alia ratione dissentiunt. Ac priores quidem calidi munus esse ut calfaciat asseuerant; frigidi, ut refrigeret; sicuti rursus sicci ut siccet; & humidi ut humectet. Proinde corpora, quæ calida siccaque natura sint quemadmodum ignis, ea, quatenus calida sunt, excalfacere; quatenus sicca, siccare. Quæ humida calidaque sunt, velut calens aqua, hæc non humectare modo, sed etiam calfacere posse; semper utraque qualitate hîc quoq; unum opus, idq; proprium, obtinente. Haudquaquam igitur concedere se, siquid calfaciat, idem protinus & siccare: immo si calori humiditas sit adiuncta, non calfacere modo, sed etiam humectare, quemadmodum balneum dulcium aquarum. Sin sicuti calidum, ita etiam siccum corpus sit, veluti ignis; statim id tum calfacere, tum vero siccare; non tamen id calori referendum acceptum, sed siccitati, quæ simul est coniuncta. Admonent autem hoc loco nos de iis qui sub æstiuo sole diutius sunt versati, atque ita, ut credibile est, arefacti, ac totum corpus siccum, squalidumque habent, intolerabiliterque sitiunt. Quippe remedium his expeditum & facillimum dicunt, non modo si biberint, sed etiam si calidæ & dulcis aquæ balneo utantur; tamquam humiditate, siue ea cum frigore sit, siue cum calore, suum munus obire valente: quippe humectare ea quæ contingit. Ad eundem modum & siccitatem semper aiunt siccare; boream enim, qui siccus & frigidus C D

A *frigidus sit ventus, omnia siccare, ac refrigerare: idq; esse dictum ab Homero.*

Vt vero humentem desiccat protinus agrum,
Autumni boreas.

Pari modo papaueris lacrymam, & alia sexcenta pharmaca, siccare pariter & refrigerare. Itaq; non esse necessarium, siquid frigidum est, idem protinus & humidum esse: nec siquid calidum, idem statim & siccum. Neque igitur calidum temperamentum necessario esse siccum, immo posse aliquando in animalis temperamento calidum quidem plus valere quam frigidum, & humidum quam siccum. Quinetiam tum generationem, tum alterationem, tum mutationem, ex contrariis in contraria fieri. Quis enim est, qui si dixerit album alteratum de-
B *mutatumque esse propterea quod factum sit calidum, non sit ridiculus; cum postulet ea oratio, non eam, quæ est in calido et frigido, oppositionem, sed quæ est in colore, mutationem? Mutatur enim quod album est in nigrum, et quod nigrum est in album; rursus quod calidum est in frigidum, & quod frigidum est in calidum; ad eundem modum et quod humidum est in siccum, et quod siccum est in humidum. Quippe si dicas, alteratum corpus esse propterea quod cum prius esset humidum, nunc sit album; vel cum prius esset siccum, nunc sit nigrum; parum compos mentis videaris. Sin quod prius fuerat humidum, nunc factum est siccum; aut quod prius erat nigrum, nunc effectum est album;*
C *aut etiam ex calido frigidum, aut ex frigido calidum; vtique sapere, et conuenientia dicere fatearis. Quod enim mutatur, quatenus mutatur, eatenus cedere in contrarium debet. Siquidem factus est hic, aut fit musicus ex non musico, dicimus; & grammaticus ex non grammatico; & rhetor ex non rhetore: ex musico vero grammaticum, aut ex grammatico musicum, aut ex alio quod diuersi sit generis, fieri aliquid, dicere sane est absurdum. Potest enim qui prius erat grammaticus, nunc musicus esse, vtique si musicen grammatice adiecit, nec grammaticen abiecit. Atque si quid adquisiuit priore etiam manente, cui non patet, non esse alteratum in eo quod manet? Ita non ex*
D *grammatico factus est musicus, quippe nunc etiam grammaticus est; sed ex non musico musicus: non enim potest postquam musicus est factus, etiam non musicus manere. Cum igitur omnis mutatio & ab contrariis & ex contrariis fiat in contraria, manifestum est etiam, humidum, si quatenus humidum est, mutetur, tum ipsum siccatum iri, tum, quod id siccet, siccum dicendum esse. Desinant igitur, inquiunt, dicere, non posse calidum & humidum temperamentum esse; quippe calidum simul et frigidum esse idem temperamentum, aut humidum et siccum, non potest: cum fieri nequeat, vt in eodem corpore contrariæ qualitates vna consistant. Humidum vero simul et calidum, præterea frigidum simul & siccum, profecto in eodem consistere pos-*

ſunt, ſicuti tum ratio ipſa monſtrauit, tũ quæ paullo ſupra propoſita ſunt exempla. Ac talis quidem eſt prioris propoſitarum partium oratio. A

Perſpicua eſt ac facilis auctoris oratio, docet enim & copioſe & dilucide, quomodo, qui quattuor temperamentorum differentias ponũt, aduerſariorum rationes hactenus propoſitas diſſoluant. Diſſoluunt autẽ bifariam, in duas ſcilicet factiones diuiſi. Quidam enim (de quibus hoc loco agit) humidum negant à calore abſumi; ſed cum quattuor ſint primæ qualitates, vnicuique propriam actionem tribuunt, quæ alteri conuenire non poſsit. Quare cum propria caloris actio ſit calfacere, non poterit ſiccare calor, ſed ſola ſiccitas, cui non minus eſt proprium ſiccare, quam calori calfacere. Si igitur corpus aliquod calidum ſimul ſit & ſiccum, id quidem non tantum calfaciet, ſed etiam exſiccabit; B exſiccabit tamen, quatenus ſiccum eſt, non quatenus calidum. Quod ſi corpus ſimul calidum fuerit & humidum, calfaciet quatenus calidum, quatenus humidum vero, humectabit. Vnde colligunt, dari poſſe temperamentum calidum & humidum: & frigidum quoque & ſiccum. Confirmant hanc ſuam ſententiam tum exemplis, tum etiam ratione. Exempla petita ſunt, ex aquę dulcis balneo, quod calidum eſt & humidum; ex borea, qui frigidus & ſiccus ventus eſt; ex papaueris lacryma (quam vulgo opium vocant) aliiſque ſexcentis medicamẽtis, quæ frigida ſunt ſimul & ſicca. Ratio vero eiuſmodi eſt, omnis generatio, omnis mutatio, omniſque alteratio fit à contrario in contrarium: atqui humido contrarium eſt ſiccum, non autem calidum: ergo ſi mutatur humidum, mutatur proculdubio à ſicco, non à calido; mutaturque non in calidum, ſed in ſiccum. Huius rationis propoſitionem multis propoſitis exemplis confirmãt, quæ C in contextu dilucide ſcribuntur. Sed quam vana ſit horum hominum reſponſio, ex iis quæ ſequuntur facile intelliges.

Altera pars negat alienum à ratione eſſe, etiam ſi calidum efficaciſsimum è quattuor ſit, ita vt non in frigidũ modo, ſed etiam in humidum agere poſſit; eſſe tamen temperamentum, quod calidum ſit & humidum: vtique cum in primo ſtatim animalis ortu humoris ſimul caloriſque copia in idem coëat. Ratio vero horum non illud efficit, quod nequeat aliquando in eodem corpore humidi plus eſſe quam ſicci, & calidi quam frigidi; ſed quod ſub eiuſmodi ſtatu durare perpetuo non poſſit. Quippe digeſto ſemper per calidum humore, ſpatio etiam ſiccum corpus effici; atque ita pro calido & humido calidum ſiccumque reddi: iam hoc ipſum quod calidum & ſiccum eſt redditum, procedente tempore frigidum ſiccumque fore. Vbi enim omnem eiuſmodi corporis humorem calor abſumpſit, ipſe quoque, inquiunt, marceſcere inde incipit, deſtitutus ſcilicet alimento, quod ipſum accenderat. Neque igitur mirum putant, tum inter initia, ſtatim vt gignitur animal, conuenire in idem aut humidum plus ſicco, aut calidum plus frigido; tum temporis proceſſu, quod prius erat calidum & humidum temperamentum, poſtea poſſe calidum eſſe & ſiccum; æque vt poſtea quæ ſicca erat calidaque temperies, D

vbi

A *vbi calor ipse extinctus est, frigidam siccamque euadere. Ergo esse quidem aliquod temperamentum quod calidum sit & humidum, ac rursus alius quod frigidum sit & siccum, ex istis confirmant.*

Doctius multo superiores rationes dissoluunt alterius factionis philosophi ac medici. Concedunt namque humidum à calido absumi, calidum tamen & humidum temperamentum non propterea tolli, sed ipsius dumtaxat durationem, in eodemque statu permanentiam impediri, vere affirmant. Cum enim humidum sensim absumatur à calido, corpus tandem absumpto humido siccum euadere necesse est. Quod sane ita se habere in animalibus priuatim demonstrant, quæ in primo statim ortu calida sunt & humida, cum parum adhuc recesserint à natura principiorum ex quibus constat, quæ calida itidem & humida sunt. B Procedente vero tempore, vbi ad iuuentutem peruentum iam est, quod prius calidum & humidum temperamentum fuerat, in calidum & siccum manifeste mutatur; ita scilicet caloris actione absumpta partium solidarum humiditate, vt in earum temperamento siccitas præpolleat. Ac tandem in senectute noua fit totius temperamenti mutatio ad frigidum & siccum; ad siccum quidem, quod deficiat in partibus solidis humiditas, quam totam fere depopulatus est calor; ad frigidum vero, quoniam deficiente humido calor marcescit, donec tandem extinguatur. Cum vero hæc optime dixerint, aduersariorum rationes nequaquam dissoluerunt; forte quod faciles essent, aut ex iis quæ dicta sunt penderet ipsarum solutio. Quamuis enim omnis mutatio fiat per se à contrario in contrarium, nihil tamen prohibet, quominus ex accidenti C fiat ab eo quod contrarium non est. Quare calidum per se quidem agit in frigidum, ex accidenti tamen etiam in humidum, ipsum absumens ac dissipans. Vnde patet inefficacem esse rationem, qua illi ostendebant, à calido non absumi humidum. Neque minus inefficax & altera est, qua temperamentum frigidum & siccum dari non posse colligebant. Quamuis enim vincente frigiditate incocta redundet humiditas, ipsæ tamen solidæ partes siccæ esse possunt: quemadmodum senibus, qui cum plurima congerant excrementa humida, partibus ipsis solidis siccissimi sunt.

Non posse autem temperamentorum differentias plures esse quam quattuor, ex his docere conantur. Cum enim quattuor statuuntur qualitates, quæ in se D *agere inuicem, patique possint, nempe calor, frigus, siccitas, humiditas; oppositiones existere duas, alteram in qua calidum aduersatur frigido; alteram in qua humidum pugnat cum sicco; eoque quattuor, non plures effici coniugationes. Quippe sex fieri ex quattuor inter se copulatis coniugia, quorum duo consistere non posse, cum neque humidum pariter & siccum, neque calidum simul & frigidum dari corpus possit. Reliquas igitur esse quattuor temperamentorum coniugationes, duas humidas, & duas siccas, atque has calore frigoreque diuisas. Hæc sunt, quæ elegantissimi eorum qui ante nos fuerũt, tum medicorum, tum philosophorum, de his dixere.*

Lib. 2. de ort. & inter. cap. 3. Qua ratione vsus fuit Aristoteles ad demonstrandas qualitates, quæ singulis elementis insunt; eandem isti ad demonstrandum temperamentorum numerum transtulerunt. Quippe cum quattuor sint qualitates primæ, quæ in se inuicem agere, & à se inuicem pati possunt, nempe calor, frigiditas, humiditas, & siccitas; sex in vniuersum fieri possunt harum qualitatum coniugia. Ex quibus duo subsistere nequeũt, caloris scilicet & frigiditatis simul, humiditatisque simul & siccitatis; non enim fieri potest vt contrariæ qualitates in eodem corpore simul præpolleant. Relinquuntur ergo tantum quattuor primarum qualitatum coniugationes, quoniam calor, quemadmodum & frigiditas, humiditati vel siccitati copulari potest. Vnde tandem colligunt, quattuor itidem esse temperamentorum differentias, nempe temperamentum calidum & humidũ, calidum & siccum, frigidum & siccum, frigidum & humidum. Hæc tamẽ ratio vana prorsus est & inefficax; cur enim temperamentorum numerus numero coniugationum primarum qualitatum necessario respõdere debet? An quia in omni temperamento duæ qualitates simul excedunt? Atqui in sequentibus docebimus, vnam interdum qualitatem in temperamento excedere, interdum nullam. At Aristoteles ex primarum qualitatum coniugiis, non elementorum numerum, (vt plerique opinantur) sed qualitates quæ in singulis elementis reperiuntur, optime demonstrauit: quia necessarium est, (vt alibi docuimus) singulis elementis binas qualitates inesse. Lib. de nat. hom. cõ. 2. & 13.

CAP. III.

VÆ vero mihi prætermisisse videntur, nunc adiicienda reor. Vnum igitur & primum est, quod temperatam naturam, quæ tamen non virtute modo, sed etiam viribus reliquis præstat, non aduerterunt: immo tamquam nulla sit, prorsus omiserunt. Quãquam ne loqui quidem de reliquis aliquid sine hac potuerunt. Quippe quod vel in calida temperie calidum præualeat frigido, vel in frigida temperie frigidum præstet calido; id ne intellexisse quidem est, nisi prius ponatur eucratos, siue temperata. Neque enim alio quam ad hanc temperatam naturam sunt intenti, cum sanitatis tuendæ victum inuestigant; calidius iusto corpus iubentes refrigerare, vel frigidius excalfacere; vel rursus humidius siccare, vel siccius humectare. Scilicet quo temperatum quendam, mediumque statum efficiant, id quod minus est, ei quod exsuperat semper æquantes. Ergo quem assidue sectantur, & quo semper respicientes intemperatos status corrigunt; hunc ego quidem primum omnium statum censuerim. Hi vero tantum abest, vt eius vel meminerint, vt etiam totum prætereant.

Longam cum philosophis ac medicis disputationem aggreditur, iisque potissimum, qui quattuor temperamentorum differentias statuerunt; aliorum namque opinio absurdior est, quam vt aliqua eius habenda sic ratio, quamuis communem refutationem sortiatur. Inprimis itaque illos reprehendit, quod disputantes de temperamentorum differentiis, temperatam naturam omnino prætermiserint; quæ tamen virtute & viribus reliquis præstat.

Neque

A Neque hæc luxuria verborum est, vt putat Hieremias, cum virtus & vires non idem significēt. Virtus enim bonitatem & perfectionem significat, vires autem sunt facultates, à quibus actiones prodeunt. Dicitur ergo natura temperata virtute reliquis præstare, quia omnium optima est & perfectissima: viribus autē, quia validis facultatibus pollet, robustasque actiones edit, quarum beneficio omnium minime morbis est obnoxia. Atqui omissa natura temperata, plurima absurda, potissimumque duo sequi docet. Alterum est, quod de reliquis temperamentis disputari nullo pacto posit, cum temperata natura intemperatarum sit regula quædam, ac norma. Dicitur enim temperamentum calidum & humidum, in quo plus caloris & humiditatis est quam in natura temperata. Quare merito dictum est à Galeno, naturam temperatam ceteris priorem esse ordine cognitionis. Alterum absurdum est, quod exerceri recte nequeat ars sanitatis tuendæ; ac potissimum ea huius artis pars quæ in corrigendis viciosis corporum B statibus versatur. Huius namque scopus temperata natura statuitur, quam respiciens medicus, intemperata corpora ad meliorem statum reuocat. Cur vero artem potius tuendæ sanitatis quam methodum medendi his obiecerit, facilis est ratio. Quippe in curandis morbis temperatam naturam tamquam scopum nobis minime proponimus, sed eam quæ ægrotantis est propria: morbus enim lapsus quidam est à propria cuiusque natura, non autem à natura temperata.

Lib. 2. de tēp. cap. 1.

At non præterimus, inquiunt ex his aliqui, in calido enim & humido comprehenditur. Et quomodo quinque esse in totum temperamenta non dixistis sed quattuor, si modo optimum non omisistis? Quippe duorum alterum, aut ex intemperatis statibus necesse est vnum esse omissum, aut ipsum temperatum. Atque ego C *quidem ex iis quæ statuunt, temperatum ipsis prætermissum certo scio. Vbi enim calidum & siccum, vel frigidum & humidum, vel aliud quoduis temperamentum nominant, non vtique summas à nobis intelligi qualitates postulant, immo ex iis quæ superant, fieri appellationes volunt. Quod si temperatum statum omitti nolunt, certe reliquorum aliquem omisisse conuincentur. Sit enim (sicut ipsi volunt) temperatus status is qui calidus est & humidus; omissus igitur illis plane est is qui frigido intemperamento aduersetur & sicco, nempe in quo humidum præpollet & calidum. At idem, inquiunt, is est. At quî fieri potest, vt simul exsuperet calidum, et non exsuperet? et superetur frigidum, et non superetur? Si enim temperatus status est, neutrum alterum immodice exsuperat:* D *sin intemperatus, necesse est exsuperet altera oppositionum pars. At hoc ipsum, inquiunt, temperati status proprium est, vt in eo calidum præstet frigido, et humidum sicco. Quippe si frigidum modice quidem vincat, non esse commodum temperamentum; si amplius exsuperet, iam vtique morbum existere; æque vt si vehementer exsuperet, mortem. Ad eundem modum de sicco iudicandum, in principio quidem existere intemperiem; si amplius augeatur, ægritudinem; si plurimum exsuperet, mortem. Ceu*

vero de calido & humido non idem sit iudicium. Quis enim non dicat, vbi vel calidum frigido, vel humidum sicco paullo quidem plus valet, intemperiem ita fieri; vbi ampliter exuperat, morbum; vbi plurimum, mortē? Siquidem eadem est vtrobique ratio. Alioqui nec qui calidi humidique immodice status sunt, eos vicio demus, nec qui calidi morbi cum humore immodico consistunt, eos esse morbos fateamur. A

Ne absurda illa concederent, respondebant nōnulli ex philosophis & medicis, non fuisse omissam naturam temperatam; sed comprehendi sub calida & humida. Hanc responsionem merito refellit Galenus, quia si temperatam naturam non omiserunt, quinque non quattuor temperamentorum differentias statuere debuissent; vnam temperatam, intēperatas quattuor. Quod si temperatam omissam non fuisse contendant, concedent saltem, omissam esse vnā ex intemperatis; eam scilicet quæ frigidæ & siccæ est cōtraria, & in qua calor frigiditati, & siccitati humiditas præpollet. Ostendit tamen concedendū esse necessario, naturam temperatam omissam fuisse, quia calidum, frigidum, humidum, & siccum, excessum aliquem in mistis denotant; cum ex ipsorum sententia dicantur tantum bifariam, absolute in elementis, & in mistis per exsuperantiam. Respondent tamen, nullum temperamentum omissum fuisse, quoniam temperatum non distinguitur à calido & humido. Sed id ex eo refellit, quod duæ contradicentes essent simul veræ, nam eadem qualitas contrariam qualitatem superaret, & non superaret: & rursus eadem qualitas superaretur à contraria, & non superaretur. Quippe si temperatus status est, neutra qualitas alterā immodice excedit. Dixit autem immodice, quia exiguos insensilesq; excessus prorsus contemnimus. Si vero status est calidus & humidus, & frigiditatem calor, & humiditas siccitatem manifesto excedit. Ceterum vt has obiectiones effugiant, concedunt tandem contumaces isti philosophi ac medici, id temperatæ naturæ esse proprium, vt in ea calidum frigido, & humidum sicco præpolleat: quæ sententia placuit itidem Hieremiæ. Sed & à reliquis intemperiebus calidam & humidam eo distingui putant, quod hæc numquam posit esse immodica. Reliquæ vero si modicæ fuerint, viciosæ quidem sint, versentur tamen adhuc intra sanitatis limites; si vero ita sint immodicæ, vt actionibus noxam inferant, censeantur iam morbi; ac tandem si plurimum increuerint, mortem possint inducere. At quæ maior intemperiei calidæ & humidæ quam reliquarum ratio esse potest? Nonne experimur quotidie, calidam & humidam intemperiem, si modica sit, sanitatis limites nondum excedere; si immodica, morbum iam esse; si maxima, mortem inferre? Quod si fidem sensibus abrogantes, hæc minime velint concedere, effugere certe non poterunt, quin hæc duo maxima absurda concedant; nullum scilicet temperamentum, quod calidum sit & humidum, vicio dari posse; & nullum morbum esse calidum & humidum.

B

C

D

Has quidem, & eiusmodi obiectiones diluentes quidam Attalensis Athenæi sectatores, negant aut calidum humidumque statum vicio dandum, aut morbum vllum inueniri, qui calidus sit & humidus: sed omnino qui vel calidus sit & siccus, vt febris; vel frigidus & humidus, vt aqua intercus; vel frigidus & siccus,

A *ſiccus, vt melancholia. Faciunt hîc & de anni temporibus mentionem, quorum hyemem frigidam eſſe atque humidam dicunt, æſtatem calidam & ſiccam, autumnum frigidum et ſiccum, ver autem tum temperatum, tum vero calidum humidumque appellant. Ad eundem modum et ex ætatibus puerilem quidem temperatam eſſe, tum vero calidam humidamque. Porro indicari autumant eorũ temperiem ex naturalibus actionibus, quæ illa ætate maxime ſint firmæ. Sed et mortem aiunt animantium corpora ad frigidum ſiccumque perducere: quippe mortuos Græce ἀλίβαντας, vocari, quaſi nihil humecti in ſe habentes; vtpote tum caloris abitione eo exhauſtos; tum frigore rigentes. Quod ſi, inquiunt, mors talis* B *eſt naturæ, certe vita, cum ſit illi contraria, calida eſt et humida. At vero ſi vita, inquiunt, calidum quiddam atque humidũ eſt, omnino quod illi ſimillimum temperamentum eſt, id optimum neceſſario eſt: quod ſi eſt, neminem latet idem quoque temperatiſſimum eſſe. Sic in idem recidere calidum humidumq; ſtatum cum tẽperato, nec aliud eſſe temperatum, ſiue eucraton ſtatũ, quam caliditatem ſimul et humiditatem pollentes. Atq; Athenæi quidem ſequacium hæ ſunt rationes. Videturque et Ariſtotelis philoſophi, et poſt eum Theophraſti, et Stoicorum eadem eſſe quodammodo ſententia. Ita teſtium quoque numero nos territant.*

Superiorum obiectionum vim expendentes medici quidam Athenæi ſectatores, nullum temperamentum calidum & humidum vicio dari poſſe, nullum-C que morbum calidum & humidum eſſe libenter concefferunt. Sed morbũ omnem (partium ſcilicet ſimilarium proprium) vel calidum & ſiccum eſſe arbitrati ſunt, qualis eſt febris; vel frigidum & humidum, qualis eſt hydrops; vel frigidum & ſiccum, qualis eſt melancholia. Porro quod temperamentum calidum & humidum idem ſit cum temperato, tribus rationibus confirmant. Prima deſumpta eſt ex vere, quod temperatum eſſe aiunt, ſimulque calidum & humidum. Quod temperatum ſit, ab omnibus conceſsum eſt; quod vero calidum ſit & humidum, oſtendunt, quia cum quattuor ſint anni tempora, & quattuor itidem temperamentorum differentiæ, ſingulæ ſingulis temporibus conuenire D debent. At hyems frigida eſt & humida, æſtas calida & ſicca, & autumnus frigidus & ſiccus; ergo ver calidum erit & humidum. Alteram rationem adiunget capite ſequenti, colligebant enim ver eſſe calidum & humidum, quia hyeme eſt calidius, & humidius æſtate. Secunda ratio petita eſt ex pueritia, quam humidam & calidam, & ſimul ætatum omnium temperatiſsimam eſſe prædicãt. Optimam vero pueritiæ temperiem ex actionum naturalium robore confirmant. Tertia ratio difficilior eſt, mors, inquiunt, in frigido & ſicco conſiſtit, cum mortui abſumpto humido ſicciſſimi, extinctoque calore frigidiſsimi appareant: atqui vita contraria eſt morti: ergo conſiſtet vita in calido & humido. Vnde recte videntur colligere, temperamentum calidum & humidum eſſe omnium optimum, quoniam in omnium optimo temperamento vitam conſiſtere neceſſe eſt. Poſtremo Ariſtotelem, Theophraſtum, & Stoicos, teſtes inuocant, qui videntur idem ſenſiſſe, cum viuentia omnia calida eſſe & humida dixerint.

CAP. IIII. A

GO vero, quemadmodum Aristoteles de calida humidaque temperie senserit, in progressu, si res postulet, fortasse explicabo; videntur enim eum non recte accipere. Nunc id agam, vt eos qui sic sentiunt, in quo seipsos fallant, doceam; mox rem totam in vnum coactam caput demonstrem. Cum enim calidum & humidum, atque etiam eucraton existimant ver esse, hîc se manifeste decipiunt. Nam neque humidum est sicut hyems, neque calidum sicut æstas; quare neutrum immodice: cum tamen ipsis auctoribus excessum quendam indicet quoduis talium nominum. B

Dissoluit hoc capite sectatorum Athenæi rationes, ac potissimum primã desumptam ex vere. Concedit itaque temperatum esse ver, negat tamen calidum esse & humidum. Neque enim, inquit, humidum est sicut hyems, neq; calidum sicut æstas; quare neutrum immodice. Quo loco non comparat ver æstati & hyemi, vt recte aduertit Fuchsius; neque colligit, vt falso putat Hieremias, ver non esse calidum & humidum, quod neque hyemis humiditatem, neq; calorem æstatis attingat; cum multa quidem sint calida, quæ non assequuntur æstatis calorem; & multa rursum humida, quæ longe absunt ab hyemis humiditate. Sed propriam veris naturam expendens recte concludit, ver neque immodice calidum esse, neque immodice humidum. Non enim humidum est sicut hyems, id est vere nulla excedit humiditas, vt excedit hyeme: neque calidum est sicut æstas, id est neque vere excedit calor, vt excedit æstate secundum naturam. C

Bifariam autem sunt decepti, primum quidẽ, quod in [quattuor anni] temporibus quartam temperamentorum coniugationem inuentam omnino volunt: deinde, quod id ea ratione concludunt, quod sit hyeme quidem calidius, æstate vero humidius. Verum nec quartam in temporibus anni statuere temperamenti coniugationem est necesse, nisi etiam talis appareret: & contulisse id cum temporibus vtrinque positis, non magis id humidum & calidum, quam frigidum probat & siccum. Si enim calidum humidumque excessus cuiusdã nomina sunt, non potest (nec ipsis quidem auctoribus) verum esse, quod ver in omnibus mediocre sit. Si autem eo quod æstate humidius est, hyeme vero calidius, idcirco humidum est & calidum; quid caussæ est, quominus frigidum id siccumque putes, propterea quod æstate frigidius, & hyeme siccius? Vel quam sibi facit sortitionem, vt vnam partem oppositionis ab hyeme, alteram ab æstate accipiat? Quippe cum ab vtroque in vtraque oppositionis parte dissideat, non ex dimidio collationem, sed ex toto habere debebat. Atqui si ita fiat, contraria illi inesse dicemus; nam calidum erit & siccum, si conferatur cum hyeme: frigidum & humidum, si cum æstate. Ex neutra igitur collatione, si modo integra est, calidum & humidum erit. Sed si illis licet, ex vtraque oppositione sumpto dimidio, calidum D

dum

A *dum id humidumque asserere; nobis quoque ad alterum dimidium transire, atq; id frigidum & siccum dicere, quid ni licebit? scilicet siccum vt ad hyemem, frigidum vt ad æstatem. Omnia igitur hac ratione ver erit, humidum, siccum, calidum, frigidum: atqui illorum ipsorum sententia non possunt quattuor qualitates in vna eademque re præpollere.*

Soluit rursus duas illas rationes, quibus Athenæi sectatores ostēdebant ver esse calidum & humidum. In priori negat singulas qualitatum coniugationes singulis anni temporibus conuenire, etiamsi quaternario numero vtraq; comprehendantur. Quare licet hyemem frigidam & humidam, æstatē calidam & siccam, & autumnum frigidum & siccum esse concedamus; non inde sequetur
B ver esse calidum & humidum: neque enim necesse est, quartam hanc cōiugationem in anni temporibus (vt ipsi putant) inueniri. Adde, quod neq; temperamentum frigidum & siccum in anni temporibus reperiatur, cum autumnus frigidus non sit, vt ipse postea docebit. Alterā rationem bifariā reprehendit. Primum quidem, quia si veris temperies ad æstatem & hyemem facta collatione (vt illi volunt) colligenda sit, non est maior ratio, cur calidum & humidum potius quam frigidum & siccum dicendum sit ver. Quemadmodum enim calidius est hyeme, & æstate humidius; ita & hyeme siccius est, & frigidius æstate. Deinde, si adhuc contendant veris temperiem per comparationem ad æstatem & hyemem recte colligi; certe huiusmodi comparatio facienda non est ex dimidio, id est in vna tantum qualitate; sed in totum, id est in duabus qualitatibus,
C quæ in æstate & hyeme inueniuntur. At si in ambabus qualitatibus hyemi & æstati conferatur ver, omnia profecto erit; nam hyemi collatum, erit calidum & siccum; collatum vero æstati, erit frigidum & humidum. Sed mirum videri posit, quomodo ver calidum & humidum isti dicerent per comparationem ad æstatem & hyemem; cum ex illorum sentētia calidum, frigidum, humidum, & siccum, dicerentur tantum bifariam, simpliciter scilicet, & per exsuperātiam. Aut igitur sui immemores affirmarunt vtrumque, aut non dixerunt ver calidum esse & humidum per comparationem; sed collegerunt tantum esse humidum & calidum, quia calidius est hyeme, & humidius æstate.

Ergo neque æstati, neque hyemi ver comparare est æquum, sed potius ipsum per se æstimare. Neque enim hyemem ipsam ea de caussa humidam es-
D *se & frigidam dicimus, quod reliquis temporibus humidior frigidiorque sit, immo id illi alia ratione accidit; sed quod humiditas in ea superet siccitatem, & frigiditas calorem, propterea frigida dicitur atque humida. Ad eundem modum & æstas, cum in ea humor vincitur a sicco, & frigidum a calido, ipsa quoque calida dicitur & sicca. Siquidem æquum censeo, quattuor anni tēporum quodlibet ex suapte æstimatum natura, non ex alterius comparatione, calidum, frigidum, humidum, siccum ve nominari debere. Quin etiam si ad hanc formulam æstimes, apparebit tibi ver esse omnis excessus plane in medio; cum neque sicut in hyeme plus valeat in eo frigidum quam calidum, neque sicut in æstate minus. Ad eundem modum siccitatis humiditatisque æquabilitatem in eo spectes; neque*

scilicet

scilicet in eo sicut in æstate præualente sicco; neque sicut in hyeme exsuperante humido. Proinde recte ab Hippocrate est dictum, ver esse saluberrimum, ac minime morbis, qui mortem adferant, obnoxium. A

Ex iis quæ dicta sunt colligit, veris, vt reliquorum anni temporum, temperiem ex propria sui natura perpendendam potius esse, quam facta comparatione ad alia anni tempora. Dicitur namque frigida & humida hyems, non quod frigidior & humidior sit ceteris anni temporibus (quamuis & hac ratione vere quoque dici possit) sed quod frigiditas calori, & siccitati humiditas in ea reuera præpolleat. Aestas similiter calida & sicca dicitur, non quod reliquis temporibus calidior sit & siccior, sed quod calor frigiditatem vincat, & siccitas humiditatem. Si igitur ad hanc formulam (id est ex propria sui natura, vt de hyeme & æstate dictum est) veris temperiem expenderis, apparebit profecto ver omnino temperatum, cum qualitas in eo nulla immodice excedat. Non enim probo Iacobi Syluii explicationē, qui sentit velle Galenum hoc loco, nō solum ex propria natura, sed etiam ad hāc formulam, id est vicinis partibus collatum, ver esse temperatum. Id namque reprehensione dignū censet Galenus, si temporis anni temperies per collationem ad alia anni tempora colligatur. Sed & ratio monstrat optimam veris temperiem, cum saluberrimum sit, & lethalibus morbis minime obnoxium, vt inquit in aphorismis Hippocrates: cum tamen si calidum esset & humidum, esset haud dubie insaluberrimum, vt postea dicemus. Cur autem vere temperatissimo & saluberrimo contingant interdū morbi grauissimi, dictum iam est lib. de nat. homi. Hæc pertinent ad veris temperiem. Hieremias tamen, vt videatur aliquid agere, patrocinari cupit Athenæi sectatoribus, quos excusari posse scribit, si ver dixerunt modice calidum & humidum, hoc est (vt ipse interpretatur) calidum potius quam frigidum, & humidum potius quam siccum. Nam & hoc pacto inquit, ipsimet Galeno idem alicubi excidisse. Porro quod ver calidum potius sit quam frigidum, probat ex eo, quod vere sese aperiat, & germinet terra, & in nostris corporibus humores fundantur. Neque mirum esse ait, si ver modice calidum & humidum, temperatum dicatur, cum & adolescentia modice calida & humida sit, & temperata iudicetur: & in homine temperato calidum quoque & humidum excedant. Ceterum fallitur Hieremias, nā si illis auctoribus calidum & humidum excessus sunt nomina; fieri profecto nequit, vt ver tēperatum, calidū potius sit quam frigidum, & humidum potius quam siccum. At quod sese aperiat & germinet terra, & humores in nobis vere fundantur; id sane temperato potius quam excedenti calori acceptum referri debet. Neq; verum est, adolescentiam, quādo temperata est, calidam & humidam esse; neq; in homine tēperato calidum frigido, & humidum sicco præpollere, vt libro sequenti dicemus. Sed nōne Hippocrates ver etiam dixit calidum & humidum? Dixit sane, improprie tamen & abusiue; quoniam quæ temperata sunt, calida & humida veteribus olim dicebantur, quod nostram naturam (vt auctor est Galenus) calidam & humidam esse dicerent. Quæ sane loquendi ratio, licet minus propria sit, ipsimet tamen Galeno, ceterisque medicis aliquando est in vsu. Vocant enim balneum calidum, & calidum poculum, cum hæc temperata sunt & symmetra, vt idem Galenus fatetur. Si itaque ver, quod reuera temperatum est, calidum & humidum vocassent Athenæi sequaces, fautorem habuissent Hippocratem, & forte quoq; Galenum

B — C — D

Aphot. 9. lib. 3.
Com. 32.
Lib. 3. aphor. com. 6.
Lib. de nat. homi. sent. 32.
Lib. 5. de simp. med. fac. cap. 5.
Lib. 4. de simp. med. fac. cap. 2.

A Galenum. Cum tamen illud temperatum prædicent, ſimulq; in eo & calidum
frigido,& humidum ſicco præpollere affirment,iuſta reprehenſione digni cen-
ſentur.

Eſt & autumnus vt quã æſtas minus calidus, ſic vtique quam hyems minus
frigidus. Quare hac ratione nec calidus abſoluto ſermone eſt,nec frigidus,quip-
pe cum ambo ſit, & neutrum ad ſummum. Ceterum alterum eſt in eo incommo-
dum,quod etiã Hipp.illa ſententia ſignificauit,dicentis in aphoriſmis,cũ eodem
die modo frigus nos afficit,modo calor vrget,autũnales exſpectandi morbi ſunt.
Atq; ea res eſt,quæ maxime autumnum morbiferum facit, inæqualis ipſa tem-
peries. Itaq; non recte frigidus ſiccuſq; dicitur,non enim frigidus eſt,ſi ipſe per ſe
ſpectetur, vt hyems eſt; ſed vbi cum æſtate confertur, vtique illa frigidior. Sed
B *nec æquabiliter temperatus ſicut ver,immo in hoc maxime ab illo tempore diſſi-*
det, quod mediam temperiem & æqualitatem perpetuo parem non ſeruet;quippe
meridie multo eſt calidior quam mane & veſpere. Nec in humido & ſicco me-
dium omnino ſtatum obtinet quemadmodũ ver, ſed ad ſiccius deuergit: ab æſta-
te vero etiam in hoc vincitur, non tamen tanto interuallo,quanto in calore. Er-
go patere arbitror,nec autumnum abſoluto ſermone & citra exceptionem frigi-
dum & ſiccum(ſicut illis placet)dicendũ eſſe,cum neutrum ad ſummum ſit, ſed
vincat in eo ſiccitas humiditatem;qua ratione merito ſiccus appelletur; in ca-
lore vero & frigore miſtum quiddam ex ambobus & inæquale ſtatuatur. Pro-
inde ſi quattuor temperamentorum coniugationes in quattuor anni tempora di-
C *ſtribui volunt,ſciant,ſe non ſolum veri calidum humidumque ſtatum male aſſi-*
gnaſſe, ſed etiam autumno frigidum & ſiccum. Quamquam ſi hunc quoq; con-
cedamus frigidum & ſiccum eſſe, non erit ſtatim neceſſe ver humidum cali-
dumque eſſe. Non enim ſi quattuor intemperaturæ coniugationes in totum ſunt,
iam omnes eas in quattuor anni tempora diſpenſari neceſſum eſt. Sed ſiquis hoc
in mundo eſt ordo,& prout melius eſt non prout peius omnia ſunt diſpoſita:pro-
babilius ſit,plura quidem ex anni temporibus temperata eſſe facta, vnum vero,
ſi modo aliquod,intemperatum. Hi vero contra oſtendere conantur nullum eo-
rum eſſe temperatum; ſed neceſſario in ipſis exſuperare alias calidum,alias fri-
gidum; & nunc, ſi ita fors tulit, ſiccum, nunc humidum.

D Quam inefficax ſit ratio illa ſectatorum Athenæi, ex veris temperie hacte-
nus monſtrauit;nunc idem oſtendit ex autumno, quem falſo dixerũt frigidum
eſſe & ſiccum. Nam ſi huiuſmodi eſſe dicant facta ad æſtatem & hyemem colla-
tione,quod ſcilicet æſtate frigidior ſit,& hyeme ſiccior;male profecto faciunt,
cum hac ratione nec calidus abſoluto ſermone(Græce ἁπλῶς) nec frigidus,ſed
ambo ſit, ac neutrum ad ſummum, Græce ἀκρῶς. Quibus verbis ſignificat, au-
tumnum collatione ad æſtatem & hyemẽ nec calidum,nec frigidum dici tantũ
poſſe, ſed calidũ ſimul & frigidum;frigidum quidem ad æſtatem, ad hyemem
vero calidum:neutrum tamẽ ad ſummum,nimirũ vt in anni temporibus. Neq;
enim

enim ad summum calidus est autumnus quemadmodũ æstas;neque sicuti hyems A ad summum frigidus. Quod si ex propria natura autumnum æstimare velint,ne sic quidem frigidum esse vere dixerint, cum sit potius in calore & frigore inæqualis;viget enim mane ac vespere frigus,calor autem molestat adhuc meridie. Et quamuis cum vere in eo conueniat, vt neque calidus neque frigidus dici possit; in eo tamen differunt,quod ver in vtraque qualitatum oppositione tẽperatissimum sit, autumnus vero in vtraque intemperatus: est namque per excessum siccus, in calore vero & frigore maxime inæqualis,vt dictum est. Atque hanc inæqualitatem significauit Hippocrates,sic scribens in aphorismis, Cum „ eodem die modo frigus nos afficit, modo calor vrget, autumnales morbi ex- „ spectandi. Quæ sanæ inæqualitas,vt inquit hoc loco Galenus,autumnum ipsum insaluberrimum facit, & perniciosissimis morbis obnoxium:nam vt ab Hippocrate proditum est,autumno in vniuersum morbi acutissimi & perniciosissimi. B Cuius euentus duplicem potissimum caussam statuere oportet, contrarios humorum motus, & partium imbecillitatem. Agitantur quidem humores cõtrariis motibus, quia dum viget meridie calor,foras euocantur, ac rursus mane & vespere vigente frigore intro pelluntur. Quo fit,vt magna ex parte impedita difflatione, noxii humores ad partes internas impetum capiant. Partes vero imbecilliores redduntur, quia subitas eas atque contrarias mutationes citra insignem noxam subire nequeunt. Vicissitudine namque calidi & frigidi,partium substantia non secus frangitur ac ferrum, dum vicissim nunc candet, nunc frigida tingitur: vt recte dixit Hieremias. Sed præter inæqualem intemperiẽ, quæ tantorum malorum est caussa, tres alias adiungit Galenus. Quippe hoc malum autumno etiam inest, vt æstatem excipiat, in qua humores multis adusti, qui- C busdam etiam debilitatæ sunt vires. Ad hæc humores, qui prius per æstatem mouebantur ad cutim, atque eiusdem perspiratu digerebantur;per autumnum ab aëris ambientis frigore in profundum pelluntur,coguntur que. Atq; hæ duæ caussæ, quemadmodum & inæqualis intemperies, omnibus hominibus sunt communes. His vero qui vicioso victu vtuntur, auctarii vice poma accedunt, quibus abunde repleti,prauorum humorum copiam autumno facile colligunt. Concludit itaque tandem Galenus,male Athenæi sectatores,quattuor temperamentorum coniugia, quattuor anni temporibus adaptasse; cum demonstratum hactenus sit,neque ver calidũ esse & humidum, neq; autumnum frigidum & siccum. Et quamuis autumnum frigidum & siccum esse concederemus, non inde sequeretur ver esse calidum & humidum,neq; enim quattuor intemperies D in anni temporibus inueniri necesse est, vt illi existimarunt. Immo si quis (vt Galenus ait) hoc in mundo est ordo,& prout melius est non prout peius omnia sunt disposita; probabilius sit plura ex anni temporibus temperata esse facta, vnum vero, si modo aliquod,intemperatum. Quem sane locum plerique difficillimum iudicarunt, quod videatur asserere, plura ex anni temporibus temperata esse facta, vnum vero solum intemperatum;cum tamen tria potius intẽperata,vnum vero temperatum esse experiamur. Merito igitur Hieremias suspectam habuit hanc sententiam,nisi Galenus intelligat, satius esse vt plura sint temperata atque vnum intemperatum, quam è contrario omnia intemperata. Quod cum forte fortuna recte dictum esset à Hieremia; sibi omnino placere non potuit,vt hinc arrepta occasione, in Galenũ (vt solet) inueheretur. Explicationẽ tamen à suo auctore neglectã,quã postea amplexi sunt Fuchsius & Lopezius,nos libentissime admittimus. Cũ enim Athenæi sectatores ver calidum & hu-

Aphor. 4. lib. 3.

Apho. 9. lib. 3.

Com. in apho. 9. lib. 3.

A & humidum esse dicerent, omnia anni tempora intemperata statuebant. Cuius opinionis absurditatem ex eo nunc Galenus ostendit, quod naturæ ordini plurimum aduersetur, quæ in suis omnibus actionibus id quod melius est perpetuo eligit. Atqui cum temperies melior in vniuersum sit intemperie, melius videtur esse, vt plura ex anni temporibus temperata sint facta, quam vt sint omnia intemperata. Quare qui dixerit, omnia anni tempora esse temperata, aut plura quidem temperata & vnum saltem intemperatum; falsum profecto dicet, loquetur tamen maxime probabilia, quoniam hæc opinio naturæ ordini multum est consentanea. At sectatorum Athenæi opinio, non solum falsa, sed etiam improbabilis est & absurda; vtpote quæ naturæ ordini prorsus aduersetur, omnia anni tempora intemperata statuens. Cum vero aptissima hæc sit loci explicatio, nihil profecto est, quod suspicari nos cogat, deprauatum esse hunc locum atque transpositum; vt faciunt illi, qui legendum potius sentiunt, probabilius
B esse, vt plura ex anni temporibus intemperata sint facta, vnū vero, si modo aliquod, temperatum. Sed dubitari adhuc merito posset, cur si natura id quod melius est semper eligit, non omnia anni tempora, aut saltem plura, temperata effecerit; cum temperies multo melior sit intemperie, atque salubrior. Respondet Fuchsius, id propterea factum, quoniam Deus Opt. Max. rerum omnium esse vicissitudines, & hominem propter peccatum primi parentis nunc algere, nunc impensius calere voluit. O miram atque piam hominis alioqui impiissimi explicationem! Confugit miser ad peccatum primi parentis, vt facere solent male docti, maleque exercitati concionatores, cum rerum dicendarum inopia premuntur. Quasi vero satius non sit, ad mundique conseruationem multo vtilius, tria ex anni temporibus intemperata esse, vnicum autem temperatum; etiamsi temperies melior in vniuersum intemperie videatur. Vere siquidem
C temperatissimo ob caloris mediocritatem germinant plantæ, & sponte nascuntur herbæ: quæ accedente æstate ad iustam magnitudinem, summamque perfectionem perueniunt: ob calorem scilicet & siccitatem, quæ gliscenti plantarum incremento maxime sunt idonea. Aestatem autumnus excipit, qui sua inæqualitate præcedentem feruorem temperat, ne terra vi caloris deusta, ad nouam plantarum generationem redderetur prorsus inepta. Ac tandem hyems præcedentiū temporum siccitatem pluuiarum copia & frequentia corrigit, vt irrigata terra, quæ sibi committuntur semina, intra propria viscera facile concipiat. Nec minus vtilis censetur hyemis frigiditas, cuius beneficio fit, vt & defrondescant arbores, & calore sensim contabescente marcescant herbæ, quo facilius succedēte vere, veluti recuperatis viribus, denuo germinent, optatosq; tandem fructus ferant, ad animalium conseruationem necessarios.

D *Ego vero, tantum abest, vt aut ver, aut siquid temperatum est, calidum atq; humidum dicam, vt quod plane contrarium est, id affirmem, omnium aëris ambientis temperamentorum pessimum id esse quod humidum est & calidum. Quod sane temperamentum in quattuor anni temporibus inuenire nequeas, in morbido & pestilenti aëris statu interdum incidit; veluti quodam loco Hippocrates commemorat his verbis, Pluebat per æstum hymber largus assidue; id namque est humidi & calidi status proprium, vt in æstu assidue pluat. Quod si vel tantum æstus sit, quemadmodū in naturaliter se habente æstate; vel pluat, sed in frigore,*

veluti

veluti hyeme solet; fieri nequit, vt is status calidus sit & humidus. An igitur sine morbis erat æstas illa, in qua pluisse dicit in caloribus assidue largum hymbrem? Atqui carbunculos in ea fuisse narrat, putrescentibus scilicet in corpore excrementis, ac saniem quandam, quæ calida humidaque immodice fuerat, gignentibus. Intelliges id ex ipsa dictione, si totam tibi adscripsero: ea sic habet, Erant in Cranone carbunculi æstiui; pluerat per æstum largo hymbri, idque assidue; acciderant autem magis austro. Ac suberat quidem sub cute sanies, quæ conclusa incaluit, ac pruritum excitauit; mox pustulæ, veluti ambustis sunt obortæ, vrique sub cute sunt visæ. Verum hic minus, vtpote vno tantum e quattuor temporibus mutato, malum fuit. Quod si duo, tria ve sint mutata, aut etiam totus annus calidus humidusque fuerit; necesse est magna pestilentia succedat; cuiusmodi in tertio epidemion [id est grassantium publice morborum] narrat. Apponam autē primum quæ de temporum intempestiuo statu scripsit; deinde de hominum quæ subsequuta est corruptela: Aduertas autem animum in omnibus velim, æstimesque primum, cuiusmodi res sit calida humidaque temperies, quamque veri, quod temperata res est, dissimilis: deinde, quam necessario in ea omnia putrescant. Incipit igitur Hippocratis narratio in hunc modum, Annus austrinus, pluuius, à ventis in totum silens. Deinde totius status particularem rationem his subiicit, crebros hymbres in calido & austrino statu fuisse scribēs; mox vniuersum sermonem in vnam summam conferens sic. Cum fuisset, inquit, totus annus austrinus, humidus, & mollis; hæc & hæc inciderunt: quæ vtique omnia in hoc libro scripsisse sit longum. Licet autem cui libuerit, in tertio epidemiôn membratim ea legere, ac in vnum caput omnia redacta videre, nempe putredinem maximam. Cuius etiam ipsius Hippocrates non raro nominatim meminit, alias sic scribens, Erat autem & fluxio ipsa collecta haud similis puri, sed alia quædam putredo, ac fluxio multa, variaque. Alias sic, Et in pudendis carbunculi æstiui, cum alia quæ putredines appellantur. Et quod ex hac putredine multis quidem brachium, & cubitus totus deciderit; multis femur, vel sura est nudata, totusque pes. Quin etiam magni ossium, carnium, neruorum, articulorumque prolapsus inciderunt. Denique nullum ex affectibus quos scripsit inuenias, qui merito soboles putredinis non sit.*

* κνήμη.

Quoniam Athenæi sectatores temperamentum calidum & humidum idem dixerunt esse cum temperato, propterea id nunc refellit Galenus, ostendens, calidum & humidum aëris temperamentum non solum temperatum non esse, verum etiam pestilentissimum, & morbis ex putredine ortis omnium maxime obnoxium. Id autem nunc probat ex iis quæ experientia cōprobata sunt, idem postea confirmaturus ratione. Hippocratis experientiam (cui maxime credendum esse merito censet) in medium proponit, duo proferens huius rei testimonia ex libris epidemion. Alterum desumptum est ex lib. 2. epid. par. 1. sent. 1. vbi calidam & humidam æstatem primum descripsit, postea vero speciem carbuncu-

A bunculorum, qui tota ea æstate populariter grassati sunt. Aestatis conditionē calidam & humidā expresſit illis verbis, Pluerat per æstum largo hymbri, iuq. assidue æstus enim nomen vehemētem caliditatem denotat, hymbrium autem copia & frequentia magnam humiditatē. Auxit itidem prauam eius status cōditionem, tum auster ventus calidus & humidus, tum etiam regionis & ciuitatis situs, quoniam Cranon ciuitas erat mediterranea in Pelasgiotide Thessalia, in campis nimirum quæ vocant Tempe, australibus ventis tantum exposita, minimum vero aquiloniis. Huius itaque æstatis constitutionem humidam & calidam carbunculi pestilentes subsequuti sunt quamplurimi, quorum formam ibidem descripsit Hippocrates. Triplex enim esse potest carbunculorum species, auctore Galeno. Omnium frequentissimi sunt, qui B cum pustula vna nascuntur, eaque nigra, liuida, aut cineritia; quæ statim eo in loco apparet, quem æger propter molestum pruritum frequenter scalpit: qua disrupta crustosum vlcus efficitur. Fiunt interdum cum pluribus pustulis, quæ vel sunt ambustis similes, vt inquit Hippocrates, vel (vt Galenus ait) similes semini milii. Quarum sane generatio ex serosa humiditate feruenti prouenit, quę vna cum sanguine ad partem affectam decumbit. Sed & sine pustula, cum solo crustoso vlcere fiunt aliquando carbunculi, qui ceteris rariores esse solent. Secundæ igitur speciei erant, qui tota illa æstate calida & humida publice grassati sunt carbunculi; cum pluribus enim pustulis exstiterunt, vt refert Hippocrates. Alterum testimonium petitum est ex lib. 3. epide. part. 3 sent. 1. vbi non vnius aut alterius temporis, sed totius anni calidum & humidum statum ad hunc modum depinxit, Annus austriuus, pluuius, à ventis in totum silens. Austrinus dicitur ob austrum calidum & humidum, qui aut semper, aut frequētissime flauit. Pluuius ob hymbrium frequentiam & copiam, vnde maximam humiditatem C contraxit aër, paratissimam putredinis caussam. A ventis autem in totum silens ob ventorū absentiā, cuius occasione totus ille annus supra modum tranquillus exstitit. Cū vero talis fuisset totius anni constitutio, pestis maxima populos inuasit, quæ miseris mortalibus calamitatem, cladēmq; intulit incredibilē, vt cōstat ex Hippocraticæ dictionis serie. Ex quibus patet, aëris statū calidum & humidum omnium pestilentissimum esse, tantum abest, vt dici debeat tēperatus.

Lib. 14. metho. med. c. 10.

Quippe cum nec à sicco putrefieri quidquam sit aptum, nec a frigido. Intelligas id, si carnes, & reliqua quæcumque asseruari ab hominibus solent, obserues, hæc sale, hæc muria, hæc aceto, hæc alio quopiam ex iis quæ siccant, cōmode præparari. Deprehendas, & borea, qui siccus natura & frigidus ventus est, D *omnia quam diutissime imputria durare; contra putrescere facillime austrino flatu, est enim is ventus calidus & humidus.*

* περιχινόμενα, additur græce, id est condîta.

Ratione ex cōtrariis petita rursus probat, aëris statum calidum & humidum putredinis esse caussam. Quippe si à frigido & sicco nihil potest putrefieri, fiet profecto putredo à calido & humido. Quod nihil putrefiat à frigido & sicco, ex iis primū confirmat, quæ, ne putrescant, condiri solent; condiuntur namq. sale, muria, aut aceto, quæ exsiccandi facultate sunt prædita. Hæc autē à putredine vendicant, tum quia humiditatem, putredinis materiam, absumunt; tum etiam quia occlusis meatibus innatum calorem retinent, ne facile dissipetur. Idem præterea ostendit exemplo boreæ & austri; is namque res sibi expositas prompte corrumpit, quia calidus est & humidus; ille contra, quia frigidus est & siccus, integras imputresq. diutissime seruat. Quod si præter huiusmodi exempla,

quibus vtitur Galenus, rationem quoque velis consulere; facillimum profecto A erit, ex caussis & generatione putredinis demonstrare, nihil vnquam putrefieri à frigido & sicco. Duplex enim putredinis caussa à philosophis omnibus pariter ac medicis statuitur, efficiens, & materia. Efficiens calor externus est, qui natiuum viciat, ac corrumpit. Vocamus autem calorem externum, non solum eum (vt multi opinantur) qui aëri inest, aut aquæ, sed in vniuersum omnem eum qui præter naturam est: siue is extrinsecus adueniat, siue in ipsomet corpore gignatur. Putrēt namque in febribus putridis humores, nullo ab aëre aut aqua accepto calore; sed quia à calore præter naturam, qui in loco obstructionis potissimum gignitur, accenduntur. Quo fit, vt non tantum calidi humores putrescant, sed etiam frigidi, qualis pituita est. Neq. vero frigiditas putredinis caussa esse potest, vt quidam somniarunt; nisi forte ex accidenti, quod innatum calorem imbecilliorem reddat. Putredinis materia humiditas est, vel potius hu- B mida substantia, quæ male ab innato calore gubernatur. Id ex eo cōstat, quod quæ omni ex parte sicca sunt, vt lapis, æs, aurum, putredinē non sentiant: & quæ ex siccorum numero corruptionem patiuntur, vt ossa & ligna, carie potius tenentur quam putredine. Quamobrem non immerito à multis reprehenditur Ioachimus Perionius, quod cariem cum putredine passim confuderit in Aristotelis translatione. Fit autem putredo, quando corpore præter naturam incalescente, non amplius ab innato calore continetur ac gubernatur humidum; sed violēter foras extrahitur, à siccoq. separatur, cui natiui caloris beneficio recte antea permixtum erat. Hinc enim fieri experimur, vt quæ putrescunt, exterius humidiora appareant; quamuis tandem absumpto humore exsiccata, veluti in puluerem redigantur. Neque alio spectare videtur, quod dictum est ab Ari-

Lib. 4. meteo. cap. 1. stotele, simplici generationi contrarium maxime cōmune esse putrefactionem. Nam quamuis corruptio potius quam putredo (quæ species corruptionis est) C videatur generationi contraria; reuera tamen magis contraria est putredo. Siquidem in generatione caloris innati beneficio humido permiscetur siccum, in putredine vero caloris externi vi humidum à sicco separatur. Ob eandem quoque caussā dicitur putredo magis cōtraria concoctioni quā cruditas, quia caussæ & effectus vtriusq. magis sunt inter se contrarii. Quæ cum ita sint, recte Ari-

Ibidem. stoteles putredinē sic definiit, Putredo est proprii naturalisq. caloris in vnoquo

Lib. 11. metho. med. c. 8. que humido existentis, ab extranea caliditate corruptio. Et Galenus putredinē esse dixit mutationem totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam à calore externo. Est inprimis mutatio, non quæcūq. sed totius substantiæ mutatio: neq. enim calfactio, humectatio, aut exsiccatio corporū, putredo est, etiāsi huiusmodi mutationes in putrescente etiam corpore inueniri possint. Est præ- D terea totius substantię mutatio ad corruptelā, quoniam putredo species quædā corruptionis est. Hæc tamē, vt putredo dicatur, à calore externo fieri debet, nā quæ corruptio ab aliis qualitatibus fit, aut etiā ab iis quæ tota substantia agere dicuntur, putredo reuera non est; vt accidit iis qui morbo gallico infecti sunt. Quæ enim in his inuenitur sanguinis corruptio, cū ab externo calore nō fiat, sed à praua eius morbi qualitate; putredo reuera non erit: alioqui cū tanta humorū putredine febri putrida haud dubie laborarent: quod falsum est. Porro præter externum calorem & humiditatem, quæ duæ præcipuæ sunt putredinis caus-

lib. 3. epid. part. 3. com. 1. sæ; tertia quædam adiungenda est, quæ putredinem ipsam auget, nempe quies, otiū, aut immobilitas. Quippe, vt testatur Galenus, quæ diutius immota manēt, ventis minime perflata, citius ac facilius putredine tentari solent. Quo sane consilio mulierculæ experientia doctæ, vestes, quas in arca diutius inclusas serua-

A seruatunt, & vento exponunt, & virgis concutiunt, ne à tineis exedantur. Has putredinis caussas cũ Galenus expenderet, non citra rationem dixisse videtur, ea tantum putrescere corpora, quæ, cum calida humidaque natura sint, neque perflata, neq; ventilata, in calido humidoque loco manent. Quamquam suspecta videri possit hæc Galeni sententia, cũ & ea quæ natura sunt frigida (vt pituita, & succus melancholicus) aliquando putrescant: vt indicant febres quotidianæ & quartanæ. Quare quæ calida & humida natura sunt, dicentur tantum putrescere, quia hæc sola ex sua natura idonea sunt ad concipiendam putredinem. Quæ vero frigida sunt, etiamsi interdum putrescant, ex sua tamẽ natura inepta sunt vt in putredinem incidant. Quo fit, vt hæc raro difficileq; putrescant; illa vero facillime atque promptissime. Quod forte accuratius alibi considerans, prõptissime putrescere dixit, quæcumq; calida & humida, & multa sunt, in calidis locis, nisi diffiari simul ac refrigerari ea contingat. Sed de putredinis essentia & caussis hæc nunc dixisse sit satis, ex quibus aperte intelligitur, nihil à B frigido & sicco, sed tantum à calido & humido putrefieri.

Lib. 11. metho. med. cap. 4.

Lib. 1. de differ feb. cap. 3.

Itaque nos in totum contra quam hi qui calidum ver autumant, decernimus; cum neque tale sit; neque si esset, vtique salubre esset. Hi autem & tale esse volunt, & propterea etiam salutiferum: vtrobique peccantes, tum in iis quæ sensu percipere, tum quæ ratione est intelligere. Cum sensu id manifeste liceat plane temperatum aduertere, nec minus ratione illud inuenire, quod propterea est aptum sanitati, quod e quattuor nulla in eo qualitas exsuperet. Quod si vel caliditas eius frigiditatem multo excederet, vel humiditas siccitatem; vt variis putredinibus obnoxium, sic omnium anni temporum morbis esset maxime op-C portunum. Nunc quattuor qualitatum mistionis æqualitas, & mediæ temperaturæ eius, & salubritatis est caussa. Quid igitur medicis ac philosophis quibusdam persuasit, vt calidum humidumq. ver esse iudicarent? Nempe quod quattuor temperamentorum coniugia quattuor anni temporibus adaptare voluerunt. Porro id inde accidit quod primum omnium temperamẽtorum, id est medium ipsum, prætermiserunt. Quinetiam victuum, medicamentorum, omnium denique rerum differentias, in has quattuor differentias reducunt. Ex quo manifestum est, quantopere parum rectæ, fallacesque de hominis natura rationes medica-D tionibus obsint. Satiusque erat duorum alterum; aut prorsus eiusmodi rationes non attigisse, sed totum experientiæ concedere; aut prius in Logica speculatione exercitatum fuisse. Quippe qui nec experientiæ est attentus, & naturalia theoremata aggreditur, priusquam rationem, qua hæc inueniat, conuenienter exercuit; necesse est in eiusmodi cauilla sit perductus; ac de euidentibus, ceu is qui sensu caret, disputet: tum Aristotelem testem inuocet, male scilicet accipiendo ea quæ præcipit. Hic enim, calidum, frigidum, humidum, & siccum, multipliciter dici nouit: illi non quasi multipliciter, sed quasi ad eundem perpetuo modum dici velit, accipiunt. Quinetiam is, quod aliquid suo & naturali calore, aut alieno & adquisititio calidum sit, non esse idem indicauit: illi hoc quoque perperam accipiunt. Ad hæc Aristoteles,*

* εὔκρατον.

itemque Theophrastus, quo respicientes, temperatam intemperatamve naturã esse, iudicare oporteat, diligenter prodiderunt: illi ne id quidem intelligunt. Sed cum hos audiunt animal calidum humidumque dicere, aut puelli temperiem humidam calidamq. esse; nec quemadmodum ea dicta sint intelligunt; & stupidi ad quattuor anni tempora sermonẽ transferunt. Ceu vero idẽ sit, ac non longo interuallo dissidens propriã alicuius temperiem humidam calidamq. esse, aut circundati nobis aëris. Neq; enim aut idẽ est, aut similiter dicitur animalis tẽperies calida & humida, sicut aëris temperamentum calidum dicitur & humidum. A

Sectatorum Athenæi errores nunc detegit, errorum caussas indicat, & quam praue Aristotelem intellexerint, docet. Errarunt quidem, tum in iis quæ percipiuntur sensu, tum etiam in iis quæ cognoscuntur ratione: quæ sane grauissima sunt peccata, cum duobus illis instrumentis ad res omnes inueniendas & demonstrandas nobis à natura tributis, abutantur. Errant quidem in iis quæ percipiuntur sensu, cum affirment calidum & humidum esse ver, quod tamen iudice tactu temperatissimum deprehẽditur. Peccant itidem in iis quæ ratione intelligũtur, quia ver temperatum esse colligunt, quod calidum sit & humidum; cum monstret potius ratio, si humidum esset & calidum, fore insaluberrimum. Nobis enim saluberrimum esse creditur, quod sit tẽperatum. Horum errorum proxima caussa fuit, quod quattuor temperamentorum coniugia, quattuor anni temporibus adaptare voluerint: cum tamen id non modo necessarium non sit, verum etiam neque probabile, vt antea diximus. Ac rursus huius erroris altera fuit caussa prior, quod scilicet naturam temperatam omiserint, & quattuor dumtaxat esse crediderint temperamentorum differentias, quas rebus omnibus accommodare tentarunt, vt alimentis omnibus & medicamentis. Quam opinionem curationibus morborum plurimum nocere verissime inquit Galenus. Nam si omnia alimenta intemperata sunt, medico non licebit hominem nutrire, quin eundem simul aliqua qualitate immutet. Ac rursus si medicamenta omnia compositam habent intemperiem, numquam licebit medico, saltem medicamento simplici, corpus calfacere, aut refrigerare, quin simul humectet, aut exsiccet. Hæc autem in curandis morbis maxime sunt absurda, cum & multa nutrimenta medicamentosæ omnis facultatis sint expertia, & aliqua medicamenta in altera qualitatum oppositione mediocritatem seruent, vt oleum Galeno teste. Tandem caussa omniũ prima atq. præcipua fuit Logices ignoratio: vnde etiam factũ est, vt Aristotelem vera alioqui docentem, pessime intellexerint. Inprimis enim recte nouit Aristoteles, calidum, frigidum, humidum, & siccum, multifariam dici: at sectatores Athenæi hæc nomina ita vsurpant, ac si vno dumtaxat modo semper dicerentur. Quod quidem intelligendum est in mixtis, quæ isti voluerunt talia semper dici per exsuperantiam; cum tamen Aristoteli talia etiam dicantur per comparationem. Præterea Aristoteles verissime docuit, calidum aliquid dici posse calore natiuo ac familiari, aut alieno & adscititio: quod tamen neque isti distinxerunt. Postremo Aristoteles & Theophrastus naturam temperatam ex paritate qualitatum, intemperatas vero collatione ad temperatam, iudicandas esse præceperunt: hi vero temperatam naturam prætermiserunt, qua semel prætermissa totum de intemperatis iudicium confuderunt. Quo factum est, vt quæ de puerorum & animalium temperie ab Aristotele probe dicta fuerant, perperam isti intellexerint, atque ad anni

B C D

Lib. 2. de sim. med. fac. c. 20.

Lib. 2. de part. ani. cap. 2. & 3.

A anni tempora temere transtulerint. Neq; enim in anni tẽporibus similiter dicitur aër calidus & humidus, ac pueri & animalia dicuntur Aristoteli calida & humida. Dicitur namque aër calidus & humidus ex propria sui natura, & per caloris & humiditatis excessum: at pueri non solum Aristoteli, sed etiam Hippocrati calidi dicuntur, quod insito familiarique calore abundent. Animalia vero calida & humida dici solent, non quod ex propria sui natura, & per exsuperantiam sint talia, vt aër; sed tantum per comparationem ad demortua & stirpes, vt sequenti capite docebit. Hæc quidem pertinẽt ad huius capitis explanationem. Sed quoniam Galenus primam dumtaxat rationem sectatorum Athenæi dissoluit, cogimur & reliquas hoc loco dissoluere, quas ipse vel neglexit, vel forte oblitus omisit. Secunda igitur ratio, quæ desumpta erat ex pueritia, facillime dissoluitur; negamus enim pueritiam esse temperatam. Neq.

Aphor. 14. lib. 1.

B recte illi ostendebant optimam pueritiæ temperiem ex naturalium actionum robore; cum in ætate temperata non solas naturæ actiones, sed & reliquas omnes validas esse oporteat. Huc accedit, quod neque omnes actiones naturæ in pueritia sint validæ, sed eæ tantum, teste Galeno, quæ fiunt citra motum, qualis est concoctio & nutritio. Immo neque vere affirmant pueritiam calidam esse & humidam, nam quamuis omnium ætatum sit humidissima, non tamen est necessario per excessum calida, vt libro sequenti dicemus. Tertiam rationem ex morte petitam, inefficacẽ esse inquit Fuchsius, quod mortis dumtaxat effectum, non caussam ostendat. Mors enim frigida & sicca dicitur ab effectu, quia mortuos reddit frigidos & siccos. At si monstrassent illi, intemperiem calidam & humidam mortis caussam esse non posse, reliquas vero intemperies, ac potissimum frigidam & siccam, mortem inferre; recte collegissent, vitam in calido &

Lib. 3. de cau. symp. cap. 3.

C humido consistere, & temperamentum calidum & humidum esse omnium optimum. Ceterum vtcumque res habeat, negari profecto non potest, quin vita consistat in calido & humido; cum calidum sit præcipuum instrumentum actionum naturę, quarum beneficio viuimus; humidũ vero sit calidi nutrimentum ac pabulum. Neque vero, quod calido & humido vitam tribuamus, viuentia omnia calida & humida necessario statuimus: non enim recte sequitur (vt falso putat Lopezius) si in calido & humido vita cõsistit, omnia quæ viuunt calida esse & humida per excessum. Quod si vita consistit in calido & humido, illud saltem concedere oportebit, temperamentum calidnm & humidũ esse viuacissimum: & forte res periclitari videbitur, ne temperamentum calidum & humidũ temperato melius censeatur. Rem itaque distinctione adhibita sic explicare oportet.

D Calidum & humidum temperamentum per se quidem, propriaque sui natura viuacissimum est, & maxime longæuum; cum interna duo vitæ principia, calidum & humidum, in ipso præpolleant. Ex accidenti tamen fit, vt breuiori vita plerumque fruantur qui calidi sunt & humidi, quod excrementa quamplurima ob excedentem humiditatem colligant, quæ tandem à calore putrescunt. Vnde fit, vt plurimis grauissimisque morbis ex putredine obortis obnoxii sint, idque potissimum in pueritia omnium ætatum humidissima. Quod manifeste docuit Galenus, cum agens de naturis calidis & humidis
„ ad hunc modum scribit, Sane eiusmodi naturæ in puerili ætate fluxionum, Lib. 6. de sani. tuen. cap. 3.
„ & redundantiæ morbis maxime tentantur, itemque putredinis: quo magis &
„ pluribus excercitationibus, & exacta ventris concoctione egent. Et paul-
„ lo post, Quod tamen ad ipsius temperamenti rationem attinet, qui ma-
„ xime sunt humidi, maxime sunt longæui. Iidem & sanitate, vbi corpus ad ro-

bur peruenit, plus ceteris fruuntur, & ceteris qui parem ætatẽ agunt, valentiores ad extremum vſque ſenium ſunt. Ideoq. ferme tum medicis omnibus, tum philoſophis, qui corporis elementa diligenter inueſtigarunt, temperamentum id laudatum eſt. Immo etiam vnum id proinde ſecundum naturã ſe habere quibuſdam eſt viſum. Ex quibus conſtat, calidum & humidum temperamentum ceteris quidem viuacius eſſe ex ſua natura; iure tamen cenſeri deterrimũ ob multitudinem excrementorum, & morborum, quibus obnoxium eſt, vehementiã. Atq. hæc cauſſa eſt, cur Galenus huiuſmodi temperamentum, tamquam inſaluberrimum perpetuo damnarit; vt conſtat potiſsimum ex lib. 8. metho. med. vbi de intemperie calida & humida hæc ſcribit. Maxime omnium putredinis morbis hæc intemperies expoſita eſt, propterea quod per ipſam ſanitatẽ proxime ad putredinem accedit. Veluti tum ex ſudoribus coniicere eſt, qui grauiter his olent, tum vero ex vrinis, deiectione, atq. etiam ipſa exſpiratione: etenim qualis eſt hircorum, talis eſt & talium naturarum temperies. Verum licet temperamentum humidum & calidum eſſet reuera magis longæuum, non tamẽ proinde temperato melius cenſeri deberet. Neq. enim temperamenti perfectio ac præſtantia ex vitæ longitudine expendi debet, ſed ex vitæ potius perfectione: ſunt namque bruta nonnulla homine viuaciora, quorum temperiẽ humana non paullo deteriorem eſſe certiſsimum eſt.

A

Cap. 7.

B

CAP. V.

QVæ igitur ſit omniũ horũ occaſio, iam dicã, clareq. oſtendã, his præſertim qui intẽti eſſe volunt, exiguũ errorẽ in iis quæ inter initia Logicæ ſpeculationis tradũtur, maximorũ errorum occaſionẽ fieri. Fortaſſeq. omnibus quæ vel cũctis artibus, vel in vitæ actionibus perperã geruntur, ſophiſmata ſuccedunt. Atq. hæc quidem ſophiſmata illi vicio ſuccedunt, quod vtiq. non recte definitũ eſt de calidi ſignificationibus; ſed duobus tantũ modis dici id putatũ; quorum altero ſignificetur quod ſincerum, immiſtum, & ſimplex eſt; altero quod in miſtione cum ſuo contrario id ſuperat. Quod autẽ & alteram temperiem cum altera conferentes, ſubinde alterã earum calidã [pro eo quod eſt calidiorem] *pronunciamus, id non meminerunt. Atq. ad eum modum animantia veteribus calida & humida ſunt dicta, non propriæ temperaturæ gratia & ſermone abſoluto; immo ad ſtirpes & demortua collata: quippe demortuis & ſtirpibus animantia calidiora humidioraq. ſunt. Quinetiam ex animantibus ipſis ſpeciatim inter ſe collatis, canis ſiccior eſt, homo humidior. At ſi formicæ vel api canem conferas, illas ſicciores, hunc humidiorẽ inuenias. Ita idem animans, præ vt homo,* ſiccum; præ vt apicula,* humidum fuerit. Rurſus ad hominẽ collatũ, calidũ; ad leonẽ, frigidũ erit. Nec mirũ ſi ad aliud atq. aliud comparatũ, cõtraria ſimul dici de ſe patitur. Neq. id alienũ eſt, ſi idẽ corpus ſimul calidum frigidumq. dixeris, niſi ad idem conferens ſic dixeris. Quod enim incõmodũ ſi eundẽ hominẽ dextrũ ſiniſtrũq. dicas, niſi ad eundẽ cõferens ita dicas? cũ ad alterũ dextrũ eſſe, ad alterũ ſiniſtrũ, nihil ſit abſoni. Sic igitur & canis humidus pariter & ſiccus, præterea calidus ſimul & frigidus eſt, non tamẽ ad idem*

C

D

* καὶ [illegible] τὰ πάντα τὰ κακῶς πραττόμενα κατά τε τὰς τέχνας ἁπάσας καὶ μέντοι καὶ κατὰ τὰς ἐν τῷ βίῳ πράξεις ἕπεσθαι σοφίσματα, id eſt, Et neceſſe eſt omnibus quæ vel in cũctis artibus vel in vitę actionibus perperam gerũtur, ſuccedant ſophiſmata.

* ὡς πρὸς ἄνθρωπον, id eſt ad hominem.

* ὡς πρὸς μέλιτταν, id eſt, ad apiculam.

A *ad idem collatus. Quippe ad hominem si cōferas, siccus est; ad formicam, humidus. Rursus hominis respectu calidus est, leonis frigidus. Quin etiam calidus est vt viuens, cum mortuus non amplius sit calidus; non calidus, vt ad alterum (si ita vis) canem comparatus. Atq; hæc quidem omnia per collationem inter se dicuntur; quæ vero vt in animantium genere conferuntur, alia ratione; sicuti etiam quæcunq. in aliqua animalium specie. Canis namq. ad formicam & apim est humidus; in animantium genere est siccus. Rursus ipsorum speciatim canum, hic siccus, ille humidus, alius (vt fas est cani) temperatus.*

Explosis veterum errorribus, de temperamentorum differentiis iam differit ex propria sententia; a significationibus calidi, frigidi, humidi, & sicci, exorsus veterum exemplo. Has igitur toto hoc capite diligentissime persequitur, pluri B busq. exemplis illustrat. Atq. id eo libentius præstat, quo veteres illi medici ac philosophi fuerunt in his explicandis negligentiores: quæ prima profecto fuit omnium errorum occasio. Quare merito extremo capite superiori Logicæ ignorantiam illis obiecerat, quam rursus huius capitis initio ipsis obtrudit; quasi hæc sit origo ac fons omnium sophismatum, quæ in artibus ac disciplinis, omnibusq. vitæ functionibus plerumq. succedunt. Hoc si semel intelligerent adolescentes, qui Logicæ nauant operam, diligētius fortasse Aristotelis Logicam addiscerent, neq. adeo libenter in sophisticis omninoq. inutilibus quæstionibus versarentur. Sed quid facient miseri, si præceptores, quibus se instituendos tradiderunt, (doctos semper excipio) nihil minus quā Logicā doceāt; vtpote qui neglectis totius artis præceptis, quæ ab Aristotele recte sunt tradita, & reliquis artibus insignem vsum præbent; ad res Metaphysicas, Theologicasq. tractan-C das perperam digrediuntur: eoq. plus sibi sapere videntur, quo plures quæstiones procemiales (vt ipsi appellant) sophistarum more proposuerint. Quid igitur miri, si discipuli tam præclare instituti, Logicarū methodorum prorsus ignari, solisq. imbuti sophismatis, grauiores disciplinas, vt diuinā Theologiā, vtramq. Philosophiā, Iurisperitiā, ac Medicinā, infelicissime tractent? Quod sane philosophis istis ac medicis contigisse videtur, qui de temperamentis disputantes grauissime sunt lapsi, quod ignorarint (vt ait Galenus) quæ inter initia Logicæ tradi solent. Traditur autem inter alia vtilissimum illud præceptū de distinguenda vocū homonymia: qua de re agit potissimum Aristoteles in Topicis. Lib. 1. Topi. cap. 13. Illi ergo nō recte distinxerūt significationes calidi, frigidi, humidi, & sicci, cū hæc tantum bifariā dici posse existimarint; simpliciter scilicet in elemētis, & in mixtis per exsuperantiā. Atqui addēda erat tertia significatio, qua dicitur ali-D quid calidū, frigidum, humidū, & siccum, per cōparationem. Quo pacto dictum veteribus est, animalia calida esse & humida, nō quod in omnibus animalibus calor & humiditas excedant; sed quod talia sint stirpibus & demortuis collata; quibus calidiora sunt & humidiora. Plures autem esse possunt comparationis modi, quos paullo obscurius proponit Galenus, neq. satis apte explicant interpretes; cum alii plures, alii pauciores statuant. Nos tamen omnes modos cōparationis ad duo prima capita reuocamus; nā aut fit cōparatio ad quodlibet obuium, aut ad mediū generis vel speciei. Rursus quæ cōparatio fit ad quodlibet obuiū, quattuor modis fieri potest: inprimis enim genus cōfertur generi, vt cū animal dicitur calidū & humidū stirpi collatū. Secūdo species cōfertur alicui generi, vt homo stirpi; aut speciei eiusdē generis, vt equo; aut speciei generis diuersi vt ficui.

vt ficui. Tertio indiuiduũ cõfertur alicui generi, vt Plato ſtirpi; aut alicui ſpeciei A
eiuſdem generis, vt equo; aut ſpeciei diuerſi generis, vt ficui; aut alicui indiui-
duo eiuſdem ſpeciei, vt Socrati; vel diuerſæ, vt huic cani. Tandem idem con-
fertur ſibiipſi aliter affecto, vt cum canis calidus dicitur, quia calidior eſt ſeipſo
iam mortuo. Porro in his comparationibus perſpicuum eſt contraria dici poſſe
de eodem: dummodo non fiat comparatio ad idem, vt docebit poſtea copio-
ſius. Alter comparationis modus fit ad medium generis vel ſpeciei. Nam vt di-
cemus in ſequentibus, in vnoquoq; rerum genere & ſpecie medium quoddam
ſtatuere oportet, cuius collatione cetera omnia, quæ ſub eo genere aut ſpecie
continentur, dicantur calida, frigida, humida, & ſicca. Fiet itaq; comparatio ad
medium generis, ſi canis calidus & ſiccus dicatur homini collatus, qui medium
eſt in genere animalium. Ad medium vero ſpeciei, ſi canis aliquis dicatur cali-
dus, collatus cani in ſua ſpecie temperato. B

*At dictum quidem a nobis eſt in ſecundo de pulſuum dignotione de tali no-
minum vſu diffuſiſſime; neceſſe tamẽ videtur, nunc quoq; ſummatim aliquid de
his, quod ad rem propoſitã vtile ſit, dicere. Quod abſoluto ſermone, nec ad aliud
vllum collatum* ſiccũ vocatur, id in ſolis elementis eſt, igni terraque; ſicut humi
dum in aqua & aëre. Ad eundem modum de calido frigidoq; ſentiendum, nul-
lum enim ceterorum corporum prorſus calidum frigidũ ve eſt, ſed ſola elementa.
Quidquid præter hæc ceperis, ex his miſtis conſtat; eoq; ſecundo ſignificationum
genere calidum frigidum ve eſt, non amplius abſoluta ratione, veluti ſincerum,
& a mixtione alienum. Immo veluti vel calidum largius, frigidum parcius; vel C
frigidum largius, calidum parcius ſit ſortitum; reliquorum quiduis calidum, fri-
gidumve dicitur. Ac duo quidem ſignificata calidi, frigidi, humidi, & ſicci, hæc
ſunt; alterum abſoluto ſermone loquentium, miſtura carẽs, & ſincerum; alterum
ex contrariis quidem miſtis conſtans, ceterum ex præpollentis in miſtura nomi-
ne appellatum. Hoc genere ſanguis, pituita, adeps, vinum, oleum, mel, & quid-
quid his ſimile eſt, humidum dicitur: os, cartilago, vnguis, vngula, cornu, pilus, la-
pides, lignum, arena, later, minorem portionem humidi ſunt ſortita, maiorem ſic-
ci; eoq; eiuſmodi omnia ſicca dicuntur. Formica vero ſicca eſt, & vermis humi-
dus, ſcilicet vt ſunt animalia. Rurſus inter ipſos vermes alius ſiccus, alius humi- D
dus; idq. vel abſolute loquendo vt vermis, vel alteri cuipiam [vermi] compara-
tus. Ceterum hoc ipſum quod dicimus, vt vermis ſiccus, vt homo calidus, vt canis
frigidus; niſi quis recte* accipiat, & prius intelligat quid ſibi velit, neceſſe eſt om
nem ſermonem confundat. Eſt autem recte accipere, id quod in ſecundo de pul-
ſibus agnoſcendis dicitur; vnumquodq; ſecundum genus vel ſpeciem, non modo
calidum, frigidum, humidum, ſiccumve, ſed etiam magnum, paruum, celere, tar-
dum, aliaq. id genus tũc nominari, cum ſupra mediocre mediumq; ſit. Verbi gra-
tia animal calidum, cum ſupra medium temperie ſit animal, equũ calidum, cum
ſupra mediũ tẽperie ſit equũ. Porro in quoq; genere, ſpecieve, media ſunt ea, quæ
Græce*

* ὕπρος μηδὲν ἕτερον λέγεται.

* ἀκριβῶς.

A *Græce symmetra dicuntur; quippe quæ a summis in eo genere & specie finibus æqualiter distant. Ac genus quidem est animal; species, equus, bos, canis. Medium temperie in toto animalium genere homo est, id enim in sequentibus demonstrabitur. Medium vero vt in hominum specie est, quem Græce εὔσαρκον vocant [Latine, puto, quadratum] Is porro est, quem nec gracilem dicere, nec crassum possis; sed nec calidum nec frigidum, nec alio quouis nomine, ex iis quæ excessum defectum* ve indicant, appellare. Quisquis super hunc fuerit, is prorsus calidior, frigidior, humidior, siccior ve est. Nominatur autem talis partim absoluto sermone, partim non absoluto. Absolute quidem loquenti, quoniam calidus, frigidus, siccus, humidus ve esse, minime vni alicui priuatim collatus, dicitur. Ita enim canis* B *absoluto quidem sermone (prout videlicet cuipiam opinio est) animal siccum dicitur, non vtiq; alicui comparatus, verbi gratia formicæ. Non absolute vero, vna quidem ratione, quod scilicet symmetro [id est coæquali] & medio totius speciei comparatur: altera vero, quod cum eo quod inter omnia animalia coæquale, & media temperie est (quidquid id statuas) confertur.*

* ἀμετρίαν.

Exemplorum multitudo & manifesta loci luxatio orationē hanc obscurarūt, cum tamē res de qua agitur, facillima sit; repetit enim, & copiosius explicat tres illas significationes calidi, frigidi, humidi, & sicci. Prima igitur significatio ea est, qua aliquid dicitur tale absolute ac summe; quę solis cōuenit elemētis. Hoc modo sicca dicuntur ignis tātum & terra; humida aër tantū & aqua; calida ignis tantum & aër; frigida vero aqua tantū & terra. Vnde constat in singulis elemen C tis binas reperiri qualitates sinceras ac summas: vt alibi annotauimus. Secun" do dicitur aliquid tale per exsuperantiam præpollentis qualitatis: quo pacto sanguis, pituita, vinum, & oleum, dicuntur humida: os, lapis, & pilus, sicca. Tertiam significationem, qua dicitur aliquid tale per comparationem, aliquantulū obscure proponit; ita vt ex propositis exemplis videatur dūtaxat colligi. Cūq; bifariam (vt antea diximus) possit in vniuersum comparatio fieri, ad mediū scilicet generis vel speciei, & ad quodlibet obuium, vtriusq. comparationis exempla scribit. Comparationem ad medium generis explicat, cum ait, Formica vero sicca est, & vermis humidus; scilicet vt sunt animalia. Neq. enim id exemplū eorum est quæ talia dicuntur per exsuperantiam, vt Fuchsius sentit; sed eorum potius quæ ad medium generis conferuntur. Quod plane indicant verba illa, D Scilicet vt sunt animalia, quæ nihil aliud significant, quā vt conferuntur ad medium in genere animalium. Comparationem vero ad medium speciei exprimit cum inquit, Rursus inter ipsos vermes alius siccus est, alius humidus; idq. vel absolute loquendo vt vermis. Nam illud Vt vermis comparationem indicat ad medium in specie vermium: quamuis dictio illa Absolute eandē videatur tollere. Quippe quæ in genere mistorum absolute talia dicuntur, ex aduerso iis opponūtur, quæ talia dicūtur per comparationē; vt postea docebit. Si ergo inter ipsos vermes alius dicitur siccus, alius humidus absolute vt vermis, quomodo fiet comparatio ad medium in specie vermium? Hinc persuasus Colladus, dictionem illam Absolute expūgendam esse censebat. Fuchsius tamē, nullius comparationis, quæ ad medium generis vel speciei fiat, exempla hoc loco proponi ait; sed secundam potius significationem in alias duas diuidi. Nam

Lib. de nat. homin. com. 2. & 13.

quæ per exſuperantiam talia dicuntur, bifariam dici poſſunt; abſolute, & non A abſolute. Abſolute quidem, quando nullius comparatione talia dicuntur, ſed ex propria ſui natura; non abſolute vero, quando conferantur ad aliud. Sed monſtrat dictionis ſeries, & verba illa, Vt ſunt animalia, vt vermis, indicant apertiſſime, comparationem ad medium generis & ſpeciei, duobus illis ſuperioribus exemplis explicari. Probabilius multo ſentit Lopezius, vermem, qui ad medium ſuæ ſpeciei collatus, humidus dicitur aut ſiccus; talem etiam dici abſolute, id eſt citra comparationem: quoniam (vt poſtea docebit) & ea quæ dicuntur talia per exſuperantiã (quæ certũ eſt abſolute talia dici) talia quoq. neceſſario dicuntur per cõparationẽ, ad medium ſaltẽ in genere ſubſtantiæ. Ceterũ, cum id nondũ Galenus docuerit, neq; fieri poſsit, vt aliquid ſimul tale dicatur per comparationẽ, & citra cõparationẽ; aliter multo locum explicandum cenſeo ex multiplici ſignificatione Græcæ dictionis ἁπλῶ, qua vtitur Galenus. Significat namque inprimis idem quod ſimpliciter ac ſumme; quo pacto B elementa dicuntur ἁπλῶς, calida, frigida, humida, & ſicca; vtpote quæ ſimplices ac ſummas qualitates obtineãt. Secundo ſignificat idem quod citra comparationem, ita vt dici aliquid tale ἁπλῶς, id eſt abſolute, ex aduerſo opponatur ei quod tale dicitur per comparationẽ. Sed & tertio ἁπλῶς idem ſignificat quod in vniuerſum, & citra adiectionem: quæ ſignificatio ex ſequentibus facile colligitur: ſcribit namq; hoc eodem capite in hunc modum, Sicut cum os ſiccum di- „ cimus, aut frigidum, abſoluto ita ſermone (Græce ἁπλῶς) nominantes, non adie- „ cto leonis, canis, aut hominis. Et capite ſequenti, Ergo ad quærentem cuius ſit „ temperamenti homo, equus, canis, aliud ve quodlibet, non eſt ἁπλῶς, reſpondendum. Hac igitur tertia ſignificatione dictionem ἁπλῶς, vel abſolute, hoc loco vſurpari arbitramur: non enim abſurdũ eſt dicere, ſed rationi maxime conſentaneum, inter ipſos vermes alium eſſe humidum, alium ſiccum; idque facta in C vniuerſum collatione ad medium in ſpecie vermium. Scribit tandem exẽplum alterius comparationis, quæ fit ad quodlibet obuiũ, cum ait, inter ipſos vermes alium eſſe ſiccum, alium humidum, alteri cuipiam comparatũ. Quo ſolo exemplo contentus, varios eius comparationis modos, quæ fit ad quodlibet obuiũ, hoc loco minime perſequitur; de quibus antea dictum iam eſt. Porro ex duabus comparationis differentiis, illa profecto in diſputatione de temperamentis cenſetur vtiliſsima, quæ fit ad generis vel ſpeciei medium. Quare vt hæc intelligatur facilius, medium quoddam ſymmetron ac temperatum, in ſingulis generibus ac formis ſtatuendum eſſe docet; cuius comparatione cetera omnia quæ eiuſdem generis aut ſpeciei ſunt, calida, frigida, humida, vel ſicca dicantur. Medium vero in vnoquoq. genere aut ſpecie illud dicitur, quod ab extre- D mis in eo genere aut ſpecie finibus æqualiter diſtat. Habẽt enim ſingula rerum genera ac formæ certos quoſdã fines, quibus quæ eius generis aut ſpeciei ſunt, continẽtur; quos ſi ſemel tranſilierint, in rem alterius generis aut ſpeciei degenerant. In genere igitur animalium medium ſtatuitur homo, vtpote qui ab extremis finibus in animalium genere ęqualiter diſtet. Et in ſpecie humana, quem Gręci εὐσάρκον, Latini cum Celſo quadratum appellant; is enim æqualiter diſtat ab extremis, quibus natura humana circũſcribitur, finibus. Ad hæc igitur media facta collatione, de animalium hominumque potiſsimum temperamentis iudicium ferre oportet. Nam inter animalia, ea dicenda ſunt calida, frigida, humida, aut ſicca, quę calidiora, frigidiora, humidiora, aut ſicciora homine fuerint. Et rurſus inter homines, calidi, frigidi, ſicci, aut humidi illi dicuntur,

qui

A qui harum qualitatum aliqua temperatum hominem excesserunt. Obseruat tandem Galenus, omnia quæ dicuntur talia ad medium generis, aut speciei collata, bifariam talia dici posse; absolute, & non absolute. Absolute quidem, quod talia reuera sint ex propria sui natura, citra aliquam comparationem: non absolute vero, quod talia etiam dicantur ad aliud collata. Homo namque aliquis, veluti Socrates, calidus, frigidus, humidus, aut siccus dici potest; absolute quidem, quod aliqua qualitas in ipso reuera excedit; non absolute vero, collatus ad hominem temperatum, qui medius est in specie humana. Ita quoq. canis absolute quidem (prout videlicet cuipiam opinio est) animal siccũ dicitur, quia citra aliquam comparationem siccitatem B habet reuera excedentem; non absolute vero, si conferatur ad hominem, qui medius est in genere animalium. Atque is sane iuxta Græcam lectionem totius huius loci verus ac legitimus est sensus. Quamuis Linacer, periodos transmutans, locum maxime obscurauerit; quem tamen fidelissime transtulit Fuchsius
" ad hunc modũ, Nominatur autem talis partim absoluto sermone, partim nõ ab-
" soluto. Absolute quidem, quoniam calidus, frigidus, siccus, humidusve, mini-
" me vni alicui priuatim collatus, dicitur. Altera vero ratione non absolute, eo
" quod cũ symmetro & medio vniuersæ speciei cõparatur. Ita vtiq. canis absolute
" (prout videlicet cuipiam opinio est) animal siccum dicitur, non vtiq. alicui com
" paratus, verbi gratia formicæ. Altera vero ratione non absolute, quod cum eo,
" quod inter omnia animantia temperie symmetrum & medium est, (quodcunq.
" hoc fuerit) confertur. Illud tantum explicandum restat, cur in secundo exẽplo
" dixerit canem absolute esse animal siccum, prout videlicet cuipiam opinio est.
C Quod sane propter eos adiectum crediderim, qui omnia animalia putarunt esse calida & humida, ex quorum sententia canis quoq. humidus diceretur.

Ergo iam palam fit, quod vnumquodque eorum quæ sic dicuntur, nos id, vel vnicuicunque comparantes, calidum, frigidum, humidumve, aut siccum, vt ad illud dicimus; vel in quocunque genere speciéve sit dictum, ad eius medium referentes. In specie quidem, vt equo, cane, boue, platano, cupressu, ficu. Genere vero, vt animali, vel planta. His accedit & tertium significatum, eorum scilicet, quæ absoluto sermone dicuntur, quæ impermistas summasque habere qualitates diximus, ac elementa vocari. Quinetiam qualitates ipsas est quando corporibus iis, quæ affecta qualitate sunt, similiter appellamus: verum de hoc mox agetur. D Sed ad rem propositam, cum qualitate affecta corpora trifariam dicãtur, considerandum arbitror in quaque dictione, quemadmodum vtamur appellationibus; vtrumne vt simplex aliquid & immistum indicantes; an veluti ad symmetrõ eiusdem generis vel speciei conferentes; an veluti ad rem quamlibet: sicut cum os siccum dicimus, aut frigidum, absoluto ita sermone nominantes, non adiecto, leonis, aut canis, aut hominis. Palam namque est, quod ad vniuersam naturam omnium, quæ sunt in mundo, corporum, respicientes, aliquid concipimus medium, cum quo conferentes, ipsum siccum dicimus. At si quis leonis, vel canis, vel hominis os siccum esse dicit, liquet, hunc rursus, ei quod in ipsis animalium ossibus medium est, id comparare. Estque (quoniam vniuersorum animalium aliis magis, aliis

aliis minus sicca ossa sunt) hîc quoque os aliquod in aliquo animalium genere A
intelligendum, quod media temperie sit, verbi caussa hominis: atque huic reliqua collata, alia humida, alia sicca appellanda. Iam in ipsis hominibus, alius os siccum, alius humidum habere dicetur, vtique ei qui medius est, vt in hominibus, collatus. Quod vero in omnibus quæ sunt, quod medium inter extrema est, id symmetron, atque in illo genere vel specie temperatum sit, in omni mihi sermone subaudiendum perpetuo est; quamquam sit in dictione nonnumquam omissum. Atque cum hæc quidem sic se habeant, vbi aliquis hanc vel illam, humidam calidamve temperiem affirmat, rogandus est quemadmodum dixerit; vtrumne hunc quempiam vni difinito comparans, Platoni verbi gratia Theophrastum; an secundum genus quodlibet speciemve collationem faciens: quippe vel vt ho- B
minem, vel vt animal, vel vt substantiam absolute. Tertium enim significatum cuiusuis talium nominum, quod simplex esse impermistumq. diximus; id in mixtis substantiis non est, sed in ipsis primis, quæ etiam vocamus elementa. Ita cum quodque affectorum qualitate corporum trifariã dicatur, nobis ad propositam de temperamẽtis tractationem duobus tantum est opus; vt qui vel ad vnũ quodlibet, vel ad medium eiusdem generis comparemus. Quoniam autem multa genera sunt, quemadmodum vtique & induidua; poterit multis modis idem corpus & calidum & frigidum, & humidum & siccum esse. Verum cum vnicuilibet comparatur, admodum manifestum est, contraria de eodem dicere licere; veluti Dionem Theone quidem & Memnone sicciorem; Aristone & Glaucone C
humidiorem. At cum ad medium eiusdem generis vel speciei fit collatio, hîc iam confundi, conturbarique, qui parum exercitati sunt, solent. Idem namque homo humidus simul & calidus esse potest, sed non minus siccus & frigidus; verũ siccus quidem & frigidus, ad mediocris temperamenti hominem collatus; humidus autem & calidus, ad aliud quoduis animal, stirpemve, aut substantiam comparatus. Verbi gratia, ad animal, vt apem, & formicam; ad stirpem, vt oleam, vel ficum, vel laurum; ad aliam vero quampiam substantiam, quæ nec animal sit, nec planta, vt lapidem, ferrum, vel æs. In his vero, collationem quæ ad hominem fit, ad rem eiusdem speciei dixeris; quæ ad apem vel formicam est, ad aliquid eiusdem generis; simili modo quæ ad stirpem fit quamlibet. Est enim D
supra animal stirpis genus, quemadmodum sane superioris quam stirpium generis sunt, lapis, ferrum, & æs. Vocetur tamen pro docendi compendio, ad homogenes, [id est rem eiusdem generis] omnis eiusmodi comparatio.

Iterum colligit calidi, frigidi, humidi, & sicci significationes; diuersa tamen ratione, & ordine immutato. Docet namq; ea nomina trifariam dici, per comparationem ad quodlibet obuium, per comparationem ad medium generis vel speciei, & simpliciter & absolute, vt in primis elementis. Sed iure miretur

hoc loco

A hoc loco quiſpiam, cur ſignificationem antea propoſitam nunc omiſerit, qua tale aliquid dici poteſt per exſuperātiam. Id tamen citra conſilium factum non eſt, vt ſcilicet hinc conſtaret (vt recte annotauit Lopezius) quæ dicuntur talia per exſuperantiam, talia quoque neceſſario dici per comparationem, ad medium ſaltem generis ſummi, ſcilicet ſubſtantiæ. Quo fit, vt hæc ſignificatio ſub ea quam ſecundo loco nunc propoſuit, merito comprehendatur. Porro ex his tribus ſignificationibus duæ priores vſum præbent inſignem huic diſputationi de temperamentis, quoniam mixta corpora, in quibus ſolis temperamenta inueniuntur, calida, frigida, humida, & ſicca dicuntur, aut per comparationem ad quodlibet obuium, aut per comparationem ad medium generis vel ſpeciei. At tertia ſignificatio huic diſputationi inutilis eſt, cum ſolis elementis conueniat, quæ ſummis qualitatibus ſunt prædita. Quare merito Galenus monet, vt id tantum diligenter diſtinguamus, vbi de cuiuſpiam corporis temperie ſermo inciderit; dicaturne tale collatione ad quodlibet obuium, an potius ad medium generis vel ſpeciei. Rem hanc illuſtrat duobus exemplis; ſiquis, inquit, os frigiddum & ſiccum ἁπλῶς, (id eſt in vniuerſum) eſſe dixerit, non adiecto leonis, aut canis, aut hominis; certum profecto eſt, tale dici per comparationem ad medium in genere ſubſtantiæ. Vnde recte colligitur, velle Galenum, quæ talia dicuntur per exſuperantiam, talia etiam dici per comparationem, quemadmodum antea dictum iam eſt. Si quis vero dixerit cum adiectione, os hominis, leonis, aut canis, frigidum eſſe & ſiccum; perſpicuum eſt, tale dici collatione ad medium ſui generis, aut ſpeciei, aut etiam ad quodlibet obuium. Eſt namque vt in reliquis rerum generibus, ſic quoque in oſſium genere medium aliquod ſtatuendum, cuius comparatione oſſa omnia dicantur calida, frigida, humida, & ſicca: tale vero eſt os humanum. Similiter quoque in ſingulis oſſium formis, vt in oſſibus humanis, caninis, & leoninis, mediū aliquod in ſua ſpecie temperatum ſtatuere oportet, cuius collatione, quæ eiuſdem ſpeciei ſunt oſſa, dicantur talia, vel talia. Iam vero & os frigidum & ſiccum dici poteſt cuilibet obuio collatum, vt ſi femoris os humero conferatur. Neque ſolum neceſſaria eſt huiuſmodi diſtinctio, dum partium temperamenta inquirimus, vt oſſis exemplo hactenus oſtendimus; verum etiam dum hominum tēperamenta inueſtigamus. Veluti ſi quis roget, ſitne Plato calidus, an frigidus, diſtinctione adhibita reſpondere oportet; velitne qui rogat, Platonem conferre Theoni, aut alteri cuipiam obuio; an potius ſuæ ſpeciei, vel ſui generis, vel etiam totius ſubſtantiæ medio. Has vero tres comparationes, quæ ad medium fiūt, expreſſit breuiſſime his verbis, Vel vt hominem, vel vt animal, vel vt ſubſtantiam abſolute. Accidit vero, vt & in ſpecie humana, & in genere animalium, & in vniuerſa rerum ſubſtantia idem omnino ſit medium, nempe homo temperatus. Sed cur dixit vt ſubſtantiam abſolute? Nimirum vt indicaret, quæ dicuntur talia per comparationem ad medium in genere ſubſtantiæ, dici etiam talia abſolute, id eſt citra comparationem, ex præpollente ſcilicet qualitate. Ex his intelliges, quam praue locum hunc intellexerit Fuchſius, qui præterquam quod nullos comparationis modos hic proponi ſentiat; ſubſtantiam quoque interpretetur eſſe naturam ſiue temperiem: quo nihil potuit dici ineptius. Cum igitur corporum temperamenta bifariam tātum calida, frigida, humida, aut ſicca dici poſsint, per comparationem ſcilicet ad quodlibet obuium, & ad medium generis vel ſpeciei; multa autem ſint rerū genera & ſpecies, & multo adhuc plura ſint indiuidua, ad

quæ

quæ fieri poteſt comparatio: docet Galenus, contraria de eodem dici poſſe, A dummodo ad diuerſa comparatio fiat. Quod quidem perſpicuum eſſe ait, quādo fit comparatio ad quodlibet obuium, potiſsimumque inter diuerſa indiuidua. Quando vero comparatio fit ad medium generis vel ſpeciei, non perinde manifeſtum eſſe ſolet, iiſque præſertim, qui in diſtinguendis comparationum modis parum ſunt exercitati. Hi namque confundi plerumque ſolent, ac perturbari, exiſtimantes nimirum, multas fieri comparationes ad medium, quæ tamen potius fiunt ad quodlibet obuium. Veluti idem homo frigidus & ſiccus dici poteſt, ad hominem temperatum collatus; calidus vero & humidus, collatus ad aliud animal, vt apem, vel formicam; aut ad ſtirpem, vt oleam, vel ficum; vel ad aliam ſubſtantiam, quæ nec animal ſit nec planta, vt lapidem, B vel ferrum. Ex variis iſtis comparationibus, eam quæ ad hominem fit, ad rem eiuſdē ſpeciei fieri inquit; fit tamen quoq; ad medium ſpeciei. Reliquæ omnes ad rem eiuſdem generis fieri dicuntur; generis inquam proximi, vel magis, aut minus remoti. Quippe vbi homo confertur api vel formicæ, ad rem eiuſdē generis proximi collatio fit; cum formica & apes, animalis ſpecies ſint non minus quam homo. Cum vero confertur homo ficui, vel oleæ, collatio fit ad rem eiuſdem generis remoti; nam corpus animatum genus eſt animalis & ſtirpis: id enim eſt quod inquit Galenus, eſſe ſupra animal ſtirpis genus. Ac tandem cum confertur lapidi vel ferro, fit quoque comparatio ad rem eiuſdem generis magis remoti; nam lapis & ferrum ſuperioris ſunt generis, quam animalia & ſtirpes: ſiquidem ipſorum genus corpus eſt. Verum quamuis hæ comparationes fiant ad res eiuſdem generis, ad medium tamen generis nequaquam fiunt, ſed potius ad quodlibet obuium. Nihilominus tamen dum comparatio fit ad medium generis vel ſpeciei, contraria quoque dici poſſunt de eodem, dummodo C ad diuerſa media fiat. Siquidem canis aliquis dici poteſt frigidus, ad canem temperatum collatus; & calidus ad hominem, qui medius eſt in genere animalium.

Illud ſolum in ea determinantibus nobis, quod vbi ſimpliciter ſubſtantia quæpiam eucratos ſiue temperata dicitur, tum hac alia ſiccior, alia humidior, & alia frigidior, alia calidior; eo loco eam quæ ex contrariis æqua prorſus inter ſe portione coëuntibus conſtat, eucraton ſiue temperatam nominari: quæcumque vero ab hac deficiunt, ſuperantque aliquo, ea ſuperantis nomine vocari. Vbi vero ſtirpem, animans ve vllum eucraton dicimus; nequaquā in ea dictione ſimpliciter contraria inter ſe comparamus, ſed ad naturam vel animalis, vel ſtirpis referimus. D *Ficum verbi gratia temperatam dicentes, cum talis ſit, qualis maxime ficus eſſe natura debeat. Rurſus canem, ſuem, equum, & hominem; cum eorum quiſque pro ſua natura optime ſe habeat. Optime vero ſe habere aliquid pro ſua natura, ex ipſis functionibus intelligitur. Quippe animal ac ſtirpem quamlibet tum optime ſe habere dicimus, cum optime ſuam functionem obeunt: Ficus enim virtus bonitaſque eſt, optimos plurimoſque ficus adferre: ad eundem modum vitis, plurimas, optimaſque vuas pendere: equi vero, quam velociſsime currere: canis, ad venationes quidem & tutelam quam animoſiſsimum, ad domeſticos*

A *mesticos quã mitißimum esse. Hæc igitur omnia, animalia dico & stirpes, optimam, mediamque habere in suo genere temperiem dicemus; non vtique absoluto sermone, cum paritas exacta contrariorum in his non sit; sed cum ea mediocritas, quæ ad potestatem refertur, his adsit. Eiusmodi aliquid & iustitiam esse dicimus, non quæ pondere & mensura, sed quæ eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat. Est igitur temperaturæ æqualitas in omnibus temperatis animalibus, stirpibusq. non ea quæ ex pari elementorum commistorum spectatur mole; sed quæ tum animalis, tum stirpis naturæ conuenit. Conuenit autem alias, vt humidum sicco, & frigidum calido præponderet, neque enim similem habere temperaturam debent, homo, leo, apis, & canis.*

B Mediorum, quæ in singulis generibus ac formis statuuntur, diuersam naturam esse docet, diuersamque dignotionis rationem. Quamuis enim id sit omnibus mediis commune, vt in suis generibus ac formis temperata sint & dicantur; in eo tamen discrimen est, quod medium in genere substantiæ temperatum sit ad pondus; media vero in aliis generibus & formis temperata sint ad iustitiam. Distant quidem æqualiter media omnia ab extremis finibus, qui in suis generibus ac formis constituuntur. Sed quoniam in diuersis generibus extremi isti fines plurimum variant, propterea fit, vt & media ipsa dissimili ratione temperata dicantur. Cum igitur in vniuersa rerum substantia quattuor elementa extremi sint fines, ab his æqualiter distare debet quod in genere substantiæ medium est. Aequaliter vero distare non potest, quin constet necessario ex pari C elementorum portione; quam non ad elementorum substantias (quæ pares esse non possunt) sed ad solas qualitates referre oportet. Hæ namque pari mensura ac pondere temperari dicuntur, quando nulla qualitas contrariam vincit. Quo fit, vt eiusmodi temperamẽtum merito vocetur ad pondus, in eoque tantum corpore reperiatur, quod medium est in genere substantiæ. Cum vero in aliis generibus ac formis extremi fines elementa non sint; certe quæ in illis media statuuntur, neque à quattuor elementis æqualiter distant, neque necessario constant ex pari ipsorum portione. Vnde fit, vt ad pondus quidem minime sint temperata; sed eo tantum nomine temperata dicantur, quod tale temperamentum sint sortita, quale necessarium erat ad optimam eius generis, vel speciei constitutionem. Vocantque (sumpta ex hoc Galeni loco occasione) eiusmodi temperamentum ad iustitiam, quoniam prudentissimæ naturæ iustitia in eo maxime elucescit, quæ singulis generibus & formis id tribuit, quod magis conueniens erat ad proprias functiones perfectius obeundas. Quod si adeo diuersa est horum mediorum natura, diuersa quoque erit ipsorum dignoscendo- D rum ratio. Quippe si medium in genere substantiæ temperatum est ad pondus, ex elementorum paritate necessario cognoscetur: ex eo inquam, quod nullius qualitatis excessus tactu deprehendi possit. At quæ in aliis generibus ac formis media sunt, cum sint tantum temperata ad iustitiam, ex actionum potius perfectione, quam ex elementorum paritate cognosci debent. Quare quantum in diuersis generibus ac formis actiones propriæ variant; tantum inter se temperamenta differunt, quæ in singulis generibus & formis media sunt & temperata. Conuenit enim, vt in quibusdam generibus, aut formis, calidum frigido, & humidum sicco præpolleat; in aliis vero contra. Vnde patet, ea quæ in suo genere

nere aut ſpecie temperata ſunt, intemperata dici poſſe, ſi ad medium in genere ſubſtantiæ conferantur. Canis enim tẽperatus, calidus eſt & ſiccus, ad medium in genere ſubſtantiæ collatus. A

CAP. VI.

RGO ad quærentem cuius ſit temperamenti homo, equus, bos, canis, aliudve quodlibet, non eſt abſoluto ſermone reſpondendum. Non enim fieri poteſt, vt qui ad ea quæ multis modis ſunt dicta, & inter ſe diuerſa, vno modo reſpondet, non coarguatur. Oportet igitur duorum alterum, aut omnes percenſere differentias, aut percontatum prius de qua rogauerit, illam ſolam dicere. Nam ſi vt in animalibus cuius eſſet temperamenti rogabat; ad id quod medio eſt inter omnia animalia temperamento reſpicientes, reſpondere ei oportet. Si abſolute, atque vt ad omnem ſubſtantiam; ſic iam contraria quæ ſunt in eo, comparare inter ſe oportet, atque æſtimare: haud quaquam ad actiones temperiem referentes, ſed ad elemẽtorum portiones. Sin huic cuipiam membratim comparans rogabat; vtique ad illud ſolum conferendo eſt reſpondendum. Iam minus etiam, ſi indiuiduorum cuiuſlibet (Dionis verbi gratia, vel huius canis) rogemur quænam ſit ſubſtantiæ temperatura, eſt ſimplex danda reſponſio: dabitur enim hinc ſophiſtis ad calumniam occaſio non parua. Nam ſi calidi eſſe temperamenti & ſicci Dionem dicat, facillime licebit illis, partim hominem quemlibet, qui calidioris quam Dion ſit et ſiccioris temperamenti proponentibus, vt ad illum, humidum frigidumque Dionem dicere; partim aliud quoduis animans, ſtirpemve (verbi gratia leonem, aut canem) atque his humidiorem ac frigidiorem aſſerere Dionem.*

* ἀφωρισμένως.

Quæ de calidi, frigidi, humidi, & ſicci, ſignificationibus ſuperiori capite accuratiſſime docuerat; ea nunc priuatim exercet, vt poſtea doceat diſtinctionis eorum nominum vſum. Præcipit itaque, ne abſoluto ſermone (Græce ἁπλῶς,) ſed adhibita diſtinctione reſpondeamus, cum quis rogauerit, cuius temperamenti ſit corpus aliquod. Oportet autem aut ſignificationes omnes recenſere, aut ſaltem rogantem percontari, qua ſignificatione rem intelligi velit. Veluti ſi rogauerit quale ſit temperamentum Dionis, diſtinguendum erit, an conſideretur Dion vt homo, an vt animal, an potius vt ſubſtantia. Si vt homo, id eſt facta collatione ad medium humanæ ſpeciei; dicetur haud dubie calidus, ſi calidior ſit homine temperato. Si vt animal, id eſt facta collatione ad medium in genere animalium; erit ſane temperatus, quia ſubiicitur homini, qui medius eſt in genere animalium. Si vt ſubſtantia, id eſt facta collatione ad medium in genere ſubſtantiæ; ex paritate qualitatum, aut earundem exceſſu, ipſius temperies inquirenda erit. Quod ſi nullius ſpeciei aut generis medio conferatur, ſed alicui obuio; minus ſimplex dãda reſponſio eſt, quia cum plura obuiam occurrãt, ad quę fieri poſsit comparatio, contraria temperamenta Dioni ineſſe poterunt. Ne igitur ſophiſtis calumniandi occaſio præbeatur, enitendum eſt maxime, vt

vnum

A vnum idemq. perpetuo sit, cuius cõparatione Dionis temperies expendatur.

Quisquis igitur nec ipse sese fallere, nec ab alio falli volet; huic opus est, ab his substantiis, quæ simpliciter calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ dicuntur, incipere, atque ita transire ad reliquas. Ac primum quidem illud ipsum in his exploratum habere, ne has quidem, tametsi maxime videtur absoluto sermone dici, quominus ad mediocre eiusdem generis comparentur, effugere. Veluti enim canem medio temperamento esse omnium canum dicimus, cum pari spatio distat ab extremis; ita substantiam medio esse temperamento dicemus, cum pari modo ab extremis abest, quæ scilicet & prima omnium sunt, & elementa. Porro aberit pari modo ab extremis, cum ea continet æqualiter inter se mista. Ergo quæ supra citrave B *hanc temperies erit, eam calidam, frigidam, humidam, vel siccã dicemus; simul ei quæ media est conferentes; simul contrariorum elementorũ examen in ea faciẽtes. Qua nimirum ratione simpliciter eam calidam, frigidam, humidã, siccam ve pronunciabimus: vbi vero cũ medio tẽperamento conferimus, non simpliciter, sed quod ad mediocre eiusdem generis sic se habet. Porro genus earũ substantia est, omnia enim sub hac vt superiori sunt genere, tum animata, tũ inanima: estq. hæc hominis, canis, platani, ficus, æris, ferri, aliorũ deniq. omnium cõmune genus: Sub ea vero sunt alia genera permulta; animal quidẽ auis, piscis; stirps, arboris, & herbæ; auis, aquilæ, & corui; piscis, lupi, & rhõbi.* * *Simili modo oleæ & ficus* * quid hoc C *genus est arbor; anagallidos, & pæoniæ herba. Iam hæc vltima sunt genera, eoque species appellãtur, coruus, rhombus, ficus, anagallis; similiter homo, & bos, & canis. Ac superne quidem descendentibus hæc vltima sunt genera, proinde species dictæ: inferne vero ascendentibus, ab indiuiduis scilicet substãtiis, prima sunt. Indicatumque alio opere est, merito omnia quæ media sunt inter prima genera & indiuidua, simul genera & species a veteribus appellari.*

Superiorum significationum distinctionem longe vtilissimam esse docet, ne dum corporum temperamẽta inquirimus, aut nosmet ipsos fallamus, aut fallamur ab aliis. Vt autem huiusmodi fructum percipere possimus, præcipit, vt ab his substantiis incipiamus, quæ simpliciter calidæ, frigidæ, humidæ, aut siccæ dicuntur; ab hisque transeamus ad reliquas. Has substantias simplici-D ter tales putarunt aliqui esse quattuor elementa; quoniam cum hæc sola simplices & summas qualitates obtineant, sola quoque dicuntur simpliciter calida, frigida, humida, & sicca. Immo hæc prima erat horum nominum significatio, vt antea dictum est. Sed quorsum, quæso, à primis elemẽtis inchoandum est, cum superiori capite docuerit, primam illam significationem, quæ primis elementis conuenit, huic disputationi de temperamentis nullum vsum præbere? Præstat igitur, per substantias simpliciter tales eas cum Fuchsio intelligere, quæ tales sunt ex propria sui natura, & sine aliqua comparatione: hæc enim vna erat significatio vocis ἁπλῶς, vt diximus capite superiori. Ab his vero substãtiis ad reliquas transire iubet, quæ scilicet dicuntur tales per cõparationẽ. Quasi velit Galenus, corporũ omnium tẽperamenta ad eũ modum inquirẽda esse, vt primũ intelligamus, qualia ipsa sint ex propria natura, per exsuperãtiã scilicet præpollẽtis qualitatis: deinde vero, qualia sint per cõparationẽ ad alia, potissimũq.

ad mediũ generis vel ſpeciei. Confirmãt hãc explicationẽ quæ ſtatim Galenus A
ſubiungit; ſcribit namq. has ſubſtantias, (quas ſcilicet dixerat eſſe ſimpliciter
tales):tametſi maxime videantur ſimpliciter & abſolute (id eſt citra compara-
tionem) ſic dici; effugere tamen non poſſe eam ſaltem comparationem, quæ
fit ad medium generis ſummi, ſcilicet ſubſtãtiæ. Vſqueadeo vt in idem omnino
recidat,corpus aliquod calidum,frigidũ,humidum,aut ſiccũ, per exſuperãtiam
dicere,& per comparationem ad medium in genere ſubſtantiæ. Quippe cum
huiuſmodi medium ab extremis in genere ſubſtantiæ finibus, nempe quattuor
elementis,æqualiter diſtet; conſtat neceſſario ex pari elementorum portione,
nulliuſq. proinde qualitatis exceſſum habet. Cum vero quæ per exſuperãtiam
dicuntur talia,alicuius qualitatis exceſſum neceſſario habeant, eãdẽ illa quali-
tate,quod in genere ſubſtantiæ medium eſt,omnino ſuperant. Ex quibus recte
Galenus colligit,quæ dicuntur talia per exſuperantiã,talia dici poſſe bifariam,
ſimpliciter,& per comparationem. Simpliciter quidẽ,quando propria ipſorum B
natura ex præpollenti qualitate expenditur;non ſimpliciter vero,aut per com-
parationẽ,quando ad mediũ in vniuerſa rerum ſubſtantia conferũtur:quo tem-
pore comparatio dicetur fieri ad rem eiuſdẽ generis, maxime tamen remoti.
Eſt namque ſubſtantia primum, ſupremum, & commune eorum omnium ge-
nus, quæ temperamentis ſunt prædita. Ac corporis quidem proximum genus
ſubſtantia eſt, ſiue corpus animatum ſit, ſiue inanime. Rurſus cum animatum
corpus vel ſentiens ſit, vel ſenſus expers, ab hiſque differentiis conſtituantur
animal & ſtirps; erit quoque ſubſtantia animalis & ſtirpis genus,& reliquorum
omnium,quæ ſub animali & ſtirpe continentur. Siquidẽ animal genus eſt auis,
& piſcis, & animalium quoque terreſtrium;& ſtirps genus eſt arboris,& herbæ,
& (ſi vis)etiam fruticis. Hæc autem genera ſolas ſpecies ſub ſe continent, quas
infimas & ſpecialiſſimas noſtri Logici appellant. Arbor namque genus eſt ficus,
& oleæ;herba, genus pæoniæ, & anagallidis. Et rurſus auis genus eſt aquilæ & C
corui; & piſcis genus eſt lupi & rhombi, vt vertit Linacer. Ac tandem ſpecies
iſtæ vltimæ ſola ſub ſe continent indiuidua, quæ pene ſunt innumera. In tota
hac ſerie generum & formarum, ſuperne quidem(id eſt à ſubſtantia ſummo ge-
nere) deſcendentibus, ea vltima genera eſſe ait, quæ paullo antea ſpecies infi-
mas eſſe diximus: eaſdem vero prima genera eſſe aſſerit, ſi inferne (ab indiui-
duis ſcilicet ſubſtantiis) aſcenderimus. Neque mirum videri debet, quod ſpe-
cies infimas & prima & vltima genera eſſe dixerit,quoniam (vt ipſe ait)omnia
quæ media ſunt inter ſumma genera & indiuidua, genera ſimul & ſpecies ve-
teribus nominantur. At ea tantum genera ſimul & ſpecies vocanda eſſe ſcribit
cap. de ſpecie. Porphyrius,quæ inter genera ſumma & infimas ſpecies ſunt media; ipſas autẽ D
ſpecies infimas genera vocari negat. Obſeruat recte Fuchſius, Græcum co-
dicem ibi deprauatum eſſe,vbi legitur, piſcem genus eſſe lupi & φωκίδος. Ve-
riſſimeque ſentit legendum potius eſſe φυκίδος;quod recte probat, tum ex an-
tiquo interprete,qui Græcam retinens dictionem, litteris tamen tranſpoſitis,
pro phycidis dixit phydicis;tum etiam ex Grammatica inflectendi ratione:di-
cunt enim Græci φώκη φώκης, non autem φωκὶς φωκίδος. Recte itidem monet
Fuchſius,male Linacrum φυκίδα trãſtuliſſe rhombum;cũ φυκὶς piſcis ſit à rhom-
bo maxime diuerſus. Id quod ex diuerſa phycidis & rhõbi deſcriptione aper-
tiſsime conſtat,quam accuratiſſime tradiderũt Gulielmus Rondeletius,& Hip-
polytus Saluianus, qui in hoc argumẽto ſumma cũ laude verſati ſunt. Cumque
phycis ex genere ſit ſaxatiliũ, nullum proprium nomen apud Romanos vide-
tur habuiſſe; vt indicat Plinius Græco nomine perpetuo vſus: quamuis Theo-
dorus

dorus Gaza phucam transtulerit. Nobis tamen Valentinis patrio sermone
A Mollera appellatur.

CAP. VII.

RGO cum definita significata iam sint, ac clare indicatum, quemadmodum tum absoluto, tum non absoluto sermone calidum, frigidum, humidum, siccumve corpus aliquod pronunciandum sit; quærendæ nobis deinceps eorum sunt notæ. Quamquam hic quoq. decernere prius de nominibus oportet, quæ in habendo nobis sermone necessario incident; simul explicare rem quandam, quæ potestate iam monstrata prius est; non tamen ab omnibus, qui hos commentarios euoluent, facile saltem intelligi
B *potest. Itaque de nominibus prius loquutus, mox ad rem reuertar. Quod calidum, frigidum, humidum, siccumve, non vnum aliquid simpliciter significent, vbi de corporibus dicuntur, prius est indicatum. Quod autem & solæ ipsæ in corporibus qualitates, citra corpora quæ eas suscipiunt, sic interim nominentur; id quidem vt nondum est dictum, ita nunc dici est tempestiuum. Quemadmodum nomen albi tum de colore enuntiant, cum ita loquuntur, contrarius est albus color nigro; tum de corpore quod colorem suscipit, cum scilicet oloris corpus album dicunt: ita & calidi nomen tum de qualitate affirmant ipsa, tamquam si caliditatem appellarent; tũ vero de corpore quod caliditatem sustinet. Quippe qualitatem a corpore quod eam suscipit, diuersam habere naturam, & quandam*
C *propriam existimare oportet, veluti in opere de elementis est indicatum. Et caliditas quidẽ qualitas est, eadem vero & calidũ dicitur, veluti & albedo album. Ipsum vero corpus calidum vnum hoc nomen tantummodo obtinet calidum, sicuti album: numquam tamen caliditas, vel albedo, corpus ipsum dicitur. Ad eundem modum siccum, frigidum, & humidum nominantur, tum ipsum corpus, tum qualitas; non tamen corpus frigiditas, humiditas, vel siccitas appellatur, quemadmodum quæ in eo est qualitas. Hæc cum sic se habeant, æquum est, cum vel caliditatem vel frigiditatem disputans quis profert, nullam exoriri captionem; quod solæ qualitates his indicentur nominibus. At calidum, frigidumve cum dicitur, quando & qualitas ita, & quod eam suscipit corpus, nominatur;*
D *facile fit ei qui redarguere studet, vt quod a loquente non significatur, id, quo possit reprehendere, accipiat. Eiusmodi enim rem faciunt, & qui sententiam illam, qua dicit Hippocrates augenscentia corpora plurimum habere innatum calidum, oppugnant. Neque enim corpus aliquod calidum, ipsum innatum animali calidum ab Hippocrate dici intelligentes, neque id quid sit vsquam quærentes, sed de sola qualitate, quam scilicet caliditatem appellamus, nomen id dici præsumentes, sic dictum eius refellere parant. Et iam apparet, quod de homonymia distinguere, tametsi sit res parua, tamen in rerum vsu non leuis experitur momenti.*

Copiose satis (ac fortasse nimis) calidi, frigidi, humidi, & sicci significatio- A
nes hactenus explicauit. Quibus explicatis quærendas iam esse ait tempera-
mentorum notas, nisi distinguendum adhuc esset de iisdem nominibus, & res
quædam etiam explicanda, potestate tantum superius exposita. Hoc ita-
que capite nomina distinguit, sequenti vero rem illam explicaturus est, quæ
profecto aliud nihil est, quam nouẽ esse temperamentorum differentias. Quip-
pe cum & naturæ temperatæ, & simplicium intemperierum sæpe meminerit;
potestate expositum iam videtur, nouem esse differentias temperamento-
rum. Calidum ergo, frigidum, humidum, & siccum, bifariam adhuc di-
cuntur, aut enim solas qualitates, aut corpora his qualitatibus affecta signi-
ficant. Veluti etiam album significat interdum albedinem, vt cum album
nigro contrarium esse dicimus; interdum vero corpus affectum albedine, vt
cum cygnum album vocamus. Verum quamuis calidi nomen & caliditatem B
significet & corpus calidum; caliditas tamen corpus calidum, & corpus ca-
lidum caliditatem numquam significat. Neque enim in caliditatis, frigidita-
tis, humiditatis, & siccitatis, sed in calidi, frigidi, sicci, & humidi no-
mine homonymia latet. Hæc namque & qualitates solas, & corpora quali-
tatibus affecta; illa vero solas qualitates significare possunt. Oportebit ergo
ambiguitatem illam distinguere, ne idem nobis contingat, quod olim Ly-
co Quinti discipulo accidisse legimus; qui huiusmodi homonymiam igno-
rans, Hippocratem temere reprehendit, quod dixisset in aphorismis, in iis
Aphor. 14. lib. 1. qui crescunt plurimum esse calidi innati. Cum enim solam qualitatem no-
mine calidi intellexisset Lycus, calor vero in iuuenibus maior sit quam in
pueris, aut saltem æqualis; eam Hippocratis sententiam falsam esse arbitra-
tus est. Atqui Hippocrates non calorem, sed calidam potius substantiam in C
pueris copiosiorem esse voluit; cum à principiis generationis parum reces-
serint. Sed aduersus hunc Lycum exstat Galeni libellus, sic inscriptus. Quod
nihil peccatum ab Hippocrate sit in eo aphorismo, Qui crescunt, plurimum
habent calidi innati. Duplex hæc significatio calidi à philosophis Galeno
vetustioribus obseruata quoque fuit, veluti à Theophrasto in eo libro, quem
Ibidem. (teste Galeno) de calido & frigido edidit.

CAP. VIII.

ERVM cum hoc quoque abunde sit definitum, rursum id D
quod superest repetamus. Cum humiditas, & siccitas, & ca-
liditas, & frigiditas, sinceræ quædam ac impermistæ qualita-
tes sunt; quæcumque has suscepere corpora, ea calida, frigida,
sicca, & humida prorsus exacteque sunt. Atque hæc mihi
genitorum & pereuntium elementa intellige; reliqua corpora, vel animalium,
vel stirpium, vel inanimorum omnium, (veluti æris, ferri, lapidum, ligno-
rum) in medio primorum illorum collocata esse. Nullum enim aliorum vel ad
summum calidum, vel ad summum frigidum, vel ad summum humidum, vel
ad summum siccum est; sed vel medium prorsus contrariorũ, ita vt nihilo magis
sit cali-

A *sit calidum quam frigidum, aut humidum quam siccum; vel ad alterum contrariorum est propensum, ita vt magis sit calidum quam frigidum, vel magis sit humidum quam siccum. Ac siquidem medium plane sit in vtroque contrariorum genere, ita vt non magis sit calidum quam frigidum, aut humidũ quam siccum; eucraton id siue temperatum omnino * dicetur. Sin alterum contrariorum superet, siue in altera oppositione, siue in vtraque id sit; non etiam dicetur eucraton. Ac si calidum magis sit quam frigidum, quod magis est, id appellabitur. Idem statuendum de sicco & humido. Ad eundem modum si frigidum magis sit, nominabitur frigidum. At si in vtraq. oppositione alterum superet, siue* B *calidum vna cum humido, siue calidum simul cum sicco, siue frigidum simul cum humido, siue frigidum vna cum sicco; vtique pro vincenti sortietur id corpus appellationem. Et has quidem quattuor intemperies (vt supra diximus) plurimi norunt tum medici, tum philosophi: reliquas quattuor, quæ ex dimidio harum constitutæ sunt, nescio quomodo derelinquunt, sicut etiam eam quæ prima omnium, optimaque est.*

* ἁπλῶς.

Explicatis nominibus accedit tandem ad inquirendas temperamentorum differentias; quod præcipuum erat huius libri institutum. Quoniam vero temC peramentum qualitas composita est, ipsius differentias inquirit ex multiplici quattuor primarum qualitatum compositione. Hæc enim methodus est (si ipsimet Galeno credimus) rebus omnibus compositis communis, vt ex diuerso compositionis modo ipsarum differentiæ inueniantur. Itaque quot modis qualitates elementorum in se inuicem agentes, & à se mutuo patientes, inter sese componi possunt, tot erunt necessario temperamentorum differentiæ. Atqui in vniuersum componi possunt bifariam; aut enim paritatem, æqualitatemque inter se ita seruant, vt nulla qualitas alteram superet, vel ab altera superetur; aut impares ita sunt, vt excessus aliquis inueniatur. Hinc duæ primæ nascuntur differentiæ, nam si primum acciderit, temperamentum fit temperatum; si alterum, intemperatum. Hoc rursus ex diuerso compositionis D modo in alias differentias diuiditur; nam aut in altera tantum qualitatum oppositione reperitur excessus; aut in vtraque. Si in altera, temperamentum fit intemperatum simplex; si in vtraque, compositum. Vtriusque aliæ itidem sunt differentiæ; nam vbi in alteta tantum oppositione excessus fuerit, aut excedit sola caliditas, aut frigidas, aut humiditas, aut siccitas. Vnde quattuor nascũtur simplicium intemperierum differentiæ, nempe temperamentum calidum, frigidum, humidum, & siccum. Quod si in vtraque oppositione excessus acciderit, quoniam quattuor esse possunt qualitatum coniugationes, quattuor itidem erunt compositæ intemperies; nempe temperamentum calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum & humidum, frigidũ & siccum. Quare nouem erunt temperamenta in vniuersum, temperatum vnum, & octo intemperata; quorum quattuor simplicia sunt, & totidem composita. Composita quidem agnouerunt veteres, simplicia prætermiserunt, quemadmodum & temperatum.

Lib.3.de diffi resp. cap. 3.

Ceterum quod superante calido liceat nihilo magis humidam esse quam siccam temperiem (quod vtique ad hanc spectet coniugationem) id, vel ex iis quæ iam dicta sunt, manifestũ arbitror. Facileq. est, etiam si nihil esset prædictum, id colligere; concedentibus semel illis saltẽ, alteram esse temperiem humidam & calidam, alterã siccam & calidã. Si namq. necessarium omnino non est siccam esse quæ calida sit, sed licet eam & humidam esse; licebit vtiq. & mediam esse: propior namq. siccæ temperaturæ media est quã humida. Ad eundem modũ est & frigida quædam temperies altera, in qua nimirum frigidum præpollet; hanc tamen nec humidam esse nec siccam est necesse, sed potest inter has & media esse. Rursus enim hîc quoque eandem adferes rationem, nempe si necesse non est frigidam temperiem esse humidam, sed licet & siccam eam fieri; manifestum est mediam quoque esse posse: quippe quæ vicinior humidæ est quam siccæ. Ergo veluti duæ intemperies in altera oppositione sunt monstratæ, altera calida tantum, altera frigida; sic in altera oppositione duæ aliæ statuentur, altera sicca tantum, altera humida, mediocriter scilicet sese habentibus calido & frigido. Iterum namque dicemus hîc quoque, sicuti necesse non est, si qua temperies sicca est, hanc protinus calidam quoque esse, sed fieri posse vt etiam frigida sit; ita fieri potest, vt quæpiam nec calida sit, nec frigida, sed in hac quidem oppositione eucratos siue temperata, in altera sicca. Simili modo nec humidam temperiem necesse est calidam frigidamve esse, sed eam mediam esse inter huius oppositionis extrema licet. Si igitur necesse non est, vt vel intemperiem quæ in calido est & frigido, sequatur ea quæ est in altera oppositione intemperies, vel hãc quæ in illa; licebit aliquando & naturam, quæ in caliditate & frigiditate temperata sit, vel siccam esse vel humidam; inuicemque quæ in his temperata sit, vel calidam esse vel frigidam. Quæ sunt & hæ, ab his quas priores tum medici, tum philosophi nobis tradiderunt, quattuor diuersæ intemperies; medioque loco positæ inter temperatos habitus, & eos qui in vtraque oppositione sunt intemperati. Qui namque in summo est temperatus, is neutram oppositionem habet superantem; qui vero aduersus hunc est intemperatus, vtramque habet viciosam; medium sortitur locum, qui in altera quidem est temperatus, in altera intemperatus: qui vtique & ex dimidio eucratos, ex dimidio intemperatus cum sit, merito medius dici potest inter eum qui ex toto est temperatus, & eum qui ex toto est intemperatus. Et siquidem hæc sic se habent, sicut certe se habent, cur nouem dicere vniuersas temperamentorum differentias dubitemus? temperatam quidem vnam, non temperatas octo; quarum quattuor simplices sint, humida, sicca, calida, & frigida; quattuor compositæ, humida simul & calida, sicca pariter & calida, frigida simul & humida, frigida simul & sicca.

Quoniam

A Quoniã veteres illi philosophi ac medici quattuor simplices intẽperies omnino negarunt; propterea nunc demonstrat firmissima ratione, eiusmodi intẽperies dari posse. Quod calida intẽperies simplex dari possit, hac ratione cõfirmat. Intẽperies calida potest esse humida, potest itidẽ esse sicca, ergo poterit esse media in humiditate & siccitate. Consequentiã probat, quia medium minus distat ab extremis, quam extrema à se inuicem. Quare si calor cõiugi potest cum qualitatibus contrariis, humiditate scilicet & siccitate, reperiri aliquando poterit seruata mediocritate in humido & sicco. Veluti exempli caussa, si temperies quæ in pueritia calida est & humida, in calidam & siccam mutatur in iuuentute; fieri non potest, quin media aliquando sit in sicco & humido. Nam quæ ab vno extremo in alterum extremum mutatio fit, ea necessario per medium fieri debet. Hac eadem ratione probat, & reliquas intemperies simplices concedendas esse. Porro simplices has intemperies medias esse inquit in-
B ter naturam temperatam & intemperies compositas; & merito quidẽ, quoniam vtroque extremo participant. Quippe cum temperata natura in vtraque qualitatum oppositione mediocritatem seruet, intemperies vero compositæ in neutra; merito dicentur simplices intemperies participare vtroque extremo, quia in altera oppositione temperatæ sunt, in altera intemperatæ. Ex quibus tandem recte concludit, nouem esse differentias temperamẽtorum, vt antea quoque dictum est. Ceterum quamuis hæc recte demonstrata hactenus sint, non tamen defuerunt, qui veteres philosophos sequuti, & simplices intemperies, & temperamentum temperatum omnino negarint. De temperamento quidem temperato non immerito dubitari possit, cum Galenus hoc loco nullam rationem scripserit, qua id dari posse conuincat: de simplicibus tamen intemperiebus nulla profecto erat dubitandi occasio, cum firmissima ratione eas dari pos-
C se demonstrarit. Auicenna ex Philosophia constare ait, in nullo corpore inueniri posse temperamentum ad pondus; proindeque de tẽperamento ad iustitiam intelligenda esse sentit, quæ de optima temperie his libris à Galeno traduntur. Auerroës Auicennã sequutus idem sensit, & physicam hanc rationem adiunxit. Non potest, inquit, esse temperamentum æquale in mensura qualitatum, nisi mensuræ elementorum sint penitus æquales in quantitate; atqui in quantitate æquales esse non possunt; ergo neque in qualitatibus. Assumptionẽ confirmat, quia corpus sic temperatum neque graue esset, neque leue, cum ex pari elementorum grauium ac leuium mole constaret. Adiũgunt & alii alias rationes. Nisi enim in mistione vincat aliquod elementum, nullũ corpus mistum generari posse aiunt; atqui vincente quocumque elemento excedent aut ambæ eius elementi qualitates, aut saltem altera; ergo numquam gigni poterit
D corpus tẽperatum ad podus. Præterea si corpus aliquod dari posset tẽperatum ad pondus, maxime humanũ, quod est sine controuersia corporum omniũ temperatissimum. At corpus humanum calidũ & humidum potius est quam temperatum, cum ex calidis & humidis principiis constet, semine scilicet & sanguine. Adhæc vita in calido & humido cõsistit, ergo viuentia omnia calida sunt & humida. Verũ quam sit inefficax (vt hinc exordiamur) hæc vltima ratio, dictum est cap. 4. vbi recte docuimus, quomodo in calido & humido vita consistat, non tamen inde sequatur, omnia quæ viuunt calida esse & humida. At generationis principia (etiã si calida ea & humida concederemus) ostẽdere tantũ possunt hominẽ in prima statim formatione calidum & humidũ esse: nihil tamen prohibet quominus, qui ab initio calidus est & humidus, aliquando temperatus euadat.

Lib. 1. fen. 1. doct. 3. cap. 1.

Lib. 2. collect. cap. 1.

Adde, quód semen & sanguis ex natiui caloris copia potius quã ex caloris ex- A cessu calida dicãtur. Iã vero quod aiũt, nullum mistũ corpus gigni posse, nisi vincat in mistione aliquod elementũ, falsum omnino est; ad mistionẽ namq. nullius elementi victoria, sed mutua tantum elementorũ actio & passio est necessaria. Id quod & luctatoribus accidere experimur, qui si viribus æqualiter polleant, agunt quidem & patiũtur, neuter tamen victor euadit. Neque ratio Auerrois aliquid concludit, probandum enim ipsi erat, non posse fieri temperamentum æquale in mensura qualitatum, quin simul æquale sit in quantitate substantiarum. Nos enim contra sentimus, elementorum vires pares esse posse, substantias vero semper esse impares. Quæ vero de optima temperie his libris tradũtur à Galeno, pessime interpretatur Auicenna. Nam quod natura temperata virtute ac viribus reliquis præstet; & quod ea prætermissa de reliquis frustra instituatur disputatio; de natura ad iustitiam temperata intelligi non potest. B Sed & cutim internam volæ manus in vniuersa rerum substãtia medium postea constituet: proptereaque non solum ad iustitiam, verum etiam ad pondus temperatissimam. Iam vero & temperatum hominem in specie humana, & in animalium genere, & in genere quoque substantiæ medium esse postea docebit. Atqui medium in genere substantiæ nullius qualitatis excessum habere potest. Porro quod dari possit corpus temperatum ad pondus, Galenum imitati sic ostendimus. Sit corpus aliquod in pueritia calidum & humidum, quod in senectute frigidum fiat & siccum. Hæc sane mutatio temperamenti calidi & humidi in frigidum & siccum, cum fiat ex contrariis qualitatibus in contrarias, necessario fit per medium; ergo corpus calidum & humidum antequam frigidum & siccum euadat, poterit aliquando medium esse in vtraque qualitatum op- C positione. Inter eos tamen qui temperamentũ ad pondus dari posse concedũt, non omnino conuenit, quale id temperamentum sit. Siquidem Vallesius, cum duplex temperamentum statuat, substantiarum scilicet & qualitatum; elementorum substantias ad pondus temperari posse affirmat, qualitates vero nequaquam. Peccat autem vtroque nomine, & quod elementorum substantiis temperamentũ ad pondus concesserit, & quod ipsum qualitatibus negarit. Quamuis enim temperamentum substantiarum (quod tamen fictitium esse ostẽdimus) dari posse concederemus, fieri tamen non posset, vt in aliquo mixto pares essent substantiarum elementarium portiones. Nam præterquam quod corpus sic mixtum neque graue esset neque leue, (vt recte dicebat Auerroes) ab æquali ignis mole cetera elementa corrumperentur; cum sit ignis omnium efficacis- D simus. Neque recte ostendit, qualitates non posse temperari ad pondus, quod ab innumeris caussis corpora perpetuo immutentur; hæc enim ratio eiusmodi temperiem durare non posse dumtaxat ostendit. Quod autem ait Lopezius, elementa pari mensura, non tamen pari põdere temperari posse, puerile prorsus est & ridiculum. Cum enim solæ qualitates temperentur, parum profecto retulerit, si eas ad mensuram, vel ad pondus temperari dixerimus. Quare dum alios barbaros vocat, incidit & ipse in sophisticam loquacitatem, cum pondus à mensura in temperamento distinguens, de nomine potius quam de reipsa disputare videatur. Sed transeamus ad simplices intẽperies, quas post Galenum omnes fere medici admiserunt, vno excepto Auerroe. Qui cum Galenicæ demonstrationis vim parum attente perpendisset, simplices intemperies perperam negauit, hac sola ratione persuasus. Qualitates, inquit, agentes formæ sunt, & patientes materia, ergo mensuræ duarum qualitatum agentium sumentur à mensu-

Lib. 1. contro. cap. 7.

Com. in cap. 4. lib. 1. de tẽper.

Lib. 2. collect. cap. 1.

A à mensuris duarum qualitatum patientium. Inefficax profecto ratio. Quid enim prohibet, quominus agentes qualitates, quæ veluti formæ sunt, in patientes, quæ sunt veluti materia, agere possint, etiam si hæ mediocriter se habeant? Et rursus quid prohibet, quominus qualitatum patientium altera excedat, etiamsi agentes æqualiter sint temperatæ?

In quolibet vero iam dictorum temperamentorum permagnus est excessus defectusque modus; non in his modo quæ simplicia sunt, sed etiam in compositis: idque tum in tota substantia, tum vero in vnoquoque genere.

In quolibet dictorum temperamētorum magis & minus (vt Græce habetur) B aut (vt vertit interpres) permagnum excessus defectusq. modum inueniri dicit. Quibus verbis haud dubie significat, in singulis temperamentorum differentiis hactenus explicatis magnam latitudinem reperiri. Qui locus, licet ab interpretibus neglectus sit tamquam facilis, nobis tamē vt difficilis diligentius examinandus erit. Videtur enim Galenus latitudinem hoc loco statuisse in tēperamento ad pondus, cum scribat, in quolibet dictorum temperamentorum magnam esse latitudinem; enumerarit autem superius nouem temperamenta, inter quæ primum obtinet locum temperamētum temperatum. Pleriq. tamen huic temperamento latitudinem negant, putantes nimirum mente potius id concipi quam reuera dari; aut si detur, temporis momento durare, ob perpetuam illam, quæ à variis caussarum generibus corporibus accidit, mutationem. Quibus etiam fauent quæ statim sequuntur, cum enim dixisset in quolibet iam dictorum temperamentorum latitudinem inueniri, hæc subiungit, Non in iis modo quæ simplicia sunt, sed etiam in compositis. Quæ plane in simplicibus C tantum & compositis intemperiebus, non autem in temperamento temperato latitudinem reperiri indicant. Pendet huius quæstionis profligatio ex iis quæ de optima sanitate docuit alibi Galenus. Docuit autem sanitatem optimam ac perfectissimam bifariam dici: reuera, & sensus iudicio. Quæ reuera talis est, omnibus numeris est absolutissima; quæ vero talis est sensus iudicio, parum ab illa deflectit, & sensus iudicio perfectissima censetur. Priorem illam affirmat aut non dari, aut temporis momento durare; alteram vero satis amplam latitudinem habere. Similiter quoque docet, εὐκρασίαν dici bifariam; reuera, & sensus iudicio. In ea quidem quæ reuera optima est, nullius qualitatis excessus (ne minimus quidem) inuenitur; quæ autem sensus iudicio talis dicitur, aliquem reuera excessum habet: qui tamen, quod exiguus sit, sensum effugit. Vtriusque autem naturam optime explicauit similitudine lyræ sensus iudicio optime D temperatæ, quam tamen alter musicus denuo accedens perfectius temperauit. Et rursus similitudine balnei temperatissimi, cuius tamen temperies viciari non solet, si vel calidæ vel frigidæ aquæ pauxillum adieceris. Cum itaque temperamentum ad pondus aut tale reuera sit, aut sensus iudicio; quod reuera tale est (non secus ac sanitas perfectissima) aut non datur, aut latitudine caret; ob varias scilicet mutationes, quibus corpus est obnoxium. Hinc enim natum est illorum philosophorum dogma, qui ἀσπαθίαν introduxerunt. At quod sensus iudicio est tale, neque insectile est, neque latitudine caret. Atqui vt sanitas illa perfectissima nullum medicis vsum præbere potest, quod insectilis sit & momentanea; ita & in arte medica nullius vsus est eius temperamenti consideratio, quod est ad pondus reuera temperatum: vtpote quod omni prorsus latitu-

Lib. 1. de sanitu. cap. 5.

dine careat. Quare cum de temperata natura agimus, hanc non reipsa, sed solius sensus iudicio temperatam accipimus; ne de re prorsus inutili differere videamur: quemadmodum isti faciunt, qui de temperamento ad pondus disputantes, ipsum insectile esse prædicant. Et quorsum quæso, libris prioribus de sanitate tuenda methodum elegantissimam tradit Galenus, qua possimus naturam temperatam in proprio statu tueri; si ea insectilis est, & momento tẽporis durat? Quorsum itidem libro sequenti signa diligentissime explicat, ex quibus certo possimus hominem temperatum cognoscere, si is mente potius cõcipitur, quam in rerum natura existat? Sed iam explicemus difficilia illa huius contextus verba, Non in iis modo quæ simplicia sunt, sed etiam in compositis; cuius sane loci difficultatem solus ex interpretibus obseruat Fuchsius. Is itaque locum male à Linacro translatum fuisse merito censet, cum in Græco exemplari nulla fiat mentio compositorum temperamentorum. Præstat tamen Græcam dictionem adscribere, ἐν ἑκάστῃ δὲ τῶν εἰρημένων κράσεων, τὸ μᾶλλόν τε, καὶ τὸ ἧττον, πάμπολυ κατά τε τὰς ἀπλᾶς λεγομένας κράσεις, ἐπί τε τῆς ὅλης οὐσίας, ἤδη δὲ καθ' ἓν ὁτιοῦν γένος. In hac vero putat Fuchsius, pro ἀπλᾶς legendũ esse ἀπλῶς, totumq. hunc locum ad hunc modum conuertit. In quolibet vero iam dictorum temperamentorum permagnus est excessus defectusque modus, tam in iis quæ absoluto sermone temperamenta dicuntur, & in vniuersa substantia; quam in iis quæ in vno quouis genere. Quæ sane interpretatio omnino respondet antiquo interpreti, qui forte emendatiorem codicem nactus, locum sic transtulit, Et in vnaquaque quidem harum complexionum, quas nominauimus, reperitur ex diuersitate in multitudine & paruitate res magna valde; & similiter reperitur in complexionibus quæ absolute dicuntur in vniuersa substantia; & in complexionibus quæ dicuntur in aliquo generum, quodcumque genus sit. Ego certe, vt diuinare non possum quodnam exemplar nactus fuerit antiquus interpres, ita affirmare ausim, seruata Græca lectione facillimum verissimumq. sensum reddi: hæc namque Græcis ad vnguem respondent. In quolibet vero iam dictorum temperamentorum & magis & minus; plurimum etiam secũdum simplices dictas temperies; idque tum in tota substantia, tum in vnoquoque genere. Quibus verbis docet inprimis, in omnibus temperamentis latitudinem inueniri, deinde vero priuatim id docet de simplicibus intemperiebus: quasi de his potissimum dubitari posset, ac debeat, habeant latitudinem, necne. Et merito quidem, quoniam veterum philosophorum ac medicorum plerique (vt capite secundo diximus) simplices intemperies negarunt. Neque vero maior (vt forte quispiam existimauerit) dubitãdi occasio esse potest de temperamento temperato quam de simplicibus intẽperiebus. Quippe cum in his vna qualitas excedat, videtur statim ex ipsius actione altera adquiri. At in tẽperamento temperato cum qualitas nulla superet, idem omnino status diutius permanere potest. Vtcumque tamen res habeat, certissimum est, Galenum hoc loco & temperamento ad pondus, & intemperiebus omnibus, tã simplicibus quam compositis, latitudinem tribuisse. Vnde perspicuum est, singulas temperamentorum differentias tempore notatu digno durare posse. Docebimus enim libro sequenti optimam corporis temperiem in summo ætatis vigore reperiri; & simplicem intemperiem humidam (in iis saltem qui temperati futuri sunt) à primo ortu ad summum vsque ætatis vigorem perdurare. Male igitur Auicenna & alii quidam ita angustam latitudinem simplicibus intemperiebus concessere, vt breuissimo temporis spatio durare tantum posse contendant. Quos sane

Lib. 1. fen. 1. doct. 3. cap. 1.

A ſane decepit Galenus, qui de hac re diſſerens ad hunc modum ſcribit, Sane dictum à nobis in libro de temperamentis eſt, fieri non poſse, vt intẽperies quælibet ſola diu duret, quando ipſa ſibi ipſi alteram ex neceſsitate adſciſcit: indeque factum, vt plerique medicorum quattuor tantum eſſe intemperantias putarint, eaſque compoſitas; ſimplices vero ne eſſe quidem. Hanc tamen Galeni ſententiam amice ita interpretari oportet, vt ſimplices intemperies (quæ rariſſimæ ſunt) rariſsime quoque in eodem ſtatu permanere poſſint; frequentiſsimum enim eſt, vt alteram intemperiem breui ſibi coniungant. Nihilominus tamen tempore notatu digno perſiſtunt, alioqui fruſtra Galenus rationem tradiſſet, qua ſimplex vnaquæque intemperies aut cuſtodiri, aut emendari poſſit. Fruſtra itidem docuiſſet, quibus morbis magis vel minus obnoxia ſint corpora B ſimplici temperie affecta. Non tamen proinde probarim quod dictum eſt à Valleſio, ſimplicem intemperiem toto vitæ tempore durare poſſe; non ſublatis mutationibus ætatum, ſed ſeruata etiam in illis quadam proportione. Atqui cũ in ſingulis ætatibus noua fiat innati temperamenti mutatio, non ſatis intelligo, quomodo tolli non debeant ætatum mutationes, vbi de temperamenti cuiuſpiam duratione agitur. Habent igitur latitudinem omnia temperamenta, ſiue temperata ea ſint, ſiue intemperata; intemperies tamen compoſitæ latitudinem habent multo maiorem. Cum vero natura temperata & naturæ intemperatæ, & in genere ſubſtantiæ & in aliis generibus ac formis reperiantur; variat neceſſario temperamentorum latitudo. Nam in genere ſubſtantiæ tantam habet latitudinem temperata natura, quanta eſt ab optima perfectiſsimaq. temperie ad eum vſque exceſsum qui ſenſu percipiatur. Naturæ vero intemperatæ in eodem ſubſtantiæ genere tantam latitudinem habent, quanta reperitur à ſenſibili qualitatum exceſsu ad extremos vſque totius ſubſtantiæ fines, nempe C quattuor elementa: nam intra ampliſsimam hanc latitudinẽ miſta omnia corpora diuagantur. Rurſus naturæ in aliis omnibus generibus & formis temperatæ tanta eſt latitudo, quanta ab optima in illis generibus & formis temperie reperitur, ad eum vſque exceſſum qui ſenſu percipi poſsit: intemperatarum vero, quanta inueniri poteſt à ſenſibili qualitatum exceſsu, ad extremos vſque fines in ſingulis generibus & formis conſtitutos.

Lib. 6. de ſan. tu. cap. 2.

Lib. 6. de ſani tuen.

Lib. 8. metho. med.

Lib. 1. contro cap. 7.

CAP. IX.

D *SI cui igitur agnoſcendorum temperamentorum cura eſt, incipiat exercitationem oportet ab his in quolibet genere naturis, quæ temperatæ mediæque ſunt: quippe quod ſi his alias comparet, facile quod in quauis ſuperet, deficiatve, inuenerit. Ergo primum de iis quæ ſimpliciter loquentibus temperata, intemperataque dicuntur, agendum; quæ ſcilicet in omni generata ſubſtantia, non in ſolis animalibus & ſtirpibus, diſquirenda diximus.*

Inuento temperamentorum numero, generalem methodum nunc proponit, qua inſtructi poſsimus in cognoſcendis corporum omnium temperamentis exerceri. Tota vero hæc methodus his continetur, vt in vnoquoque rerum genere à natura temperata incipiamus, qua ſemel cognita ad intemperatas deſcenda-

ſcendamus; quæ ad temperatam collatæ, calidæ, frigidæ, humidæ, vel ſiccæ dicuntur. Cum autem nouem illæ temperamentorum differentiæ & in genere ſubſtantiæ, & in aliis generibus & formis reperiri poſsint; exercitationem incipere oportet à genere ſubſtãtiæ, deinde vero ad alia genera & ſpecies deſcendere. Hac ſane methodo corporum omnium temperamenta cognoſci poſſunt, vt leonis, ficus, lapidis, æris. Sed quoniam longa nimis eſſet particularis hæc excercitatio, medico ſatis fuerit, ſi in cognoſcendis hominum, & ſingularum corporis humani partium temperamentis priuatim exercitetur. In qua exercitatione præſcriptæ methodi præcepta obſeruans, hominem temperatum ante omnia cognoſcere ſtudebit, quem non ſolum in ſpecie humana, ſed etiam in animalium genere, & in vniuerſa ſubſtantia medium eſſe poſtea dicemus. Huic autem reliquos homines conferens, calidos, frigidos, humidos, aut ſiccos appellabit. Ac rurſus dum partium temperamenta inquirit, ante omnia cognoſcat oportet partem omnium temperatiſsimam, cuius comparatione reliquæ partes intemperatæ, calidæ dicantur aut frigidæ, humidæ aut ſiccæ. Cumque variæ ſint partium ſpecies, in ſingulis quoque quod temperatum eſt ac medium, inprimis cognoſcendum, deinde intemperata. Veluti exempli cauſſa, in ſpecie ventriculorum eum qui temperatus eſt inprimis cognoſcere oportet; cuius collatione de intemperatis ventriculis, calidis, frigidis, humidis, & ſiccis iudicium ferri debet. Totam hanc methodum fuiſſe Galeno diligenter obſeruatam, ex iis quæ ſequuntur certiſſime intelliges. A B

Porro hîc quoque tantillum ſaltem diſtinguere de nominibus conueniet, quod calida temperies, alia iam energia, ſiue (vt loquuntur) actu ſit, alia poteſtate. Tum quod poteſtate ea eſſe dicamus, quæ quod dicuntur id nondum ſint, ſed facile id fieri poſsint, quoniam naturalem, vt id fiant, aptitudinem ſint adepta. Igitur primum de iis quæ actu calida, frigida, humida, & ſicca ſunt, diſſeramus; auſpicati ab vniuerſa ſubſtantia; mox ad animalia & ſtirpes deſcenſuri. Ita enim conſummationem habebit quod inſtitutum nobis eſt. C

Antequam accedat ad prædictæ methodi exercitationem, eadem illa nomina, calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, bifariam adhuc dici poſſe monet, actu ſcilicet, & poteſtate. Ea dicuntur eſſe actu talia, quæ qualia dicuntur talia iam ſunt; poteſtate vero, quæ quod dicuntur id nondum ſunt, ſed poſſunt facile id fieri, quia naturalem, vt id fiant, aptitudinem ſunt adepta; vt dicemus accurratius libro tertio. Sed quorſum, quæſo, de rebus iam diu diſputans, ad nouam horum nominum ſignificationem nunc rurſus digreditur? aut cur hanc ſuperioribus non coniunxit? An quia quæ hactenus de temperamentis docuerat, & iis quæ actu, & iis quæ poteſtate ſunt talia, communia erant; methodus vero cognoſcendi temperamenta actu, diuerſa multum eſt à methodo cognoſcendi temperamenta poteſtate? Quare cum methodum cognoſcendorũ temperamentorum tradidiſſet, merito nunc quæ ſunt actu talia, ab iis quæ ſunt talia poteſtate, diſtinxit; vt de iis quę actu talia ſunt, diſputet hoc libro & ſequẽti, libro autem tertio de iis quæ ſunt talia poteſtate. In hac autem diſputatione de temperamentis actu ſe auſpicaturum pollicetur ab vniuerſa ſubſtantia, mox vero ad animalia & ſtirpes deſcenſurum. Vniuerſam ſubſtantiã vocat totius D

tius

A tius substantiæ genus, animalium vero & stirpium exemplo reliqua omnia ge-
,, nera intelligit, quemadmodum & superiori contextu, dum sic scriberet, Ergo
,, primum de iis quæ simpliciter loquentibus temperata , intemperataque di-
,, cuntur , agendum; quæ scilicet in omni generata substantia, non in solis anima-
,, libus & stirpibus disquirenda diximus.

CAP. X.

VONIAM igitur quod in omni genere, maximeque in vniuersa substantia medium est, id ex mistione extremorum conflatur; vtique conueniet, vt tum notitia eius, tum agnitio* ex illis sumatur. Ac notitia quidem facillima est, quippe à calidissimo omnium,* * νοήσις. * διάγνωσις.
B *quæ sub sensum cadunt, (veluti igni, aut quapiam aqua quæ ad summum sit feruens) ad id quod omnium quæ nobis apparent, est frigidissimum (veluti glaciem & niuem) venientes; æstimato inter ea interuallo medio, ad vnguem id diuidimus.* Sic enim symmetron, quod scilicet ab vtroque extremorum pari abest spatio, intellectu comprehendemus. Quinetiam id nobis præparare licet, miscentibus aquæ feruenti parem modum glaciei; quod enim ex ambobus est mistum, pari interuallo ab vtroque extremorũ aberit, & eo quod vrit, & eo quod frigore stupefacit.* Non est igitur difficile ei qui ita mistum tetigerit, medium vniuersæ substantiæ in calidi frigidique oppositione habere, eiusque meminisse; atque alia omnia illi veluti normæ adaptata iudicare. Quinetiam si terram quæ* * τέμνομεν. * νεκροῦντος.
C *sicca sit, vel cinerem, vel tale aliquid quod plane sit aridum, pari aquæ modo imbueris; medium in sicci humidique oppositione effeceris. Ergo ne hic quidem difficile est, vbi visu pariter tactuque eiusmodi corpus noueris; memoriæ id infigere, eoque ad humidorum ac siccorum, quæ deficiant, superentve, agnitionem, pro norma exemplarique vti. Porro corpus de quo iudicandum est, mediocriter calens esto, Nam hoc ipsum humidi siccique medium corpus, si ad summum calorem frigusve sit perductum, falsam interim imaginationem excitabit; videbiturque, quam sit mediocre, aliquando humidius, aliquando siccius. Quippe si liberalius calefiat, liquatum iam ac fluxile, humidioris substantiæ phantasiam*
D *de se præbebit: contra refrigeratum plus iusto, consistit, ac cogitur, immobileq. redditur, & durum tangenti apparet: vnde etiam falsam siccitatis imaginationem exhibent. Quod si veluti humidi siccique parem modum habet, sic caloris & frigoris sit in medio; nec durum, nec molle tangenti apparebit id corpus.*

Præscriptæ methodi exercitationem exorditur à cognitione eius quod in vniuersa substantia medium est ac temperatum. Docet autem iucundam nobis esse huius medii cognitionem, ex iis quæ in genere substantiæ extrema sunt, quattuor scilicet elementis; quoniam ex horum mixtione, immo ex pari eorundem portione conflatur. Proindeque merito inquit, ipsius tum notitiam,

tum

tum agnitionem ex illis petendam esse. Quo loco notitiam ab agnitione eo nomine videtur distinguere, quod notitia (Græce νόησις) simplex sit rei cognitio, quæ mente fit citra ratiocinium; ac proinde Fuchsius νόησιν conuertit intelligentiam. At agnitio (Græce διάγνωσις) distincta quædam rei cognitio est, siue sensu, siue intellectu paretur. Parabitur primum notitia medii in vniuersa substantia, si mente concipiamus quod in substantiæ genere calidissimum est, vt ignem, vel aquam feruentissimam, & quod in genere substantiæ est frigidissimum, vt niuem, aut glaciem. Facile namque erit, æstimato inter ea interuallo medio, aliquid intelligere, quod ab vtroque extremorum æqualiter distet. Similiter quoque & eius quod medium sit in humido & sicco, notitia parari poterit, si humidissimam substantiam, veluti aquam, contemplemur; & substantiam siccissimam, veluti terram, aut cinerem. Quinetiam sensu parari potest eiusdem medii agnitio, nam si aquæ feruentissimæ parem glaciei, aut niuis modum miscueris; euadet proculdubio corpus in calidi & frigidi oppositione medium: quemadmodum etiam in oppositione humidi & sicci, si terram aut cinerem pari aquæ modo imbueris. Agnitionē huiusmodi inquit Galenus difficilem non esse, vtpote quæ & tactui subiiciatur, & visui: sentiūt tamen multi esse difficillimam, quod tantum id liceat homini temperato. Verum cum dictum antea sit, temperatum corpus sensus iudicio expendi, non soli homini tēperato, sed & cuiuis nostrum licebit, medium eiusmodi corpus tactu explorare. Negari tamen non potest, quin certior futura sit hominis temperati agnitio ob exquisitam tactus temperiem. Ne autem decipiamur in agnitione corporis medii in humido & sicco, monet, vt eiusmodi corpus mediocritatē quoque seruet in calido & frigido. Alioqui fallax erit iudicium, quoniam fieri potest, vt quod in humido & sicco medium est, falsam humidi aut sicci speciē præ se ferat: humidi quidem, si à vehementi calore liquetur; sicci vero, si ab immodico frigore concrescat. Sed hæc explicabuntur accuratius libro sequenti.

A B C

Atque tota quidem eiusmodi corpora per tota se miscendi, calidum inquam, frigidum, siccum, & humidum, homini facultas non est. Terra enim aquæ confusa miscetur quidem (quatenus scilicet videri cuipiam possit) atque ita tota toti contemperatur; ceterum appositio exiguarum partium ea est, nequaquam totorum per tota mistio. Sed ambo ea per tota miscere, Dei, vel naturæ est opus; magisque etiam, si calidum ac frigidum inter se tota per tota miscenda sint. Attamen appositionem eiusmodi efficere, vt sensum effugiant singula simplicium corporum, non solum naturæ opus, Deive est, sed etiam nostrum. Neque enim difficile est, tali mistione lutum, quod medium sicci humidique sit, moliri: simili modo & quod calidi ac frigidi sit medium. Videbiturque tibi eiusmodi corpus in calore & frigore temperatū, immo etiam in duritie mollitieq. medio statu esse. D

Dum aquæ terram miscemus, aut cinerem, aut aliud quidpiam; veram mixtionem esse putandum non est, sed tantum sensus iudicio: vera namque mixtio solius Dei, aut naturæ est opus, non hominum. Nobis enim tantum licet exiguarum partium appositionem efficere, in qua quæ apponuntur, sensus iudicio videntur misceri: cum singula simplicium quæ sibi inuicem apponuntur, sensum

omnino

A omnino effugiant Cum tamen quæ sic miscentur, neque per se tota alterentur, neque vniantur, vera mistio ea non erit; est enim Aristoteli mistio, mistilium alteratorum vnio. Lib. 1. de ort. & inter. c. vlt.

Id autem genus est hominis cutis, vtpote omnium extremorum, calidi, frigidi, humidi, & sicci, vere media: maximeque ea quæ est in manu. Hæc enim omnium sensibilium veluti norma futura erat prudentissimo nimirum animantium tactus instrumentum ab ipsa natura, præparata. Quo magis eam ab omnibus extremis, calido inquã, frigido, sicco, & humido, pari abesse interuallo oportuit. Iam vtique & constat ex horum omnium æquis portionibus, nõ compositis *modo, sed etiam per tota se mistis: quod nostrum plane nemo efficere potest, sed est* B *naturæ opus. Quæcunque igitur partes cute sunt duriores, veluti ossa, cartilagines, cornua, pili, vngues, ligamẽta, vngulæ, calcaria; in his omnibus siccũ præualet. Quæcumque vero molliores sunt, sicuti sanguis, pituita, seuum, adeps, cerebrum, medulla, tum spinalis, tum altera; in his humidi plus est quam sicci. Quinetiam quanto siccissima omnium quæ sunt in homine pars, cutem siccitatẽ superat, tanto rursus à cute superatur quod est humidissimum.*

* Græce additur οἰκείων.
* μιχθέντων.

Non solum aut mente concipi, aut per exiguarum partium appositionem fieri potest medium quoddam corpus in calido, frigido, humido, & sicco; verũ etiam per veram mistionem, per se tota alteratis quattuor elementis, & reuera C vnitis. Docet autem, huiusmodi medium in vniuersa substantia esse hominis cutem, potissimumq. eam quæ in manu est, & præsertim in manu interna. Hanc enim inquit, omnium extremorum, calidi scilicet, frigidi, sicci, & humidi, vere esse mediam, & ex æquis eorum omnium portionibus constare. Id tamen non placet Hieremiæ, qui cutem potius frigidam & siccam esse contendit. Malumus tamen Galeno credere, qui optimam cutis temperiem ex eo nunc recte demonstrat, quod omnium sensibilium (quæ scilicet sub tactum cadunt) veluti iudex ac norma futura erat; vtpote quæ tactus instrumentum animalium omnium prudentissimo homini à natura sit præparata. Hoc loco nescio cur dictionem οἰκείων (id est domesticorum) quæ Græce habetur, prætermiserit Linacer; cum verissimum sit, hominem animalium omnium domesticorum D prudentissimum esse. Eustathius tamen & Fuchsius legendum potius sentiunt οἰκεῖον, id est aptum, vt reddatur is sensus, cutis tactus instrumentum præparata est à natura animantium prudentissimo aptum: qui verissimus itidem est sensus, quoniam tactus cum sapientia coniungi solet. Ex iis quæ hoc loco docuit Galenus, colligunt aliqui, cutem esse proprium tactus instrumentum. Falluntur tamen, quia sensus tactus, vt sensus communis est omnibus fere corporis partibus, ita plura instrumenta sortitur. Dicitur autem cutis hoc loco tactus instrumentum, non quod sola tactus sit organum, sed quod de tactilibus qualitatibus perfectissime iudicet. Sed de singulorum sensuum instrumentis in cõmentariis pathologicis ex instituto agemus. Si igitur cutis à natura præparata est tactus organum, necessario concluditur, esse temperatam ad pondus: alioqui enim non posset de qualitatibus tactilibus exactum iudicium ferre. Quippe si in primo recessu esset calida, cetera corpora eodem recessu calida, tempe-

temperata iudicaret. Quod si cutis in vniuersa rerũ substantia media est, oportebit profecto mixtorum omnium temperamenta expendere, facta ad ipsam collatione: id quod priuatim Galenus explicat in animalium partibus. Quippe quæcumque partes duriores fuerint hominis cute, eædem sunt ex sua natura siccæ; & quæcumque fuerint hominis cute molliores, sunt ex sua natura humidæ. Cur vero ex secundis qualitatibus, duritie scilicet & mollitie, partium siccitatem & humiditatem colligat, dicemus libro sequenti. Nunc vero illud explicandum restat, quod vltimo loco dictum est à Galeno, quanto scilicet siccissima omnium quæ sunt in homine pars, cutem siccitate superat, tãto rursus à cute superari quod est humidissimum. Quibus verbis haud dubie indicat insignem quandam proportionem, quam temperati corporis partes, tum inter se, tum etiam cum ipsa cute seruant. Quamuis enim in homine temperato partes aliæ calidæ sint, aliæ frigidæ, alię humidę, & aliæ siccę; hæc tamen iusta in eo reperitur partium proportio, vt pars omnium siccissima, veluti pilus, tanto sit siccior cute, quanto cutis ipsa siccior est parte omnium humidissima, veluti pituita. Quod itidem verum est de reliquis partibus siccis & humidis; quanto enim pars secundo loco sicca, veluti os, siccior est cute, tanto & cutis ipsa siccior est parte secundo loco humida, veluti adipe. Similis quoque proportio in partibus calidis & frigidis statuenda est, cum eadem vtrobique sit ratio. Vnde constat, temperatum hominem nõ solum temperatum dici, quod temperatam habeat cutem, sed etiam quod prędictam habeat omnium partium proportionem admirabilem. At in hominibus intemperatis neque cutis temperata est, neque iusta illa partium proportio inueniri potest. Siquidem in iis qui sicco sunt temperamento, pars omnium siccissima magis cutẽ siccitate superat, quam superetur à cute pars omnium humidissima. Idem de aliis dicendum. Has ego partium proportiones in hominum temperamentis considerandas esse censeo: nam quæ numerorum proportiones sunt, aut quæ ex simplicibus numerorum proportionibus resultant, eas sane vt superuacaneas, ita & medicis prorsus inutiles iudico: quamuis minime me lateat, Petri illius Iacobi Steue medici longe clarissimi id olim fuisse inuentum. Is namque, vt erat Medicinæ, & rerũ Mathematicarum peritissimus (vt reliquas ipsius præclaras dotes silentio prætercam) rebus philosophicis ac medicis mathematicas demõstrationes summa cum industria, ingeniique dexteritate frequenter adhibuit. His itaque demonstrationibus vsus, doctissimis suis commentariis in librum secundum Epidemion acutissime probat, corporis humani, & reliquorum omniũ dissimilarium corporum temperiem, aliud esse nihil, quam proportionem, ex simplicibus, quę singulis partibus similaribus insunt, numerorum proportionibus compositam. Quod accuratius multo, multoque copiosius in eo libello demonstrauit, quẽ de rerum naturalium temperaturis conscripsit. Quem sane manuscriptum mihi videre licuit, quod mihi nuper pro summa sua humanitate ipsius copiam fecerit Iohannes Plassa, medicus insignis, omnique doctrinæ genere mirifice excultus; à quo & multa, & præclara ingenii monumenta indies diuulganda speramus.

Lib. 2. epid. sect. 3. com. 4.

A B C D

Porro videtur nunc disceptatio nostra, ea quæ vtilissima sunt attingere; ac docere simul, quod tum animalium, tum vero omnium corporum temperatissimus sit homo; simul, quod omnium quæ in eo sunt particularum, cutis quæ intra manum habetur, omnis excessus plane sit expers.

A Ex iis quæ dicta sunt, duo tandem colligit, quibus innititur tota hæc de temperamentis disputatio. Alterum est, hominem omnium corporum temperatissimum esse, vtpote qui & in specie humana, & in animalium genere, & in vniuersa substantia sit medius. Alterum vero est, omnium quæ in homine sunt partium temperatissimam esse cutem, eamque potissimum quæ est in interna manu; vtpote quæ sola omnis excessus plane sit expers. Hinc intelligimus, solam cutim in homine temperato temperatam esse ad pondus; reliquas vero partes temperatas solum ad iustitiam. Quamuis id priuatim accidat cuti, vt ad iustitiam simul & ad pondus sit temperata. Immo non potest esse temperata ad iustitiam, quin simul sit temperata ad pondus; cum demonstratum antea fuerit, non posse cutem, nisi expers sit omnis excessus, de tactilibus qualitatibus iudicium ferre.

B

CAP. XI.

INSISTENTES igitur hoc loco æstimemus, quisnã sit optime temperatus homo; quem scilicet totius substantiæ, vel potius tum hominum, tum reliquorum animalium medium, veluti regulam & normam statuentes, reliquos omnes huic collatos, calidos, frigidos, humidos, siccosve dicere oportet. Concurrant ergo oportet in hoc homine multæ notæ, quippe & cum vniuersa substantia collatus, medius apparere in ea debet, & magis etiam cum hominibus & bestiis. Ac medii quidem in vniuersa substantia communes notæ dictæ iam sunt; quæ vero in animalium speciebus notantur, actionis perfectione, quæ cuique sit conueniens, iudicantur. Conuenit autem homini, vt sit sapientissimus; cani, vt mitissimus pariter sit & fortissimus; leoni, vt tantum sit fortissimus; sicuti oui, vt sit tantum mitissima. Iam vero quod corporis actiones consentientes esse animi moribus oporteat, tum Aristoteli in iis quæ de partibus animalium scripsit; tum vero nobis alibi nihilominus est monstratum. Ac methodus quidem hæc est.

C

Iuxta methodum superius traditam, temperatum hominem ante omnia

D cognoscere oportet, vtpote qui sit intemperatorum regula. Sed quoniam temperatus homo & in genere substantiæ, & in genere animalium, & in specie humana medius est; duplex est in vniuersum ipsius cognoscendi ratio. Quatenus enim medius est in genere substantiæ, ex paritate elementorum cognoscitur, vt dictum est cap. 5. Proindeque nunc merito ait, communes huius medii in vniuersa substantia notas dictas iam esse. Quatenus vero medius est in animalium genere, & in specie humana, ex actionum perfectione potius cognoscitur; vt reliqua omnia media, quæ in aliis generibus ac formis statuuntur. Cum quibus omnibus eo nomine conuenit, quod ad iustitiam temperatus dicatur, quemadmodum in genere substantiæ temperatus ad pondus. Naturæ autem iustitia est, & homini, & ceteris omnibus quæ in suo genere, aut specie media sunt, propriarum actionum perfectionem tribuere: quæ quidem pro generum ac formarum diuersitate mul-

tiplices esse solent. Conuenit enim homini, vt sit sapientissimus; cani, vt erga domesticos ac familiares mitissimus sit & fidelissimus, fortissimus vero in hostes, ac fures; leoni, vt sit tantum fortissimus; quemadmodum oui, vt sit tantum mitissima. Porro animalium actiones multiplices esse oportuit, vt animi moribus, qui & in ipsis animalibus plurimum variant, consentirent, vt ab Aristotele & Galeno probe demonstratum est. Ac rursus quoniam actiones animalium propriæ à propriis instrumentis fiunt, perinde est dicere, corporis actiones consentientes esse animi moribus, aut corporis instrumenta animi moribus esse conuenientia. Quare sagacissima natura singulis animalibus propria tribuit instrumenta, quæ animi moribus, propriisq. functionibus obeundis ad vnguem essent accommodata. Quo sane consilio leoni, animali ferocissimo, exertos dentes, aduncosque vngues largita est; quemadmodum validissimas vngulas, iubamque ornatissimam equo, animali velocissimo, superbo, ac generoso. Hominem vero & armis & artibus (quæ brutis quamplurimis liberaliter concesserat) prorsus nudum creauit; cui tamen pro armis manus, pro artibus rationem tribuit. Quemadmodum enim manus organum organorum ab Aristotele verissime dicitur: ita & rationem artem artium cum Galeno vere appellare possumus. A B

Lib. de part. animal. Lib. de vsu part.

Lib. 1. de vsu parti. cap. 2.

Exercitari vero, vt non in singulis modo animalium generibus, sed etiam in vniuersis medium in promptu quis noscat, id cuiuslibet hominis non est; sed diligentis in primis, & qui per longam experientiam, & multam omnium particularium peritiam inuenire medium queat. Quippe ad eum modum plastæ, pictores, statuarii, alii denique fictores, quæ pulcherrima in omni specie sunt, tum pingunt, tum fingunt: veluti hominem, equum, bouem, leonem formosissimum, ad id quod medium est in illo genere, collinentes. Laudantque homines quandam Polycleti statuam, Canonem appellatam, inde adeo id nomen sortitam, quod partium inter se omnium competentiam ad vnguem habeat. Habet autem quem nunc quærimus, plus aliud quam Canon ille; cum non solum humoris ac siccitatis in medio consistat is, qui ita eusarcos siue quadratus est, homo, sed etiam optimam formationem sit adeptus. Quæ fortasse bonam quattuor elementorum temperiem est comitata, fortasse diuiniorem aliquam superne originem habet. Ceterum prorsus eucraton saltem esse eiusmodi hominem, id vero est necessarium. Quippe mediocritas in carne ex mediocritate temperamenti prouenit: protinus autem adsequitur tale corpus, vt optime ad actiones sit comparatum: tum in mollitie & duritie, præterea calore ac frigore mediocriter se habeat. C D

Quamuis breuissima sit methodus cognoscendi ea quæ in singulis rerum generibus ac formis media sunt, cum ex sola pendeat actionum perfectione; ipsius tamen exercitatio & longa multum est, & difficilis. Postulat enim virum laboris amantissimum, simul ac exercitatissimum, qui in cognoscendis singularum rerum actionibus diu multumque sit versatus. Neque vero de mediorum in singulis rerum generibus ac formis inuentione propterea desperandum,

A sperandum, cum & pictores, & statuarii ad id quod optimum est, & in vno quoque genere perfectissimum, mentis oculorumque aciem perpetuo dirigentes, id assequuti videantur. Exemplo sit Polycletus, summus statuarius, qui librum conscripsit Canonem appellatum, in quo suæ artis præcepta diligentissime tradidit. Postea vero orationem reipsa confirmans, iisdemque præceptis insistens, perfectissimã, absolutissimamq. statuam extruxit, quã libri etiã nomine Canonem appellauit: intellexit enim artifex peritissimus, perfectissimã illam statuam reliquis statuariis veluti canonem ac regulam in posterum futurã esse. Medico tamen, reliquorum omnium generum ac formarum mediis neglectis, id quod in specie humana, & in genere partium, & in vnaquaque partium specie medium est, cognoscere satis fuerit. Nam quæ in suo genere vel specie media pars est & temperata, ea reliquarum omnium intemperatarum est regula; quemadmodum & homo temperatus intemperatorum est canon, non secus ac ille Polycleti. Immo, vt ait Galenus, habet temperatus homo plus aliud quam B Polycleti Canon, quod non solum humoris ac siccitatis in medio consistat, sed etiam optimam formationem sit adeptus. Quem locum putant Hieremias & Lopezius esse inuersum, propterea quod videtur Galenus optimam temperiem tribuisse Canoni Polycleti, & optimam formationem eidem negasse; cum tamen optimam haberet formationem, & temperie careret. Sentiunt itaque ita esse legendum, „ Habet autem quem nunc quærimus, plus aliud quam Canon ille, quia non tantum optimam formationem adeptus „ est quadratus homo, sed etiam humoris ac siccitatis in medio consistit. Quasi velit Galenus, temperatum hominem Canone perfectiorem esse, quia præter optimam formationem, quæ vtrique est communis, temperamenti mediocritatem obtinet, qua Canon ille destituebatur. Reuera tamen lectionem C temere immutant, quæ (vt recte sentit Fuchsius) verissimum sensum reddit. Vult namque, temperatum hominem duplici nomine perfectiorem esse Canone Polycleti, & quod habeat temperamenti mediocritatem, & quod optimam formationem sit adeptus: quorum vtrumque in Canone desiderabatur. Neque enim (quod forte putarit quispiam) perfecta omnino fuit Canonis formatio; cum artifici tantum liceat, materiam extrinsecus ornare, ac perpolire. At temperatus homo præter externam partium formam, admirabilem intus fabricam obtinet, in qua formationis ipsius vis maxime elucescit. Est tamen obseruatione dignum quod scribit in præsentia de formatione, quod scilicet bonam quattuor elementorum temperiem fortasse D comitetur, fortasse vero diuiniorem aliquam superne originem habeat. Vbi manifesto dubitat, (quemadmodum etiam lib. de fœt. format.) an vis formatrix quattuor qualitatum sequatur temperiem, an potius diuinioris sit originis: de qua re agemus ex instituto lib. 1. de fac. nat. Cum itaque dubitasset de caussa formationis, dubitat quoque merito, an homo qui in sua specie medius est, optimam formationem necessario habeat; solumque pronunciare audet, esse necessario εὔκρατος, id est bene temperatum. Hanc vero optimam temperiem breuissime nunc ex iis confirmat, quæ temperamenti mediocritatem sequuntur; qualia sunt, mediocritas in carne, actionum perfectio, & mediocritas in duritie & mollitie, in calore & frigiditate: de quibus postea.

Lib. 5. de Hip. & Plat. decre. cap. 3.

cap. penult.

Atque hæc omnia insint cuti, huiusque maxime illi parti quæ est intra

manum: scilicet quæ callum eiusmodi non contraxit, qualis in remigibus & fossoribus cernitur. Cum enim gemini vsus caussa manus sint factæ, tactu discernendi, & rem quampiam comprehendendi; vtique quæ molles sunt, ad exquisitius tangendum, duræ ad aliquid maiore vi capiendum magis sunt idoneæ. Quinetiam cutis, quæ non solum omnium corporis partium, sed etiam vniuersæ, omnium quæ generationi corruptionique subiiciuntur, substantiæ media est; ea nec callosa, nec dura, lapideave est, sed secundum naturã se habens; quo scilicet cutis genere maxime perfectum esse tactum censemus. Ac quod in duritie & mollitie medium omnium particularum locum sit sortita, abunde liquet: quod autem & in calore & frigere similiter se habeat, ex eius substantia maxime intelligas licet. Est enim veluti sanguine præditus neruus, qui sit inter neruum & carnem quiddam plane medium, ac si ex mistis vtrisque constitueretur. Ceterum neruus omnis exanguis est & frigidus; caro multi sanguinis & calida: media inter vtrumque est cutis, nec plane exanguis vt neruus, nec sanguine abundans vt caro. A B

Vt in priore exercitatione, quæ circa hominum temperamenta versatur, temperatum hominem inprimis cognoscere oportet: sic in altera, quæ versatur circa partium temperamenta, cognoscenda primum est pars omnium temperatissima. Hanc autem diximus esse cutem, eamque potissimum quæ est in interna manu: si tamen (vt nunc docet) qualis à natura facta est, talis perstiterit. Quippe si duritiem, aut callum aliquando contraxerit, vt remigibus accidit & fossoribus, temperata amplius esse non potest, neque ad ferendum de tactilibus qualitatibus iudicium idonea: quamuis ad firmiorem corporum apprehensionem sit aptissima. Siquidem manus (vt monet hoc loco, & alibi docet accuratius) ob duplicẽ vsum sunt factæ, tactu scilicet discernẽdi, & externa corpora apprehendendi gratia. Quæ igitur manus molles sunt ad exquisitius tangendum; duræ vero ad maiore vi capiendum aliquid sunt idoneæ. Quæ sane ratio est, cur medico præ ceteris liceat manus habere molles, indiget enim exquisitissimo tactu, vt caloris qualitatem in febribus, varias pulsuum differentias, pus in profundis abscessibus contentũ, & si quæ alia eiusmodi sint, certius dignoscat. Optimam vero cutis temperiem, quæ callum in manu interna minime contraxerit, & tactu cognoscimus, & ex propria ipsius substantia colligimus. Percipit quidem tactus mediocritatem in humido & sicco, quoniam neque mollis, neque dura tactu sentitur. Mediocritatem autem in calido & frigido propria ipsius substantia ostendit; est enim veluti neruus sanguine præditus, qui sit inter neruum & carnem quiddam plane medium, ac si ex vtrisque mistis constitueretur. Quamobrem cum neruus omnis frigidus sit, quia exanguis; & caro calida, quia sanguinea; erit profecto cutis in calore & frigore temperata, quia neque omnino exanguis est sicuti neruus; nec sanguine abundans sicuti caro. Neque his verbis cutis temperiem colligit (vt arbitratur Hieremias) facta collatione ad neruum & carnem; sed potius ex propria ipsius substantia. Non enim est frigida, quia non est exanguis quemadmodum est neruus; neque est calida, quia non abundat C D

Lib. 2. de vsu part. cap. 6.

abundat

A abundat sanguine, quemadmodum abundat caro. Qua ratione capite quarto etiam dixerat ver esse temperatum, quia neque calidum est sicut æstas; neque frigidum sicut hyems. Dubitarit hoc loco quispiam, cur de cutis mediocritate in humido & sicco tactum consulat, de mediocritate vero in calido & frigido consulat potius rationem. Respondet Hieremias id propterea factum, quia cutis temperies à circunstantibus ac vicinis partibus subinde ita mutatur, vt nunc incalescat, nunc contra refrigeretur. Ceterum cum in homine temperato iustissima ea reperiatur partium proportio, quam superiori capite explicauimus; huius rei caussam potius referrem ad mutationes varias, à variis caussis externis, aëreque potissimum, prouenientes, quarum occasione cutis nunc refrigeratur, nunc incalescit; cum tamen neque mollior, neque durior facile fieri queat. Sed quæ hactenus de cute diximus, B de cute vera intellige; cuticula enim (quam ἐπιδερμίδα Græci vocant) temperata esse non potest, vt falso sentit Lopezius; cum vera non sit corporis pars.

Si igitur hanc omnium animalis partium veluti normam indicemque proponens, reliquas illi conferas, atque ad eam examines; octo diuersas intemperies, in eis inuenies. Iamque membratim tibi de omnibus deinceps differam. Humidissimum frigidissimumque in corpore pituita est. Calidissimum sanguis: non tamen est perinde humidus vt pituita. Siccissimum ac frigidissimum est pilus; minus eo & frigidum & siccum est os; hoc vero minus siccum est cartilago; proxime hanc sequitur ligamentum [& quem Græci composito nomine χονδροσύνδεσμον, id est cartilagineum ligamentum vocant.] Post hoc tendo, deinceps membrana, & arteria, & vena; ipsa scilicet corpora vasorum. Succedunt deinde nerui duri; molles autem in humiditate & siccitate mediam naturam, sicuti cutis, obtinent. Nam in altera oppositione, quæ est calidi & frigidi, neruus mollis in medio non est; sed tantum ei deficit de calore, quantum de sanguine. Ita vero & reliqua omnia prius dicta, tanto sunt cute frigidiora, quanto minus habent sanguinis. Etiam tunicæ ipsæ, maxime sanguineorum vasorum, (arteriarum dico & venarum) non solum exangues sunt, sed etiam frigidæ natura; contactu tamen sanguinis calefiunt, atque ad medium temperamenti statum veniunt. Sanguis vero ipse à corde suum accipit calorem; quippe id viscus natura tum omnium animalis particularum maxime sanguineum, tum vero calidissimum est. Proximum illi iecur est; verum cor paullo quam cutis minus est durum, iecur multo. Itaque etiam humidius quã cutis cor est, quanto scilicet est mollius. Iam vero caro humidior cute est, eadem tamen calidior. Spinalis autem medulla cute est humidior, atque etiam frigidior: sicuti hac rursus humidius est cerebrum; cerebro autem ipso adeps. Cui concretio contingit, propterea quod membranis adiacet, crasso namq. oleo est similis; eoque congelatur, vbi cum frigidis & exanguibus partibus

C and D margin letters appear beside the lines "cum est cartilago" and "gues sunt".

coniungitur. At neque circa iecur coire adeps potest, neque circa arterias, venasque, aut cor; sed nec circa aliam vllam præcalidam particulam. Quoniam autem cogitur per id quod valde est frigidum, idcirco calfacta liquatur ceterorum coagulatorum ritu. At cerebrum calfactum minime liquatur, eoque adipe minus est humidum. Porro minus humida quam adeps est & pulmonum caro, vt quæ nec ipsa calfacta liquescat. Iam longe etiam adipe minus humida est, tum lienis, tum renum caro: omnia tamen hæc cute sunt humidiora. Harum rerum demonstrationes proximo libro tradam, sicuti omnia quæ ad vniuersam de temperamentis disputationem pertinent, duobus deinceps commentariis exponam. A

Cum sola cutis in genere partium tēperatissima sit, ipsius collatione expendere oportet reliquarum partium temperamenta. Id igitur præstat Galenus extremo hoc libro, rem ipsam breuissime attingens, accuratissime explicaturus libro sequenti. Quare satis hoc loco fuerit, quæ in hac oratione difficultatem aliquam præ se ferre videntur, breuiter explicare, reiecta in sequentem librum de singularum partium temperamentis disputatione. Est autem inprimis illud difficile, quod intemperies octo in corporis partibus, facta ad cutem collatione, inueniri dicat: nam simplices quattuor intemperies, & ex compositis calidam & siccam, in partibus corporis vix reperias. Vnde factum est, vt ex Galeni interpretibus alii rei difficultate perterriti, locum hunc omnino præterierint; alii vero harum omnium intemperierum exempla inuenire minime potuerint, quamuis id aggressi. Omnium autem optime meo iudicio rem hanc interpretabatur eruditissimus Colladus; qui, vt octo intemperies in corporis partibus inueniri possint, tria esse necessario statuenda præcipiebat. Primum quidem, vt nomine partium non eas tātum intelligamus quæ veræ partes sunt, quæque nutriuntur ac viuunt; sed ea omnia in vniuersum quæ corpus nostrum secundum naturam constituunt, quales sunt humores & pili. Alterum est, vt partium temperamenta expendantur, non solum ex propria sui natura & constitutione; verum etiam ex iis quæ partes ipsæ secundum naturam adquirunt ex aliarum contactu & alteratione. Tertium est, vt humorum temperamenta ex actione potius quam edunt expendantur, quam ex cōstitutione elementorum ex quibus constant: alioqui enim nullus humor esset temperamento siccus, cum omnes actu sint humidi ac fluxiles. His ita positis, facile inueniemus omnium intemperierum exempla, ac primum compositarum, vt à facilioribus ordiamur. Frigida quidem & humida intemperies in pluribus partibus reperitur, veluti in cerebro, spinali medulla, & pituita. Frigida & sicca reperitur in pilo, osse, & cartilagine. Calida & humida, in carne musculorum, iecoris, lienis, & cordis. At sola bilis calida est & sicca, quia licet actu fluxilis sit, ac proinde humida; actione tamen sicca & calida censetur, cum partes corporis calfaciat, & exsiccet. Simplicium intemperierum exempla hæc sunto. Calida intemperies reperitur in sanguine, quia licet temperatus sit ex sua natura, à corde tamen suum accipit calorem, vt ait hoc loco. Quomodo vero dicatur hic sanguis omnium quæ in corpore sunt calidissimus, libro secundo dicemus. Frigida intemperies inuenitur in neruis mollibus; qui cum exangues sint, sunt necessario frigidi; in humiditate tamen & siccitate mediam (vt inquit Galenus) naturam habent, sicuti cutis. Humida intemperies inest adipi, seu pinguedini, B C D

quæ

A quæ temperatum calorem habet, cum crasso oleo sit similis, quod modice itidem calidum est. Tandem intemperies sicca in tunicis venarum & arteriarum inuenitur. Quæ quidem, cum ex sua natura sint frigidæ, vtpote exangues, contactu tamen sanguinis quem continēt, ita calfiunt, vt ad medium temperamenti statum deueniant, sola intemperie sicca in ipsis remanente. Præterea & illud videtur difficile, quod agens de temperamento cordis, ipsum dixerit esse viscus maxime sanguineum: cor enim viscus non est, cum carnem simplicem non habeat, sed triplici fibrarum genere intertextam: & iecur viscus magis sanguineum videtur, cum propria ipsius caro concreti sanguinis speciem referat. Cor certe viscus non est, si visceris nomen proprie vsurpetur, vt dicemus libro sequenti; vbi & viscerum numerum proponemus, & cur partes quædam viscera improprie vocentur, explicabimus. Dicitur autem cor maxime sanguineum, B non quod exquisitissimum sanguinem contineat, vt putat Hieremias; neque etiam quod ex puriori calidiorique sanguine sit genitum, vt sentit Lopezius; sed quod intra proprios ventriculos copiosissimum sanguinem contineat; venalem quidem in dextro ventriculo, arterialē vero in sinistro. At iecur, quamuis carnem propriam habeat concreto sanguini similem, sanguinem tantum intra vasa continet, proindeque merito minus sanguineum censetur. Postremo & illud difficultate non caret, quod agens de adipe scribit, non posse scilicet circa iecur, venas, arterias, aut cor, aut aliā præcalidam particulam concrescere. Quæ Galeni sententia falsa potius quam difficilis censeri debet, cum iis quæ sensibus apparent, aduersetur. Monstrat enim anatome, circa cor, viscus omniū calidissimum, concrescere adipem; nedum circa venas & arterias. Nisi forte quis id sic interpretur cum Vesalio, vt neget tantum Galenus, adipem concrescere intra venas, aut arterias, aut propriam substantiam cordis. Sed C insulsa est interpretatio. Porro quomodo adeps à frigido concrescat, & quomodo hanc concretionem à frigido ex eo nunc recte demonstret, quod à calore liquetur, proximo libro dicemus; ad quem explanandum aggredi tempestiuum iam est.

A

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE TEMPERAMENTIS LIBER SECVNDVS.

THOMA LINACRO ANGLO INTERPRETE. B

CAP. I.

C quod multifariam quidem dicatur humidum, ſiccum, calidum, & frigidum corpus, in proximo definitum eſt libro. Demonſtratum præterea eſt, nouem eſſe temperamentorum differentias, vnã quidem, quæ mediocris ſit & eucratos [quam etiam temperatam vocemus] reliquas omnes intemperatas: quattuor ſimplices, vnica ſcilicet in quaque præpollente qualitate, calore, frigore, ſiccitate, vel humiditate; quattuor ab his diuerſas, in quibus vtriuſque oppoſitionis altera qualitas exſuperat. Dico autem duas oppoſitiones, alterã quæ eſt calidi & frigidi, alteram quæ eſt humidi & ſicci. Ab his ad notas earum digreſſi, de temperata natura diſceptauimus, quoniam hæc omnium prima, virtute, potentia, cognitioniſque ordine ſit. At cum temperatum aliud abſolute dictum inueniatur in vniuerſa rerum natura, aliud in ſingulis generibus; principio viſum eſt de eo conſiderandum eſſe, quod communiter in vniuerſa natura æſtimatur. Huius norma indiciumque erat elementorum portionis æqualitas, cuius rei gratia extremorum omnium medium ad vnguem redditum, eucraton & ſymmetron [ſiue temperatum & mediocre mauis] dicitur. Reliqua, quæ in ſingulis generibus temperata dicuntur, propriis corporum functionibus vſibuſq. iudicantur. Eoq. fit, vt idem animalis cuiuſpiam ſtirpiſve corpus, omnium quæ in eo ſunt genere, medium eſſe poſſit, id eſt in illo genere eucraton & mediocre; alteri vero cuipiam comparatum, vel ſtirpium, vel animalium, vel inanimorum generi, diſcraton ſiue intemperatum. Quippe viuentis corpus cum demortuo collatum, humidius eo calidius ve eſt; verbi gratia leo viuens leone mortuo, tum ipſe ſeipſo, tum alter altero calidior humidiorque eſt. Atque inde adeo dictum veteribus eſt, animal calidum & humidum eſſe; non abſoluto ſermone, quod humiditas in eo calorve exſuperet

C

D

A *exsuperet (sic enim inuenire est animalia sicca frigidaque complura, veluti culices muliones,* culices vinarios,* muscas, apes, formicas) sed vt ad mortua collata. Viua enim apes calidior humidiorque quam mortua est; & formica viua quam mortua; cum homine tamen, equo, boue collata, tum aliis sanguine praeditis animalibus, omnia id genus frigida siccaque temperie sunt. Quin si ad vniuersam naturam spectans ea expendas, ne sic quidem, quo minus frigida siccaq. sint, elabantur. Tamquam enim in vnoquoque genere, vbi quid a mediocritate recessit, ab eo quod vincit nomen accipit; itidem in vniuersa substantia cum aliquid medium transierit, non amplius eucraton, sed vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum nominabitur. Monstratum enim supra est, hominem non solum animalium stirpiumve, sed etiam reliquorum omnium maxime esse temperatum.* B *Quoniam autem ex multis & dissidentibus is cōditus est partibus, manifestum est, quae pars medio omnium sit temperamento, eam esse maxime eucraton siue temperatam. Quae namq. animalis eius quod medii sit temperamenti, media particula est; haec omnium simpliciter est temperatissima. Monstratum vero est, id esse in homine cutem, atque huius eam maxime partem quae in manu est interna: si tamen qualem eam natura est molita, talis perstiterit. Iā vero quod nec cuiusque hominis cutis medium absolute loquendo sit vniuersae substantiae, sed eius qui maxime est temperatus, dictum prius est: plurimam enim esse ipsis quoque hominibus inter se differentiam.*

* ἐμπίδες τε, καὶ κωνώπες.

ἁπλῶς additur Graece.

C

Duplex hoc libro instituitur disputatio; altera de cognoscendis temperamentis hominum; altera vero de cognoscendis temperamentis singularum humani corporis partium. In vtraque inchoandū est (vt proximo libro praeceperat) à natura temperata; proptereaque huius libri initio tradit statim rationem cognoscendi hominem temperatum. Prius tamen vtitur anacephaleosi, qua breuiter complectitur summa eorum capita, quae libro superiore copiosissime fuerant explicata. Quae sane eo consilio repetit, vt quae hoc libro tradenda sunt, facilius illis cohaereant, quibus tamquam firmissimis fundamentis innituntur. Haec tamen, cū ex superioribus pateant, noua explanatione nō egent.

Verum maxime temperatus is est, qui corporis habitu medius horum extre- D *morum apparet, gracilitatis, crassitudinis, duritiei, mollitiei; itemque caloris & frigoris. Inuenias enim cuiuslibet hominis tangendo corpus, vel mitem & halituosum calorem, vel igneum & acrem, vel horum neutrum, immo frigiditatem quandam praepollentem. Frigiditatem autem praepollere, vt in hominis corpore intelligere oportet, eoque tum sanguineo, tum humido. Ac corpore quidem talis est temperatissimus homo.*

ἀκριβῶς additur Graece.

Temperamentorum notae ad duo summa capita ab ipsomet Galeno reuocantur in arte medica; aut enim sumuntur ex iis quae secundum essentiae rationem insunt; aut ex iis quae necessario consequuntur. Insunt quidem secundum Cap. 8.

essentiæ rationem qualitates primæ, cum ex his constituatur temperamentum, quod propria est mistorum corporum essentia; necessario autem consequuntur actiones & accidentia. Primæ quattuor qualitates, cum ex genere tactiliũ sint, tactu percipiuntur; cum eo tamen discrimine, quod calor & frigiditas, cum efficacissimæ sint qualitates, tactum vehementer afficiant; humiditas vero & siccitas, cum ignauæ sint, vix tactum possint afficere. Quo fit, vt ex qualitatibus secundis certius cognoscãtur, veluti ex duritie & mollitie, gracilitate & crassitie: durities enim siccitatem, mollities vero temperamenti humiditatem indicat. Sed & visu ex corporis gracilitate siccitas, ex crassitie humiditas temperamenti agnoscitur. Ex iis itaque quæ secundum essentiæ rationem insunt, cognoscitur in primis homo temperatus, ex quattuor scilicet qualitatibus primis, in quibus mediocritatem seruare deprehenditur. Hanc vero mediocritatem tactu percipimus & visu; tactu quidem mediocritatem calidi & frigidi; tactu vero simul & visu mediocritatem humidi & sicci. Ac visu quidem ex medio corporis habitu, qui neque crassus sit, neque gracilis, optimam in humido & sicco temperiem agnoscimus; quemadmodum & tactu ex eo, quod neque duram habeat cutem, neque mollem. At mediocritatem calidi & frigidi solus tactus per se dignoscit, qui cutem hominis temperati neque calidam, neque frigidam persentit. Quod sane non solum accidit cuti, quod ex propria sui natura sit prorsus temperata; verum etiam quod quamuis ab internis, quas continet, partibus contraria intemperie præditis secundum naturam immutetur, eam tamen partium proportionem seruet, quam libro superiore explicauimus. At in intemperatis vel igneũ & acrem calorẽ percipias, quemadmodum in biliosis; vel præpollentem frigiditatem, vt in pituitosis & melãcholicis. Frigiditatẽ autem præpollere, inquit Galenus, vt in animalis corpore intelligere ,, oportet; eoque tum sanguineo, tum humido. ,, Quem locum sic explicat Hieremias, vt aliquos homines frigidos esse velit Galenus, quatenus scilicet patitur sanguineorum animalium natura. Sentit enim ipse, omnes homines calidos esse & humidos, quia animalia sanguinea sunt. Quo posito principio colligit, in melancholico viscera calida & humida temperatiora esse, quam in temperato; & melancholicum temperatiorem esse & sapientiorem temperato, quem tamen Galenus sapientissimum postea statuet. Nam si omnes homines calidi sunt & humidi, & melancholici frigidiores sunt & sicciores temperato; minus profecto quam temperatus ab optima temperie recedent. Hæc tamen, cum falso innitantur principio, constare nullo pacto possunt; præ nimiaque absurditate indigna sunt confutatione. At Fuchsius frigiditatem in homine aliquãdo præpollere concedit, Galenum tamen verba illa subiunxisse, nequis per frigiditatem in homine præpollẽtem eam intelligeret, per quam aliquid valeat in duritiem concrescere. Quasi velit, frigiditatẽ quidem & in homine, & in aliis animalibus sanguineis præpollere posse, non tamen tantã, quanta in exanguibus reperitur; in quibus (vt ipse ait) frigiditatis vi potest aliquid in duritiem concrescere; in illis vero nequaquam. Ego tamen assequi non possum, quidnã illud sit, quod in exanguibus in duritiem concrescit à frigido. Nam si pinguedo est, & hæc in sanguineis à frigido similiter, in neutris tamen in duritiem concrescit. Lopezius tandem nõ minus ridicule locum explicat. In quouis, inquit, bene valente homine calor semper sentitur; in ventre scilicet ac thorace, in quibus maior sanguinis copia secundum naturam inuenitur. Frigiditatem itaque, quam in homine aliquando præpollere dixit hoc loco Galenus, in solis artubus,

A artubus,brachiis scilicet & cruribus,præpollere posse affirmat, quod multo in his minor sanguinis copia esse soleat. Sed neque id est omnino verum,cum & frigere homini ventrem, & artus calere, non raro experiamur. Longe igitur aliud mea sententia significare Galenus voluit. Quippe cum veterum medicorũ non pauci (vt libro superiore diximus)omnia animalia calida esse dicerent, potissimumq. sanguinea,vtpote quæ ex calidis principiis constent;his certe aut difficile,aut omnino falsum videretur,frigiditatẽ in homine præpollere posse. His itaq. tacite nunc respondens inquit,frigiditatem præpollere vt in animalis corpore, eoque tum sanguineo,tum humido. Quasi dicat, etiam si homo animal sit sanguineum,& humidum,(id est ex humidis principiis constans)nihilominus tamen vere dictum est, frigiditatem in homine præpollere posse.

B

Idem animo quoque medius omnino est, audaciæ & timoris, cunctationis & præcipitationis,misericordiæ & inuidiæ. Fuerit vero talis,alacer, amicorum amans,humanus, & prudens. Et temperatissimus quidem homo ex his primum potissimumque agnoscitur.* * εὔθυμος.

Cognoscitur secundo optima corporis temperies ex actionibus, sub quibus & pathemata cõprehendimus;in quibus omnibus qui tẽperatus est mediocritatem seruat. Exorditur autem à moribus,quorum magna vis est ad ostendendam corporis temperiem, vtpote qui ipsam sequantur : quod tamen de insitis intelligendum esse alibi diximus. Consistunt autem potissimũ mores in actionibus vel pathematis facultatis irascibilis & concupiscibilis. Irascibilem facultatem vocat aliquando animosam,nũc vero animum appellat, cum scribit, temperatum hominẽ animo mediũ omnino esse,id est,in pathematis facultatis irascibilis mediocritatẽ obtinere. Quo fit,vt ab extremis viciis longe absit,veluti audacia & timore, cunctatione & præcipitatione, misericordia & inuidia: quæ sane insignem intemperiem portendunt. Quippe audacia nimiã cordis caliditatem, timor vero nimiã frigiditatem indicat. Cunctatio itidem frigidæ intemperiei, præcipitatio intẽperiei calidæ est indicium; cerebri tamen potiusquam cordis,vt statim dicemus. Postremo nimia ac facilis misericordia humidã cordis intemperiem arguit,quemadmodum inuidia intẽperiem siccam. Sic namq. natura comparatum est,vt qui cor habent iusto humidius,vel precibus,vel munusculis, vel vna interdum falsa lacrymula vix vi expressa facile vincantur. Contra vero qui siccum habent cor & veluti lapideum,neque precibus, neque lacrymis, neque muneribus, immo neque acceptis beneficiis flecti vnquam possunt Quantum vero ab extremis viciis abest, tantum profecto virtutũ splendore ornatur homo temperatus; est enim (vt Galenus ait) alacer, amicorum amans,humanus,& prudens. Est quidem alacer,vel potius (vt Græce legitur) εὔθυμος, id est,ab omni perturbatione remotus,vt interpretatur Eustathius;aut, (vt alii volunt) bono animo præditus,ac fortis:nam inter audaciam & timorem virtus media est fortitudo. Est itidem amicorum amans,& humanus,quia misericordiæ & inuidiæ est medius; nam inter inuidiam & misericordiam media virtus est humanitas. Est tandem prudens, quia cunctationis & præcipitationis medius; nam inter hæc vicia prudentia virtus est media. Neque vero ex hoc loco licet colligere (vt falso colligit Hieremias)prudentiã reperiri in corde. Constat enim pertinere potius ad rationem, quamuis à Galeno, aliisque philoso-

Lib. de nat. hom. com. 38.

C

D

philoſophis inter virtutes morales enumeretur, quod veluti moderatrix ſit reliquarum virtutum. Nulla ſiquidem virtus eſt, quæ in vicium degenerare non poſſit, niſi prudentiam comitem habuerit. Nam fortitudo abſque prudẽtia in temeritatem, iuſtitia in crudelitatem, & liberalitas in prodigalitatem degenerat. Quo fit, vt licet virtutes omnes in homine temperato ſplendeant, prudentia tamen in eo potiſſimum eluceſcat, quæ optimam cerebri temperiem indicat. Porro in dignoſcendis corporum temperamentis, maxima vis eſt pathematum facultatis iraſcibilis, quæ, quamuis ſolius cordis (in quo iraſcibilis ſedem habet) temperiem per ſe oſtendant; ex accidente tamen, quale ſit totius corporis temperamentum, indicare poſſunt. Vim namque maximam obtinet cor immutandi vniuerſum corpus, cum principium ac fons ſit caloris influentis. Atque ita fit, vt quale eſt temperamentum cordis, tale plerumque vniuerſum corpus euadat: niſi forte (vt Galenus aduertit) contraria intemperie iecur obſtiterit. Quamobrem merito nunc dixit, ex his primum ac potiſſimum temperatum hominem cognoſci. A B

In art. med. cap. 29.

Accedunt non pauca eorum, quæ ex neceſſitate [hæc] ſequuntur; quippe edit, bibitque in modo.

Ab omnibus interpretibus recte obſeruatum video, dictionem illam Hæc hoc loco redundare; nam præterquam quod in Græco exemplari nequaquam legitur, falſum etiam ſenſum reddit. Neque enim verum eſt, hominis temperati ſigna, quæ adhuc explicanda reſtant, ſequi neceſſario facultatis iraſcibilis pathemata, de quibus antea dictum eſt. Immo & hæc, & alia quæ dicentur ſigna, neceſſario ſequuntur corporis temperiem. Expuncta vero ea dictiuncula, locum aliter multo explicare oportet, quam putat Hieremias. Vult namque, Galenum his verbis ſignificaſſe, præter actiones morales, de quibus hactenus dixerat, alia eſſe ſigna hominis temperati, deſumpta ex iis quæ temperiem neceſſario ſequuntur; cuiuſmodi ſunt actiones naturales & animales. Sed quam inepta ſit Hieremiæ explicatio, illud apertiſſime declarat, quod mores (vt ſæpe diximus) corporis temperiem ſequantur; & ea quæ traditurus eſt ſigna, non tantum ad naturales & animales actiones, verum etiam ad mores pertineant. Atqui mea ſententia locus iſte nihil continet difficile. Vult namque, moribus ad iraſcibilem pertinentibus, qui ſequuntur cordis temperiem, & alia accedere indicia, quæ corporis temperiem neceſſario etiam ſequuntur. E quorum numero ſunt mores ad concupiſcibilem ſpectantes, in quibus temperatus homo mediocritatem etiam ſeruat; quia, vt Galenus ait, edit bibitque in modo. Neque enim vorax eſt, neque cibum auerſatur, ſed tantum ciborum appetit, quantum poteſt concoquere: quod temperati ventriculi eſt proprium. Siquidem ventriculus calidus minus appetit quam poſsit concoquere; frigidus cõtra plus appetit quam concoquere poſsit. Præterea neque ſitibundus eſt, vt qui ventriculo ſunt calido, aut ſicco; neque à potu abhorret, vt qui frigido ſunt ventriculo, aut humido. Porro cum facultas concupiſcibilis non ſolum in eſculenta & poculenta, ſed etiam in venerea ſecundum naturam feratur; inter hominis temperati ſigna recenſere quoque nos poſſumus mediocrem rei venereę appetitum, qui optimam hepatis, renum, ac potiſsimum teſtium temperiem denotat. Qui igitur temperatus eſt, is neque ſua natura ſalax eſt, neque etiamà venere prorſus abhorret. Salaces enim, iecore, renibus, ac teſtibus potiſsimum calidi; à venere autem alieni, frigidi potius cenſentur. C D

In art. med. cap. 62.

Et nutri

A *Et nutrimenta non solum in ventre, sed etiam in venis, & tota corporis mole probe concoquit.*

Non solum ex moribus cognoscitur optima tẽperies, verum etiam ex actionibus, quarum duplex est genus in vniuersum, naturalium (sub quibus & vitales comprehendimus) & animalium. Et quamuis plures sint actiones naturæ, solius concoctionis hoc loco meminit: forte quod ceteris sit manifestior. Meminit vero trium concoctionum, quarum prima fit in ventriculo, altera in hepate & venis, tertia in singulis corporis partibus: de quibus agemus lib. de fac. nat. Hæc itaque triplex nutrimenti concoctio in homine temperato optime perficitur. Ventriculus namque exquisite conficit ingestos cibos, nullumque inter coquendum symptoma patitur, non fluctuationem, aut inflationem, non ructus acidos, aut nidorosos. Ex quorum symptomatum absentia optimam ventriculi B concoctionem agnoscimus, præsertimque ex alui excrementis, si mediocriter compacta hęc fuerint, vnita, flauo colore mediocriter tincta, & ciborum copiæ respondentia. Iam vero & secunda concoctio optime fit in hepate & venis, in quibus optimus gignitur sanguis; non biliosus, aut pituitosus, aut melancholicus, qualem gignere solet iecur intemperatum. Cuius sane cõcoctionis certum indicium est vrina, quæ proinde in homine temperato mediocris est substãtiæ, colore subrufa, cum sedimento mediocri, albo, læui, & æquali. Postremo & in tota corporis mole sanguis perfecte concoctus, partibus assimilatur. Quo fit, vt in homine temperato nullum coloris vicium, nullæ pustulæ, aut maculæ in cute appareant; vt iis accidere solet, qui male concoctum nutrimentum, male partibus assimilant.

C *Omnesque, vt semel dicam, tum naturales, tum animales virtutes* inculpatas habet; cum & sensuum facultatibus, et membrorum motibus optimis sit præditus.* *ἀνεγκλήτους.

Quod de concoctione docuit, ad reliquas naturæ actiones trãsferendum esse ait; qualis est nutrimenti attractio, retentio, excrementorum expulsio, & nutritio. Immo ad actiones naturæ referre quoq; oportet Galeni exemplo facultatis vitalis actiones; quæ duæ sunt, sanguinis arterialis & spiritus vitalis generatio, & pulsus. Has enim omnes actiones temperatus homo inculpatas habet, vt constat potissimum ex pulsu: qui neque magnus est neque paruus; nec celer nec tardus; nec frequens nec rarus; sed in omnibus prorsus mediocris. Eadem D ratio est actionum animæ, quæ vel principes sunt, vt imaginatio, ratiocinatio, & memoria; vel non principes, vt sensus, & motus. Harum dumtaxat hoc loco meminit, nulla facta mentione actionum principum; forsan quod supra meminisset prudentiæ, quæ ad rationem maxime spectat. Est igitur temperatus homo ad sensus omnes, & volũtarium motũ optime cõparatus. Quod sane & facultatis animalis principiũ, & instrumenta eiusmodi facultatẽ deferentia, & propria sensuũ & motus organa tẽperiem optimã adepta fuisse indicat. Inter reliquos tamen sensus, tactus in homine tẽperato potissimũ viget, quia cutẽ habet temperatissimam, quæ (vt priori libro diximus) præcipuum est tactus instrumẽtum. Ad signa ex sensibus petita referri possunt somnus & vigilia, quæ (vt alibi dicemus) sensus communis, nempe cerebri, sunt pathemata. Quare satius esset in hũc locum transferre, quod sequenti contextu docebit Galenus, temperatum scilicet hominem medium esse inter somnolentũ & peruigilem. Vnde conijcere licet opti-

cet optimam cerebri temperiem, quoniam somnolentia cerebri frigiditatem, aut humiditatem; vigilia vero caliditatem, aut siccitatem portendit. A
Sed & in principibus animæ actionibus bene se habet temperatus homo, qui præterquam quod prudentissimus sit ac sapientissimus, valet quoque non parum imaginatione & memoria: cum temperatum cerebrum (Galeno etiam auctore) principes omnes animæ actiones moderatas habeat. Quod si ex actionum omnium perfectione temperatus homo cognoscitur, videntur certe tẽperati actiones omnes, intemperatorum omnium actionibus esse perfectiores.

In art. med. cap. 13.

Id quod significauerat etiã lib. 1. de corpore temperato hæc scribens, Protinus „ autem adsequitur tale corpus, vt optime ad actiones sit comparatum. Et multo „ clarius lib. de opt. corp. const. Eius, inquit, generis est corpus quod antea diximus, „ cuius actiones plane constat longe præstantiores fore, quam quę in ceteris „ corporibus deprehenduntur. His quidem persuasi recentiorum medicorũ non „ pauci, actiones omnes in homine temperato multo quã in ceteris perfectiores B esse concedunt. Quorum sententia ex eo recte confirmari potest, quod partes omnes in homine temperato tẽperatæ sint ad iustitiam; quæ vero ad iustitiam sunt temperata, perfectissimas in suo genere actiones edant. Verius tamẽ multo mihi sentire videntur, qui hominem quidem temperatum omnes actiones simul sumptas omnium optime exercere, in aliquibus tamen ab intemperatis priuatim vinci posse opinantur. Quo pacto dictum est à Galeno lib. 1. de sani. tuen. functionibus naturalibus (veluti concoctione) infantes ceteris lõge præstare. Et lib. 3. de cau. sympt. aliquas functiones ab excedentibus qualitatibus iuuari docuit, vt concoctionem à calore, assimilationem ab humiditate. Quod itidem in animæ actionibus locum habere potest, cum certum sit, humiditate imaginationem, memoriam vero siccitate iuuari. Atque hinc fit, vt non solum in hominibus intemperatis, sed etiam in brutis aliquæ actiones perfectiores quam in homine temperato esse possint. Quis enim nescit, aquilam visu, aprum C auditu, canem olfactu, simiam (vt quibusdam placet) gustu, cursus velocitate leporem & ceruum, ac tandem taurum virium robore, homini temperato longe præstare? Iis tamen quæ ab huius opinionis auctoribus verissime sunt dicta, illud adiungere oportet quod ab ipsis prætermissum fuisse video, hominem scilicet temperatum tactu & sapientia reliquis omnibus hominibus longe superiorem esse. Quippe cum animalis essentiam tactus constituat, homo autem tẽperatus medius sit in animalium genere; merito fit, vt tactu præ ceteris vigeat. Rursus cum prudentia, aut sapientia soli ex animalibus homini conueniat; erit profecto ceteris hominibus sapientior, cum in specie humana sit medius. In reliquis autem actionibus, siue animæ sint, siue naturæ, quamuis inferior esse possit; mediocritatem tamen obtinet maxime probandam, quæ in hominibus intemperatis desideratur. Atque huiusmodi mediocritatem libro superiore significauerat dicens, corpus temperatum ad actiones esse optime comparatũ. Eandem innuit hoc loco, cum ait, temperatum hominem actiones omnes inculpatas habere. Locum vero ex lib. de opt. corp. const. bifariam explicare possumus; aut enim actiones omnes simul sumptas in homine temperato præstantiores esse dicendum est; aut Galenum eo loco non agere de corpore bene temperato, sed potius de corpore optime constituto; in quo præter optimam partium similarium temperiem, reperitur quoque optima partium organicarum formatio. Sed vrget adhuc ratio, cui solutionem nullam inueniens Lopezius, ad meram Dei voluntatem, & Spiritus sancti gratiã tuto confugit. Nobis tamen, qui physica pro- D

Cap. 11.
Cap. 2.
Cap. 3
Cap. 3.

A sica problemata physice explicanda esse censemus, duplex videtur esse caussa, cur nō omnes temperati hominis actiones sint perfectissimæ, licet omnes ipsius partes sint temperatæ. Altera caussa est vsus, quem aliquibus actionibus præbent qualitates excedentes, vt antea diximus; altera vero est instrumentorum formatio. Quamuis enim ratione optimi temperamenti perfectissimæ esse debeāt omnes actiones hominis temperati; si quæ tamen actio à qualitate quapiam excedente iuuatur, ea profecto imperfectior erit. Hinc enim fit, vt pueri felicius concoquant quam adolescentes temperati; quia his calidiores sunt, saltem caloris copia. Et qui cerebro sunt sicco, memoria plus valent quam temperatus; quia memoria siccitate iuuatur. Iam vero quoniam formatio (vt demonstrabimus alibi) temperiem non sequitur; fieri profecto potest, vt instrumentum aliquod in homine temperato temperiem quidem optimam, deteriorem tamen B formationem sit sortitum: cuius occasione eius instrumenti actio imperfectior sit quam in temperato, in quo idem illud instrumentum perfectiorem formationem sit adeptum.

Tum viuido colore semper sit; tum ad perspiratum excrementorum bene comparatus. * *Idem medius inter somnolentum & peruigilem; inter glabrum & hirtum; inter nigrum colorem & album. Pilosque habet, cum puer est, magis rufos quam nigros; cum in flore est, contra.* * εὔπνους.

Tertium signorum genus ex accidentibus desumitur, iisque potissimum, quæ C in habitu corporis apparent. Et quamuis plura esse possint, tria tantum commemorat hoc loco, nempe colorem, raritatem & densitatem, hirsutiem & glabritiem: nam somnus & vigilia (quorum in præsentia etiam meminit) ad pathemata potius sensus (vt antea monuimus) quam ad accidentia referri debent. Est itaque temperati hominis color inter album & nigrum medius; qui viuidus quidam color est, ac veluti roseus, &(vt inquit alibi) ex albo & rubro mistus. Ortum vero habet ex optimi sanguinis vaporibus ad cutem exhalantibus; quo fit, vt in malis potissimum efflorescat. Atqui in intemperatis roseus color conspicitur numquam, sed vel pallidus, vel niger, vel albus, pro natura scilicet redundantis humoris. Est præterea temperatus homo εὔπνους, id est (vt vertit Fuchsius) ad spiratum bene comparatus; quamuis magis placeat interpretatio Linacri, qui ad perspiratum potius retulit, qui per habitum corporis D fieri solet; per cutis scilicet meatus & ora arteriarum, quæ finiuntur ad cutem. Ad hunc namque perspiratum bene comparatus est temperatus homo, quod mediocri corporis habitu sit præditus. Ex qua mediocritate id boni quoq. consequitur, vt omnibus caussis morbificis ex æquo magis resistat. Quippe cum morbificæ caussæ partim externæ sint, partim internæ, quas vocat interdum Galenus alimenti excrementa; quæ raro habitu prædita sunt corpora, à caussis externis magis læduntur, potissimumque ab aëre: in pestilentique constitutione magis proinde periclitantur. Eadem vero caussis internis magis resistunt, quia ab excrementis per cutem transpirantibus libere expurgantur. Contrario modo se habent corpora densi habitus, hæc enim ab internis caussis magis læduntur, ab externis minus. At quæ mediocrem habitum habent, vt caussis externis minus resistunt quam corpora densa, & internis minus quam rara; vtrisque tamen simul valentius reluctantur. Quare merito dicebat Galenus, corpus tempe-

In art. med. cap. 51.

Lib. de opt. corp. const. c. 3.

Lib. de opt. corp. const. c. 4

temperatum maxime deligendum esse, etiam si in re aliqua intemperato sit deterius. Neque vero ex sola habitus mediocritate id obtinuit, verum etiam ex optima partium temperie, actionum præstantia, & succorum bonitate. Quod si corpus temperatum caussis omnibus morbificis validius resistit; erit necessario saluberrimum, & in vniuersum omnium minime morbis obnoxium: quamuis nonnullis priuatim morbis minus obnoxia esse possint corpora aliqua intéperata. Siquidem sicca humidis, & frigida calidis morbis minus tentantur; & ex octo temperamentis intemperatis, quattuor minus quam temperatum; quattuor alia magis sunt febribus obnoxia teste Galeno. Ac rursus si corpus temperatum saluberrimum est, & omnium minime obnoxium morbis; erit lane & viuacissimum, & omnium maxime longæuum. Quamuis enim corpora calida & humida ex propria sui natura longioris sint vitæ; ex accidenti tamen vita breuiori fruuntur, vt explicatum à nobis iam est. Tandem temperatus homo neque hirsutus est, neque glaber; hirsuties namque calidi, glabrities frigidi temperamenti est soboles. Iā vero neq. idem semper est capillorum color in homine temperato; nam cum puer est, pilos habet magis rufos quam nigros, ob temperamenti humiditatem, & halituosum calorem; cum vero in ætatis flore est, ob siccitatem pilos habet magis nigros quam rufos. Galenus in art. med. accuratius rem hāc explicauit, docuit enim infantibus pilos esse subrufos, pueris subflauos; cum autem iam adoleuerint, flauos. De pilis tamen agendum postea est ex instituto. Præter hæc accidentia, quorum hoc loco meminit, alia quædam in habitu etiam corporis apparent; qualia potissimum sunt crassities & gracilitas; venarū amplitudo & angustia. In quibus, vt in reliquis omnibus, mediocritatem seruat homo temperatus, qui neq. gracilis est, neque crassus; neque venas latas habet, neque angustas. Hæc tamen signa consulto prætermisit, ne eadem repetere cogeretur, agens postea de intemperatis. Adde quod crassitiem & gracilitatem inter signa primi generis antea recensuerat, quia humiditatem & siccitatem sequūtur: neq. enim absurdum est, vnum idemque signum ad diuersa genera pertinere.

Lib. 8. metho. cap. 8.

Lib. 1. de temp cap. 4.

Cap. 13.

A B C

CAP. II.

T quoniam differentiarum quæ ex ætate eius spectantur, mentionem feci; non alienum sit aliquid iam de his quoque apponere. Porro volebam vniuscuiusque prædictarum notarum caussas persequi, verum cum ad ea quæ nunc sunt proposita magis vrgeat ætatum consideratio, quæ etiam maximam nobis ad caussarum inuentionem facultatem suggerit; & huic nunc insistamus. D

Ad explicanda ætatum temperamenta digreditur, sumpta ex iis occasione, quæ de mutatione pilorum hominis temperati pro diuersis ætatibus docuerat: vnde etiam intelligetur, qua ætate optima reperiatur corporis temperies. Verum antequam de ætatum temperamentis agamus, vtilissimum fuerit, de essentia ac numero ætatum pauca dicere. Aetatis definitio facile colligi potest ex definitione senectutis, quam tradidit Galenus lib. 5. de sani. tuen. est enim ætas mutatio natiui temperamenti ad siccius, annorum ratione proueniēs. Vnde patet, ex actione innati caloris in humidum ætates prouenire; & si quæ

Cp. 9.

alia

A alia fiat natiui temperamenti mutatio ad ficcius (vt in marasmo) eã ætatis nomine donandã non esse ; cum vi morbi fiat, potius quam annorum decursu. Et quamuis solidæ corporis partes agente in humidum calido indies ficciores euadant, certus tamen statuitur ætatum numerus, quod sensibiles dumtaxat ac euidentes mutationes expendantur. De numero autem ætatum tot fere sunt sententiæ, quot scriptores. Nos tamen breuitati simul & vtilitati studentes, ea tantum in medium proponemus, quæ ab Hippocrate & Galeno recte sunt tradita. Porro quinque ætates videtur Galenus in præsentia statuisse, pueritiam, ætatem augescentium, ætatem florentem, ætatem declinantem, & senectutem. Has tentarunt auctores certo annorum numero definire, quamuis (vt monet Galenus) nullius ætatis certus terminus scribi possit ; cum alii citius, alii tardius senescant. Nihilominus tamen dilucidioris doctrinæ gratia, non solum recentiorum medicorum, verum etiam Hippocratis & Galeni exemplo, singulas ætates certis annorum finibus circumscribemus, id quod frequentissime contingit obseruantes. Pueritia igitur, ætas omnium prima, à primo ortu ad decimumquartum annum extenditur. Hanc diuidunt quidam in duas ætates, infantiam, & pueritiam proprie dictam ; infantiamque aiunt ad annum septimum, pueritiam vero ab anno septimo ad decimumquartum protrahi. Hippocrates tamen quattuor ætates sub pueritia complexus est, infantiam, ætatem dentientium, pubertati proximam, & aliam quæ inter ætatem dentientium & pubertati proximam est media: scripsit namque seorsum morbos, qui singulis his ætatibus familiares esse solent. Aetas omnium prima infantia dicitur, in qua (vt vox ipsa indicat) nihil prorsus loquitur qui in lucem editus est infans. Durat hæc plerumque ad septimum mensem, in quo primum & aliquid loqui, & dentire infantes incipiunt. Hinc autem incipiens dentientium ætas, ad septimum extenditur annum ; in quo noui dentes prosiliunt prioribus decidentibus. Media inter hanc & pubertati proximam, ab anno septimo protrahitur ad duodecimum ; à quo incipiens pubertati proxima ætas, anno decimoquarto finitur. Secunda ætas augescentium est, hinc adeo nomen sortita, quod in ea maxime elucescat totius corporis incrementum. Totam hanc ætatem vocat interdum Hippocrates pubertatem, veluti cum inquit, Epilepsia si ante pubertatem inceperit, curationem admittit ; si vero post vigesimumquinctum annum, ad mortem vsque comitari solet. Plerumque tamen in duas diuiditur, pubertatem, & adolescentiam. Incipit pubertas ab anno decimoquarto, quo tempore pubescunt pueri, vt monstrat experientia, & Galenus fatetur. Durat vero ad annum decimum octauum ; vnde initium sumens adolescentia, ad vigesimumquinctum extenditur. Id docuit manifeste Galenus in commentario eius aphorismi, Tabes his maxime ætatibus fit, quæ à decimooctauo sunt ad tricesimumquinctum. Quod „ enim, inquit, Aetatibus multitudinis numero dixit, quandã habet significationẽ, quod non vnam existimet Hippocrates inter commemoratos annos ætatem „ esse mediam. Neque enim diligentius rem spectantibus vna est, sed quæ ab anno decimooctauo est ad vigesimumquinctũ, adolescentium est ætas; inde vero „ quæ ad tricesimumquinctum intercedit, iuuenibus est attributa. Tertia ætas dicitur iuuentus, & à plerisq. florens; cuius duratio est ab anno vigesimoquincto ad trigesimumquinctum: id enim est quod dixit Galenus, iuuenum ætatem quincto annorũ septenario circumscribi. Aliquãdo tamen extremus iuuẽtutis terminus

Lib. 6. de sani. tuen. cap. 2.

B

Aphor. 24. 25. 26. 27. lib. 3.

C

Aphor. 7. lib. 5

D

Lib. 3. apho. com. 27.

Lib. 5. apho. com. 9.

Lib. 3. apho. com. 30.

N statuitur

statuitur annus trigesimus, quod recte in prognosticis colligit Galenus ex hac A
Hippocratis sententia. Quemadmodum vero in iunioribus quam trigesimum „
agentes annum, abscessus fiunt; ita quartanæ potius annū agentibus quadragesi- „
Lib. 3. prog. sent. 28. mū, Quamuis idem Hippocrates trigesimū quinctum annum iuuentutis termi- „
num antea statuisset, ad hunc modum scribens, Magis autem expectare san- „
Lib. 3. prog. sent. 12. guinis eruptionem oportet iunioribus triginta quinque annis; in senioribus „
vero suppurationem. Quarta ætas variis donatur nominibus: dicitur enim con- „
stans, forsan ab effectu, quod homines constantes reddat, ob humorem me- „
lancholicum, qui ex præcedente sanguinis feruore plurimus hac ætate redundat. Consistens itidē vocatur, aut (vt alii volunt) subsistens; non quod hac ætate consistat, aut subsistat calor, qui iam manifesto feruorem deposuit; sed quod videatur corpus consistere citra sensibile decrementum. Omnia namque quæ geruntur in vita, hac ætate adhuc aggrediuntur homines, non aliter quam qui B

Lib. 3. apho. com. 30.

floridam aut iuuenilem ætatem agunt; etiam si non similiter labores perferre queant. Neque sollicitos esse oportet, an qui hanc ætatem agunt (quos Græci καθεστηκότας appellant) consistentes, an potius subsistentes Latine dici debeant; quæstio enim de nomine est, prorsusque inutilis, in qua tamen tractanda recentiores quidam medici plures paginas impleuerunt. Virilis etiam ætas, & declinans aptissime dicitur, quoniam calor imbecillior iam est, & actionum robur imminui conspicitur. Media est autem, vt Galenus ait, inter perfectam

Lib. 1. aphor. com. 13.

adultamque ætatem & senectutem; ita vt iam præcipiter ętas illas florida, necdum tamen vllum adsit manifestum senectutis indicium. Cumque iuuentu-

Lib. 3. aphor. com. 30.

tem excipiat, duobus sequentibus septenariis clauditur, ab anno trigesimo quincto ad quinquagesimum fere protensa. Tres hic animaduerti recentiorum

In com. in lib. 2. de temper. Lib. 1. loc. com. cap. 10. Vega, com. 29. lib. 1. prog. & com. 69. lib. 2. progn. Vallesius, lib. 1. contro. cap. 8. Lopezius, cō. in lib. 2. de tēp.

medicorum errores. Primus est Fuchsii, qui consistentem ætatem cum iuuentute confundit. Alter Valleriolæ, qui declinantem ætatem à constanti di- C
stinguit. Tertius Vegæ (quem sequuti sunt etiam Vallesius, & Lopezius) qui, subsistentes (quos vocat) senes iam esse sentit, in prima scilicet parte senectutis, proindeque crudos senes à Galeno appellari. Id colligit ex Galeno lib. 2. progn. com. 69. vbi explicat eam Hippocratis sententiam, in qua seniores magis interdum conualescere scripserat, quam eos qui sunt in ætatis vigore. Docet enim, per seniores non intellexisse Hippocratem eos qui ętate iam nimium processerunt, quales sunt simpliciter dicti senes; (tales namque ex nullo morbo, magis quam natu minores conualescunt) sed eos potius qui inter hos & ætate vigentes interiacent, quales sunt semicani, crudique senes. Atqui cum inter senes simpliciter dictos & ętate vigentes medii sint D
subsistentes; hos à Galeno semicanos crudosque senes vocari colligit Vega. Ceterum meo iudicio tantum abest vt recte id colligat, vt colligendum potius videatur, subsistentes à crudis senibus omnino distingui. Siquidem cum semicanorum crudorumq. senum seorsum Galenus meminerit; & semicanos à crudis senibus distingui, & vtrosque inter iuuenes & senes simpliciter dictos, medios esse indicauit. Quare semicanos à Galeno eos dici crediderim, qui declinantem ętatē agunt, potissimumq. extremā: experimur enim, canitiem anno quadragesimo plerisq. incipere. Sentit quoq. Vallesius ætatē consistentem sub senectute aliquādo cōprehendi, quod probat ex lib. 3. aphor. com. 31. vbi Galenus duplices dixit esse senes, & in priori senectute cōsistentes collocari. Doleo tamen, virū doctissimum id falso adscripsisse Galeno, qui initio eius cōmentarii

tantum

A tantum scripsit, sectatores quosdam Hippocratis nomen τῶν γερόντων postremæ ætati tribuisse, τῶν πρεσβύτων autem appellationem priori ætati accommodasse, inter iuuentutem & senectutem mediæ. Quod tamen falsum esse probat ex eo aphrismo, in quo Hippocrates πρεσβύτας manifeste eos appellauit, qui postremam ætatem agunt. Sed Vallesium decepit confusa Nicolai Leoniceni translatio. Verum quamuis ætas consistens (etiam extrema) distincta reuera sit à prima senectute; negari tamen non potest, quin ad ipsius naturam atque temperiem proxime iam accedat; vt de anni etiam temporibus alibi diximus. Quo sensu dictum est à Galeno, extremam partem ætatis inclinantis, quam Græci παρακμαστικὴν vocant, senium proprie dici. Aetas omnium postrema senectus dicitur, cuius terminus est ab anno quinquagesimo ad extremum vitæ spiritum. Hanc diuidit Galenus in tres partes, primam, mediam, & extremam. Qui primam senectutē agunt dicuntur Græcis ὠμογέροντες, id est crudi viridesq. senes; propterea quod ad ciuilia negotia obeūda bene adhuc sunt cōparati, & ad rēpublicam gubernandā maxime idonei. Quod sane à quinquagesimo ad sexagesimū annum (qui primæ huius senectutis terminus merito statuitur) ita se habere experimur. Media senectus simpliciter senectus dicitur, quæ ad septuagesimū plerumque, interdum ad octuagesimum annū protrahitur. Id namq. significauit diuinus ille regiusque vates, dum ait, Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Et merito quidem, quoniam extrema tunc aduenit senecta; quæ ætas decrepita est, & morti prorsus vicina; in qua & actiones omnes sunt imbecillimę, & calor innatus absumpto humido fere iam extinctus. Nominant eum qui ad hāc senectutis partē peruenit, Græce πέμπελον, ab eo quod est πέμπεσθαι τὴν ἐς ἅδε πόμπην, id est mittendo in pompam, quę ducit ad manes, vt inquit Galenus.

Lib. 5. de sani. tu. cap. 2.

Lib. 5. de sani. tu. cap. vlt. & lib. 1. aphor. com. 13.

Psal. 89.

Lib. 5. de sani. tu. cap. vlt.

Intelligamus igitur recens formatum animal in vtero matris, quo sciamus, qua ratione humidissimum calidissimumq. sit. Prima enim eius constitutio ex semine & sanguine est, quæ humidæ & calidæ res sunt. His autem magis semper siccescentibus, primum quidem formantur mēbranæ, tunicæ, itē viscera, & sanguinis vasa; vltima vero perficiuntur ossa, vngues, & cartilagines; cōcreta scilicet D *eorū substantia. Ante enim quā vel tendi possit subiecta substātia, vel concrescere, nihil fieri memoratorum potest. Et tunicæ quidem, ac membranæ, arteriæq. & nerui, & venæ, tensa ea; ossa, cartilagines, vngues, vngulæ, & viscera, coagulata ea perficiuntur. His vero in vtero perfectis, ita deinde paritur infans. Est vero adhuc in summo humidus, veluti maris alga, * idque non sanguinis vasis modo, & visceribus, ac carne, sed etiam ipsis ossibus; quæ scilicet siccissima sunt omnium quæ in nobis sunt partium. Verum tum hæc, tum reliqua tota vna cum his membra, quasi cerea sint, infantium nutrices fingunt, formantq. tanta est in toto puellorum corpore humiditas. Quin si recens editum porcellum vel esse, vel dissectum inspicere velis; carnem quidem eius muccosam præhumidamque inuenies; osseum vero genus vniuersum caseo, qui modo sit coagulatus, adsimile: adeo vt nuper nati animalis corpus propter redundantem*

* βρύον.

 in eo

in eo humorem libens non comedas: Quod maxime tum suilli tum ouilli fœtus cor- A
poribus accidit, propterea quod ea maxime sunt humida: caprinum, quod siccius sit, & melius esui est, & iucundius.

Extremarum ætatum, pueritiæ scilicet & senectutis, temperamenta primum explicat, deinde aliarum, quæ inter vtramque sunt mediæ. Agit vero potissimum de oppositione humidi & sicci, de altera namque, quæ calidi est & frigidi, accuratius disputabit sequenti capite. Probat itaque inprimis ratione, sensu, & exemplo, pueritiam omnium ætatum esse humidissimam & calidissimam. Ratio petita est ex nostræ generationis principiis, semine & sanguine, quæ, vt ipse ait, calida sunt & humida. Quod humida sint, fluxilis ipsorum substātia manifeste declarat; quod autem sint calida, non perinde cōstat. Seminis tamen caliditatem inter alia indicat spiritus humidæ substantiæ permixtus, ex cuius co- B
pia semen spumosum efficitur. Indicat quoque Galenus, plus esse in eo igneæ aëreæq. substantiæ affirmans. De sanguine vero res forte difficilior videbitur, in quo plus aqueæ terreæque substantiæ reperiri asserit. Id tamen simpliciter intelligendum non est, sed collatione ad semen; præpollet enim etiam in sanguine calidum frigido, & humidum sicco, saltem modice, vt postea dicemus. Si igitur ambo generationis principia calida sunt & humida, animalia certe in primo statim ortu calida & humida erunt, cum parum adhuc recesserint à natura principiorum. Neque vero hanc principiorum humiditatem perpetuo seruari, sed actione caloris sensim potius absumi oportuit, vt fœtus ipsius partes apte formari possent. Quo sane consilio elementum siccum iisdem generationis principiis copiosius est iniectum, igneum tamen potiusquam terreum, vt simul cum siccitate calor adesset, qui futurus erat generationis instrumentū. Ad hunc C
itaq. modū siccescentibus principiis, omnes fœtus particulæ (etiam quæ solidæ sunt) cōmode formantur; partim tensa, partim vero cōcreta generationis materia. Ac tēsa quidē fiunt mēbranę, tunicæ, venæ, arteriæ, & nerui; concreta vero viscera, cartilagines, & ossa. Sed cur partes quasdam tensione, alias concretione fieri ait, cum materię concretio simul & tensio ad cuiuscumque partis generationem sit necessaria? Postulat sane cuiusque partis generatio tensionem concretionemque materiæ; sed quæ partes in longitudinem proferuntur, tensione materiæ potius indigent, quemadmodum aliæ concretione; quæ tamen à calido humidum absumente fiat, nō autem à frigido. Porro de ordine gignendarum partium (quem videtur Galenus hoc loco attigisse) agemus lib. 1. de fac. nat. vbi & Galeni varietatem, & rei ipsius difficultatem proponemus. Probat secundo sensu & experientia pueritiā esse humidissimam, quoniam infans recens natus humidissimus & tangitur, & conspicitur; non solum partibus carno- D
sis, verum etiam solidis, veluti ossibus. Cum autem ait ossa omnium corporis partium esse siccissima, de veris partibus intellige, nam pilos ossibus sicciores ipsemet statuerat libro primo. Hanc vero ossium humiditatem, mollitiemque in infantibus insignem norunt etiam obstetrices experientia doctæ, quæ infantium ossa (ac potissimum capitis) quasi cerea sint, ad libitū fingere, formareque solent. Atque ex vario fingendi modo variæ capitū formæ in variis regionibus obseruantur, quoniā consuetudo degenerauit in naturam. Quippe Balearibus acuminatum plerumq. est caput; Gallis ad occiput depressum, nobis vero sphæræ vtrinq. ad latera compressę adsimile; quæ capitis forma præ ceteris probāda est. Omnibus itaq. partibus carnosis & solidis, in summo humidus est qui paritur infans,

Lib. 1. de sani. tu. cap. 2.

A infans, veluti βρύον, vt Græce legitur. Βρύον autem interpretatur Linacer maris algam; nescio tamen qua ratione persuasus, cum βρύον muscum potius significet quam algam. Adde, quod neque alga infantis corpusculo respondere possit; cum hoc humidissimum sit, illa vero sicca. Non igitur vt maris alga, sed potius vt muscus (quemadmodum vertit Fuchsius) humidus Galeno infans dicitur. Neque musci nomine intelligimus (vt quibusdam placuit) muscum marinum appellatum, quē Itali Corallinam vocant, & cuius efficax vis est ad interficiendos vermes; sed muscum simpliciter dictum, qui pluribus arboribus (vt cedro, populo albæ, quercui, & piceæ) innascitur. Est namque is muscus humidissimus ac mollissimus; cui verius multo infantis corpus in humiditate & mollitie simile esse dixeris, quam musco marino, qui non simpliciter, sed cum
B adiectione Græcis dicitur βρύον θαλάσσιον. Ostendit tandem pueritiam esse humidissimam aliorum animalium recens natorum exemplo, veluti porcelli, aut agniculi; quorum carnes præ nimia humiditate quasi muccosæ apparent, vsque adeo vt hac occasione iniucundæ sint gustui. Ita namque natura comparatum est, vt quæ animalia in ætatis vigore sunt sicca, ea in prima ætate sint gustui suauia, vt hædi, & vituli; quæ vero vbi ad vigorem peruenerint, adhuc sunt humida, (vt fœtus suilli & ouilli) iniucunda esse soleant. Ceterum quamuis tota pueritia humida sit, quo magis tamen ad pubertatem accesserit, eo minus est humida. Nescio igitur quid Hieremiæ in mentem venerit, dum infantes non esse simpliciter humidos, sed potius siccos affirmat. Solet tamen iste frequenter insanire.

Contra vero quam in nouellis porcellis, quæcumque iam senuerunt, hæc ossa
C *quidem omnia, & ligamenta vniuersa præsicca, sine succo, & insipida possident; carnem vero neruosam, & duram; arterias quoque, & venas, & neruos, ætatis culpa lori vice insuaues, & sine succo.*

Cum pueritia & senectus ætates sint extremæ, contraria vtique fuerint ipsarum temperamenta. Si ergo recte demonstratum est pueritiam esse humidissimam, erit profecto senectus ætatum omnium siccissima. Atque id quidem ex principiis generationis, à quibus senes absunt longissime, & ex duritie insigni, quam in senibus corporibus tactus deprehendit, optime cōfirmare potuisset. Solis tamen exemplis animalium quæ iam consenuerūt, ad huius rei confirmationem in præsentia vtitur. Hæc namque si dissecentur, vel ad edendum præparentur, nō solum partibus solidis, verum etiam carnibus ipsis vsque adeo dura deprehenduntur, vt vix secari, aut secta vix mandi possint. Et quamuis to-
D ta senectus siccissima sit, prima tamen minus est sicca, siccior media, extrema vero siccissima.

Quæ medio statu horū ac nuper natorum sunt, quæ vtiq. iam ætate processerunt, quantum à senio absunt, tantum & ab extrema siccitate sunt remota.

Quæ inter pueritiam & senectutem ætates sunt mediæ, aut senectuti vicinæ sunt, aut pueritiæ, aut ab vtraque ex æquo distant. Agit hoc loco de his quę vicinæ sunt senectuti, nam vt ipse ait, qui ætate iam processerunt, quantum à senio absunt, tantum & ab extrema siccitate sunt remoti. Quibus verbis significat, eos quidem qui processerunt ætate siccos esse, minus tamen quam senes. Dicuntur autem ætate processisse, non solum ætate consistentes, sed etiam iuuenes, vt recte annotarunt Hieremias & Fuchsius,

cum vtrique prætergressi iam sint summum ætatis vigorem. Sunt itaque ambæ ætates temperamento siccæ, minus tamen quam senectus: & quo senectuti vicinior est ætas declinans, eo iuuentute est siccior. Licet vero siccitate conueniāt, altera tamen qualitatum oppositione differunt; cum ætas declinans frigida iam sit, iuuentus autem calida, excepto initio. Hinc intelligitur error Fernelii, qui iuuentutem parce humidam, & constantem ætatem temperatam constituit. A

Lib. 3. de nat. par. med. cap. 10

*νεώτερα.

Quæ minora * *sunt, & adhuc augescunt, tantum ea quoque ab gestati etiam num fœtus humore absunt, quantum processerunt ætate.*

Augescentium ætatem humidam esse docet, minus tamen quam pueritiam. Quoniā vero pubertas pueritiæ est vicinior, à qua longius recesit adolescentia; hæc erit haud dubie minus humida, illa autem humidior. At cum adolescentiam humidam dico, primam, & mediam adolescentiam intelligo; extrema enim temperatissima est, vt dicemus. Quod si pubertas adolescentia est humidior, videat Fuchsius, quam vere puberibus optimam temperiem tribuerit. B

* ἡ ἀκμή.

Florescens * *vero ætas omnium animalium maxime in medio extremorum est; neque sicut senium ad summam perducta siccitatem; neque velut infantium ætas in humore & multo vuido mersa.*

Τὴν ἀκμὴν, (quam omnes interpretantur florescentem ætatem) in medio maxime extremorum esse ait; cum ad summam siccitatem perducta non sit sicuti senium; neque vt pueritia ad summam humiditatem. Neque vero florescentis ætatis temperiem hic colligit, ad senectutem & pueritiam, ipsam conferens, sed ex propria sui natura; quod scilicet nullum habeat siccitatis aut humiditatis excessum; qualem habent senectus & pueritia: quo pacto & veris & cutis temperiem superiori libro colligebat. Neque etiam lectionem immutare oportet, vt facit Hieremias, qui pro Animalium, putat legendum esse Aetatum, quia ætas ætatibus conferri debet, non animalibus. Si tamen Grammaticæ syntaxeos rationem habuisset, intellexisset haud dubie, non dixisse Galenum, florescentem ætatem esse maxime in medio animalium, sed florescentem ætatem omnium animalium maxime in medio extremorum esse. Sed difficillimum hunc locum paullo attentius perpendamus, quo florentem ætatem (quam iuuentutem omnes interpretantur) in medio extremorum esse affirmat; cum eandem alibi intemperatam, solam vero adolescentiam temperatissimam statuat. Id quod dilucide docuit lib. 6. de sani. tu. ad hunc modum scribēs, Optimam namq. temperiem in adolescētia corpus obtinet, reliquæ omnes ætates deteriores hac sunt. Et lib. 3. aphor. adolescentes veri comparat, iuuenes autē æstati. Et lib. de vict. rat. priuat. iuuentutem (quam vocat interpres ætatem adultorum) inquit esse plus iusto calidam & siccam. Quoniam vero in confesso est apud omnes, adolescentiam esse omniū ætatum temperatissimam, hunc locum explicatione indigere sentiunt. Hieremias bifariam locum explicat, aut enim, inquit, dicendum est, Græcam dictionem ἀκμὴν, quamuis alibi iuuentutem significet, hic potius extremam adolescentiam significare, cum hæc sola sit temperata: Aut, si iuuentutem hic quoque significet, iuuentutem dici posse temperatam, in principio dumtaxat, quod parum distat ab C D

Cap. 2.
Com. 18.
Com. 7.

extrema

A extrema adolescentia temperatissima. Atq. hanc secundam explicationem & nostro Collado plurimum placuisse memini: quamuis neutra iustã reprehẽsionem effugiat. Nam quod ἀκμὴ extremam adolescẽtiam hic significet, id quidem libere dictum est, neq. Galeni, aut alterius cuiuspiam auctoris testimonio confirmatum. Rursus cum extrema adolescentia sit temperatissima, cur incipiẽtem potius iuuẽtutem, quam extremam adolescentiam, mediam statuit? Minus probabiliter, multoq. minus acute locum explicat Fuchsius, qui florentem ætatem siccam esse affirmat; dici tamen hoc loco mediam, non simpliciter, sed collatione ætatũ extremarũ, pueritiæ scilicet & senectutis: quarum altera siccissima est, altera humidissima. Cũq. inter florẽtem etatẽ & pueritiam pubertas, inter eandem vero & senectutem constans ætas intercedat; merito dicetur ætas florescẽs inter pueritiam & senectutem omnino media. Quod autem noluerit Galenus florentem ætatem temperatam esse, sed potius siccam, ex ipsius verbis colligit

B Fuchsius; dixit enim, ad summã siccitatem perductam nõ esse sicuti senium. Nam si ad summam (inquit) siccitatem perducta non est, ergo ad aliquam. Peccat tamẽ Fuchsius multis nominibus. Quippe cum ex instituto hîc disputet Galenus de temperamentis ætatum, quorsum, quæso, iuuentutem mediam extremorum statuit, non temperie, sed tantum loco? Rursus si iuuentutem dixit esse mediam collatione senectutis & pueritiæ, cur id potius non affirmauit de adolescentia, quę iuuentute est temperatior, pueritiæ etiam & senectutis collatione? Præterea irrisione dignus esset Galenus, qui cum de intemperatis ætatibus disputasset, nihil prorsus dixisset de ætate temperata. Et quamuis iuuentus sit sicca, male tamen ex hoc loco id colligit, cum non minus colligi posset esse humidam; neq. enim ad summam perducta est humiditatem, vt infantia. Tandem Lopezius inter extremas ętates, pueritiam & senectutem, duas cõstituit medias, iuuentutem, & adolescentiam; proindeque inquit mirum non esse, si nunc hanc, nunc illam, statuat Galenus mediam. Cur vero iuuentutem potius quam adolescentiam hoc loco mediam posuerit, duplicem caussam reddit; & quod iuuenes sint in ætatum æquilibrio; & vt hinc sumeret occasionem disputandi, sintne iuuenes calidiores pueris. Verum vt postremam hanc rationem tanquam ridiculam prætereamus, si per æquilibrium intelligit mediam temperiẽ, falsa omnino prædicat; cum adolescẽtia magis sit temperata. Si vero medium locũ, communem cum Fuchsio habebit reprehensionem. Huc accedit, quod adolescentia verius multo dici possit esse in ęquilibrio quam iuuentus, quæ ętas iam sicca est. Ac mihi profecto hæc vna videtur fuisse communis errandi occasio, quod τὴν ἀκμὴν, florentem ætatem, siue iuuentutem esse crediderint; cum tamẽ ἀκμὴ,

D ætatem nullam priuatim exprimat, sed statum, summum incrementum, aut vigorem potius significet: vnde ad significandum etiam tertium morborum tempus transfertur. Vigor autem in animalibus non est vnius ætatis proprius, sed adolescentiæ & iuuentuti communis; adolescentiæ inquam extremæ, & iuuentuti incipienti. Monstrat enim experientia, ab anno vigesimo quincto ad trigesimum corpus plerumq. vigere. Immo summum totius ætatis vigorem diutius in iuuentute quam in adolescẽtia durare obseruamus. Vnde factum puto, vt iuuẽtutẽ potius quã adolescentiam, ætatem florentem medici appellent. Quare non male vetus interpres τὴν ἀκμὴν vertit ætatem status, quamuis melius dixisset ætatis statũ. Atqui sub statu aut ætatis vigore, extremã adolescentiam & incipiẽtẽ iuuentutem cõprehendimus; quoniam incipiẽs & media adolescentia per excessum adhuc est humida, extrema vero tẽperiẽ habet optimã & perfectissimã.

At incipiens iuuentus, licet aliquem siccitatis excessum habere iam videatur, A (cum iam cessarit corporis incrementum) tēperata adhuc censetur, quia eiusmodi excessus præ exiguitate sensum effugit. Media autem, & extrema iuuentus siccitatem habet manifesto iam excedentem; proindeque merito intemperata censetur. Quæ cum ita sint, optimo consilio Galenus neque adolescētiam, neque iuuentutem mediā extremorum esse dixit, quia neutra ætas tota est temperata. Propterea quoque & nos sub his qui ætate iam processerunt, (quos temperamento siccos esse ostendimus) non tantum eos qui ætatē declinantem agunt, comprehendimus, verum etiam iuuenes; excepto tamen iuuentutis initio. Et rursus augescentium nomine (quos temperamento humidos esse diximus) non tantum puberes, sed etiam adolescentes intelleximus: excepto tamen adolescentiæ fine. Hanc veram ac facilem putamus esse huius loci (qui dif- B ficillimus plerisque habitus est) explicationem; quam si probaueris, amplectere; sin minus, meliorem per otium excogita.

CAP. III.

CVR igitur aliqui celebrium medicorum humidum esse senium prodiderunt? An videlicet, quod excrementorum abundantia sunt decepti? Quippe tum oculi his lacrymis suffunduntur; tum nares distillatione manant; tum in ore eorum saliuæ copia exuberat. Ad hæc tum tussiunt, tum exscreant pituitam; scilicet pulmones quoque hac esse refertos indicantes. Venter quoque illis pituita est plenus, tum singuli articuli quodammodo muccosi. Ceterum nihil horum obstat, quominus senum corpora sicca C *censeantur, vt quorum neruos, & arterias, & venas, & mēbranas, & omnium instrumentorū tunicas, multo quā prius erant, sicciores inuenias; circūfundi autem illis intrinsecus extrinsecusque, aut pituitosum quendam humorē, aut muccosum. Verum tantum abest, vt eiusmodi signa vniuersa senilem ætatem humidam confirment; vt etiam siccam esse prope testentur. Idcirco namque particula quæuis siccior quam ante videtur, quod per caloris imbecillitatem similiter non nutritur. Foris siquidem copia illi humidi excrementi superfluitat, corpus autem cuiusque intrinsecus siccum est; vt quod nec trahere intro nutrimentum valeat, nec eo sufficienter frui. Est ergo humidus senex, non propriis suis particulis, sed excrementis; rursum siccus, non excrementis, sed particulis ipsis; ita* D *nimirum alio genere siccus, alio humidus. Verum non est ad præsens de excrementis eius, sed de propriis partibus disceptatio, quarum secundum naturam actiones vitam eius complent. His igitur siccus senex est, quibus scilicet puer est humidus; ipsis nimirum solidis corporis particulis, ossibus, membranis, ligamētis, arteriis, venis, neruis, tunicis, carnibusque. Meritoque Aristoteles senium marcenti stirpi adsimilauit, quippe stirpes, nouellæ dum sunt, molles humidæque cernuntur; senescentes assidue magis siccescere videntur; ad postremum aridæ prorsus redduntur: idque ipsis mors est. Ac quod siccissima ætatum senilis sit, ex iam*

A *iam dictis liquet; quod autem & frigidißima sit, id vel magis est euidens, ita vt de eo nemo dubitauerit. Nam & tangenti senes frigidi apparent; & facile in frigidum statum mutantur; & nigri, & liuidi fiunt; & frigidis morbis facile capiuntur, apoplexia, neruorum resolutione, stupore, tremore, conuulsione, distillatione, raucedine. Porro periit eorum omnis paullo minus sanguis, eoque vna periit & coloris rubor. Iam vero concoctio his, & nutritio, & appetentia, & sensus, & motus, oblæsa omnia sunt, vicioseque administrata. Et quid quæso aliud est senium, quam via ad interitum? Ita si mors naturalis caloris est extinctio, vtique senium veluti tabes quædam eius fuerit.*

Tractat hoc capite duas quæstiones ad ætatum temperamenta pertinentes. B Prior est, sintne senes humidi, an potius sicci; quam nunc breuiter explicat & dilucide. Et quamuis antea demonstrasset senectutem ætatum omnium esse siccissimam, nunc tamen dissoluit veterum quorundam medicorum rationem, qua persuasi, falso opinati sunt senes esse humidos. Erat autem ratio desumpta ex humidis pituitosisque excrementis, quæ senibus plurima redũdant in omnibus fere corporis partibus, vt ventriculo, cerebro, pulmone, articulis. Hanc rationem nihil concludere inquit, quoniam humidorum excrementorum copia non solum humidam in senibus intemperiem non demonstrat, sed siccam potius ostendit. Redundant enim in senibus humida excrementa, quia ob caloris imbecillitatem partes male nutriuntur; male autem nutritæ exsiccantur. C Quocirca humidorum excrementorum abundantia in senibus per se quidem caloris male concoquentis imbecillitatem sequitur; ex accidenti tamen siccitatem, quatenus calorem imbecillum adiunctum habet. Hoc considerasse debuisset Hieremias, cui hæc Galeni sententia (alioqui verissima) visa est suspecta. Sentit itaque Galenus, senes dici posse tum humidos, tum siccos, diuersa tamen ratione. Humidi namque dicuntur excrementis; quo pacto credendum est, sic dictos fuisse ab Hippocrate, vel Polybo. Sicci vero partibus ipsis solidis, quibus pueri humidi dicuntur. Quoniam vero de temperamentis agimus, quæ partibus corporis insunt, non excrementis; partium potius quam excrementorum naturam expendere oportet: proindeque senes simpliciter sicci vocari possunt, ac debent. Habent namque partes omnes multo quam antea sicciores, D innato humido calidi insiti actione magna ex parte iam absumpto. Humida vero, quæ ob caloris imbecillitatem in ipsis gignuntur, excrementa exterius vtcumque humectant, partium tamen siccitatem nequaquam corrigunt. Nam vt Galenus ait, foris superfluitat humidi excrementi copia, corpus autem cuiusque particulæ intrinsecus siccum est; vt quod nec trahere intro nutrimẽtum valeat, nec eo sufficienter frui. Quamuis paullo superius contrarium videatur scripsisse, dicens, partibus solidis & extrinsecus, & intrinsecus pituitosum humorem circumfundi. Sed nulla est in his locis pugnantia, nã voces illæ Extrinsecus & Intrinsecus partes externas & internas potius significant, quam extimam partium superficiem & intimam sedem. Circumfunditur itaque pituitosus humor partibus solidis, & externis & internis; ita tamẽ vt extimã duntaxat cuiusque particulæ superficiem humectare posit. Quod ad calidi & frigidi oppositionem attinet, ab omnibus medicis concessum est, senes esse frigidissimos: nihilominus tamen id nunc confirmat sensu & ratione. Sensu quidem, quia se-

Lib. de salu. diæ. sen. 7. & lib. de diæt. sent. 28.

num corpora si tangantur, sentiuntur manifeste frigida. Ratione vero, quia senes in frigidum statum facile mutantur, id est, refrigerantur facile, a caussis potissimũ externis, vt aëre, vel aqua. Idẽ indicat color senibus familiaris, qui extincti caloris est soboles; qualis est niger, aut liuidus: periit nãque in ipsis viuidus color ob sanguinis inopiam. Adhæc morbi & symptomata, quibus facile corripiuntur senes, vt apoplexia, paralysis, tremor, & alia similia, temperamenti frigiditatem certo in senibus demonstrãt; quemadmodum etiam & omnium actionum imbecillitas. Ex quibus recte infert, & senes esse frigidos, & senium nihil aliud esse quam viam ad interitum, cum mors sit innati caloris extinctio. A

Verum non perinde de puerorum & florentium ætate inter medicos conuenit. Sed nec dirimere inter eos litem est promptum, probabiles enim sunt vtrorũq. rationes; tum eorum qui pueros calidiores esse quam florentes ætate censent, tum eorum qui contra florentes calidiores pueris esse contendunt. Alteri namque ex eo quod sanguinis humor omnium quæ in animalis habentur corpore, calidissimum natura sit; tũ quod fœtus in vtero propemodũ sanguis tantũ sit, post enim fingendis vtique iam particulis, aliud os efficitur, aliud arteria, aliud vena, aliud diuersum ab his aliquid, omnia tamen rubra; tum quod sanguinẽ sincerissimum, calidissimumque obtineant; colligunt calidissimum esse gestatum in vtero fœtum. Quod si est, etiam pueros, quanto gestatis in vtero propiores sunt, tanto esse florẽtibus ætate calidiores. Alteri, quod etiam plurimus sit in florentibus sanguis, ac copiosior quã in pueris, ita vt eius occasione crebro his sanguis profluat; quinetiã quod flauæ bilis succus, qui sanguine multo est calidior, plurimus sit; propterea calidiores esse florentes quam pueros confirmant. Rursus illi ab ipsis functionibus, quod tum augeantur, tum plura quam pro corporis sui portione alimẽta tum appetant, tum conficiant; validum esse in pueris calorem asserunt. Hi contra humiditatis occasione potius quam caloris vi augeri illos contendunt. At concoctione non modo florentes non vincere, sed etiam longe ab his pueros vinci: nam & vomitiones his ex incoctis cibis accidere, & deiectiones humidas, asperas, ac a succo alienas. Quod si appetunt plura, nihil id facere ad caloris robur. Primum enim id non accidere caloris copia, vt animal appetat plura; immo contra, refrigeratis scilicet his partibus quibus appetentia debetur. Deinde quoniam non tantum ad nutritionem, sed etiam incrementum alimenta moliuntur; idcirco etiam plurimis nutrimentis his esse opus. Iam vero reliquis functionibus vniuersis etiam non obscure inferiores esse pueros iis qui florenti sunt ætate; vt qui nec ingredi, nec currere, non portare, nec quidquam in summa agendorum operum* similiter obire queant: cum florentibus tum sensum omnem, tum intellectum ad summam perfectionem bonitatemque peruenisse dicant. In summa puerum adhuc imperfectum esse, florentem animal perfectum; in perfectis rationabile esse, maxime actiuũ, maximeque princeps elementum præpollere. Quin somno quoq. plurimo*

B

C

D

* πλεονεκτεῖν.

* πρακτικῶν ἐνεργειῶν.

plurimo

A *plurimo deditos pueros videre licet, contra minimo florentes esse contentos: quamquam hunc quoque aliter accidere ne vel insanum quidem hominem censere aiunt, quã calido victo quodammodo, grauatoque humoris copia: veluti tum ex temulentis intelligere licet, tum iis qui balneo liberalius sunt vsi. Ita vero & papauer somniferum esse, & mandragoram, & lactucam, & omnia quæ humidiore frigidioreque temperie sunt.*

Altera quæstio est, sintne pueri calidiores iuuenibus, an potius contra iuuenes calidiores pueris: quæ sane celebris olim fuit, ac inter veteres medicos diu multumque in vtramque partem agitata. In hac tractanda proponit primum vtriusque partis rationes; deinde earum omnium rationum vicia ostẽdit; postremo quid vere sentiẽdum sit, docet. Vtuntur autem vtrique probabilibus B rationibus, quarum singulis (quod neutrã opinionem probemus) suas solutiones adhibere oportebit. Inprimis ergo qui pueros calidiores esse volunt, quinq. rationibus suam sententiam confirmant. Prima hæc est, fœtus qui in vtero gestatur calidissimus est, cum constet ex sanguine calidissimo nuper concreto; at pueri viciniores sunt fœtui, a quo longius absunt iuuenes; ergo pueri calidiores sunt iuuenibus. In hac ratione distinguenda est propositio, nam aut fætum & sanguinem calidissimum dici volunt caloris natiui copia aut caloris excessu. Si copia, vera quidem prædicant, concedimusque libenter, pueros iuuenibus calidiores esse. Si vero calore excedente, falsum profecto dicunt, maleque propterea colligunt, pueros esse calidiores iuuenibus. At de caloris excessu in- C tensione, aut gradu (vt loquuntur) quęstio est, non de caloris copia. Altera ratio priori est similis, probat namque pueros esse calidiores, quia copiosiorem sanguinem gignunt quam iuuenes. Hanc soluunt aduersarii, affirmantes, copiosiorem sanguinem gigni in ætate florentibus quam in pueris. Quidvero de hac re sentire oporteat, paullo post explicabimus. Tertia ratio desumpta est ex corporis incremento, quod calori tribuendum esse volunt: quippe cum pueri augeantur, iuuenes autem amplius non crescant, pueros calidiores esse colligunt. Aduersarii tamen corporis incrementum ad humiditatem potius quam calorem referendum esse auint. Quæ videtur etiam fuisse sententia Galeni, qui in summo ætatis vigore corporis incrementum cessare scribit, ossibus per siccitatem Lib.1.de sani. tu.cap.2.
D non vltra sequacibus: quamuis negari nõ possit, quin auctionis quoque instrumentum sit calor, vt reliquarum actionum naturæ. Quarta ratio ostendit pueros esse calidiores, quia ciborum concoctio (quę a calore fit) in pueris felicius quam in iuuenibus perficitur. Id tamen aduersarii negant, sentientes potius, pueros frequentissime cruditatibus laborare. Hinc enim fieri aiunt, vt vomãt sępissime, & infestentur crebro deiectionibus humidis, asperis, & a succo alienis, quę cruditatis sunt soboles. Sunt quidem inprimis humidæ ac liquidæ, non mediocriter compactæ, qualia esse solent alui excrementa secundam naturam affecta. Sunt quoque asperæ, id est inæquales, ob imperfectam frustratam ve cõcoctionem: nam quæ secundum naturam sunt, omni ex parte sunt sibi similes & vnitæ. Sunt itidẽ a succo alienæ, vel quod quæ deiiciuntur rudia adhuc sint, & speciẽ referant ingestorum ciborum, qui in vtilem chylum conuersi non sint, vt interpretantur Eustathius & Hieremias; vel quod nullus succus, aut humor pituitosus, biliosus, aut melancholicus, per eiusmodi deiectiones excernatur: sed sola alimenta cruda, semiconcocta, aut corrupta. Quo nomine cœliaca vocata

affectio à diarrhœa facile distinguitur. Ceterum quamuis verũ sit, pueros cruditatibus sæpe vexari; male tamen isti negant, pueros felicius concoquere, saltem alimenta sibi familiaria. Hæc namque si mediocriter assumpserint, felicissime concoquunt ac superant ob calidi innati copiam; ob voracitatem tamen & intẽpestiuos motus cruditatibus laborare solent. Nam & Hippocrate auctore, qui crescunt plurimum habent calidi innati, indigentque proinde copioso nutrimento. Quare optima ciborũ concoctio quæ in pueris fit, calidi innati copiã potius ostendet quam caloris excessum. Tandem probant calidiores esse pueros, quia magis appetunt quam iuuenes: quasi ciborum appetentia calori deberetur. At contra sentiunt aduersarii, fieri potius appetentiam refrigeratis partibus ad ventriculum pertinentibus: quod visus est etiam sentire Galenus, qui calidum ventriculum minus, frigidum vero magis appetere scribit. Neutri tamẽ vera dicunt, plus enim appetunt pueri, non quia calidiores, aut frigidiores, sed quia magis dissipantur. Adiiciunt rursus, pueros plus appetere, quia nutrimẽtis indigẽt & ad partiũ nutritionẽ, & ad totius corporis incrementũ. Difficiliores sunt quinque aliorum rationes, qui ætate florentes pueris calidiores esse opinantur. Prima hæc est, sanguis calidus est; is autem in ętate florentibus quam in pueris copiosior gignitur; ergo florentes ætate calidiores sunt pueris. Assumptionem ex eo confirmant, quod sanguis iuuenibus profluat frequentissime, potissimumque e naribus, vt monstrat experientia, & docet Hippocrates. Huic rationi bifariam respondere possumus, primum negantes copiosiorem gigni in iuuenibus sanguinem quã in pueris; si tamen (vt par est) molis totius corporis in vtrisque habeatur ratio. Quod vero ętate florentibus frequentius e naribus sanguis profluat, duplex caussa esse potest; vel quod sanguis tenuior sit (vtpote biliosus) vt inquit Lopezius; vel quod minus iam absumatur, cum corporis incrementum omnino cessarit: quę fuit ratio Galeni. Deinde etiamsi concederemus copiosiorem sanguinem in iuuenibus gigni, non recte colligerent iuuenes esse calidiores; quia sanguis (vt antea diximus) non est per excessum calidus. Altera ratio est, bilis calidissima est, & sanguine multo calidior: atqui in iuuentute plurima redundat bilis: ergo iuuenes sunt multo calidiores. Hãc rationem dissoluens Eustathius, sentit bilis copiam non esse idoneum calidioris temperamenti indicium, quia neque intensioris caloris occasione gignitur necessario, neque protinus mutari potest natiuum partium temperamentum. At si bilis sanguine est multo calidior, quomodo non gignetur à calore intensiori? Rursus si corporis partes sanguine calidiori aluntur, quomodo non euadent, si non statim, saltem post breue aliquod tempus calidiores? Hieremias aliter respondet, tametsi, inquit, plus bilis sit in florentibus quam in pueris, non sunt tamen calidiores, quia partes spermaticę quę in pueritia erant calidę, euaserunt in iuuentute frigidę; quo fit, vt caliditate bilis spermaticarum partium frigiditatem attemperante, æqualis sit calor in pueritia & iuuentute. Acuta me hercle ratio, si vere dictũ fuisset, partes spermaticas in pueritia esse calidas: non minus enim in pueritia quam in iuuentute partes spermaticæ sunt frigidæ. Porro Colladus noster doctissimus siccitatem maiorem potius quam calorem ex bilis copia in iuuenibus ostendi dicebat. Indigebant enim iuuenes sicciori nutrimento sibi familiari, vtpote qui sint natura sicci; siccitatem autem accipit sanguis ex abundante bile. Verum qui fieri potest, vt sicciorem sanguinem, non autem calidiorem efficiat bilis, quæ potestate sicca tantum non est, sed etiam calida? Immo quanto efficacior siccitate caliditas est, tanto calidior potius quam

Aphor. 14. lib. 1.

In art. med. cap. 62.

Aphor. 29. lib. 3.

Lib. 3. aphor. com. 27.

A B C D

A quam siccior sanguis ex bilis copia reddetur. Dicerem ergo potius, ex bile in iuuenibus aucta non adquiri maiorem calorem quam in pueris, sed acriorem & mordaciorē. Quippe quo pueri calidiores sunt iuuenibus innati caloris copia, tanto pueris calidiores sunt iuuenes caloris acrimonia: quo fit, vt par in vtrisque sit calor, sola differens qualitate, vt postea dicemus. Tertia ratio desumpta est ex robore actionum, potissimumque practicarum, quæ omnes (vtpote quæ fiant cum motu) in iuuenibus firmiores sunt quam in pueris. Hæc tamen ratio facillime soluitur, à siccitate enim instrumentorum potius quam calore eiusmodi robur prouenire solet. Quarta ratio est, in animali perfecto elementum princeps maximeque actiuum (qualis est ignis) præpollere debet: at iuuenis perfectior est puero: ergo in iuuene præpollet ignis; quo præpollente maior in iuuene quam in puero vigebit calor. Probabilis sane hæc ratio est; inefficax tamen; cum certum sit, in pueritia, (ætate alioqui imperfecta) plus esse
B substantiæ igneæ. Probant tandem ex somno & vigilia, florentes ætate calidiores esse pueris; quoniam hi somnolenti sunt ex sua natura; illi vero minimo somno sunt contenti. At somnum inquiunt non aliter fieri, quam victo, grauatoq. calore humoris copia; vt constat exemplo ebriorū, & eorum qui balneo liberalius sunt vsi, & medicamentorum quæ somnum possunt inducere. Sed & hæc ratio facile solui potest, somnolentia enim in pueris humiditatis potius quam frigiditatis, & in iuuenibus vigilia siccitatis potius quam caloris est soboles.

Ac tales quidem de propositarum ætatum temperie rationes vtrinque adferuntur; omnes enim recensere superuacuum videtur, cum formula ipsa epichirematum, vel ex iis quæ retulimus, satis clare perspici possit. Eminus enim vtriq.
C *fermeque à secundis priora colligunt; ac tamquam iam sciat auditor, quemadmodum auctio, quemadmodum concoctio, & quemadmodum nutritio fiat, verba faciunt. Simili modo de sensu, de motu, de functionibus tum naturalibus, tum actiuis disputant. De somni quoque generatione, & ciborum natura mētionem faciunt, quorum nullum simplex, promptumque cognitu est; sed & multam disquisitionem requirit, nec potest fortasse vlli compertum esse, nisi qui prius humidam, siccam, calidam, frigidamque temperiem sciat agnoscere. Quidquid enim eorum veluti scientes dicunt, id si docere eos cogas, prorsus disputationem de temperamentis, hanc scilicet cui nunc insistimus, desiderabunt. Quare per*
D *mutua & ex mutuis fiunt his demonstrationes. Ex iis quidem quæ nunc quærimus, ceu iam sint cognita; cum de actionibus disputant, & ciborum ac medicamentorum facultates inuestigant, ac de somno, & aliis id genus disserunt. Rursus autem quæ nunc sunt proposita, per illa, veluti prius iam nota, demonstrant. Ego vero eiusmodi demonstrationes non probo; quin si fateri verū oportet, nec demonstrationes eas censeo, veluti diffusius in aliis ostendi: [illegible] esse in omni docendi genere existimo, ordinem conceptionum definire. Sit [illegible] principium omnis quæ de temperamentis suscipitur disputationis [illegible] mentis est, sintne ea impatibilia, prorsusque mutationis expertia, an [illegible]*

mutarique potentia, ab illorum vero cognitione secunda deinceps est proposita nunc disputatio; non vtique sumenda est istorum fides ex iis quæ nondum sciuntur; sed sicuti tum rectum est, tum vero iustum, quod sumendum ad demonstrationem est, vel euidens aliquid sit oportet, vel quod prius fuit demonstratum. Non est igitur, neque de somni generatione mentio facienda, neque de concoctione, neque auctione, neque de alio id genus vllo; sed ab ipsa sola nudaque subiectarum rerum substantia, disquisitio ineunda, sicuti in primo libro fecimus. Quippe statuentes, aliud esse quod energia siue actu sit, aliud quod potestate; de eo quod actu iam calidum, frigidum, humidum, siccumve sit, prius disserendum esse diximus; subinde ad ea quæ potestate sint, veniendum. A B

Epichiremata vocat, non argumentationes quascumque, vt inquit Lopezius; neque argumenta incohata, vt interpretatur Fuchsius; sed syllogismos probabiles, vt constat ex Aristotele. Qui cum quattuor in vniuersum syllogismi species statuisset, philosophima, sophisma, aporima, & epichirima; philosophima docuit esse syllogismum apodicticum; sophisma, syllogismum contentiosum; aporima vero & epichirima, species quidem esse syllogismi dialectici: in eo tamen differre, quod epichirima sit ratiocinatio probabilis, aporima autem sit ratio disserendi in vtramque partem. Quamobrem cum superiores omnes rationes probabiles vtcumque sint, & nullo pacto necessariæ, merito ipsas vocat epichiremata. Reprehendit autem has omnes rationes triplici nomine. Primum quidem, quia eminus petitæ sunt, ex auctione scilicet, concoctione, appetentia, & somno; quæ parum aut nihil pertinere videntur ad quæsitæ rei essentiam, quæ tactilis qualitas est, nempe calor. Deinde, quia ex posterioribus priora colligunt, ex actionibus enim potissimum demonstrant, qualis sit puerorum & iuuenum temperies; cum tamen hæc prior sit actionibus. Sed nonne Galenus frigidam temperiem senum ex liuido & nigro colore, ex actionum omnium infirmitate, & ex frigidis tum morbis, tum symptomatis, hoc capite demonstrauit? Nonne & capite primo ex omnium functionum mediocritate optimam ostendit corporis temperiem? Atqui hæc omnia temperamentis sunt posteriora. Videtur itaque in eundem errorem lapsus, in quem alios incidisse ipse docet. Credendū tamen non est, negasse Galenū hoc loco ex posterioribus interdum priora demonstrari posse; didicerat enim ab Aristotele, ex effectis quæ suis caussis posteriora sunt, aliqua demonstrari. Illud ergo tantū reprehendit, quod cum proposita quæstio circa tactilem qualitatem, nempe calorem, versetur; neglecto tactus iudicio, ad rationes illi digrediantur, easque probabiles dumtaxat, & e longinquo petitas: quod plane absurdum est, & reprehensione dignū. At noster Galenus (vt recte annotauit Lopezius) temperamentorum dignotionem tactui primum committit, deinde vero veluti ex abundanti rationes adiungit. Damnat tandem eas omnes rationes, quod circulares sint, & ex mutuis mutua colligant. Monstrant enim pueros esse calidiores, quia plus appetūt, & concoquunt; & rursus si roges, cur plus appetant & concoquant, respondere coguntur, quia pueri sunt calidiores. Id vero in arte demonstrandi absurdum maxime est, vt fatetur Galenus se alibi demonstrasse, in commentariis scilicet (vt opinor) de demōstratione doctissimis, qui summo cum studiosorum malo C D

Lib. 8. topico. cap. 2

tempo-

A temporum culpa perierunt. Hîc autem obiter tantum aduertit, in omni docendi genere conceptionum ordinem definiendum esse. Atqui conceptionum ordo ita definiatur oportet, vt in docendo ea primo loco tradantur, quæ priora sunt, & ex quibus ceterorum cognitio pendet; postea vero quæ proxime sequuntur, & deinceps alia quæ his proxima sunt. Quorum sane fides petenda non est ex iis quæ adhuc demonstrata non sunt, sed vel ex antea demonstratis, vel iis quæ vel sensui, vel intellectui sunt euidentia. Atque hunc docendi ordinem hactenus sequutus est Galenus, à disputatione de elemẽtis exorsus; quæ omnium prima merito censetur, cum reliqua omnia quæ in Medicina docentur, ab hac pendere videantur. Ab elementis recto ordine progressus est ad disputationem de temperamentis, cui nunc incũbimus; in qua si quid demonstrandum sit, vel ex iis quæ in tractatione de elementis demonstrata iam sunt, fidem
B habere debet; vel ex iis quæ perspicua sunt sensui, aut intellectui. Neque enim ad actiones, morbos, aut symptomata temere digredi oportet, vtpote quæ adhuc cognita non sint.

Porrò eorum quæ actu calida, frigida, humida, siccave sunt, obuia, promptaque omnibus cognitio est; vtpote quæ tactu discerni queant, qui scilicet & ignem ipsum calidum esse docuit, & glaciem frigidam. Quod si alia quapiam ratione notionem agnitionemque calidi frigidiue habent; dicant hanc nobis, inauditam enim sapientiam promittunt. Immo (si verum fateri licebit) stuporem potius, si rerum sensibilium alium quempiam habere se iudicem meliorem putant, quam ipse sit sensus. Atqui si eorum quæ actu calida sunt, alius esse iudex quam ta-
C *ctus nullus potest; tangant iam deinceps multos viros, tum senes, tum adolescentes, tum pueros, tum infantes; ita enim inuenient, qui magis minusve calidi sint. Sin de rebus sensilibus rationales* demonstrationes quærunt, iam de niue ipsa inquirendum est, censendane sit (sicut omnibus hominibus apparet) candida, an (sicut Anaxagoras asseuerauit) non candida. Iam vero de pice simili modo, cornoque, ac reliquis omnibus æstimandum; neque enim, si non habenda est oculis fides de albo quod vident, de nigro sine demonstratione fides est adhibenda. Omnia igitur quæ sensui apparent, si iam fide carere dicunt; nec olorem album esse dicant, nisi prius id viderint ratione; immo nec calcem, nec diem, nec solem. Ad*
D *eundem modum & de voce auribus fidem abrogent, & de odore naribus, & de omni tangibili ipsi tactus sensui. Et nonne hæc sunt Pyronis hæsitatio, & nugæ immensæ? Sane æquum fuerat, eos qui optimam sectam in Philosophia elegissent, (quæ scilicet calidũ, frigidum, humidum, & siccum, principia & elementa statuit) non in tantũ desciuisse a viris qui hæc posuerunt, vt quod omnis demonstrationis principia sunt, quæq. sensui quæq. intellectui sunt manifesta, nõ cognoscerent. Et profecto quisquis de his addubitat, frustra de aliis inquirit, vtpote ne quidem vnde sit incepturus, quidquam sibi relinquens. Vnde igitur in tam diuersam* viam diuerterunt, ac sensibilium rerum cognitionem ratione consequi tentarunt? Ego sane ne cogitare quidem possum, eoque quod actu calidum*

* λογικάς

* μακράν.

est tactu

est tactu iudico; siquid autem adhuc calidum non est, sed vt tale fiat est idoneum, (quod vtique potestate calidum appellamus) id ratione intelligere conor. Hi vero omnia nescio quo pacto subuertunt, & in argumentis prolixe rhetoricantur. Sed hos mittamus, illius tamen nunc minime obliti, quod vnum prauorum dogmatum sit, nihil de demonstratione prius meditatum, simul res ipsas inquirere, simul veluti scientem quidnã demonstratio sit, demonstrare tentare. A

Cum duo sint rerum iudicãdarum instrumẽta, sensus & ratio; pro varia quæsitæ rei essentia nunc hoc, nunc illo vti oportet. Quippe si de re quapiam sensibili inciderit quæstio, absurdum est neglecto sensu rationem consulere; rerum namque sensibilium iudex nullus sensu ipso certior inueniri potest. Quo nomine à Philosophia iam dudum explosa sunt absurda quædam dogmata, quę sensibus fidem abrogabant; quale illud fuit Anaxagoræ, qui nullas qualitates natura, sed tantum lege corporibus inesse existimauit, porptereaque & visum in dignoscendis coloribus, & gustum in saporibus, & reliquos etiam sensus in propriis sensibilibus cognoscendis falli asseruit. Eiusdem fere generis est & dogma illud Scepticorum, qui hæsitantes perpetuo, nihil aut sensu, aut ratione certo cognosci posse crediderunt. Horum princeps fuit Piron Heliensis, qui Anaxarchi Abderitæ discipulus, & Scepticæ Philosophiæ auctor exstitit: cuius modestiam insignem, taciturnitatem admirabilem, animumque pacatissimum commendat maxime auctor libri de subfiguratione empirica. Is itaque desperata veritatis inuentione, quam diu frustra quæsierat, in singulis hæsitabat, nec amplius agendorum rationem inuestigabat; tandem vero nouum philosophãdi genus, nouamque sectam condidit. Huius discipuli à dogmate quod profitebantur, Sceptici, id est cogitatores; ab auctore vero Pironii appellati sunt. Illud tamen, quod à quibusdam proditum est, fidem omnem superare videtur, Pironem scilicet hunc ad nonagesimum vsque ætatis suæ annum artem pictoriã exercuisse, postea vero dedisse operam Philosophiæ, nouamque tandem (vt dictum est) sectam condidisse. Ex horum itaque dogmatũ absurditate recte colligit Galenus, qualitatum sensibilium iudicium solis sensibus committi debere. Quare cum proposita quæstio de puerorum & iuuenum calore circa tactilem qualitatem versetur, infert tandem, solo tactu, non ratione dirimendam esse.

Lib. de histor. philo cap. 2.

Cap. vlt.

B

C

Denuo igitur ad propositum reuersi, calidum, quod in ætatibus cognoscere cupimus, primum & maxime tactu iudicemus. Erit autem optimum iudicium in vno eodemque vnius infantis corpore: potest enim, & qualis calor illi ante biennium fuerit, in memoria reponi; & qualis nunc sit post duos forte vel tres interpositos annos. Si namque mutatio omnino vlla ad calidum frigidumve infanti facta videbitur, nullum præterea negotium erit, qui vsque ad florentem ætatem futurus excessus sit, colligere. Quod si plures puellos pluribus conferre florentibus ætate velis, graciles gracilibus, quadratos quadratis, & crassos crassis cõferes: æque vero & qui colore, & reliquis omnibus (quoad fieri potest) similiter se habeant. Quippe si differentiam in ætatibus inuenire studeas, in similibus quam maxime licet naturis, eam inquisitionem tutius facies. Porro in D

contrariis

contrariis naturis hanc disquirere, non parui erroris est occasio; cum interim A *non tam exploratorum corporum ætatis, quam naturalis temperamenti gratia, differentia existat. Ad eundem modum tum victu vniuerso, tum temporum quibus exploratur statu, pari modo se habentia corpora eliges; non exercitatum requieto comparans; non balneo vsum ei qui eo non sit vsus; non ieiunum saturo; non sitientem ebrio; non eum qui sole incaluit ei qui ex frigore riget; non eum qui vigilauit ei qui dormiuit; nec denique eos quibus contraria est vel natura, vel victus ratio, vel quælibet rerum circumstantia: sed reliqua omnia sint quam fieri licet paria, vna ætate excepta. Pari modo si vnum eundemque puellum cum seipso conferes, omnes eius externas circumstantias similes ad vnguem* B *seruabis; quo scilicet si qua harum alicuius caussa in calore & frigore differentia contigit, ætatis mutationi non imputetur. Longam tibi experiendi rationem fortasse tradere videor, sed plane verissimam, atque ex ipsa rei quæsitæ essentia desumptam: sicut in iis quæ de demonstratione scripsimus, a nobis est proditum. Tu vero fortasse compendiariam voles, minime curans si falsa sit. Scito ergo, non solum falsam te, sed etiam longam ingressurum viam; neque tribus quattuorve annis quod requiris inuenturum, sed tota vita in ignorantia versandum. Quantum enim accipi ex memoratorum virorum controuersia licet, non est quod putemus clare aliquid demonstrari posse; sed nec rationabile omnino est, ex iis quæ posteriora sunt ea probari quæ sunt priora. Ergo calidum* C *frigidumque corpus, quod saltem actu, nec adhuc potestate tale sit, sensu iudicemus; misso nunc tum priorum iudicio, tum reliquis omnibus notis. Et te iam ceu recte iudicaturum ad ipsam experientiam remitto.*

Quoniam proposita quæstio de calore puerorum & iuuenum solo tactu dirimi potest, docet nunc modum, quo possit vnusquisq. tactũ exercere, vt certum de calore iudicium ferat. Est autem duplex exercitationis modus, alter quidem in vno eodemque corpore, alter vero in diuersis. In vno corpore sic exercitari oportet, vt puelli cuiuspiam corpus sæpe ac diligenter tangamus, & qualis quantusque calor sit, memoriæ mandemus; deinde vero post aliquot annos rursus tangamus, diligenter expendentes, an aliqua caloris mu- D tatio acciderit; ex qua, quantus in florenti ætate futurus sit excessus, artificiose colligemus. Erit autem multo certior huiusmodi cognitio, si eundem illum puellum, quem sæpe antea tetigimus, vbi ad adolescentiam, iuuentutemque peruenerit, sæpe itidem tangentes, quomodo se habeat calor, attente expendamus. Est sane is exercitationis modus non solum longissimus, verum etiam difficillimus, cum & bonam vitæ partem desideret, & tanto annorum interuallo magnam tangentis tactus subiturus sit mutationem. Breuior multo atque facilior est alter exercitationis modus, qui circa diuersa corpora versatur. Oportet autem plures pueros tangere, pluresque adolescentes & iuuenes; & tactu attente explorare, quomodo in vtrisque se habeat calor. Monet tamen, vt in vtraque exercitatione circumstantiæ omnes pares omnino seruentur, solumque reperiatur in ætatibus discrimen; ne forte si qua ab alia quapiam caussa proueniat caloris differentia ætatis ra-

tione prouenire arbitremur. Quippe in omni comparatione id religiose A
obseruari oportet, vt cetera omnia paria sint, eo dumtaxat excepto, in quo fit comparatio. Erunt autem circumstantiæ pares, si puer & iuuenis, quos inter se conferimus eodem corporis habitu præditi sint, crasso, gracili, aut mediocri; si eadem sit victus ratio; idem anni tempus, & alia huiusmodi.

Meum autem iudicium interpretabor, complura enim deinceps corpora, non puerorum modo, verum etiam infantium, adolescentium, & ætate florentium curiose tangens, neutros vera loquutos inueni; nec eos qui absoluto sermone calidiorem; nec eos qui frigidiorem esse florentem ætatem quam puerilem dixerũt. Si enim reliquis omnibus, quæ extrinsecus adueniũt, alterationibus circumcisis, eas quæ ex sola ætate proueniunt, differentias æstimaueris, neuter absolute loquenti videbitur tibi calidior. Quippe dissident eorum calores qualitate, quæ B
ex imparitate difflatus creatur; cuius rei occasione nonnulli vel eos qui secum versantur, vel seipsos fallentes, alii puerorum, alii iuuenum valentiorem esse calorem autumant. Est enim puerorum calor magis halituosus, & copiosus, & tangenti blandus: florentium calor, subacre quiddam habet, ac non suaue. Hæc igitur tangenti occursus differentia plures inducit, vt florentium corpus calidius esse pronuntient: res vero aliter se habet. Quippe qui in varia materia tactum suum, ad calorem tum valentiorem, tum imbecilliorem, tum parem discernendum exercuerit; huic non dubito puerorum calorem florentium C
calori vel parem, vel ampliorem visum iri. Est porro exercendi ratio hæc, incipiendum enim ab eo quod euidens maxime est. Balinearum aër ita est aliquando calens, vt nemo eum ferat, sed vri in eo versatus videatur; aliquando ita est frigidus, vt sudare in eo non sit; iam tertium quoque & ab his diuersum, quem vtique maxime requirimus, temperatum aëris statum quid refert dicere? Iidem tres caloris status in solii quoque apparent aqua, quippe quæ & calida adeo vt vrat; & frigida adeo vt ne calfaciat quidem; & temperata adeo vt calfaciat modice, sæpe cernitur. Ergo si te vter sit cali- D
dior percontер, aqua ne temperata an aër temperatus; neutrum dicere possis. Cum enim ambo similiter corpori blanda sint, & mediocri temperie; alterum eorum dicere calidius esse, alterum frigidius, nulla dici ratione videtur. Iam si intelligas aquam labri ea esse caliditate vt ferueat; aut aërem balnei prorsus inflammatum; ab vtroque te pari modo deurendum constat. Rursus si aquam ita intelliges frigidam vt procul a glaciando non absit; aut aërem prorsus refrigeratum, sicut cum ningit, conspicitur; patet, quod vtriusvis occursu pari modo refrigeraberis, rigebisque. Ergo summum tum calorem tum frigus similiter in aqua similiterque in aëre finge; præterea medium amborum extremorum statum simili modo in vtroque constitue. Hoc casu quod in medio interuallo extremorum & medii status,

A *dii status, tum in aëre est, tum in aqua, eosdem excessus distantiæque rationes habebit; tantoque dices alterum mediocri esse calidius, quanto alterum. Ad eundem modum & frigidius quam mediocre tanto esse aquam aliquando dices, quanto & aërem: tametsi suus vtriusque occursus tangenti idem non sit vtrique: neque enim simili modo aqua temperata, sicut aër temperatus tactum afficit. Et quid opus est in tam dissimilibus exemplum proponam? cum ipse aër qui simili sit calore, varie tangenti occurrat; prout alias veluti caliginosus & halituosus, alias veluti fuliginosus & fumosus, interim purus omnino est. Igitur in pluribus, iisdemque differentibus æqualitas caloris consi-* B *stit, quæ inconsideratis quasi inæqualis sit imponit, propterea scilicet quod non vndequaque similis apparet. Ceterum homo, qui rationes quas proposui expenderit, et sensum in multa particularium experientia exercuerit; is nimirum æqualitatem caloris in pueris florentibusque inueniet; nec eo falletur, quod alter in humida, alter in sicca substantia repræsentetur. Quippe lapis aliquando pari cum aqua calore esse potest, nullum eo faciente discrimen, quod lapis siccus sit, aqua humida. Ita igitur mihi, cum pueros, iuuenes, adolescentes millies considerassem, præterea eundem infantem, puerum adolescentemque factum; nihilo calidior visus est, nec puer quam ætate florens, nec ætate florens quam puer; sed tantum (quemadmodum dixi) in pueris magis halituosus, et mul-* C *tus, et suauis; in florentibus exiguus, siccus, nec similiter suauis esse caloris occursus. Siquidem puerorum substantiæ, vtpote humidæ, multum foras effluit; florentium substantiæ parum, vtpote siccæ. Itaque neuter eorum simpliciter videtur altero calidior, sed alter multitudine eius quod difflatur, alter acrimonia. Quippe insiti caloris puer plus habet, eiusque blandioris, si modo ex sanguine & semine ortum habet: in florentibus ætate exiguus, & siccus, nec similiter suauis calor, tangenti occurrit.*

Explicat tandem quid de proposita quæstione sentire oporteat, prolata in mediũ propria experiẽtia. Fatetur itaque, se vtroque illo modo tactum diligentissime exercuisse, tandemque longa exercitatione deprehendisse, neque pueros simpliciter calidiores esse iuuenibus, neque iuuenes pueris; sed D parem esse in vtrisque calorem, copia tamen & qualitate differentem. In calore namque tria considerare possumus, copiam scilicet, qualitatem, & intensionem (vt vocant) vel gradum. Dum copiam expendimus, multusne sit ac copiosus, an paucus, inquirimus: cum qualitatem, sitne halituosus ac mitis, an acris potius & mordax: cum vero ipsius gradum, sitne omnino par, an potius impar. Hæc igitur diligenter oportet distinguere, vt propositam quæstionem de calore puerorum & iuuenum recte explicare possimus. Quod ad caloris copiam attinet, hæc sane in pueris multo maior est, quia cum à principiis generationis non longe absint, plurimum habent substantiæ calidi innati, quæ ignea est & aërea. Quo itidem pacto ventres hyeme & vere calidissimos esse dixit Hippocrates, & Galenus Aphor. 15. lib. 1. Lib. 1. de tem. cap. vlt.

 sangui-

sanguinem in corpore calidissimum. At in iuuenibus multo minor est caloris copia, vtpote qui à primo iam ortu longius recesserint. Porro si caloris qualitatem consideres, hæc sane diuersa est in vtrisque, nam calor in pueris mitis est & halituosus ob corporis humiditatem ac mollitiem; in iuuenibus vero mordax est & acris ob siccitatem. Vtrumque autem hoc discrimen in caloris copia & qualitate certissime discernit tactus, dum ab eo quod secundum naturam per cutem exhalat, afficitur. Siquidem in pueris, dum tanguntur, copiosum halituosumq. simul quod per cutem effluit, deprehenditur; in iuuenibus autem paucum & mordax. Quo fit, vt qui tactum male exercitatum habet, imparem esse credant puerorũ & iuuenum calorem, copiæ & qualitatis varietate decepti. Proinde merito monet, vt tactum diligenter exerceamus in cognoscenda caloris paritate aut imparitate in diuersis substantiis, quarũ ratione diuersus tangenti fit caloris occursus. Id quod aptissimis exemplis confirmat, aëris scilicet & aquæ balnei, quæ similiter sint calida, frigida, aut temperata; & solius aëris eundem caloris gradum obtinentis, & diuersas substantias sortiti; ita vt vel purus sit, vel caliginosus, vel fumosus. Certum namque est, in diuersis istis substantiis parem caliditatis gradum inueniri posse, etiamsi caloris occursus varius appareat. Variat autem plurimum caloris, alioqui paris, occursus, quando contrariis substantiis inest, veluti humidæ, & siccæ: vt constat exemplo lapidis igniti & aquæ feruẽtissimæ. Qui igitur in his distinguendis diu multumque tactum exercuerit, is sane, neque pueros simpliciter iuuenibus calidiores, neque iuuenes simpliciter calidiores pueris, sed parem in vtrisq. prorsusque æqualem calorem esse, verissime affirmabit. Hæc verissima est de puerorum & ætate florentium calore Galeni sententia: quamuis putarit fortasse cuipiam, contraria de hac re ipsum scripsisse. Cum enim hoc loco dixerit, neq. pueros esse simpliciter calidiores iuuenibus; neque iuuenes pueris; scripsit alibi, iuuenes esse absolute calidiores. Nam lib. 6. epid. par. 1. com. 5. sic habet, Quo enim pacto iuuenis puero calidior sit, in libris de temperamentis didicisti, vbi etiam quomodo puer iuuene calidior sit declarauimus; iuuenis quidem absolute calidior; puer vero non absolute, sed eo quod plus innati calidi possideat. Et rursus lib. 6. epid. par. 3. com. 15. Aut igitur adhuc dubitans hæc scripsit, temporis autem spatio aliqua demonstratione comperta firmã de crescentium temperatura sententiam tulit; aut (quod & melius est, & à nobis in commentariis de temperamentis, & in aphorismis decretum fuit) non absolute puer adulto calidior est, sed insito calore calidior. Calidum autem nõ ingenitum eo absolute calidius esse monstratum est, quo adulti plus abundant. Verum cum ipsemet Galenus his locis lectorem releget ad libros de temperamentis, non aliunde profecto petenda est propositæ quæstionis explicatio, quam in præsentia ex instituto, accurateque tractauit. Cumque nunc docuerit, neque pueros, neque iuuenes simpliciter esse calidiores, id verum esse proculdubio existimandum est. Quare iuuenes vtcumque ibi dicentur absolute calidiores, quia calorem habent acriorẽ, & mordaciorem, à quo tactus magis videtur affici. Sic namq. Hipp. aliiq. veteres medici (vt annotauit Galenus) calidas naturas vocare consueuerunt, non eas quidẽ quæ ingenito calore, sed eas potius quæ acri & mordaci abundãt. Et Galenus quoq. hoc capite fatetur, mordacis caloris occursum plures induxisse, vt florentiũ corpus calidius esse pronũciaret. Ceterum licet statutum iam sit, æqualem in pueris & iuuenibus reperiri calorem; de adolescentibus tamen non leuis est dubitatio, habeantne cum illis etiam parem.

Lib. 6. epid. par. 4. com. 15.

A B C D G

Sentit

A Sentit Vallesius imparem esse, cum in adolescētia temperatum calorē statuat, in pueritia vero & iuuentute æqualem quidem, excedentem tamen. Sed miror, virum alioqui doctissimum ac diligentissimum parum attente considerasse, quæ hîc & alibi de hac re tradita sunt à Galeno. Hic namq. fatetur, se per longam experientiam in pueris, adolescentibus, & ætate florentibus parem omnino calorem obseruasse. Et lib. 1. de sani. tu. inquit, corpora temperata æqualem fere calorem habere à pueritia ad iuuentutem. Et rursus lib. 6. de sani. tu. corpus ab initio humidum & in altera oppositione temperatum, mediocritatem in vtraque oppositione obtinere affirmat, quando peruenit ad ἀκμὴν. Vnde necessario colligitur, temperatum calorem in pueritia, adolescentia, & iuuentute reperiri; & simplicem intemperiem humidam in longum tempus durare posse, vt libro superiore demonstrauimus. Non ergo puerorum calor ad mediam vsque adolescentiam sensim decrescit (vt fingit Vallesius) quod B plus deperdatur de calore natiuo, quam adquiratur de adscititio. Neque rursus ab adolescentia media ad iuuentutem vsque calor augetur, quod plus adquiratur de calore adscititio, quam de natiuo amittatur: sed æqualis (vti dictum est) in pueris, adolescentibus, & iuuenibus calor permanet. Et quamuis ætatum omnium temperatissima sit adolescentia, potissimumque extrema, pueritia vero & iuuentus (excepto ipsius initio) ætates sint intemperatæ; nihil tamen obstat, quo minus tēperatum calorem, non secus ac adolescentia habere possint. Sunt namq. intemperatæ, non in vtraq. sed in altera dumtaxat qualitatum oppositione; pueritia enim necessario humida est, & iuuentus necessario sicca. Ceterum quæ de caloris æqualitate in pueritia, adolescentia, & iuuentute hactenus diximus, in iis potissimum corporibus ita se habere putandum C est, quæ vbi ad vigorem peruenerint, futura sunt temperata. In intemperatis enim non sunt hæc necessaria, veluti in iis quæ à primo ortu frigidiora sunt & humidiora; in quibus (vt colligitur ex Galeno) maior est in iuuentute calor quam in pueritia.

Lib. 1. contro. cap. 8.

Cap. 12.

Cap. 2.

Lib. 1. de sani. tu. cap. 12.

CAP. IIII.

D *ERGO calidi frigidique corporis solus tactus est iudex; humidi autem & sicci vna cum tactu ratio. Quippe quod siccum est, durum prorsus est, & hoc tactu omnino dignoscitur: non tamen siquid durum est, idem statim & siccum est. Etenim inseparabilis a sicco corpore duritia est, non tamen eius vnius propria: nam & quod a frigore concretum est, durum cernitur, sicut glacies. Quo vtique minus sicci humidique adeunda statim discretio est, ante scilicet quam æstimatum sit, quemadmodum se in calore habeant & frigore. Neq. enim si quid cū summo frigore repræsentatur durum, id etiam siccum est; neque si quid cum vehementi calore est molle, idem statim est humidum. Verum cum mediocriter est calidum, tum æstimare, durumne an molle sit, oportet; si enim molle sit, humidum est; si durum siccum.*

Agit hoc capite de quattuor primarum qualitatum dignotione, tum quod nonnulla de hac dixisset capite superiori, agens de calore puerorum & ætate

 floren-

florentium; cum potissimum, quod huiusmodi disputatio vtilissima sit ad co- A gnoscenda partium temperamenta, de quibus dicturus est capite sequenti. Quattuor ergo primæ qualitates id commune habent, vt sensu cognoscantur, cum res sensiles sint; & cũ qualitates sint tactiles, solo tactu. In eo tamen differunt, quod calidi & frigidi solus tactus sit iudex, humidi vero & sicci vna cum tactu ratio. Sed cur, si humidum & siccum qualitates tactiles sunt, non secus ac calidum & frigidum, ratione indigent vna cum tactu, vt certo dignosci queãt? Nimirũ quia, vt ait Galenus, quod siccum est, durũ prorsus est; non tamen siquid durũ est, idem statim est siccũ. Quæ Galeni ratio vt intelligatur facilius, obseruare oportet, humidũ & siccũ quia ignauæ sunt qualitates, vix posse per se tactu dignosci; sed mediis aliis qualitatibus secundis, quæ ipsas sequuntur, mollitie scilicet & duritie. Verum neque solus tactus potest corpus siccum ex duritie percipere, nisi simul adhibeatur ratio; quia licet quidquid siccum est sit necessario durum, non tamen quidquid durum est, est necessario siccum. Est namque à siccitate inseparabilis durities, non tamen ipsius propria; cum fieri etiam possit à concretione vi frigoris facta, & (vt alibi addit) etiam à repletione: quamuis quæ à repletione prouenit, renitentia potius quam durities vocetur, vt in repletis vtribus & phlegmone videre licet. Atq. hinc factum arbitror, vt nulla repletionis facta mentione, siccitatem & concretionem duritiei caussas hoc loco tantum statuerit. Cum itaque à duabus caussis prouenire possit corporum durities, non quidquid durum est, est necessario siccum; cum ex sola cõcretione citra siccitatem possit aliquando contrahi durities. Adhibenda igitur vna cum tactu ratio, quæ quidem duritiei (quam solus alioqui percipit tactus) caussas inquirat, distinguatque. Nam si duritiem tactus in aliquo corpore deprehenderit simul cum vehemẽti frigore, iudicat tunc ratio, eius duritiei caussam siccitatem non esse, sed concretionem potius à vehementi frigore natam; C vt in glacie experimur. Si vero cum corporis duritie mediocritatem simul in calido & frigido tactus percipiat, colligit tunc ratio eiusmodi duritiem siccitatis esse sobolem. Porro quod de siccis durisque corporibus hactenus docuit Galenus, ad corpora humida & mollia similiter transferre nos possumus. Neque enim tutum est, ex sola mollitie corpus humidum tactu cognoscere, nisi rationem adiunxerimus. Quamuis enim quidquid humidũ est sit necessario molle, non tamen quidquid est molle est necessario humidum; vt liquatum plumbum. Est namque ab humiditate inseparabilis quidem mollities, non tamen solius humiditatis propria; cum fieri etiam possit à liquatione vi caloris facta. Adiungere igitur rationem tactui oportet, vt scilicet inueniat, distinguatque ratio caussas mollitiei, quam solus tactus percepit. Quippe si mollitiem si- D mulq. vrentem calorẽ in corpore quopiã percipiat tactus; iudicabit haud dubie ratio, non ab humiditate, sed à vehementi potius calore liquante, eã mollitiem prouenisse. Quod si molle illud corpus mediocre tangatur in calido & frigido, colliget ratio eiusmodi mollitiẽ humiditatis esse sobolẽ. Ex quibus patet, vere dixisse Galenũ, non quidquid durũ est esse necessario siccum, neq. quidquid est molle esse necessario humidũ: proindeq. rationẽ vna cum tactu sicci & humidi iudicẽ esse. Dubitant tamen interpretes, an veræ simpliciter sint propositiones illæ, quas Galenus in vniuersum veras esse pronuntiauit, Quidquid siccũ est, est necessario durũ, & Quidquid humidũ est, est necessario molle: videntur enim hæ quoq. vt veræ sint, caloris mediocritatẽ postulare. Quippe ferrũ siccum est, non

Lib. 5. de simp. medi. fac. c. 5.

A non tamen durum necessario; nam vbi à vehementi calore liquatur, potius est molle. Similiter aqua humida est, non tamen necessario mollis; quia vbi frigoris inclementia concreuit, dura potius sentitur. Hæc sane, alioqui facillima, eo adegerunt interpretes qui in hunc locum inciderũt, vt partim ridiculas, partim mõstrosas explicationes conscribere sint coacti, quas longum esset nunc persequi. Quidquid ergo siccum est, durum esse cum Galeno concedimus: durum inquam per se, & ex propria sui natura, veluti ferrum & æs. Et rursus quidquid est humidum, idem per se, & ex propria natura est necessario molle, vt aqua, oleum, vinum. At gelu (si Aristoteli credimus) ex accidenti quidem & actu siccum est, proindeque necessario durum: & liquatum ferrum ex accidenti & actu est humidum, propterea que necessario molle. At quod durum est, non est necessario siccum, ex sua scilicet natura; cum posit siccum esse per accidens, veluti gelu. Neque quod molle est, ex sua natura humidum est necessario; cum per accidens humidum esse posit, vt liquatum ferrum. Lib.2.de part. ani.cap.3.

B

Verum si hæc ita se habent, partium quæ in humano corpore sunt duræ, nulla est humida; neque enim tanta esse in eo frigiditas potest, vt aliquid in ipso concrescere in duritiem queat. Potest enim quod prius fuit fluxile, aliquando concrescere, veluti adeps; (quod enim oleosum in sanguine, fluxileque & pingue est, vbi in frigidum venit locum, cogitur) durum tamen ne sic quidem efficitur.

Quamquam corporum siccitas non posit in vniuersum ex duritie certo colligi, nisi mediocritas adsit in calore & frigore; id tamen definire, dum corporis humani partium temperamenta inquirimus, necessarium non est. In vniuersum enim quæcũq. corporis partes duræ sunt, eædem sunt necessario siccæ ex sua natura; cum tãta in nostris corporibus frigiditas esse nequeat, vt quæ humida sunt, possint vnquam in duritiem concrescere. Nam quamuis adeps à frigido cõcrescat, non tamen concrescit in duritiem: fit namq. adeps ex eo quod in sanguine oleosum est, fluxile, & pingue; vbi id in frigido cogitur loco, quemadmodum etiam docuit lib. 1. Hinc intelligimus, duas esse generationis adipis præcipuas caussas, effectricem, & materiam. Materia quidem est sanguinis oleosi pinguisq. portio, quæ sane concretioni omnium est aptisima. Effectrix vero est partium spermaticarum frigiditas, quales membranæ sunt, & vasorum tunicæ: iuxta quas oleosus sanguis sensim concrescens, in adipem tandem mutatur. Sed si à frigido cõcrescit adeps, vt dictum est, qui fieri potest vt iuxta partes calidas copiosus interdum gignatur? Nam licet iuxta iecur, arterias, venas, aut cor, aut aliã præcalidam particulam posse adipem concrescere negarit Galenus; monstrat tamen anatome, in renibus humanis tantam adipis copiam reperiri, vt hanc ob caussam apte dissecari nequeant in administratione anatomica. Immo & circa cor, viscus omnium calidisimum, adipẽ concrescere experimur, quem tamẽ nõ à cordis calore, sed à frigiditate vasorũ concrescere, rationi est cõsentaneũ. Vnde fit, vt ad cordis basim, vbi arteria & vena coronaria reperitur, adeps potisimũ concrescat. Similiter in renibus, non ab ipsorũ calore, sed à mẽbranæ ipsos vestientis, & tunicarũ, quæ in propriis vasis sunt, frigiditate adipem fieri est probabile. Quare verum illud perpetuo est, adipem cõcrescere à frigido, etiã si iuxta partes calidissimas gigni posit. Sed rursus, si à frigido adeps cõcrescit, cur in pericardio, cerebri menyngibus, aliisq. quibusdã frigidis particulis raro aut

C (margin letter at "humani partium"); Cap.vlt. (margin at "etiam docuit lib. 1."); D (margin letter at "sus interdum gignatur"); Lib.1.de temp. cap. vlt. (margin at "Galenus")

nunquã conspicitur? Num quia nullus in eiusmodi partibus futurus erat adipis vsus? mihi profecto ita videtur. Quippe cum natura semper agat propter finem, quemadmodum eo præsente ad agendum excitatur, ita & deficiente ab agendo cessat, prorsusq. quiescit. Hinc ergo fieri existimo, vt iuxta partes natura calidissimas (quales sunt renes & cor) adipem quoque concrescere natura sinat; vt vehementissimo horum viscerum calori sese veluti opponat, & munimentum quoddam humido innato efficiatur. In his autẽ partibus, quibus adeps vtilis esse non poterat, sed noxius potius & molestus, adipem gigni numquam permittit, etiam si sint natura frigidæ: quale est pericardion, & cerebri menynges. Ergo (vt eo vnde digressa est nostra reuertatur oratio) cum tanta in nostris corporibus frigiditas inueniri non possit, vt quæ humida sunt in duritiem concrescant; tuto colligere possumus, eas omnes corporis partes esse ex sua natura siccas, quæ sentiuntur duræ. Idem nos Galeni exemplo de partibus mollibus vere asserimus, quęcumque enim partes molles tanguntur, sunt ex sua natura necessario humidæ. Neque enim tanta in nostris corporibus reperiri vnquã potest caliditas, vt quæ sicca sunt violenter colliquet. Fatemur quidem, in hecticis febribus, & colliquantibus, pinguedinem & carnem tenellam sensibiliter liquari, cum partes istę sint omnium humidissimæ. At partes siccas (quales sunt solidæ) colliquari est impossibile, cum insensibiliter potius vi febrilis caloris dissipentur. Immo (si Galeno credimus) neque vetusta caro in eiusmodi febribus colliquatur, sed à febrili calore torretur potius, ac veluti frigitur: vnde & orobina vocata contenta in vrinis aliquando apparere solent.

A B

Lib. 10. metho. med. cap. vlt.

CAP. V.

C



OMMODE igitur dictum veteribus est, humidißimam esse adipem.

Non oblique (vt visum est Hieremiæ) sed recto ordine nũc disputat de partium temperamentis. Non enim satis erat nouisse optimam corporis temperiem, nisi & partium omnium, & humorum qui in homine temperato reperiuntur, temperamenta cognoscerentur. Exorditur autem à partibus humidis, inter quas primum sibi vendicat locum adeps, cuius generationem antea explicauerat. Operæpretium tamen fuerit, nominum varietatem primum explicare, simulque inquirere, sitne adeps vera corporis pars, vt ipsius temperies facilius intelligatur. Corpus illud, quod ex sanguine oleoso ac pingui iuxta frigidas partes concrescente fieri diximus, duobus nominibus apud Aristotelem, Galenum, aliosque auctores exprimi solet. Dicitur enim σέαρ & πιμελὴ, quæ nomina Aristotelis interpretes (potissimumque Theodorus) Latine reddunt seuum & pinguedinem. Distiguũtur hæc ex Aristotelis sententia ratione materiæ, quia licet ex oleoso sanguine vtrumque gignatur; seuum tamen ex crassiori corpulentiorique sanguine, pinguedo vero ex sanguine humidiori ortum habet. Quo fit, vt in hircis, bobus, atque in vniuersum in animalibus cornigeris seuum copiosius abundet; pinguedo vero in suibus, hominibus, ceterisque omnibus, quibus humidior est sanguis. Distinguit quoque idem Aristoteles seuum & pinguedinem ratione loci, nam pinguedo (vt ipse ait) inter cutem & carnem, seuum vero in fine carnium gignitur. At cum in diuersis animalibus pinguedo & seuum ad omentum concrescant; non omnino certum aut perpetuum est huiusmodi discrimen. Interpretes Galeni σέαρ, interpretantur plerumque

D

Lib. 2. de par. ani. cap. 5.

Lib. 3. de natu. animal cap. 11.

A rum quæ adipem, πιμελὴν vero pinguedinem; inter quæ id discriminis statuitur, quod pinguedo mollior sit & fluxilior; adeps autem crassior & minus fluxilis. Vnde alterum sequitur discrimen, quod scilicet pinguedo facilius liquetur, & semel liquata difficilius concrescat; adeps contra difficilius liquetur, & cõcrescat facilius. Interdũ tamen adipem cum pinguedine cõfundentes πιμελὴν, conuertunt adipẽ, vt fecit Linacer hoc libro & superiori. Quare non est cur de nominibus simus solliciti, cum passim ab auctoribus confundantur, teste Galeno. Immo & inter recentiores axungiam aliqui à seuo & pinguedine hoc nomine distinxerunt, quod in animalibus vtrinque dentatis gignatur pinguedo; in iis quæ vna dumtaxat parte dentata sunt, seuum; in auibus autem axũgia. Sed neq. id perpetuum, cum & axungiam porcinam passim appellent. His de nominum varietate vtcumque statutis, inquiramus deinde, sitne pinguedo vera corporis pars. Sentiunt plerique, Fernelium sequuti, veram partem non esse, quia pinguedo neque nutritur, neque vere augetur; sed noua dumtaxat partium additione, non secus ac pili & vngues. Præterea, quia propriam circumscriptionem nõ habet, quam tamen veris partibus Galenus manifeste tribuit. Deinde, quod tempore inediæ reliquæ partes pinguedine nutriantur; hinc enim fieri aiunt, vt per inediã corpora marcescant. Ac tandem, quod pinguedo à frigido concrescat, & ex solo sanguine generetur; cum tamen veræ corporis partes à calido gignantur, ex duobusque generationis principiis, semine & sanguine, ortum habeant. Nos tamẽ pinguedinem veram esse corporis partem arbitramur, quam sententiam Galeno consentaneam esse credimus; qui præterquam quod inter partes similares pinguedinem aliquando recenset, facultates naturales ipsi euidenter concedit. Scribit namque lib. de sang. miss. adenes excipiendis excrementis esse idoneos, tum ob substantiæ laxitatem, tum quia omnium partium minime robustas habent naturales virtutes, sicuti & pinguedo. Et rursus in art. med. in quatripartita illa partiũ diuisione, inter eas partes adipem enumerat, quæ à seipsis gubernantur: gubernantur autem à seipsis, quæ naturales facultates insitas habent. Quamobrem libenter concedimus, pinguedinem vere nutriri, ac augeri non secus ac carnes, non sola partium additione vt pilos & vngues. Concedimus itidem, propriam habere circumscriptionem quemadmodum carnes, minus tamen delineatam, quia pars est omnium imperfectissima. Neque vero credendum est, pinguedinem tempore inediæ nutrimentum ceteris partibus præbere; marcescũt enim tunc corpora, quia caro & pinguedo ob nutrimenti defectum prompte absumuntur à calore. Et quamuis pinguedo à frigido concrescat, negandum propterea non est, à calido, vt reliquas omnes partes, gigni. Frigidi namque nomine calidum imbecillum intelligimus, quale in partibus natura frigidis, vt membranis & vasorum tunicis, reperitur; quarum temperamento natura vtitur ad pinguedinem gignendam. Quo etiam pacto alias quasdam naturæ actiones, quæ imbecillo calori debentur, ad frigiditatem referimus, quæ tamen nullius actionis naturalis instrumentum esse potest. Nam vt biliosi sanguinis generationem ab immodico iecoris calore, ita sanguinis pituitosi generationem ab eiusdem frigiditate prouenire passim asserimus. Porro quod à calore gignatur etiã adeps, significauit haud dubie Galenus, qui lib. 2. de fac nat. adipem, nõ secus ac os, cartilaginem, & venam, à natura (cuius instrumentũ calor est) & fingi, & augeri scripsit. Neque necessarium est, (vt illi putant) omnes corporis partes ex semine & sanguine fieri, nam quæ post formatum animal gignuntur, ex solo sanguine fieri certum est; qualis est caro in ca-

Lib. 11. de simp. med. fac. cap. 3. & lib. 3. de alimen. fac. cap. 11.

Lib. 11. de simp. med. fac. cap. 3.

B Lib. 2. de nat. par. med. cap. 2.

Lib. 1. de vsu part. cap. 1.

C Cap. 8.

Cap. 9.

D

nis vlceribus, & noui dẽtes, qui post multos annos nascuntur, vt alibi dicemus. A Quemadmodum ergo huiusmodi partes ex solo sanguine fiunt à facultate generatrice in partibus relicta; ita & pinguedo formato iam fœtu, ex solo gignitur sanguine, à facultate generatrice, quæ in partibus spermaticis ex semine relinquitur. Cum itaq. pinguedo vera sit corporis pars, fiatque ex sanguine oleoso iuxta partes frigidas concrescente, recte à veteribus dictum est, eam esse humidissimam, non omnium quæ in corpore sunt (est namque pituita pinguedine multo humidior) sed omnium corporis partium. Quippe cum leuissima præcedere debeat alteratio, vt pinguedo ex sanguine gignatur; merito fit, vt ad humidam sanguinis naturam inter corporis partes proxime accedat.

Secundo post eam loco carnosum genus. Eius plures sunt species, prima quidem quæ proprie caro appellatur; quam scilicet nusquam in corpore per se inuenies, sed est perpetuo musculi pars. Ab hac cuiusque viscerum propria substantia est. Eam Erasistratus parenchyma vocat, quasique pro re parua leuiq. habet; parum intelligens, cuiusque visceris actionem huic carni acceptam referri. Sed horum non est nunc tempus. B

Secundum in humiditate locũ carnoso generi tribuit, cuius duas species hîc (vt etiam alibi) proponit, carnem scilicet musculorum, & viscerum. Musculorũ caro proprie simpliciterq. caro dicitur, & nusquam sola inuenitur, sed est semper musculi pars. At carnem viscerum, quæ propria est ipsorum substantia, vocauit Erasistratus παρέγχυμα, quasi affusionem dicas; nam propria viscerum caro nihil aliud videtur esse, quam sanguis iuxta propria vasa affusus. Sed quamuis apta vsus fuerit appellatione, in eo tamen misere lapsus est, quod propriam cuiusque visceris functionem propriæ carni deberi nequaquam intellexerit. C Atqui si duæ tantum sint carnis species, constare profecto non poterit quod postea docebit; proprium scilicet cerebri corpus proximum esse adipi humiditatis ratione. Vt igitur hæc loca sibi inuicem cõsentiant, cogimur sub carnoso genere & propriũ corpus cerebri, & alias quasdam partes cõprehendere. Ad carnem igitur musculorũ vtcumq. referri possunt gingiuæ, virilis pudendi glans, tum etiam & glandulæ omnes; siue solum præbeant vsum, quales sunt in collo, axillis, & inguinibus; siue propriam habeant actionẽ, quales sunt testes, & mammæ. Quamuis enim eiusdem omnino naturæ non sint harum partiũ carnes cum carne musculorum, in eo tamen conueniunt, quod quemadmodum hæc simplex caro non est, sed fibris quibusdam intertexta; ita & illæ simplices carnes non sint, sed fibris etiam intertextæ, potissimumque neruels. Ad parenchymata siue viscerum carnes refertur caro cordis, quamuis neque viscus proprie sit cor, neque ipsius caro simplex sit vt caro viscerum; quemadmodũ postea dicemus. D Refertur itidem ad parenchymata propriũ cerebri corpus, vt recte sentit Syluius; quamuis neque proprie sit caro, neque ex sanguine ortum habeat; sed pars sit potius spermatica, vt albus ipsius color demonstrat. Quæ cum ita sint, nomine carnosi generis intelligimus cum Fernelio partes omnes, quę & molles sunt, & à calido concreuerunt.

In præfat. lib. de nat. hom.

Lib. 1. Isago. anat. cap. 9.

Lib. 1. de nat. par. med. c. 14.

Quod autem ipsum cerebri pulmonisque corpus proximum adipi humiditatis ratione sit, ex mollitie eius coniectare licet: non enim a frigido congelatur, cum nec calore fundatur.

Non

Non aduersatur is locus superiori, nam & carnosum genus secundum in humiditate locum obtinet, & proprium cerebri pulmonisque corpus proximum est adipi humiditatis ratione. Proprium namque pulmonis corpus parenchyma est, corpus vero cerebri refertur ad parenchymata; cum pars mollis sit, à calidoque concreuerit. Quod cerebrum & pulmo partes sint humidæ, constat ex mollitie; quod autem minus sint humidæ quam pinguedo, constat itidem, tum ex minori mollitie, tum etiam ex eo quod non congelentur à frigido. Siquidem pinguedo pars est omnium humidissima, vt antea diximus; quoniam ex sanguine oleoso gignitur à frigido concrescente, leuissimamque proinde mutationem perpesso, natiuamque humiditatem seruante. At cerebrum & pulmo cum à calido concreuerint, partes sunt minus humidæ, quoniam agente calido magis absumpta est principiorum humiditas. Porro quod proprium cerebri pulmonisq. corpus non concreuerit à frigido, ex eo cõfirmat quod à calore nequaquam liquetur quemadmodum pinguedo. Vnde necessario colligitur, quæcumq. concreuerunt frigore, calore liquari; quamuis necessarium non sit, quæcumque calore liquantur, frigore concreuisse; vt ostendunt metalla, & in nostris corporibus caro. Ceterum licet de cerebri humiditate nemo hactenus dubitarit, de pulmone tamen res est controuersa. Putant enim plerique, Auicennam aduersus Galenum sensisse pulmonem ex sua natura siccum esse, & ex accidenti humidum; quia humidis vaporibus facile repletur, & frequentissime suscipit humidas fluxiones. Falso tamen hanc sententiam Auicennæ adscribunt, quem sane constat pulmonem quoque humidum statuere; in eoque tantum dissentire à Galeno, quod pulmonem dixerit humiditate quidem adscititia humidiorem esse iecore, minus autem humidum humiditate natiua. Esse autem iecore ficciorem pulmonem, ex proprio ipsius nutrimento cõfirmat; nutritur namq. Galeno etiã auctore, sanguine tenui ac maxime flauo, quem ipse biliosum interpretatur. Negamus tamen, tenuem illum flauumque sanguinem, quo pulmo nutritur, biliosum esse; neque enim ex permixtione bilis, sed ex permixtione spirituum tenuis efficitur. Quippe venalis sanguis, qui ex hepate per venam cauam ad dextrum cordis vẽtriculum transmittitur, plurimis vitalibus spiritibus inibi permiscetur, à quibus & tenuitatem & flauitiem accipit. Ex dextro autem cordis ventriculo per venam arterialem transfertur ad pulmonem; cui natura spirituosum eum sanguinem, tamquam idoneum nutrimentum præparauit: cum pulmonis substantia rara admodum sit, laxa, & veluti spumosa. Porro cum ex duritie & mollitie iudicandum sit de partium siccitate & humiditate; erit profecto pulmo iecore tanto humidior, quanto mollior sentitur. Quæ cum ita sint, nescio certe, cur à Galeno deficiens Fernelius, pulmonem non solum iecore ficciorem, sed etiam ex sua natura siccum statuerit.

Fen. 1. lib. 1. doct. 3. cap. 2.

Lib. 4. de vsu part. cap. 15.

Lib. 6. de vsu part. cap. 10.

Lib. 3. de natu. par. med. cap. 6.

Propinquam his naturam habet [ossium] medulla.

Si contextus seriem expendas, hũc partium humidarum ordinem obseruabis, vt pinguedo pars sit omnium humidissima; secundum locum obtineant cerebrum & pulmo cum vniuerso genere carnoso; deinde vero sequatur ossium medulla. Inartificiosum enim est, & seriei dictionis parum consentiens, quod a quibusdam dici solet; nullo scilicet seruato ordine partes humidas hoc loco recenseri; eoque tantum nomine ossium medullam propinquam cerebro & pulmoni

pulmoni naturam habere, quod humiditatis ratione cum ipsis conueniat. Quod A
si prædictum ordinem seruari concedamus, videtur locus iste cōstare non posse; tertium namque in humiditate locum ossium medullæ tribuit, cui secundus potius debetur; cum cerebro & pulmone tanto sit humidior, quanto mollior
Cap. 10. sentitur. Eandem quoque Galenus lib. 3. de alim. fac. non solum spinali me-
Cap. 1. dulla, verum etiam cerebro humidiorem esse concesit. Neque humidiorem ipsam dixit, quatenus nutrimentum, vt aliqui voluerunt; quorsum enim subiunxisset pinguiorem esse & molliorem? Adde quod lib. 1. de mot. musc. (vbi non potest ossium medullam vt nutrimentum considerare) cerebro humidiorem atque fluxiliorem eandem constituit. Quare non immerito Hieremias miratur, quid Galeno, dum hoc scriberet, in mentem venerit. Ipse vero, nescio qua noua religione ductus, locum hunc explicare tentauit ex diuersis tēporibus, quæ in concoctione medullæ ossium, veluti ætates quasdam, considerat. Quippe vbi B
medulla intra osium cauitates concoqui incipit, ac rursus vbi mediocriter cōcocta iam est, cerebro humidiorem esse ait; sicciorem vero, quando in ossis nutriendi substantiam iamiam cōuertitur. Mihi tamen absurdum prorsus videtur, ex eo potissimum tempore medullæ naturam explicare, quo iam fere medulla esse desinit, atq. in osis naturam mutatur. Colladus autem sentiebat, pronomē illud relatiuum His, non tātum ad pulmonē & cerebrum, sed etiam ad pinguedinem referri debere. Ita vt ossium medulla naturam cerebro, pulmoni, & pinguedini propinquam dicatur habere, quia media est inter illa, veluti extrema quædam. Est namque medulla osium minus quidem humida quam pinguedo; cerebro tamen & pulmone humidior. Acuta me hercle doctaque interpretatio, nisi Galenus carnoso generi secundum in humiditate locum tribuisset; quem tamen osium medullæ tribuit Colladus. Rectius multo sentit Fuchsius, male hunc locum fuisse à Linacro trāslatum, qui antiquum interpretem sequu- C
tus, Græcam dictionem τὸν μυελὸν, ad osium medullam contraxit; quæ tamen medullam in vniuersum significat, siue medulla osium sit, siue spinalis. De medulla vero in vniuersum non de sola osium medulla locum intelligendum esse censet. Ita vt medulla dicatur propinquam habere naturam cerebro & pulmoni, quia duplex cum sit, altera quidem, nēpe medulla osium, paullo est illis humidior; altera vero, nempe spinalis aut dorsalis, iisdem est paullo siccior. Verum quamuis Linacrum merito reprehendat Fuchsius, ipsius tamen explicatio communem cum superiori refutationem admittit. Quamobrem recepta translatione Fuchsii, explosaque ipsius explicatione, locum hunc de sola spinali medulla cum Lopezio interpretamur; quæ sane, cum minus quam cerebrū & pul- D
mo humida sit, vere dicitur propinquam illis naturam habere. Huic tamen explicationi (alioqui facillimæ & verisimæ) illud solum aduersari videtur, quod
Cap. 10. scribit Galenus lib. 3. de alim. fac. medullæ scilicet simpliciter dictæ nomen, osium medullam significare; medullam vero spinalem perperam medullam dici, sed cum adiectione tātum spinalem, aut dorsalem medullam vocari: quod scilicet alba sit, & intra ossa cōtineatur, quemadmodum osium medulla. Quo
Lib. 2. de par. etiam pacto testatur Aristoteles, cerebrum à quibusdam medullam appellari,
ani. cap. 7. quod scilicet album sit, & contineatur intra ossa. Certe si perpetuus esset is nominum vsus, impropriètatis, non mendacii accusaremus Galenum, quemadmodum & ipse aliquando accusauit Hippocratem. Reuera tamen medullæ simpliciter dictæ nomen, spinalem medullam ipsimet Galeno aliquando significat. Quod sane constat ex lib. 2. de fac. nat. cap. 3. vbi medullam inter corporis partes

A ris partes recenset, eamque exanguem esse ait, ex sanguine tamen factam, non secus ac os, cartilaginem, venam, & neruum. Qui locus de spinali medulla necessario intelligendus est, cum ossium medulla neque pars corporis sit, neque in prima statim animalis formatione generetur.

Non est tamen eiusdem generis cum cerebro & spinali medulla; ea quæ in quolibet habetur osse. Sed cerebrum & spinalis medulla eiusdem sunt generis; reliquæ omnes medullæ alterius naturæ sunt. Est tamen humidius ac calidius cerebrum quam spinalis medulla, eoque etiam mollius. Præterea ipsius cerebri priores partes tanto sunt humidiores, quanto molliores.

B Cum medullæ nomen commune sit cerebro, spinali medullæ, & alteri quæ in ossibus habetur; hæc tria merito comparat inter sese. Docet autem inprimis, medullam ossium non esse eiusdem generis cum cerebro & spinali medulla: id quod explicauit accuratius lib. 1 de mot. musc. vbi vtramque medullam tripli- Cap. 11. ci nomine distinxit. Siquidem spinalis medulla ex cerebro ortum habet, medulla vero ossium intra ossium cauitates continetur, vt præbeat ipsis nutrimẽtum. Præterea spinalis principium est multorum neruorum, cum triginta ferme magnorum insigniumque neruorum paria ab ipsa nascantur; quorum ratione cum magnis musculis communicat: at medulla ossium nullius nerui principium est, neque cum musculis aliquam habet communitatem. Adhæc spinalis medulla duplici vestitur membrana, tenui & crassa, non secus ac cerebrum & nerui; medulla vero ossium nihil tale obtinuit. Porro cerebrum & spinalis medulla eiusdem generis dicũtur esse, quoniam hæc ex illo ortum habet. Non C tamen eadem omnino est vtriusque temperies, cum cerebrum humidius sit & calidius spinali medulla. Humidius quidem tanto est quanto mollius, nam spinalis medulla (vt ipsemet Galenus ait) nihil aliud videtur esse quam cerebrum Lib. 1. de mot. coactum magis & concretum. Licet vero tota spinalis medulla siccior sit & du- musc. cap. 1. rior cerebro; quo tamen inferior est, magisque à cerebro recedit, eo siccior duriorque sensim euadit. Est quoque cerebrum spinali medulla calidius, quia licet ex sua natura frigidum sit & exangue, indigebat tamen calore concoctionis opifice, quatenus instrumentum est concoctionis spirituum animalium. Ac rursus licet totum cerebrum humidum sit, anteriores tamen ipsius partes tanto sunt posterioribus humidiores, quanto molliores. Quæ partium varietas in cerebro & ad diuersorum neruorum exortum, & ad principes animæ actiones felicius obeundas fuit vtilissima. Nascuntur enim ex anteriori cerebro nerui po- D tissimum molles, qui ad propria instrumenta sensum deferunt; ex posteriori vero ortum habet spinalis medulla, quæ principium est omnium fere durorum neruorum. Iam vero cum imaginatio humiditate iuuetur; & memoria siccitate, oportuit profecto anteriores cerebri partes, in quibus elucescit imaginatio, humidiores esse; sicciores autem partes posteriores, in quibus viget memoria.

Omnia tamen hæc cute non humidiora modo sunt, sed etiam frigidiora: vnoque verbo omne exangue frigidius sanguine prædito est.

Non omnes partes, de quarum temperie hactenus disseruerat, humidiores & frigidiores cute esse inquit; sed solum cerebrum & spinalem medullam, de quibus

quibus proxime disputauerat. Neque enim musculorum carnes aut viscerum frigidæ sunt, cum sint partes sanguineæ; & (vt ipsemet ait) omne exangue frigidius est sanguine prædito. Vnde colligimus, generalem ac certam rationem indicandi de partium frigiditate aut calore à materia petendam esse, ex qua partes ipsæ potissimum constant. In vniuersum enim omnes partes exangues, quales sunt spermaticæ, frigidæ sunt ex sua natura; & contra omnes partes sanguineæ sunt ex sua natura calidæ. Sed quorsum ex partium materia de earum calore aut frigiditate nunc iudicat, cum frigidi & calidi corporis iudicium soli tactui antea commiserit? Num quia viuente homine partes quæ in intimo corpore delitescunt, tangi nullo modo possunt; dissecto vero, ab ambiente aëre facillime immutantur, caloreque dissipato celerrime perfrigerantur? A

Sed mirum fortasse videbitur, quod partes spermaticæ frigidæ sint, sanguineæ vero calidæ, cum semen sit sanguine calidius. Gignuntur quidem partes spermaticæ ex calidiori principio, sed cum ex materia diu multumque elaborata atque concocta gignantur, frigidæ remanent; tum quia tenue igneum, quod in semine erat, dissipatur; cum potissimum, quia humido ob vehementem elaborationem magna ex parte absumpto, calor simul contabescit. At partes sanguineæ, quamuis ex frigidiori principio cõstent, calidæ remanẽt; quia cum leuiori materiæ elaboratione indigeant, humidum in illis seruatur vna cum calore. Verum quamuis partes sanguineæ in vniuersum sint calidæ, & partes spermaticæ frigidæ; de pinguedine tamen & cerebro dubitari potest, sintne partes calidæ, an frigidæ. Pinguedinem multi cum Auicenna frigidam esse sentiunt, his rationibus persuasi; quia scilicet concrescit à frigido; & quia est pars exanguis; & quia in corporibus frigidioribus (vt mulieribus, & otiosis) copiosa gignitur; & tandem quia à calore liquatur. Alii potius cum Aristotele calidam esse asserunt, quia (vt ipse ait) sanguis est coctus per bonam nutritionem; & quia finis concoctionis sanguineæ pinguedo est & adeps; & quia pinguedo facile inflammatur; & quia pingues sunt frigoris patientes; & tandem quia pinguedo calfacit. Hæc enim ratio est, cur omentum ventriculi concoctionem iuuet, quemadmodum testimonio eius, cui ex inflicto in abdomen vulnere, bona omenti portio abscisa fuerat, recte cõfirmat Galenus. Is namque curato vulnere, de imbecilla ventriculi concoctione perpetuo conquestus est. Nos tamen has omnes, & alias his similes rationes, quæ in vtramq. partem adferri possunt, inefficaces esse arbitramur, & facile ab eo solui posse, qui quæ de pinguedinis generatione antea diximus, attente considerauit. Sentimus vero pinguedinem modice calidam esse, nam quamuis quatenus ex sanguine gignitur, debuisset esse calida; quia tamen à frigido concrescit, modice calida, aut in calore & frigore temperata euadit. Idem quoque colligitur ex lib. 1. de temp. vbi crasso oleo similem esse pinguedinem dixit; at oleum (vt Galenus fatetur) in oppositione frigidi & calidi temperatum est. Docuit ibidem, octo intemperies in partibus corporis inueniri; at nisi pinguedo temperata sit in calido & frigido, nullibi inuenietur simplex intemperies humida. Hæc de pinguedine. De cerebro autem nulla videtur esse controuersia, cum ab omnibus frigidum statuatur. Immo Aristoteles frigidissimum esse voluit, & solius cordis refrigerandi gratia à natura creatum: ignorans scilicet maximam cerebri dignitatẽ & vsum, quippe quod principium sit sensus & motus, ac proinde animæ sedes. Porro cũ Galenus hoc loco cerebrum esse frigidum verissime dixerit, quia exangue; sibi contradixisse videtur, dum scribit alibi, cerebrum quouis tempore

Marginalia: B (beside "Sed mirum fortasse"); Lib. 2. de part. ani. cap. 5. & 5. (beside "otiosis... Aristotele"); C (beside "& quia in corporibus"); Lib. 4. de vsu part. cap. 9. (beside "vulnere, bona omenti"); D (beside "tur, debuisset"); Cap. vlt. (beside "in calore & frigore"); Lib. 2. de sim. med. fac. cap. 21. & 22. (beside "temp. vbi crasso oleo"); Lib. 2. de par. ani. cap. 7. (beside "frigidum statuatur"); Lib. 8. de vsu part. cap. 2. (beside "rit, quia exangue")

A tempore multo calidius aëre inueniri. Idq. experimento constare inquit, siue ruptum alicuius caput manu curauerimus, siue experiundi gratia animali cuipiam cranion exciderimus. Nemo itidem est qui ignoret, in curandis capitis vulneribus ossa quam citissime excidenda esse, ne cerebrũ refrigeretur, etiamsi
„ fuerit æstas. Et rursus agens in Aristotelem, Quo pacto, inquit, cerebrum non Cap. 3.
„ est aëre calidius, cui certe lethale est, si æque ac aër refrigeretur Si igitur cerebrum quocumque aëre calidius est, erit necessario cute calidius, quoniã æstiuus aër calfacit cutem. Ceterum vt hæc loca sibi mutuo consentiant, reuocare in memoriam oportet quod dictum est lib. 1. de temper. partium scilicet tẽperamenta aliquando expendi ex propria sui constitutione, aliquando vero ex ea alteratione, quam ex influxu aut contactu alicuius substantiæ suscipiunt. Si igi- Cap. vlt.
B tur temperies cerebri ex propria sui constitutione expendatur, dicendum est necessario, cerebrum esse frigidum, cum sit exangue, vt ait hoc loco. Si vero cerebri temperies perpendatur, non ex propria sui natura, sed quatenus ab vtroque sanguine & vitali spiritu secundum naturam incalescit: erit profecto cerebrum quocunque aëre calidius.

Proxima cuti est mollium neruorum natura, duriores autem in humido & sicco secundum cutis naturam se habent. Calore ab eius natura tantum absunt, quantum consentiens est exangue corpus a sanguine prædito abesse.

C Ex cerebro & spinali medulla nerui omnes nascuntur, qui in vniuersum sunt duplices; molles, qui deferunt sensum; & duri, qui motum. Mollium neruorum naturam cuti proximam esse inquit, duriores autem in humido & sicco secundum cutis naturam se habere. Qui locus videtur pugnare cum altero libri primi, vbi docuit, neruos duros sicciores esse cute, molles autem in humiditate & siccitate mediam, sicuti cutem, naturam habere. Quocirca non est à ratione alienum Hieremiæ iudicium, qui locum inuersum esse censet, legendumque ad Cap. vlt.
„ hunc modum. Proxima cuti est durorum neruorũ natura, molles autem in hu-
„ mido & sicco secundum cutis naturam se habent. Quo pacto vterque locus sibi inuicem consentiet, quia neruorum durorum natura dicetur nũc cuti proxima, quod sint cute paullo sicciores. Vallesius tamẽ seruata Linacri lectione locum Lib. 1. controu.
„ sic explicat: cutis, inquit, sita est in medio mollium & durorum neruorum: mol- cap. 10.
D les sunt molliores cute, duri duriores; à se inuicem satis distant, sed à cute vtri-
„ que parum: proinde quasi parum distantes vtrosque contulit cuti, illos in pri-
„ mo libro, hos in secundo. Sed non animaduertit, se vtrosque neruos intemperatos statuere, cum tamen Galenus libro primo solos molles temperatos esse dixerit, nunc contra solos duros. Quamobrem sententiam Fuchsii magis pro-
„ bo, qui negationem addit ex antiquo interprete ad hunc modum, Proxima cu-
„ ti est mollium neruorum natura, duriores autem non secundum cutis naturam
„ se habent. Qui sensus facilis simul est ac verus, nam proxima cuti est mollium neruorũ natura, quia temperati sunt in humido & sicco quemadmodum cutis; duriores autem non secundum cutis naturam se habẽt, quoniam sicciores sunt cute, vt primo libro dixerat. Videtur tamen aliquando sensisse Galenus, neruos molles in humido & sicco temperatos non esse: nam lib. 1. de mot. musc ad hũc Cap. 1.
modum scribit. Et quicumq. neruorum molliores sunt, hi nihil à medulla spina-
„ li differre tibi videbuntur. Atqui spinalis medulla humidior est cute, ergo &
„ nerui molles erunt cute humidiores. Ceterum hunc locum docte explicabat

Colladus,

Colladus, inter neruos molles id discriminis statuens, quod alii molliores sint, alii minus molles. Molliores sunt, qui peculiarem sensum visus, auditus, olfa-ctus, & gustus, deferunt ad propria instrumenta: minus vero molles sunt; qui ta-ctum potissimum deferunt, quales sunt qui disperguntur per cutem. Qui igitur minus molles sunt, temperati sunt in humido & sicco quemadmodum cutis; qui vero molliores sunt, humidiores sunt cute, vt spinalis medulla. Quod attinet ad calidi & frigidi oppositionem, certum est vtrosque neruos esse frigidos, cum sint partes exangues. A

Lienis autem, renum, & iecinoris caro tanto cute est humidior quanto est mollior: calidior autem, quanto magis abundat sanguine. B

Ad genus carnosum reuertitur, & quoniam cerebri & pulmonis meminerat, de reliquis carnibus nunc disputat; ac primum de reliquis parenchymatis, liene, iecore, & renibus. Horum itaque viscerum propriam carnem tanto cute humidiorem esse inquit, quanto mollior apparet. Cum autem lienis caro mollior sit carne iecoris & renum, erit profecto lien inter viscera post pulmonem humidior. Quod parum attente nonnulli considerantes, iecur cum Auicenna liene humidius esse temere crediderunt. Quibus etiam fauere videtur ratio desumpta ex proprio lienis nutrimento; quod cum melancholicum sit, proindeq. crassum & terrestre, lienis carnem crassiorem efficiet & duriorem. Res tamen

Lib. 4. de vsu par. cap. 15. aliter habet, nam proximum lienis nutrimentum, teste Galeno, tenue potius est quam crassum. Non enim succo melancholico à se attracto protinus nutritur lien, sed calore qui ex corde ad arterias influit, & perpetuo earundem motu tamdiu extenuat, ac concoquit, donec in tenuem sanguinem ipsum transmutauerit. Quo fit, vt lienis caro mollis sit, rara, & nigra, proprii nutrimenti naturam referens. Lienem in humiditate sequitur iecur, cuius caro liene quidem durior est, renibus tamen mollior: quod itidem proprii nutrimenti naturam rationemque sequitur. Quantum enim differt nutrimentum pulmonis, lienis, & iecoris, tantum quoque differunt horum viscerum carnes. Nutritur autem pulmo sanguine tenuissimo & maxime flauo; lien sanguine tenui & nigro; iecur sanguine crasso & rubro. Quare pulmonis caro laxa est & veluti spumosa; caro lienis, mollis quidem, sed nigra; caro autem iecoris rubra, crassior tamen & durior. Inter viscera minus humidi sunt renes, cum & ipsorum caro minus sit mollis. Quamuis enim tenuiori sanguine nutriantur, oportuit tamen densam esse ipsorum substantiam, ne vna cum vrinis sanguis quoque elaberetur. Neq. vero humida tantum sunt viscera, verum etiam calida; immo tanto sunt calidiora cute quanto magis abundant sanguine. Vnde intelligitur error Fernelii, qui parenchymata vel prorsus, vel plurimum ex semine fieri arbitratur. Si enim, inquit, gignendi sanguinis principium est iecur, quomodo id ipsum ex sanguine gignetur? Quasi vero iecur fœtus aut sanguinem gignere, aut ex sanguine à se genito formari debeat. Formatur namque ex sanguine materno, eodemq. nutritur, dum fœtus in vtero gestatur. Quo tempore nec sibi, nec aliis partibus alendis sanguinem gignit. Fœtu autem in lucem iam edito, absurdum non est, iecur ex materno sanguine genitum, ad sui totiusque corporis nutritionem sanguinem gignere. Eadem ratio & cordis est. C D

Lib. 5. de vsu part. cap. 7.

Lib. 1. de nat. par. med. c. 14.

Iam cordis caro omnibus his tanto est siccior, quanto est durior; calidior

vero

A *vero non modo his, sed etiam omnibus plane corporis particulis. Quod etiam sensu clare deprehendas licet in pectoris animalis dissectione, si digitum in sinistrum eius sinum immiseris: inuenies enim locum hunc omnium quæ in animali sunt non paullo calidissimum. At iecinoris, lienis, renum, & pulmonis caro, simplicis cuiusdam naturæ est, circa cuiusque visceris venas, arterias, & neruos crescens. Cordis simplex carnis natura non est, sed sunt in eo fibræ, quales in musculis cernimus, quibus caro circumhæret. Ceterum non est idem fibrarum genus, sed quæ in musculis habentur, neruorum & ligamentorum sunt particulæ; cordis propria quædam fibrarum est species, æque scilicet vt venarum tunicæ atque arteriarum; itemque intestinorum, ventriculi, vteri, & vesicæ vtriusque.* B *Licet enim in his quoque instrumentis propriam quandam videre carnem, suis ipsorum fibris circumnascentem.*

Carnem cordis comparat carnibus viscerum & musculorum, cum quibus in eo conuenit, quod calida sit & humida. Differt tamen à carnibus viscerum duplici nomine. Primum quidem, quoniam siccior est, & multo calidior. Sicciorem esse cognoscimus ex ipsius duritie, quia licet mollior sit, proindeque humidior cute, vt dixerat libro primo; viscerum tamen carnibus durior est. Decipiuntur ergo qui siccum esse cor cum Auicenna opinantur. Sed dices, si cor, teste Galeno, ex sanguine arteriali tenuissimo gignitur, qui fieri potuit, vt ipsius caro siccior duriorque euaserit? Certe ex vtroque sanguine, venali & arteriali, cor genitum esse credimus; ita tamen, vt ex venali substantiæ modum, ex arteriali temperamenti qualitatem potius acceperit. (Lib. de fœt. form. cap. 3.) C Atque hinc factum est, vt ad sui nutritionem vtroque itidem sanguine indiguerit; venali quidem crassiori, vt densa ipsius substantia instauretur; arteriali vero calidiori, vt natiua temperamenti qualitas conseruetur. Porro carnem cordis, & viscerum carnibus, & ceteris omnibus corporis partibus multo calidiorem esse, experimento confirmat. Nam si animalis pectore dissecto, in sinistrum cordis ventriculum digitum immiseris, inuenies locum hunc omnium quæ in animali sunt longe calidissimum: neque id sane immerito, cum arterialis sanguis & spiritus vitalis in sinistro ventriculo generentur. Fallitur ergo Aristoteles, qui ventriculum potius dextrum calidissimum statuit. (Lib. 3. de par. ani. cap. 4.) Differt secundo cordis caro à carnibus viscerum, quod hæ simpli- D cis cuiusdam naturæ sint, circa cuiusque visceris venas, arterias, & neruos, veluti concrescentes; proinde namque ab Erasistrato vocatę sunt parenchymata. At caro cordis simplex non est, sed fibris quibusdam intertexta. Hinc intelliges, cor proprie non esse parenchyma, aut viscus, cum ipsius caro simplex non sit, sed intertexta fibris. Quamuis interdum cor, cerebrum, & omnes fere partes internæ viscera abusiue dicantur; quo sensu dixerat lib. 1. cor viscus esse omnium animalis particularum maxime sanguineum, & calidissimum. Supersunt itaque quattuor dumtaxat proprie dicta viscera, aut parenchymata, nempe pulmo, lien, iecur, & renes; quoniam hæc sola carnem simplicem habēt, nullis intertextam fibris, sed propriis vasis veluti affusam. Præterea caro cordis cum carne musculorum conuenit, quod simplex non sit, sed intertexta fibris. Vnde quorundam error deprehenditur, qui musculorum carnem, simplicem

appellant; ex eo forsan decepti, quod caro simpliciter dicatur. Aliud namque est carnem simplicem esse, aliud vero carnem simpliciter ac proprie vocari. Neque his aduersatur Galenus, cum musculos dixit esse carnes quasdam ex simplici carne & fibris compositas; tunc enim considerabat totius musculi compositionem ex suis partibus similaribus; nunc vero solius carnis musculorũ naturam expendit. Distinguitur tamen musculorum caro à carne cordis, quod idem in vtraque non sit fibrarum genus. Nam musculorum fibræ neruorum & ligamentorum sunt particulæ, quę per musculorum carnem (vt Galenus voluit) disseminatæ, in tendonem tandem degenerant: quamuis hæc tendonis generatio plerisque anatomicis credatur esse fictitia. At cordis fibræ non sunt neruorum & ligamentorum particulæ, sed diuersæ cuiusdam speciei & naturæ. Alia duo inter cordis & musculorum fibras discrimina adiunxit Galenus lib. 6. de vsu part. Quippe in corde triplex fibrarum genus reperitur, rectarum, obliquarum, & transuersarum; quibus attrahit, retinet, & expellit. At in singulis musculis simplex est fibrarum genus, quale scilicet necessarium erat ad proprium cuiusque musculi motum exercendum: qui simplex plerumque est, & cuique peculiaris. Sed neque id perpetuum est, cum musculi aliqui & varios edãt motus, & variã proinde fibrarum constitutionẽ sortiantur. Cuius generis est secundus musculus ex eorum numero qui scapulam mouent, qui quidẽ fibras habet oblique ascendentes, oblique descendentes, & transuersas; quoniam scapulam sursum ad occiput attollit, & trahit deorsum ad octauam thoracis costam, & simul mouet ad latus versus vertebrarum regionem. Differunt quoque fibræ musculorum & cordis, quod hæ firmiores sint ac robustiores, propter validum ac perpetuum cordis motum. Porro cum caro cordis propriis (vt dictum est) fibris contexatur, conuenit quoque hoc nomine cum ventriculo, vtero, intestinis, vtraque vesica, venis, & arteriis. In his enim omnibus instrumentis propriã quandam carnem videre licet propriis fibris circumnascentem, quæ pars similaris est, quemadmodum & fibrę. Neque enim locum hunc interpretari cum quibusdam oportet de propria carne & fibris partium spermaticarum quæ similares sint; sed de carne & fibris, quæ partes similares sunt aliquod instrumẽtum componentes. Nam quę caro propria est partium similarium, corporis pars non est, sed partium substantia carnosa, quemadmodũ & altera fibrosa. De qua sic Galenus lib. 10. metho. med. Siquidem in singulis simplicium, ac primarum quas vocant partium (vt in dissectionibus es contemplatus) alia portio substantiæ earum est veluti fibrosa, alia membranosa, alia carnosa. Hęc alia in aliis partibus habetur, nec vllum commune nomen est nacta; ceterum docendi caussa nihil vetat, eam carnosam substantiam voces, vel certe huius particulę quandam carnem. Et rursus lib. 11. metho. med. Natura ex tribus his partibus completur, ex spiritus, & partium quę vere dicuntur solidæ substantia, & tertia ab his carnosa, quæ cuique particulæ est sua.

Atque hæ quidem carnes cute sunt calidiores.

Dubiũ est, quas carnes hîc dicat calidiores cute. Sunt qui putent carnes esse viscerum, musculorum, & cordis. Sed cum harum carnium temperiem iam antea explicasset, quorsum eandem nunc repeteret? Alii volunt eas esse carnes, quæ singulis partibus similaribus propriæ sunt. Atqui (vt dictum est) huiusmodi carnes non sunt corporis partes, sed substantiæ quædam, quæ vna cum aliis duabus

In art. med. cap. 50. — Lib. 1. de mot. musc. cap. 1. — Cap. 8. — Cap. vlt. — Cap. 1.

A dantibus, fibrosa scilicet & mēbranosa, partes similares constituunt. Quamobrem locum de his carnibus intelligendum esse censeo, quas antea dixerat in plerisque instrumentis iuxta proprias fibras concrescere. Fortasse namque credidisset quispiam, solas carnes viscerum, musculorum, & cordis, calidas esse; carnes vero partium spermaticarum, vt ventriculi, intestinorum, & vteri, frigidas esse, quemadmodum & partes ipsæ spermaticæ frigidæ sunt. Ne igitur quispiam id sibi persuaderet, merito nunc affirmat, has omnes carnes, quæ spermaticorū instrumentorum partes sunt similares, esse etiam calidiores cute. Quippe cum partes spermaticæ non ex solo semine constent, quemadmodum neque ex solo sanguine partes carnosæ; illarum carnes ex sanguine potissimum fieri probabile est. Neque illud obstat, quod partes spermaticæ sint frigidæ, carnes enim calidæ à partibus frigidis, nempe tunicis & fibris, longo interuallo superantur.
B

Fibræ vero quam cutis, partim paullò magis, partim paullò minus tum frigidæ, tum siccæ sunt; partim similes omnino cutis substantiæ.

Obscura est hæc oratio, qua fibrarum omnium temperiem breuissime complectitur. Sentit Fuchsius velle Galenum, non esse eandem fibrarum omnium naturam; sed alias frigidiores esse cute, alias calidiores, alias humidiores, & alias sicciores. Debuisset tamē exemplis rem illustrare, ego namque nullas inuenio fibras calidiores cute, aut humidiores; cum sint omnes exangues & solidæ. Rectius multo locum explicat Hieremias, qui fibras omnes frigidas & siccas vere statuit; ita tamen, vt quædam magis frigidæ & siccæ sint; aliæ vero minus. Quippe quo partes solidiores fuerint, eo frigidiores & sicciores erunt
C ipsarum fibræ, & contra minus frigidæ & siccæ, quo partes fuerint humidiores. Quis enim dubitat, intestinorum, ventriculi, & vteri fibras frigidiores esse & sicciores fibris musculorum & cordis? Sed quænam sunt fibræ, quas postea dixit similes omnino esse cutis substantiæ: hoc enim videtur difficilius. Solus autem Lopezius id explicare aggressus, eiusmodi fibras eas esse sentit, quæ sunt in tunicis vasorum; quæ quidem sanguinis contactu ad mediā temperiem reuocantur. Ceterum licet fibræ vasorum in calido & frigido temperatæ fiant sanguinis contactu; non tamen dici possunt cutis substantiæ omnino similes, cū siccæ semper permaneant. Adde, quod quāuis libro primo, vt octo intēperies partibus accommodaret, ipsarum temperiem ex contactu & alteratione contractam expendere sit coactus; hoc tamen loco propriam singularum partium
D temperiem ex propria natura dumtaxat cōsiderat. Noster Colladus locum explicabat de neruorum fibris quæ disperguntur per cutem; hæ namque similem videntur habere cuti naturam. Sed neque constare id potest, cum eiusmodi neruorum fibræ similes tātum cuti esse possint in humido & sicco; nam cum sint partes exangues, frigidas eas esse necesse est. Alii probabilius multo de fibris quæ in sanguine sunt, locum intelligendum esse aiunt; quia vt sanguis ipse temperatus est, ita & ipsius fibræ videntur esse temperatæ. Verum cum agat nunc Galenus de temperamentis partium, non autem de temperamentis humorum, de quibus statim dicturus erat, displicet quoque horum sententia. Ego vero locum potius explicarem de propriis fibris quæ sunt in cute, licet admodum manifestæ non sint. Verisimile enim est, huiusmodi fibras in vtraque oppositione temperatas esse, quemadmodum & ipsa cutis temperata est.

Porro omnes membranæ cute sunt sicciores, veluti cerebri & spinalis medullæ inuolucra, quæ menynges dicuntur; sunt enim hæ quoque membranæ. Iam ligamenta omnia, quanto cute sunt duriora, tanto sunt & sicciora. Tendones quoque, tametsi ligamentis sunt molliores, attamen cute luculenter sunt duriores. Cartilago vero post ligamentum deinceps est. Præterea medium quoddam inter vtrumque corpus, appellant id anatomici quidam νευροχονδρώδη σύνδεσμον *[quasi vero cartilagineum simul & neruosum ligamentum dicas] est autem id durum, cartilaginosumque ligamentum. Os vero omnium quæ cutis operit durissimum est. At eorum quæ ex cute exstant siccissimus est pilus; deinde cornu; mox vngues, & vngulæ, & calcaria, & rostra; quæque his in singulis animalium ratione carentium similes sunt partes.* A B

Proponit tandem partium siccarum catalogum. Constat autem ex superioribus, neruos omnes duros, & omnes fere fibras in hoc genere contineri. Sed præter fibras & neruos duros, aliæ quamplurimæ sunt partes siccæ, quas nunc recenset. Huius generis sunt membranæ omnes, veluti menynges, quæ cerebrum, neruos, & spinalem medullam inuoluunt; pericardion, mediastinum, pleura, peritoneum. Et tunicæ omnes, vẽtriculi, gulæ, intestinorum, vteri, vtriusque vesicæ, venarum, & arteriarum. Præterea ligamenta, tendones, cartilaginosa ligamenta, & cartilagines ipsæ. Ossa vero omnium, quæ cute teguntur, partium sunt siccissima. Extra cutem autem prominẽt pili, & vngues; & in brutis vngulæ, calcaria, & rostra.

Succorum optimus, & maxime proprius, & domesticus, sanguis est. Huius veluti sedimentum ac fæx, atra bilis est; quæ id circo tum frigidior, tum crassior sanguine est; sicut flaua bilis longe calidior. Frigidissimum vero ac humidissimum omnium quæ in animali habentur, pituita est. Instrumentũ autem quo id cognoscitur, ipse est tactus, veluti Hippocrates in libello de hominis natura monstrauit. Ceterum quod frigida sit, vnus tactus discernit; quod vero humida quoque, pariter tactus, visus, & ratio iudicãt. Et tactus quidẽ et visus, quod talis his cernatur; ratio vero, vbi non caloris copia, sed naturali humore talem esse definiuit. Ac particulæ quidem & succi corporis ad hũc modum se habent. C D

Extremo capite breuiter agit de temperamentis humorum, de quorum numero, viribus, & vsu, dictum abunde fuit lib. de nat. hom. De sanguinis temperie magna est & inter philosophos, & inter medicos controuersia. Inprimis Hippocrates sanguinem calidum & humidum statuit aliquando, veluti cum ait naturam habere veri similem, ver autem esse calidum & humidum. Aliquando vero non esse natura calidum dixit; calescere tamen. Aristoteles quoque satis obscure de hac re disseruit, sanguinem affirmans quodam modo esse calidum, quodammodo non calidum. Magis adhuc inconstans ac varius videtur fuisse Galenus, qui aliquando calidum, aliquando temperatum sanguinem esse pronuntiat. Quamobrem mirum videri non debet, si neq. à recẽtioribus aliquid de sanguinis temperie certo sit definitum. Vt igitur tanta dissensio facile componatur, distinguere ante omnia cum Galeno oportet sanguinis

Lib. de nat. homi. sent. 32. Lib. de corde. Lib. 2. de par. ani. cap. 3.

A guinis nomen, quod & ſanguinem purum, quartum humorem, & ſanguinem ex quattuor humoribus conſtitutum (quem vulgo maſſam ſanguinariam vocant) ſignificare poteſt. De vtriuſque temperie multiplex eſt recentiorum medicorum opinio. Sunt qui ſentiant, vtrumque ſanguinem eſſe temperatum, vt Vega & Peramatus: quamuis huic ſanguis ille temperatior videatur, qui ex quattuor humoribus conſtituitur. Alii contra ſentiunt vtrumque ſanguinem eſſe intemperatum, calidum ſcilicet & humidum, vt Lopezius. Alii eãdem (veluti Argenterius & Valleſius) non eãdem eſſe vtriuſq. ſanguinis temperiem, ſed ſanguinẽ ex quattuor humoribus conſtitutum temperatum, ſanguinem vero quartũ humorem calidum eſſe arbitrantur. Ac mihi profecto recte feciſſe videntur, qui diuerſam vtrique ſanguini temperiem aſſignarũt, quamuis vniuſcuiuſque propriam parum recte explicarint. Tantum enim abeſt, vt ſanguis ex quattuor humoribus conſtitutus temperatus ſit, vt videatur potius inæqualiter intemperatus. Quippe cum diuerſarum corporis partium (quarum aliæ calidæ ſunt, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ ſiccæ) & commune generationis principium ſit, & commune nutrimentum; ipſum quoque ex partibus calidis, frigidis, humidis, & ſiccis, conſtare oportebat. Nihilominus tamen dum is in vaſis continetur, actu efficitur calidus, quia calorem accipit à corde; proindeque vaſorum tunicas (exangues alioqui & frigidas) ad temperamenti mediocritatem ſuo contactu reuocat, vt diximus libro primo. De hoc ſanguine agebat hoc libro, cum diceret ſemen & ſanguinem calida eſſe & humida: & lib. etiã primo de ſani.tuen. cum ſcriberet, calidum frigido, & humidũ ſicco in ſanguine præpollere, etiamſi plus in eo ſit ſubſtantiæ aqueæ & terreæ. Loquitur enim his locis de eo potiſſimum ſanguine qui generationis principium eſt, talis vero non eſt quartus humor, ſed ex quattuor humoribus compoſitus. Neq. verum eſt quod à quibuſdam dici ſolet, ex mutua contrariorum humorum actione & paſsione fieri neceſſario corpus vnum medium & temperatum. Nam quamuis humores maſſam conſtituentes, vere ac proprie per ſe totos miſceantur, nunquam tamen in vaſis ad perfectam miſtionem perueniunt: quo fit, vt & ſuas formas retineant, & actu in maſſa contineantur, vt alibi explicatum eſt. Diuerſa ratio eſt ſanguinis ſinceri, puri, vel quarti humoris, quem nos temperatum eſſe cum Galeno cenſemus, qui id ſignificauit ſcribens hoc loco, ſuccorum optimũ, & maxime pro-
" prium, ac domeſticũ eſſe ſanguinẽ. Et lib. 8. de Hipp. & Plat. decret. Aequabilis
" inquit, ex quattuor elemẽtis temperatura exquiſitũ ſanguinem creat. Et lib. de
" nat. hom. Qua ratione conſtat, & ſanguinẽ non calidum & humidũ, ſed tempe-
" ratum appellari. Et paullo poſt, ſi igitur hæc ſunt vera, & pituitã, frigidum hu-
D morem, non temperatum nouimus quemadmodũ ſanguinẽ, quomodo in hye-
" me copioſior generabitur? Et rurſus, Sed quid opus eſt de his verba facere, cum
" ipſe ſanguis, qui videtur tẽperatiſsimus, talis dicatur, quod nihil in ipſo contra
" riorũ inter ſe admodum præpolleat, neq. calidũ frigido, neq. frigidum calido,
" neq. humidum ſicco, neq. ſiccum humido. Indicat enim his verbis, ſanguinẽ eſſe modice calidum & humidũ, proindeq. temperatum, non autem calidũ & humidũ per exceſſum, vt male interpretatur Lopezius. Id quod ex iis quæ ſubiunxit
" facile intelligitur, cum ait, Atq. ob id temperatiſſimus ſanguis particeps erit &
" pituitæ, & bilis flauæ, & atræ. Et quamuis non me lateat, hũc locum à quibuſdã explicari de maſſa ſanguinaria, monſtrat tamen dictionis ſeries, & Galeni inſtitutum, intelligendum eſſe potius de quarto humore, vt ibidem annotauimus. Sed nonne Hipp. ſanguinem dixit eſſe calidum & humidum ſicuti ver?

Lib. 1. de art. med. cap. 2.
Lib. de humor. cap. 8.
Com. in art. medi. pag. 136.
Lib. 1. contro. cap. 15.
Cap. 2.
Cap. 2.
Lib. de nat. homi. com. 19.
Cap. 4.
Com. 35.

B

C

Dixit sane, improprie tamen, antiquam loquendi consuetudinem sequutus: A
solebant enim veteres, quæ temperata sunt, calida & humida vocare ; vt libro
Cap. 4. superiore explicauimus, agentes de veris temperie. Quo pacto idem aliquãdo
Lib. de differ. morb. cap. 12. Galeno excidit, calidum & humidum; sanguinem statuenti. Quod si sanguis temperatus est, perperam illud à quibusdam in controuersiam vertitur, sitne sanguis bile calidior: certissimum namque est, bilem longe calidiorem esse san-
Cap. 4. guine. Quod non solum fatetur hoc loco, sed etiam lib. de inæqua. intemp. vbi comparans inter se quattuor humores, sic habet. Calidissima natura merito est ,,
flaua bilis, frigidissima pituita, reliquorum humorum sanguis post flauam bilem ,,
maxime est calidus, sicut nigra bilis post pituitam est frigida. Et lib. 10. de ,,
simpl. med. fac. bilem dixit esse succum omnium calidissimum. Illud tantum explicandum restat, cuius explicationem in hunc locum distuleramus, quomodo B
Cap. vlt. scilicet dictum sit libro primo, calidissimum in corpore esse sanguinem. Hieremias & Fuchsius sanguinẽ calidissimum esse aiunt, inter ea tantum quæ humida sunt; qua ratione excludetur bilis, quæ potestate sicca est, & sanguine longe
Lib. de humo. cap. 8. calidior. Eandem explicationem amplexus est Peramatus, cuius sane primus auctor videtur fuisse Iohannes Manardus. Porrò cum sanguinem inter ea tãtum
Epist. 1. lib. 15. quæ humida sunt, calidissimũ esse asserunt; aut sanguinem conferri volunt partibus omnibus humidis, aut solis humoribus humidis potestate. Si partibus humidis, sanguis profecto calidissimus dici non potest, cum viscerũ, cordis, & musculorum carnes calidiores sint sanguine. Si vero solis humoribus, ridicula erit interpretatio, dicetur enim sanguis calidissimus, quod sit sola pituita calidior; quæ loquendi formula Grammaticis præceptionibus aduersatur. Aliter mul-
Lib. 1. contro. cap. 16. to rem explicat Vallesius, dicens humores trifariam considerari posse, vt excrementa, vt medicamenta, & vt nutrimenta. Bilis, inquit, vt excrementum, C
multo calidior est sanguine: atque id dicebat Galenus lib. de inæqua. intemp. Vt medicamentum, est quoque bilis sanguine calidior: atque id dicebat lib. 10. de simp. med. fac. Vt nutrimentum vero, sanguis calidissimus est, quia bilis sola nutrire non potest: atque id dicebat lib. 1. de temp. Sed quorsum hæc fingit Vallesius? quomodo non aduertit, bilem hoc loco longe calidiorem sanguine statui, vbi neque vt excrementum, neque vt medicamentum considerari potest, sed vt est ex numero humorũ qui secundum naturam in corpore reperiuntur? Et rursus quomodo libro primo considerari potest sanguis vt nutrimentum, cum nutrimenta, non secus ac medicamenta, potestate talia dicantur? Præstat igitur saguinem calidissimum dicere, non calore excedente, sed natiuo & familiari, cum in sanguine copiosa sit innati caloris sub- D
Aphor. 15. lib. 1. stantia. Quemadmodum igitur Hippocrates ventres dixit hyeme & vere esse calidissimos (id est, vt interpretatur Galenus, ob natiui caloris copiam
Lib. de nat. hom. com. 35. temperatissimos) ac rursus quemadmodum pueros calidissimos vocamus, quod innati caloris substantia abundent; ita & sanguinem calidissimum Galeno dici asserimus, quod innato calore plurimum abundet. Ac miror profecto Lopezium, qui cum id recte obseruasset, sui postea immemor calorem excedentem sanguini falso tribuit. Hactenus de sanguine: nunc vero de reliquis humoribus agendum, quos certũ est esse intemperatos. Quippe atra bilis cum fæx sanguinis sit, frigida est & sicca; frigida quidem, quia quamuis ex sanguinis adustione fiat, extinctus iam est præcedẽs saguinis feruor; sicca vero, quoniam ex parte sanguinis crassiore & magis terrestri ortum habet. Flaua bilis sicca est, & omniũ calidissima, cum sit veluti sanguinis flos. Et tandem pi-
tuita

A tuita non tantum humorum, verum etiam omnium quæ in corpore sunt, frigidissima est & humidissima. Quod frigida sit, tactus ipse iudicat, qui & à purgãte medicamento violenter attractam, frigidam adhuc persentit, vt docuit Hippocrates. Quod autem sit humida, non solus iudicat tactus, sed visus simul & ratio. Tactus quidem, quia mollis tangitur; visus, quia conspicitur fluxilis; ratio vero, quia hæc sola cognoscit, non caloris vi liquatam, sed ex sua natura talem apparere. Verum quæ de humorum temperamentis hactenus diximus, videntur adhuc difficilia. Nam si omnes humores liquidi sunt ex sua natura & fluxiles, erunt necessario humidi; quomodo igitur sanguinem temperatum, & bilem vtramque siccam statuimus? Id facile explicatur ex aliis Galeni locis, in quibus verissime docuit, omnes quidem humores actu & secundum speciem humidos esse, potestate vero nequaquam. Sed vrget adhuc ratio, si enim humores potestate tales dicuntur, non actu, disputatio de ipsorum temperamentis aliena prorsus ab hoc loco videbitur, pertinebitque potius ad librum tertium, in quo de iis quæ potestate talia dicuntur, instituenda est disputatio. Reuera tamen potestas humorum diuersa multum est à medicamentorum potestate. Dicuntur namque medicamenta potestate talia, quod qualia dicuntur nondum sunt, sed possunt talia fieri, cũ primum à nostro calore fuerint in actum reuocata. Humores vero potestate tales appellantur, quod ipsorum temperiem non ex propria constitutione expendamus, sed potius ex actione quam exercere possunt in corporis partes, ad quam exercendam nulla indigent mutatione à nostris corporibus accepta. Quare licet quattuor humores actu sint humidi ex propria constitutione, merito tamen dicitur sanguis potestate temperatus, quia nullam corporis partem calfacit, refrigerat, exsiccat, aut humectat; sed omnium partium temperiem conseruat, ac fouet. Et flaua bilis potestate calida & sicca dicitur, quia partes ex propria natura calfacit, & exsiccat: quemadmodum atra bilis potestate sicca & frigida, quia partes omnes refrigerat & exsiccat. Ac tandem pituita non tantum actu, sed etiam potestate humida est & frigida, quia corporis partes refrigerat simul & humectat. Hinc ergo factum est, vt de humorum potestate hoc loco merito disputetur, de potestate vero medicamentorum libro tertio.

Lib. de nat. hom. com. 31.

Lib. de nat. hom. com. 24. & lib. de differ. mor. cap. 12. & lib. 2. de fac. nat. cap. 11.

B

C

CAP. VI.

D *DE iis quæ temperamenta comitantur deinceps agendum; comitantur enim ea & quæ dicta iam sunt. Immo potius inseparabilia omnino sunt, a sicco quidem corpore duritia, ab humido mollities; si tamen cum tepido calore est. Sed & crassitudo habitus & gracilitas temperamenta sequuntur, non ea modo quæ naturalia sunt, sed etiam si qua ex longa consuetudine sunt contracta. Multos siquidem qui natura graciles fuerant, pingues redditos* vidi; contraque qui pingues* fuerant, graciles; illis quidem ex otiosa & delicata vita toto temperamento ad humidius mutato; his vero multa tollerantia, & curis, & tenui victu persiccatis.*

* παχυνθέντας. * τῶν παχέων.

Quæ toto hoc libro hactenus dicta sunt, ad hominis tẽperati cognitionẽ haud dubie pertinent; nunc vero intemperatorum notas persequitur, quæ sane ex

iisdẽ fontibus hauriuntur, ex iis ſcilicet quæ ſecundũ eſſentiæ rationem inſunt, actionibus, & accidentibus. Hoc tamen tertium genus potiſſimum percurrit, quoniam quæ ad reliqua duo pertinent, ex iis quæ de homine temperato dicta ſunt, faciliime intelliguntur. Neq. vero omnia recenſet accidentia, ſed ea dumtaxat quæ quod ſint in corporis habitu, oculis protinus ſubiiciuntur. Per habitum autem corporis partes eas intelligimus cũ Galeno, quæ primæ oculis ſubiacent, qualis eſt cutis, & qui ſunt ſub cute muſculi. Hæc accidentia ſunt craſſities & gracilitas, hirſuties & glabrities, & alia quædam ad pilos etiam attinẽtia. Gracilitas quidem & craſſities (de quibus hoc capite agit) ſatis certa ſunt temperamentorum indicia, quoniam ipſa comitantur neceſſario, non ſecus ac durities & mollities, ſiue temperamẽta natiua fuerint, ſiue etiã adſcititia. Sæpe namq. fit, vt natiuum temperamentũ conſuetudinis vi in contrariũ mutetur, ob contrariam ſcilicet victus rationem, quæ earum omnium rerum vſum complectitur, quas vulgo non naturales appellant. Murato vero in contrarium natiuo temperamento, ſimul quoq. ſequitur habitus corporis immutatio; multi namque qui natura graciles fuerant, pingues (vel potius craſſi) redduntur; & contra qui fuerant craſſi, redduntur conſuetudine graciles. Recte autem hoc loco ab omnibus interpretibus obſeruatum eſt, male Linacrum Græcam dictionem παχυνθέντας vertiſſe pingues redditos, cum potius craſſos redditos dicere debuiſſet. Similiter quoque & παχέας melius vertiſſet craſſos quam pingues; cum παχὺς Græcis & πιμελώδη & πολύσαρκον ſub ſe comprehendat, quemadmodum Latinis craſſus, & obeſum ſiue pinguem, & carnoſum ſiue corpulentum complectitur. Eadem quoque ratione λεπτὸς apud Græcos, & apud Latinos gracilis, & eum cui deficiunt carnes, & eum qui pinguedine deſtituitur, ſignificat: quamuis vterque communi generis nomine contentus, proprio nomine careat. Niſi quis fortaſſe velit, eum qui pinguedine caret, communi nomine generis λεπτὸν; eum vero qui deſtituitur carne, ἰσχνὸν proprie appellari: id namque videtur Galenus ſignificaſſe hoc capite. His vero ita habentibus, gracilis quoque communi generis nomine ille nobis dici poteſt, qui pinguedine deſtituitur; macer autem ſiue macilentus, qui caret carnibus. Qualiſcunque tamen ſit horum nominum vſus, certiſsimum eſt, eos qui natura craſſi fuerant conſuetudine graciles fieri, ſi victus ratione exſiccante (vt inedia, tenui cibo, parco potu, laboribus, & curis) diutius vſi fuerint. Et rurſus eos qui fuerant natura graciles, reddi conſuetudine craſſos; toto tẽperamento ab humectante victus ratione (vt vita otioſa, à curiſq. & negotiis libera, humidis cibis, liberaliore aquę potu, & balneo frequenti) ad humidius mutato. Dicitur vero totum temperamentum mutari ad humidius, non quod in partibus ſolidis natiua augeatur humiditas, quæ calidi innati actione indies abſumitur: ſed quod reliquæ humiditates augeantur, vt ſanguis, ros, potiſsimumque caro & adeps.

In art. med. cap. 50.

A B C D

Dicemus vero & horum diſcernendorum notas: ſatius enim eſt, taliſne quiſpiam natura ſit, an ex cõſuetudine redditus, noſmet prius per aliquot ſigna diſcernere poſſe, quam ab alio id quærere. Sane eiuſmodi ſignorum auctor, æque vt reliquorum omnium, mirus eſt Hippocrates. Siquidem quibuſcumque latiores venæ ſunt, hi calidiores natura ſunt; quibus anguſtiores, contra magis frigidi: caloris namque opus eſt, has dilatare, ſtatuque extendere. Ita rationabiliter in

A *ter in idem fere recidit venarum angustia cum habitu pingui & crassiore; habitus gracilis cum venarum laxitate. Quod siquis simul pinguis crassusque est, & venas laxas habet; is consuetudinis alicuius occasione, non natura, pinguis est redditus. Sicut è diuerso, siquis angustas habet venas, & gracilis est, ne hunc quidem talem esse natura necesse est.*

Cum gracilitas & crassities natiuæ esse possint & adscititiæ, merito nunc docet, quomodo possit medicus id per seipsum distinguere: id namque docto artifice dignius videtur, quàm alios interrogando id discere. Huius autem distinctionis auctorem Hippocratem fuisse ait, in ea scilicet sententia; Quorum venæ latæ sunt, his & ventres & ossa etiam lata; qui graciles & macilenti existimantur: pingues vero & obesi his habent contraria. Hinc colligit Galenus, natiuam crassitiem aut gracilitatem ab adscititia distinguendam esse ex latitudine & angustia venarum. Voluit namque Hippocrates, eos qui venas latas habent natura graciles esse, pingues vero natura qui venas habent angustas. Quippe qui venas latas habent, natura sunt calidiores; cum opus caloris sit, venas, (vt ventres, ossa, ceterasque partes) dilatare & extendere. Contra qui venas habent angustas natura sunt frigidiores; quia frigoris opus est, partes densare ac cogere. Ostendunt autem potissimum venarum angustia & latitudo iecoris temperiem, quod venarum omnium principium est. Quod si venarum nomine arterias quoq. cum Hippocrate intellexerimus, & iecoris, & cordis temperiem indicabunt. At qualis est hepatis & cordis temperies, tale esse totius corporis temperamentum necesse est, vt antea diximus. Atque ita fit, vt venarum latitudo temperamenti calidi, angustia vero frigidi sit soboles. Eandem cum venis & arteriis vim habent & aliæ partes, ad ostendendam partium principum temperiem. Nam ex thoracis amplitudine cordis caliditas certo deprehenditur, quemadmodum frigiditas ex eiusdem angustia. Quæ cum ita sint, recte Galenus colligit, in idem fere recidere venarum angustiam cum habitu crasso; & habitum gracilem cum venarum laxitate. Recidit quidem venarum angustia cum habitu crasso, quia qui angustas habent venas, frigidi sunt, ac proinde pingues: nam quod in sanguine oleosum est, ob temperamenti frigiditatem non absumitur, sed à frigido potius concrescit. Habitus vero gracilis recidit cum venarum laxitate, quia qui venas habent latas, calidi sunt, ac propterea graciles: absumitur namque ab excedente calore sanguis, carnis pinguedinisque materia. Sed cur particulam Fere orationi adiecit? An propter eos qui crassi aut graciles redduntur consuetudine? Fuchsius quidem ita sentit, propterea quod in his neque crassities cum venarum angustia, neque gracilitas cum venarum latitudine semper coniungitur. Ceterum cum venarum latitudinem & angustiam expendamus, vt natiuam crassitiem aut gracilitatem ab adscititia distinguere possimus, inutilis prorsus videtur Fuchsii explicatio. Adde, quod neque verum sit, natura crassos venas angustas semper habere; neq. natura graciles habere semper venas latas. Nam calidi & humidi, natura quidem crassi sunt, & venas latas habent; frigidi vero & sicci, natura sunt graciles, & venas habent angustas. Quare potius crediderim, additam esse particulam Fere, vt propositam sententiam magna ex parte, non tamen semper veram esse indicaret. Quippe cum angustia venarum frigidi temperamenti sit soboles, hoc autem triplex esse possit, frigidum

Margin notes: ,, ,, (quotation marks beside lines 4–5); B; C; D; Lib. 2. epid. part. 3 [illegible]; In art. medi. cap. 29.

ſcilicet mediocritate ſeruata in humido & ſicco, frigidum & humidum, & frigidum ſimul & ſiccum; in hoc ſolo venarum anguſtia cum habitu gracili coniungitur, in reliquis duobus cum habitu craſſo. Rurſus habitus gracilis in idem fere recidit cum venarum laxitate. Cum enim hæc calidum temperamentum ſequatur, hoc autem triplex ſit, calidum ſcilicet mediocritate ſeruata in humido & ſicco, calidum & ſiccum, & calidũ & humidum; in hoc ſolo habitus craſſus coniungitur cum venarum laxitate; nam in reliquis duobus & venarum laxitas eſt, & habitus gracilis. His ad hunc modum conſtitutis, diſtinguit iam ex Hippocrate Galenus natiuam gracilitatem aut craſsitiem ab adſcititia, ex ſola venarum latitudine & anguſtia. Si quis, inquit, craſſus eſt, & venas habet latas, is conſuetudine, non natura eſt craſſus; quoniam vt dicebat Hippocrates, quibuſcunque latæ ſunt venæ, graciles ſunt natura; & vt ait Galenus, cum venarum laxitate fere ſemper coniungitur habitus gracilis. Et rurſus, ſi quis anguſtas habet venas, & gracilis eſt, is conſuetudine, non natura eſt gracilis; quoniam qui venas habent anguſtas natura pingues ſunt; & venarum anguſtia coniungitur fere cum habitu craſſo. Verum incerta adhuc videtur huiuſmodi diſtinctio, cũ calidi & humidi venas latas habeant, & ſint natura craſsi; frigidi vero & ſicci venas habeant anguſtas, & ſint natura graciles. Quamobrem vt vera ſit Hippocratis & Galeni ſententia, ſic eam interpretari oportet, vt venarum latitudo conſpicua eſſe debeat in habitu craſſo; & in habitu gracili omnimoda gracilitas, deficiente ſimul pinguedine & carne. Si quis ergo venas latas habeat, apparentes ſcilicet & conſpicuas, & ſimul ſit craſſus; ea profecto craſsities natu-turalis non eſt, ſed adſcititia. At in calidis & humidis, quamuis amplæ ſint venæ cum habitu craſſo, conſpicua tamen non eſt venarum latitudo, cum à carnium copia vaſa ipſa tegantur. Quare Hippocrates non ex venarum latitudine, quæ oculis non ſubiicitur, ſed ex conſpicua aliarum partium latitudine (veluti ex capitis magnitudine, & amplitudine ceruicis) calidum & humidum temperamentum cognoſcendum eſſe docuit. Præterea ſi quis venas habeat anguſtas, & ſimul ſit gracilis, ita tamen vt & carnis & adipis inopia laboret; is non natura, ſed conſuetudine gracilis eſt. At frigidi & ſicci quamuis venas habeant anguſtas, & natura ſint graciles; non tamen ſunt omni ex parte graciles, cum in ipſis caro potiſsimum deficiat: pinguedo namque paullo copioſior gignitur, vt poſtea dicemus.

Lib. 2. epid. par. 1. ſent. 31.

Quin cum fames vrget, mediocritatem ex laxitate venarum & anguſtia, non a cetero totius corporis habitu ſpectandam eſſe ait. Quippe qui anguſtas habent venas exigui ſunt ſanguinis, nec longam inediam ferunt; quibus latæ, his copia ſanguinis eſt, & citra noxam cibo abſtinent.

Tanti fecit Hippocrates venarum latitudinem & anguſtiam, vt non ſolum ex his temperamenta cognoſci poſſe docuerit, natiuamque craſsitiem & gracilitatem ab adſcititia diſtinxerit; verum etiam optimam victus rationem ex iiſdem inſtituerit. Nam vt ipſe ait, cum fames vrget, mediocritates ex his conſirandæ ſunt. Vrget autem fames, quando inedia, aut tenuis victus præſcribendus eſt ęgro; tenuem enim victum famem vocat, quamuis & ciborum appetẽtia, & ciborum inopia fames interdum dicatur. Mediocritatem igitur in victu, qui neque craſsior ſit, neque iuſto tenuior, ex laxitate venarum & anguſtia conſiderandam

Lib. 2. epid. par. 1. ſent. 33.

derandam

A derandam esse præcipit, neglecto corporis habitu gracili aut crasso. Hinc intelligitur vulgarium medicorum error, qui in instituendo ægrotantibus victu, crassitiem & gracilitatem potissimum expendentes, inediã in vniuersum crassis præscribunt, gracilibus autem victum crassiorem. Peccant itidẽ mulierculæ multo grauius, quæ omnibus ægris crassiorem victum exhibent; gracilibus quidem ad gracilitatem corrigendam; crassis vero propter consuetudinem. Fallax tamen, ac parum tuta vtrorumque ratio: neq. enim omnibus gracilibus in vniuersum crassior victus conuenit, neq. crassis quibuscunq. inedia. Id considerans Hippocrates, neglecta corporis gracilitate & crassitie, ex sola laxitate & angustia venarum victus rationem ad eum modum instituit, quem Galenus in præsentia proponit. Quippe qui venas habent angustas longam inediam non ferunt, quia exigui sanguinis sunt; qui vero venas habent latas, quoniã sanguinis copia abundant, à cibo citra noxam abstinẽt. Illud tamen videtur difficile, ne dicam falsum, quod qui latas habent venas citra noxam inediam ferant; quippe cum hi calidi sint natura, & magis dissipantur, & sanguis ab excedente calore magis in ipsis absumitur. Biliosos præterea (quibus latæ sunt necessario venæ) solius inediæ occasione grauissimis symptomatis infestari, & docuit Hippocrates, & monstrat quotidie experientia. Languidi enim & imbecilles redduntur, si vel consuetam prandendi horam prætererint; excauantur oculi, palpitant tempora, stercus aduritur, vrina biliosa redditur, accidit cordis morsus, & alia eiusmodi. Iam vero corporibus calidis & siccis aduersissimam esse inediam, paratissimamque febrium caussam, aliquando scripsit Galenus. Immo si qui calidi & sicci sunt, inediam, dum febricitant, ferre cogantur, in acutam & ,, ardentem, tandemque in hecticam febrim solent frequenter incidere. Obiicit C quoque Hieremias aphorismum illum Hippocratis, Ieiunium senes non decrepiti ferunt facillime, secundum hos qui constantem ætatem agunt, minus adolescentes, minime omnium pueri; atque inter eos maxime qui acriore sunt & viuidiore ingenio præditi. Quem sane cum proposita hac Galeni sententia pugnare arbitratur, propterea quod adolescentes & pueri, qui calidi sunt & humidi, difficillime ieiunium ferunt. Et quamuis idoneam huic loco explicationem frustra quæsierit, rei tandem difficultate confusus, vel ab aliquo adiectam locum, vel à Galeno aliud cogitante scriptum fuisse temere affirmat. Hæc forte considerans Petrus ille Iacobus Steue, nostratium medicorum decus, prædictam Hippocratis sententiam in solo habitu corporis crasso locum habere posse existimauit. Quasi velit Hippocrates, inter crassos, eos facilius inediam ferre qui venas latas habent; difficilius vero qui venas habent angustas. In haD bitu autem gracili rem aliter habere sentit, quod gracilibus omnibus (qui nutriri potius postulant) aduersa maxime sit inedia. Hanc ego viri doctissimi explicationem libenter admitterem, nisi methodum instituendi victum, ab Hippocrate & Galeno in vniuersum traditam, ex generali particularem, proindeq. mancam & imperfectam reddidisset. Quomodo enim manca non sit, cum in gracilibus deficiat? Numquid si duo graciles morbo acuto corripiantur, quorum alter venas latas habeat, alter angustas; eadem victus ratio vtriq. præscribetur? At mihi profecto, gracili latas venas habenti tenuior victus conuenire videtur, cum sanguine magis abundet. Non igitur in solo crasso habitu, sed etiam in gracili, Hippocratis sententiam veram esse credimus; dummodo cætera omnia paria statuantur, tantumque sit discrimen in angustia & latitudine venarum: quod quidem in omni comparatione obseruari oporteat. Confert itaque

Lib. 2. de vict. rat. in morb. acut. sent. 24.

Lib. 8. meth. med. cap. 8.

Lib. 10. meth. med. cap. 5.

Aphor. 13. lib. 1.

Com. in lib. 1. epid.

itaq. Hipp. ad victum recte instituendũ, eos qui venas habent latas cum iis qui A easdẽ habent angustas;in ceteris vero omnibus paritatem desiderat,veluti morbo,ætate,corporis habitu,& aliis.Caue igitur ne crassum gracili conferas, sed crassum crasso,& gracili gracilem.Immo eãdem crassitiem,eãdemq. gracilitatem esse oportet;neq.enim corpulentum obeso,sed alteri corpulento conferes: ita tamen vt alter venas latas habeat,alter angustas. Neq. itidem gracilem ex carnium defectu, gracili ex pinguedinis inopia conferes; sed alteri gracili in quo similiter carnes deficiant: ita tamen vt alteri venæ sint angustæ,alteri latæ. Id autem haud dubie fiet,si alter natura crassus sit aut gracilis,alter consuetudine. Hæc si seruaueris, Hippocratis & Galeni de instituendo victu sententiam verissimam esse intelliges. Nam si sint duo crassi, quorum alter venas latas habeat, alter angustas; hic quidem natura crassus erit, & difficilius inediam feret; ille vero consuetudine erit crassus,& inediam feret facilius. Ita quoque si B duo sint graciles,alter cum venarum latitudine,alter cum earundem angustia; hic quidem consuetudine redditus est gracilis, & difficilius abstinebit à cibo; alter vero gracilis est natura,& citra noxam inediã tolerabit. Hæc legitima est sententiæ Hippocraticæ explicatio, quam Galenus hoc loco amplectitur. Neque enim nouã Vallesii interpretationem probo,sentientis voluisse Hippocratem,eos facilius inediam ferre,qui mediocritatem habent in angustia & latitudine venarum,reliquos difficilius;quia qui latas venas habent, prompte dissipantur; qui autem habent angustas, exigui sunt sanguinis. Nam præterquam quod parum artificii atque vtilitatis continet huiusmodi interpretatio, incerta etiam videtur,cum dubitari merito possit, an qui venas habent mediocres, facilius ferant inediam, quam qui easdem amplas habent. Quippe cum hi sanguine magis abundent,videntur profecto,si cetera sint paria, facilius inediam ferre posse. Sed obiectiones iam diluamus. Atque inprimis quidem, quod de calidis & siccis, & biliosis dictum est, nullo modo nobis aduersatur. Comparãt enim Hippocrates & Galenus eos qui latas habent venas, cũ iis qui eas habent angustas;non tamen comparant inter sese,eos qui venas latas habent.Quare licet qui latas habent venas, facilius quam qui habent angustas inediam ferant; non tamen inde sequetur,inter eos quibus latæ sunt venę,illos inediam facilius ferre qui venas habent latiores. Immo qui venas habent latissimas(quales sunt biliosi)quamuis multo sanguine abundent,facile exoluuntur,si à cibo abstinuerint;sanguine scilicet per halitum digesto,dissipatisq.spiritibus,ac biliosis ichoribus ad ventriculi os confluentibus. Iam vero neque aphorismus ille Hippocratis cum iis quæ diximus pugnat. Ibi enim victum instituit sumpta ex variis ætatibus indicatione;nunc vero in eadem ætate,eodemque corporis habitu, de victu deliberat ex propria corporis natura, quam ex venarum angustia & latitudine cognoscendam esse indicat. Quæ cum ita sint, etiam si pueri in vniuersum difficillime ferant inediam ætatis ratione, si tamẽ ita sors tulerit,vt duo pueri eodem morbo acuto corripiantur,& ambo sint aut graciles,aut crassi,alter tamen latas venas habeat,alter angustas; nemo sane negauerit, tenuiorem victum ei qui latas venas habet imperandum esse. Non tamẽ inde sequetur, inter pueros habentes venas latas,eos facilius inediam ferre, quibus venæ sunt latiores: hi namque, quoniam facillime dissipantur, ab inedia lædi solent. Quod innuit etiam Hippocrates in fine eius aphorismi, dum ait, inter pueros ieiunium eos difficilius ferre, qui acriore viuidioreque ingenio sunt præditi: tales enim calidiores sunt,latioresque proinde venas necessario habent.

Com. in lib. 2. epid.

C

D

Caussa

A *Caussæ horum euidentes iam sunt iis qui animum aduerterint; sed quoniam non omnes aduertunt, necessum fortasse erit aliquid eorum caussa dixisse. Quidquid in sanguine, pingue, leue, & tenue est, id in calidioribus corporibus alimentum quoddam calido fit, in frigidioribus seruatur: cùmque id venæ extra se transmiserint, vbi in frigidas particulas incidit (quod genus membranæ sunt) in his concrescit. In partibus vero natura calidioribus (cuiusmodi carnosæ sunt) a calore ipso absumitur, ac digeritur; nisi sicubi frigiditati temperamenti etiam vita indulgentior accedens, ipsis carnosis particulis adipis aliquid adlinat. Qua ratione etiam quæ hyeme delitescunt animalia, non raro inueniuntur adipe obesa. Et fœminæ viris sunt pinguiores, quod scilicet fœmina*

B *mare est frigidior, & plurimum domi versatur.*

Ad institutum reuersus, vt rationem tradat cognoscendi temperamenta ex habitus crassitie & gracilitate; explicat primum caussas crassitiei; quibus semel cognitis, facile intelligentur gracilitatis caussæ. Quoniam vero crassities duplex est, obesitas scilicet & corpulentia, agit inprimis hoc loco de caussis obesitatis; cuius duas statuit caussas, effectricem, nempe temperamenti frigiditatem, & materiam, nempe sanguinis portionem pinguem & oleosam. Vnde constat, temperamenta frigida pinguedinis copiam gignere, calida vero nequaquam. Siquidem in calidioribus naturis absumitur, ac digeritur pinguedinis materia; quæ tamen in naturis frigidis seruatur, & iuxta frigidas partes concrescit. Quamuis interdum, vt Galenus hoc loco aduertit, iuxta calidas partes (quales carnosæ sunt) adipem concrescere contingat, quando scilicet frigi-

C ditati temperamenti vita indulgentior accesserit. Quod confirmat eorum animalium exemplo, quæ per hyemem in latibulis degunt; & exemplo mulierum, quæ viris plerumque pinguiores esse solent, non solum quod sint frigidiores, sed etiam quod magis in otio degant: quamuis interdum, quod calidiores sint, & minus in otio versentur, graciliores esse possint. Porro quod hic dictum est de adipis cõcretione iuxta partes calidas, aut suspectum reddit, aut saltem explicat locum illum libri primi, in quo negauerat iuxta præcalidam aliquã particulam adipem coire posse.

D *Ac quicumque corporũ habitus & temperati natura sunt, & mediocri exercitatione vtuntur; hos necesse est eusarcos esse: id vero est mediocri omnino corporis habitu. Quibus vero humidum abundat, & calor a mediocritate summa non longe abest; hi corpulenti, siue carnosi sunt. Corpulenti rursus fiunt, qui natura sunt temperati, ceterum desides & otiosi viuunt; quippe dictum a veteribus commodissime est, consuetudinẽ adquisititiam esse naturam. Nec fortasse oportebit, cum id iam semel dixerimus, in quouis etiam capite definire, natura ne frigidior, an ex consuetudine quispiam sit redditus; sed illud legentibus remittere, me autem compendii caussa proprios cuique temperamento corporis habitus persequi. Sunt igitur nonnulli, qui & graciles sint, et venas paruas habeant; sed si ex his quempiam incîdas, adeps excidet, quam constat cuti ad internam*

eius

eius membranam subnasci. Et raro id quidem in viris conspicitur, in fœminis A
sæpissime inuenitur: est namque tum frigidioris naturæ, tum vitæ magis desidiosæ eiusmodi nota. Siquidem adeps ex habitus frigiditate gignitur; corpulentia, siue carnis abundantia ex sanguinis copia nascitur; mediocritas temperatæ naturæ est nota. Et corpulenti quidē omnino plus adipis habent quam temperati; nec tamen pro carnis semper portione adeps augetur: sed alios habere plus carnis, alios plus adipis videas, aliis ambo pari modo sunt adaucta. Et quibus quidem ambo pari modo sunt aucta, his tantum supra temperatam naturam humoris est, quantum & frigoris; quibus autem plus est adipis, in his frigidi plus est quam humidi; æque vt quibus caro est plenior, his humoris plus iusto est, non tamen etiam frigoris. B
Cum enim calori intra debitos fines manenti, boni sanguinis accedit copia, necesse est corpulentia sequatur. Quantum autem supra mediocritatem esse sanguis debeat, id quidem mensura & pondere ostendere non est, ratione tradere licet. Quippe vbi nullum adhuc morbosum symptoma crassato corpori incidit, humoris abundantia intra sanitatis interim est fines: monstratum enim nobis & in aliis est, non paruam in eo statu, quæ sanitas dicitur, necessario statuendam esse latitudinem. Quin nūc quoque in omni sermone nostro apparet, qui temperatam mediamque naturam reliquarum veluti canonem semper statuimus; quæ vero ex huius vtraque sunt parte, intemperatas censeamus: quod vtique non faceremus, nisi in sanitatis statu maioris minorisque ratio inueniretur. C
Est enim alia sanitatis, alia morbi intemperies; morbi quidem, ea quæ a media temperie longissime abest; sanitatis, quæ paullum. Definire autem modum ne hic quidem licet. Ceterum intemperamenti, quod intra sanitatem habetur, sufficiens nota est, quod nulla functio animalis manifeste sit adhuc læsa. Quantum igitur interuallum est inter id quod perfectissimam functionem obit, & id quod manifeste actionem aliquam habet oblæsam; tanta est profecto & sanitatis, et distemperantiæ quæ intra sanitatem consistit, latitudo. Ab hac proxima est intemperies morbosa, cum scilicet animal intemperamenti vicio ægrotat: non enim huius tantum noxa laborat, sed etiam aliis affectibus non paucis, de quibus in iis quæ de morborum differentiis scribemus, diffusius agetur. Nunc redeundum D
ad diuerticulum est: sicuti enim naturali calore optimam seruante temperiem, humidum quod intra sanitatis terminos est auctum, nō adipem modo in homine, sed etiam corpulentiam gignit, & adipem quidem parcius adiicit, carnem vero multo liberalius auget; ita rursus, si humidum & siccum mediocritatem ad vnguem inter se seruent, calor autem in homine sit minor; necesse est, huius corpus adipe quam carnis copia magis abundet. At vero si calor augeatur, seruetque mediocritatem altera contrarietas; minus erit ei animali adipis quam carnis: sicut e diuerso, siquando pollet siccum, altera contrarietate mediū modum

Græce additur τῶν παχέων, id est crassorum.

A *dum seruante, & gracilius, & durius corpus euadet. Hæc a me dicta sunt, patetque non solum ratione monstratum esse, quod simplices in animalium corporibus intemperies habeantur, sed etiam quod singularum manifestæ sint notæ; nec eæ modo in calore, frigore, mollitie, & duritie, sed etiam in reliquis omnibus habituum corporis differentiis: quarum, de iis quæ ex gracilitate & crassitudine spectantur, mox diximus, de reliquis nunc dicemus.*

Corpulentiæ præcipua caussa est vtilis sanguinis redundantia, quæ quidem solius materiæ rationem obtinet; vim autem caussæ effectricis habet innati caloris actio. Calor vero qui ex vtili sanguine carnes creat, aut temperatus esse debet, aut à mediocritate saltem non longe recedere: nam qui immodicus est, B sanguinem carnium materiam absumit ac dissipat. Quo fit, vt inter corpulentos primum locum obtineant qui humidi sunt, mediocritate seruata in calido & frigido; in quibus ob humiditatem vtilis sanguis abundat, qui à moderato calore absumi non potest. Secundum obtinent locum calidi & humidi, in quibus etiam calor totum eum sanguinem qui humiditatis ratione abundat, absumere nequit: ex quo fit, vt tam hi quam illi ex propria sui natura sint corpulenti. Consuetudine tamen corpulenti interdum redduntur qui temperati sunt, si tamen in otio degant; cuius occasione humidiores euadũt, sanguine ob quietem minime dissipato. Neq. vero solas in corpulentis carnes augeri credendum est, sed vna cũ carnibus pinguedinem; quoniã sanguis, qui in humidioribus tẽperamentis abundat, non solius carnis, sed pinguedinis etiã est materia. Atqui vbi caro & adeps simul augẽtur, vel æquis augẽtur portionibus, vel plus carnis gignitur C quã adipis, vel contra plus adipis quã carnis. Quas sane tres differentias non in corpulentis (vt fecit Linacer) sed in crassis potius statuimus, vt indicat Græca dictio τῶν παχέων à Linacro male prætermissa. Harum autem singulæ sua temperamenta sequuntur, nam quibus ex æquo augẽtur caro & adeps, frigidi sunt & humidi; ita tamen, vt quanto frigidiores sunt temperato, tanto etiam sint humidiores. Vnde fit, vt corpulẽti hi sint pariter ac obesi; corpulenti quidem humiditatis ratione; obesi vero ratione frigiditatis. Qui plus adipis habent quam carnis, sunt quoq. frigidi & humidi, tanto tamen frigidiores, quãto pinguiores: quare obesos potius quã corpulentos, eos vocare oportet. Ac tãdem qui plus D habent carnis quam adipis, humidi sunt, non tamen frigidi; cum calidi & humidi esse possint, & humidi tantum mediocritate seruata in calido & frigido. Sunt enim vtrique (vt antea diximus) corpulenti, corpulentiores tamen qui humidi sunt, in calido & frigido mediocritate seruata; minus corpulenti calidi & humidi, quoniam ab excedẽte calore aliqua sanguinis portio necessario absumitur. Quoniam vero dictum est, sanguinem in crassis, potissimumque in corpulentis, supra modum augeri; ne putaret fortasse quispiam, ex certis aliquibus signis cognosci posse quantum supra mediocritatem sit auctus; merito Galenus aduertit, id certo cognosci non posse, sed ratione sola distingui, an ea sanguinis redundantia intra sanitatis limites adhuc sit, an eosdem potius excesserit. Id quod ex symptomatis distinguitur, potissimumque ex actionis noxa, quæ à morbo est prorsus inseparabilis. Quippe si nullũ morbosum symptoma crasso corpori adhuc acciderit, intra sanitatis limites eiusmodi plenitudinem contineri sciendum est. Cum primum vero alicuius functionis noxa contigerit, tũc primum

primum sanitatis limites excessisse intelligere oportet. Vnde patet, huius plenitudinis quæ intra sanitatis fines continetur, magnam esse latitudinem, quemadmodum & sanitatis: de cuius latitudine dictum est à Galeno tum alibi, cum potissimum lib. 1. de sani. tuen. Id quod facile quoque intelligitur ex libro superiore, vbi demonstratum est, nouem esse temperamentorum differentias, atque in singulis maioris minorisque rationem inueniri. Cum autem ex nouem illis temperamentorum differentiis, vna temperata sit, & octo intemperatæ, atque hæ omnes in salubri corporis statu reperiri possint; recte Galenus colligit non omnem intemperiem esse morbosam, sed eam dumtaxat, quæ à media temperie longissime abest: nam quæ parum ab hac recedit, sana intemperies censetur, cum sola differant magnitudine, quam ex sola functionis cuiuspiam noxa cognoscere licet. Quare tanta erit sane intemperiei latitudo, quanta est ab optima temperie, quæ perfectissimas edit actiones, ad eam vsque intemperiem quæ alicui functioni sensibilem noxam infert. Sed quoniam institueramus hoc loco docere, quomodo temperamenta ex habitu corporis cognoscantur, vtilius nunc fuerit, omissa sanitatis latitudine, vnicuique temperamento suum corporis habitum assignare: de qua re in art. med. multo accuratius disseruit. Temperatus itaq. homo vt in reliquis omnibus, ita & in habitu corporis mediocritatem seruat, neque enim crassus est, neq. gracilis, sed εὔσαρκος, vel quadratus. Tamdiu vero mediocrem corporis habitum retinebit, quamdiu mediocri exercitatione vsus fuerit. Quippe si in otio vixerit, crassus euadet, natiuo temperamento ad humidius mutato; si vero plus iusto exercitetur, efficietur gracilis, natiuo temperamento mutato ad siccius. Intemperati vero, aut crassi necessario sunt, aut graciles; pro diuersa scilicet qua præditi sunt intẽperie. Simplices quidem intemperies in habitu corporis ita se habent. Calida gracilis est ex carnis & adipis defectu, magis tamẽ ex defectu adipis quam carnis; frigida, pinguis est; sicca, gracilis; humida vero, corpulenta. At compositæ intemperies habitu corporis ad hunc modum variant. Calida & sicca gracilis est, deficiente carne simul & adipe; calida & humida corpulenta est; frigida & humida, pinguis: frigida tandem & sicca, gracilis, deficiente potius carne quam adipe. Habet namque hæc intemperies (vt inquit hoc loco, & in art. med.) sub cute collectam pinguedinem: idq. in fœminis potissimum, quæ in vniuersum frigidiores sunt maribus, & magis in otio versantur. Crassus igitur corporis habitus quattuor temperamentis conuenit, duobus simplicibus, nempe frigido, & humido; & totidem compositis, nempe calido & humido, frigido & humido. Non tamen in his omnibus eadem est crassities, cum in quibusdam obesitas, in aliis corpulentia reperiatur. Omnium maxime corpulentum est temperamentum humidum, quod mediocritatem seruat in calido & frigido: minus corpulentum est calidum & humidum. Præterea omnium maxime obesum est temperamentum frigidum & humidum; minus vero obesum est temperamentum frigidum in altera oppositione temperatum. Gracilitas itidem quattuor aliis temperamentis hoc ordine inest. Omnium gracillimum ex defectu carnis simul & pinguedinis est calidum & siccum. Minus hoc gracile est ex vtriusque etiam defectu, temperamentum siccum in calido & frigido moderatum. Tertium in gracilitate locum habet temperamentum calidum mediocritate seruata in humido & sicco: in quo potius deficiet adeps quam caro. Postremum vero locum sortitur temperamentum frigidum & siccum, in quo deficiet potius caro quam adeps.

Marginalia: Cap. 5. (beside "potissimum lib. 1. de sani. tuen."); A cap. 51. ad 59 (beside "Temperatus itaq. homo"); Cap. 59. (beside "pe. Habet namque"); letters A, B, C, D in right margin.

CAP. VII.

A



ALIDA igitur & sicca intemperies hirsuta est, verum ea in summo: mediocriter autem quæ calida quidem est, sed in altera contrarietate mediocritatem habet. Similiter & quæ sicca quidem est, sed in calido & frigido media est temperie, est enim ea quoque modice hirta. Nuda pilis sunt frigida omnia temperamenta, siue ea mediocriter se habeant in humiditate, siue immodice. Ceterum ad summum glabra est frigida temperies & humida. Minus hac quæ frigida est, sed in altera contrarietate temperata. Ad hæc minus quæ frigida est & sicca.

Persequitur hoc capite notas quæ desumuntur ex pilis, in quibus plura con-
B siderantur, veluti durities & mollities; fragilitas & firmitudo; crassities & tenuitas; longitudo & breuitas; densitas & raritas (vnde hirsuties & glabrities potissimum nascuntur) color; & figura. De his omnibus disserit hoc capite, simulque de caluitio & canitie; quæ naturales quædam ac propriæ sunt pilorum affectiones. Docet itaque inprimis, quomodo singula temperamenta in hirsutie & glabritie se habeant, deinde vero caussas explicat ex pilorum generatione petitas. Porro hirsuties & glabrities corporibus intemperatis insunt, nã quæ temperata sunt, neque glabra sunt, neque hirsuta. In hirsutorum ordine tria temperamenta collocat, inter quæ maxime hirsutum est calidum & siccum; minus, quod calidum est in humidoque & sicco temperatum; minus adhuc quod
C siccum est mediocritate seruata in calido & frigido. Nescio tamen, qui factum sit, vt calidam & humidam temperiem hîc prætermiserit, quæ reuera ob excedentem calorem & excrementorum copiam hirsuta est, vt ipsemet Galenus alibi fatetur: fallitur namque Hieremias, calida & humida corpora glabra esse sentiens. Alter est glabrorum ordo, quo tres aliæ frigidorum temperamentorum differentiæ continentur. Omnium maxime glabra sunt corpora frigida & humida; minus glabra quæ frigida sunt in humidoque & sicco temperata; minus adhuc quæ frigida sunt & sicca. Omisit hîc quoque corpora humida, quæ seruant in frigido & calido mediocritatem, quæ sane si ad temperatam naturam conferantur, glabra sunt; quia licet à moderato calore fuligines aliquæ foras propelli possint, concidunt tamen cutis meatus ob natiuam humiditatem. Sed horum omnium caussæ facillime ex iis intelligentur, quæ de caussis & ge-
D neratione pilorum postea dicentur.

In art. med. cap. 57.

Quamquã putet aliquis, sicut fieri nõ potest vt in terra sicca herbæ nascãtur, nutriantur, & incrementum capiant; sic nec pili in sicca cute. Est autẽ secus, quippe terra vt terra sicca dicitur, cutis vt cutis. Itaq. siccitas quæ in terra est, maxime sine humore est; quæ vero in hominis est corpore, & eius similiũ animaliũ, nec humoris est expers, & maxime omniũ ad piloriũ generationem est idonea. Siquidẽ neq. ex iis quæ silicea testa intecta sunt; nec crustatis, veluti ostreis, locustis, cãcris: sed nec ex iis quæ in cauernis delitescũt, quales sunt serpẽtes; nec quæ squamata sunt, cuiusmodi sunt pisces; oriri pili possunt: sunt enim horũ cutes vere et in totũ siccæ ritu testæ, vel petræ. Ceterũ ex iis quæ molli sunt cute, vt homo,

Q quanto

quanto vtique ſiccior calidiorque cutis fuerit, tanto magis poteſt pilos gignere. Nam vt ab exẽplo terræ, quod illi proponũt, non recedamus, herbæ nec in ſicca & ſqualente admodum terra naſci poſſunt, nec in humida & lacuſtri. Verum cum abſumi cœperit redundantia humoris, tum enaſcuntur è terra; augentur autem largius, vbi hæc quoque ſicceſcit, modice quidem in vere, celerrime vero & plurimum ineunte æſtate; ſiccantur autem omnino arefacta terra æſtate iam media. Licetque tibi, ſi placet, nunc quoque ſicuti in priori libro demonſtratum eſt, ver ipſum, propterea quod ex temporibus anni maxime temperatum eſt, temperati corporis aſsimilare cuti, potiſsimumq. eius temporis medium; tũc enim terra quoque ipſa medio quodam ſtatu humoris ſiccitatiſque eſt. Quod autem veris æſtati eſt proximum, id iam ſicciorem iuſto reddidit terram; hoc etiam amplius æſtas inchoata. Quam igitur dico calidam ac ſiccam cutẽ, hanc maxime terræ ſtatui adſimiles, qui abeunte ſit vere, vel ineunte æſtate: nam media æſtate in ſummo eſt ſicca, perinde vt teſta intectorum animalium tegimen; non vt hominum, ſuum, aſinorum, equorum, aut alterius cuiuſquam eorum quæ pilis veſtiuntur. Quare ſi cutem terræ comparare volunt, hactenus quoque rem conſentire cum iis quæ prius diximus, inueniẽt. Ipſi vero ſeſe ex homonymia non animaduerſa fallunt, in ſicca enim & calida cute multos magnoſque naſci pilos diximus, nimirum vt de homine, vel animali pilis prædito, non de oſtreis aut cancris, verba facientes. A B C

A ſimili poſſet quiſpiam oſtendere, cutem ſiccam ad pilos gignẽdos non eſſe idoneam. Nam vt terra ſicca & ſqualida inepta eſt ad ſtirpium generationem, ita & ſicca cutis videtur eſſe inepta ad generationem pilorum. Quæ ſane ratio maxime eſt probabilis, cum inter cutem & terram, inter pilos & ſtirpes maxima intercedat ſimilitudo. Quemadmodum enim terra locus eſt ſtirpibus gignẽdis idoneus, ita & cutis gignendis pilis. Et rurſus vt ſtirpes è terra naſcuntur firmatis in ipſam radicibus, ita & pilorum radices in ipſam cutem firmantur. Hãc igitur rationem diſſoluit in præſentia Galenus, homonymiam quæ in ipſa latet animaduertens. Quippe terra ſicca dicitur vt terra, id eſt in genere terræ; cutis vero ſicca dicitur vt cutis, id eſt in ſuo genere vel ſpecie. Quoniam vero terra in ſuo genere temperata, ſicca inſigniter eſt; ſiccìſsima profecto erit, omniſque fere humoris expers, quæ ſicca dicitur ad temperatam collata. Cum D autem cutis in ſuo genere temperata nullam habeat excedentem qualitatem, quæ ad hanc collata ſicca dicitur, ſatis multæ humiditatis particeps adhuc erit. Hinc ergo fit, vt terra in ſuo genere ſicca, quia humoris fere eſt expers, ad producendas ſtirpes ſit ineptiſſima; cutis vero in ſuo genere ſicca ad pilos gignendos ſit omnium maxime idonea, quod multi adhuc humoris ſit particeps. Nam præterquam quod dura non efficitur, aut veluti lapidea; id priuatim obtinet, vt meatus in ipſa ſemel geniti non facile concidant, ſed aperti diutiſsime ſeruentur ſiccitatis beneficio. Hæc tamen de eorũ animalium cute intelligere oportet, quæ ſecundum naturam pilis veſtiuntur, quales ſunt homines, aſini, equi; in his enim quo ſiccior cutis, eo hirſutior fuerit. At in aliis animalibus, quæ ob nimiam cutis denſitatem ac duritiem pilis deſtituuntur,

hæc

A hæc vera esse non possunt; in his enim quo siccior cutis fuerit, eo ad pilos gignẽdos ineptior. Horũ autem animalium quattuor genera hoc loco recenset, ὀστρακόδερμα, μαλακόστρακα, φολιδωτά, λεπιδωτά. Dicuntur quidem ὀστρακόδερμα, quæ cutem habẽt testaceam & veluti lapideam, vt buccinæ, tellinæ, & omne ostrearum genus. μαλακόστρακα sunt, quæ crusta integuntur, veluti cancri & locustæ: φολιδωτά quæ senectam, vt serpentes, deponunt: λεπιδωτά vero, quæ squamas habent, cuiusmodi sunt pisces. In his itaque omnibus præ nimia tegumenti siccitate ac duritie pili nasci non possunt, quemadmodum neque in humidissima cute. Nam vt in palustri lacustrive terra præ nimia humiditate herbæ nasci non possunt; ita nec pili in humidissima cute. Et rursus vt in siccissima terra (qualis æstate media esse solet) non amplius nascuntur herbæ, sed potius marcescunt; ita nec in durissima cute (qualis eorum animalium est) pili vnquam gignẽtur. Postulat ergo pilorum generatio atque prouentus mediocriter exsiccatam cu-B tem, quemadmodum terram mediocriter exsiccatam herbarum generatio: id quod vere accidere solet, potissimumque ineunte æstate. Vnde colligit, temperati hominis cutem respondere terræ vere medio, cutem vero calidam & siccam respondere terræ ineunte æstate. Nunquam tamen fiet, vt cutis animalium quæ vestiuntur pilis, proportione respondeat terræ æstate media: cui tamen omnino respondet eorum animalium tegumentum quæ nuda sunt pilis. Quamobrem verissime dictum est, calidam & siccam temperiem omnium maxime hirsutam esse.

Quippe per omnem cutem difflatur semper aliquid a calido, quod secum etiam interim humoris nonnihil aufert. Verum in quibus humida cutis est, & C plane mollis, qualis modo concrescens caseus; in his eorum quæ exciderunt viæ per cutem non manent, partibus scilicet eius quæ antea dissidebant, rursus inter se vnitis. At in quibus dura est, non absimilis caseo iam coacto, perforatur quidem eorum quæ exeunt impetu; cum autem rursus vniri per siccitatem nequeat, meatus ipsos immutatos seruat, qui etiam perpetuo transfluentium ictu assidue magis fistulantur. Si igitur quod transfluit, vel halitus, vel humor purus sit; halitus certe celer minimeque impeditus transitus est; humor in exilioribus spiramentis nonnumquam hæret; aliquid etiam intro recurrere ad profundum cogitur. Sin veluti fuliginosus, crassusque, & terreus vapor sit; subinde contin-D git, vt in angustis spiramentis impactus, nec facile rursum intro redeat, nec vacuari possit. Hunc igitur alius rursum ex profundo subiens ferit, prorsumque impellit, tum hunc rursus alter, atque illum alius. Ac multos mihi eiusmodi vapores fuliginosos, alium super alium impactos, tempore complicari coniungique intellige; ac vnum eiusmodi efficere corpus, quale est, quæ foris cernitur fuligo. Nisi quod hic quantum spissatum est, tantum etiam per transitus angustiam stipatum, in angustam prorsus redactum est formam. Vbi autem tale corpus totum obstruxerit meatum, deinceps iam violenter ictum, a similibus sui, quibus exitus non est, excrementis, totum interim propellitur, adeo vt cute exire cogatur, iam lori formã adeptum. Adsimiles autem quod in meatu

est impactum, herbæ stirpisve veluti radici; quod vero ex cute exstat, ipsi A
veluti stirpi.

Quo facilius intelligantur quæ de corporum hirsutie atq. glabritie hactenus dicta fuerant, pilorum generationem elegantissime nunc explicat. Est autē generationis pilorum duplex caussa, efficiens, nempe calor; & materia, nempe fuliginosum excrementum. Atque id quidem tertiæ concoctionis excrementum est, in qua (vt in reliquis) duo separantur excrementa, tenue, & crassum. Tenue excrementum est serosa humiditas, quæ sanguinis vehiculum est ad vniuersum corporis habitum; crassum vero, nutrimenti reliquiæ. Rursus excrementum tenue duplex est, halitus, & sudor. Nam si serosa illa humiditas à calore extenuata, insensibiliter trāspiret, halitus est, aut vapor; sin propriam humoris formam seruans per cutem excernatur, sudor dicitur. Fit autem sudor, aut ob B violentum corporis motum, vt in iis qui exercitantur; aut quoniam imbecillus, vel humoris copia grauatus calor, ipsum non potest in halitus digerere. Quæ ratio coëgit Dioclem vt crederet, sudorem esse vacuationem genere præter naturam. Præterea excrementum crassum duplex itidem est, partim terrestre & crassum, partim fuliginosum ac veluti fumosum. Ac illud quidem materia sordium est, vel potius ipsæmet sordes, quæ cuti adhærētes, & subuculas & lintea sordidiora reddere sollent: hoc autem propria est gignendorum pilorum materia. Iuuatur quoque non parum pilorum generatio à cutis siccitate, cuius beneficio fit, vt qui in cute, fuliginum à calore propulsarum impetu ac vi, geniti sunt meatus, diutissime seruentur; & eorundem radices in cutem ipsam validius firmari possint. Verum quomodo à prædictis caussis pili gignantur, ita di- C lucide hoc loco explicatū est à Galeno, vt nemo profecto possit maiorem lucem his adferre. Porro qui pilorum caussas, totamque generationis rationem cognouerit, is non tantum hirsutiei & glabritiei, verum etiam crassitiei & tenuitatis, longitudinis & breuitatis, duritiei & mollitiei, firmitudinis & fragilitatis caussas facile intelliget. Neque ignorabit, pilos veras non esse corporis partes, cum noua fuliginum additione fiant, neque vere nutriantur, aut augeantur.

Lib. 1. de sanit. tu. cap. 12.

Fit autem niger pilus, cum deusto vi caloris vapore, excrementū in exactam fuliginem mutatur. Flauus vero, cum vapor minus torretur; quippe quod tum est impactum, flauæ bilis, non nigræ fæculentum excrementum est. Albus vero pilus ex pituita nascitur. Rufus, sicuti coloris flaui albique est medius, sic eius ge- D *neratio ex pituitosæ biliosæque fæcis media quadam natura prouenit.*

Color in pilis multiplex obseruatur, niger, albus, flauus, rufus, vel ex his vtcumq. mistus ac compositus. Horum omniū in vniuersum vnica est caussa, fuliginosi scilicet excrementi natura; quod itidem redundātis in corpore humoris naturam coloremq. refert. Niger color in pilis frequētissimus esse solet, fit autem (vt Galenus ait) cum deusto vi caloris vapore, excrementum in exactam fuliginem mutatur; quo fit, vt eiusmodi fuligo atræbilis (id est melancholici humoris) excrementum sit, is namq. ex sanguinis adustione ortum habet. Quamobrem pili nigri, siue in capite sint, siue in mento, siue in reliquo corpore, calorem in habitu corporis excedentē manifesto indicant. Color albus in pilis omnium est rarissimus, distinguiturq. à canitie, cum pili albi in pueris, cani vero in senescen-

A senescentibus obseruentur: quo fit, vt à diuersis etiam caussis nascantur. Albi namque pili ex pituita (id est ex pituitosi humoris fuligine) nascuntur, vt inquit hoc loco; cani vero ex pituitæ situ, vt postea docebit. Merito igitur pili albi temperamenti frigiditatem indicabunt. Flauus color biliosæ fuliginis est sobo-les, & sinceræ bilis redundantis, proptereaq. excedentis caliditatis certiss.mũ indicium. Sed cur tantopere damnetur tamquam prauorum morum indicium, merito quæri posit. Respondent plerique, flauum colorem, cum ad rubrũ proxime accedat, ex flauæ bilis & sanguinis, vel saltem seri sanguinei, permixtione ortum habere; atque inde nasci temperamenti inæqualitatem, quæ animi in constantiam, morumque prauitatem pariat. Atqui neque ex permistione sanguinis cum bile flauus pilorum color nasci potest, neque si nasceretur, morum prauitatem ostenderet. Quippe cum flaua bilis quo sincerior fuerit, eo efficia-
B tur flauior; ex permistione autem sanguinis potius diluatur bilis; alienum prorsus à ratione erit, coloris flaui generationem ad permistionem sanguinis referre. Ac rursus quanto sanguis bile mitior est atque benignior; tantum quoque de morum prauitate flauis detraheret; bilis scilicet acrimonia, & mordacitate vtcumque castigata. Est igitur solius flauæ bilis soboles flauus pilorum color; prauos autem indicat mores, quia cum flaua bilis calidissima sit, acerrima, tenuissima, & maxime mobilis; ingenii quidem acrimoniam parit, mobilitati tamen & inconstantiæ coniunctam. Vnde fit, vt biliosi vafri plerumq. sint, dupli, & non raro proditores, vt alibi dictum iam est. Vnde itidem factum arbitror, vt Iudam Scariothen, proditorum omnium, qui sunt, qui fuerũt, qui futuri sunt, longe impiissimum, & capillis & barba flauum ostentent quotidie pictores: nisi forte & ipsi flaui fuerint. Rufus tandem color, qui medius est albi & flaui, ex
C media quadam natura pituitosæ biliosæq. fæcis prouenit. Talis vero, fuligo est bilis rufæ, cuius generatio ex flaua bile serosæ humiditati permista constat. Quare mitem quendam calorem, vel frigiditatem aliquantulum excedentem, proindeque & benignitatem morum, animumque ingenuum indicare solet. Atque hanc caussam esse puto, cur rufi capilli in mulieribus, potissimumque in virginibus tantopere cõmendentur. Quod cum à matribus puellæ didicerint, quid non agunt, immo quid non patiuntur ac sustinent, dum arte student, ex nigris rufos, aureosque capillos efficere? Interdum tamen poëtæ, (quemadmodum & vulgus) nominum proprietati minus attenti, rufum colorem cum flauo confundunt; sic namque illud dictum est à Terentio, Si quis me quærat rufus.

Lib. de nat. hom. sent. 38.

D *Crispi pili fiunt, vel propter siccitatem temperamenti, vel propter meatum in quo radicantur. Et propter siccitatem quidem, ad eum modum quo corrigiæ, quæ igni plus iusto siccantur. Et quid corrigiarum meminisse est opus, cum ipsos pilos, vbi igni propius sunt admoti, protinus intorqueri videas? Atque ita quidem omnes Æthyopes sunt crispi. At propter meatuum in quibus radicantur naturam, ad hunc modum. Cum exhalatio sæpe imbecillior est quam vt rectam viam sibi moliri posit, pro modo quo inflectitur, etiam meatum suum figurat. Interim vero exhalatio satis valens est, sed duriore cutis natura, recta ferri regione prohibita, in latus flectitur. Ita vt extrinsecus videre licet, non*

habitum modo aut fumum, sed etiam flammam ipsam, cum sursum agi vetatur, diuisam vtroque versus in obliquum agi. Sic igitur corporis exhalatio vbi prorsum ferri prohibetur, obliquum sibi transitum sub cute molitur, donec longiori spatio collectam aliquid eam vrgeat, & foras flatu agat. Est quando ambobus coëuntibus, & primæ exhalationis quæ meatum finxit imbecillitate, & cutis siccitate, obliquitas pilorum radicibus contingit: quales autem in radice finguntur, tales rationabile est perpetuo fore. Neque enim durorum & siccorum corporum quidpiam nisi prius molliatur, fingi in rectum potest. Atque hæc quidem est pilorum generatio. A

Pilorum forma duplex est in vniuersum, aut enim recti sunt pili, aut obliqui, quos proprie crispos vocant. Crispitudinis duplex est caussa, temperamenti siccitas, & meatuum cutis obliquitas. Siccitas quidem, quoniam fuligines exsiccatæ contorquentur; vt corrigiarum & eorundem pilorum exemplo constat, quæ si admoueantur igni, in se ipsa manifeste contrahuntur. Atque hæc caussa est, cur omnes fere Aethyopes sint crispi. At meatuum obliquitas pilos crispos facit, quoniam imitantur pili figuram meatuũ, in quibus radices habent. Obliqui vero fiunt meatus, vel à siccitate, vel fuliginum imbecillitate. A siccitate quidem, non fuliginum (quæ prior erat crispitudinis caussa) sed ipsius cutis; cuius duritres impedit, quo minus fuliginosa excrementa etiamsi valida sint, recta per cutem ferantur. Impedito autem transitu coguntur ferri ad latera, non secus ac fumus & flamma, quæ à denso quopiam corpore sursum ferri prohibita, ad latus oblique aguntur vtrinque diuisa. A fuliginum vero imbecillitate, quoniam hæ à calore vtcumque propulsæ, rectam sibi in cute viam moliri nequeunt. Atque hinc fit, vt quibus rufi natura sunt pili, iisdem fere & crispi sint: quam etiam caussam esse arbitror, cur in puellis crispi capilli tantopere probentur. Quippe cum in his ob temperamenti siccitatem crispi esse nequeant, reliquum est, vt fuliginum imbecillitatem, & natiuam quandam cutis mollitiẽ sequantur, quæ virginibus solent esse familiaria. Quod si ab his caussis pili crispi fiunt, cur quæso nostra hac tempestate, non solum puellæ, sed adolescentes quoque & iuuenes, vitreis, aut ferreis calfactis instrumentis, crispos sibi capillos efficiunt? Mihi sane videntur isti, vt animum gerunt muliebrem, ita & muliebrem mollitiem ac cultum, potius quam virilem dignitatem ac robur, affectare. Hæc de crispitudinis caussis, quas & Aristoteles optime explicauit. Qui vero has cognouerit, rectitudinis pilorum caussas facile inueniet. B C D

Lib. 5. de gener. ani. c. 3.

Sequens est, vt caussas omnium quæ temperamentis in pilorum pro ætate, regione, et corporis natura, differentiis contingunt, dicamus. Ergo Ægyptii, Arabes, et Indi, omnes denique qui calidam et siccam regionem incolunt, nigros, exiguique incrementi, siccos, crispos, et fragiles pilos habent: contra qui humidam frigidamque regionem habitant, Illyrii, Germani, Sarmatæ, & omnis Scythica plaga, modice auctiles, et graciles, et rectos, et rufos obtinent. Qui vero inter hos temperatũ colunt tractum, hi pilos plurimi incrementi, et robustissimos, et modice nigros, et mediocriter crassos, tum neq. prorsus crispos, nec omnino rectos edunt.

καὶ Δάλμαται, additur in Græcis.

Variant

A Variant plurimum prędictæ omnes pilorum differētiæ, pro regionibus, ætatibus, & corporum naturis. Pro regionibus quidē, quia (vt docet hoc loco) omnes qui calidam & ſiccam regionem incolunt (quales ſunt Aegyptii, Arabes, & Indi) pilos habent nigros, difficilis incrementi, ſiccos, criſpos, & fragiles: quorum cauſſæ ex ſuperioribus pendent. Nigros enim habent, quia pilorum materia ab immodico calore in habitu corporis aduſta, exactæ fuliginis naturam refert. Siccos, proindeque duros ac craſſos, quia fuligines plurimum exſiccantur. Criſpos, & ob fuliginum ſiccitatem, & obliquitatē meatuum cutis, ab eiuſdem duritie natam. Fragiles vero ob nimiam ſiccitatem. Illud tantum videtur difficile, quod ſint exigui incrementi, cum antea docuerit, cutem ſiccam & calidam omnium maxime eſſe idoneam ad pilorum generationem. Sed facile eſt hunc nodum ſoluere, quamuis id fruſtra tentarint interpretes. Supra namque B propria hominum temperamenta conſiderās, veriſsime dixit cutem calidam & ſiccam eſſe maxime hirſutam; in regione nimirum temperata, in qua ita ſe habent in pilis ſingula temperamenta, vt antea dictum eſt. Nūc vero ſolas regiones conſiderat, quarum occaſione plurima in pilis obſeruātur diſcrimina. Quocirca calida & ſicca corpora pilos habent, & multos, & multi incrementi, niſi calida & ſicca regionis intemperies id prohibuerit. Hæc namq. pilorum incrementum impedit, tum quod fuliginoſa excremēta ab immodico calore partim torreantur, partim diſsipentur; cum potiſsimum, quod cutis durior ſit reddita. Iam vero qui frigidam & humidā regionem habitant (quales ſunt Illyrii, Germani, & Dalmatæ) pilos contra habent modice auctiles, graciles, rectos, & rufos. Modice quidem auctiles, non quod exigui ſint incrementi (vt falſo putat Hieremias) ſed quod moderate augeantur; quod plane indicat (vt recte an-C notat Fuchſius) Græca dictio μετρίως. Neque enim his deficit pilorum materia, neque humiditas cutis pilorum incrementum impedire poteſt. Sunt quoq. pili graciles, aut tenues, quia non poſſunt multæ fuligines foras ſimul protrudi, cum in habitu corporis præpolleat frigiditas. Recti naſcuntur, quia neq. exſiccantur fuligines, neq. dura eſt cutis. Rufi vero, quia cum frigidus ſit corporis habitus, fuligines aduri nequeunt. Tandem qui medias incolūt regiones pilos habent plurimi incrementi, robuſtiſsimos, modice nigros, modice craſſos, nec omnino rectos, nec omnino criſpos. Plurimi ſunt incrementi, quoniam ſatis abundans eſt fuliginū copia, quæ à moderato calore ad cutē propulſæ, nequaquam abſumuntur. Robuſtiſsimi ſunt ob alimēti copiam, & caloris propellentis D robur. Modice nigri, quia color iſte à moderato calore in pilis prouenit, quemadmodum omnino niger à calore immodico, & rufus ab imbecillo. Modice craſſi, quia calor temperatus eſt, & ſatis abundans materia. Non fiunt omnino criſpi, neque recti omnino, quoniam neque cutis dura eſt, neque mollis; neque etiam imbecilles, aut exſiccatæ fuligines.

Et in ætatibus ad eundem modum. Infantium quidem pili Germanis; florentium ætate Aethyopibus; epheborum & puerorum iis qui temperatum locum incolunt, in robore, craſsitudine, magnitudine, & colore, ad portionem ſe habent.

Quo pacto ad eundem modum in regionibus & ætatibus pilos ſe habere dicit? Non enim infantium pili Germanorum pilis omnino reſpondent, quia quamuis in vtriſque modice auctiles ſint, graciles, & rufi; in Germanis tamen recti ſunt, in infantibus plerumq. criſpi. Rurſus neque ætate florentes Aethyopibus ad portionem ſe habent, cum in his pili breues ſint, & fragiles; in illis

vero robusti, & plurimi incrementi. Neque itidem epheborum & puerorum pili ad portionem se habent iis qui regionem incolunt temperatam; A in hac enim pili sunt plurimi incrementi, robustissimi, modice nigri, modice crassi, non omnino recti, neque omnino crispi; in pueris vero & ephebis vix vnquam tales reperias. Quæ cum ita sint, mirandum profecto non est, si vel interiectum, vel à Galeno obiter scriptum hunc locum sentiat Hieremias; nisi eo nomine excusetur (vt ipse ait) quod aliter comparari inuicem non possint ætates & regiones. Fuchsius vero, vt Galenum à mendacio vendicaret, quæ hoc loco dicta sunt, non semper, sed magna ex parte vera esse contendit: quod tamen experientiæ aduersatur. Probabilius multo sentit Lopezius, in hac comparatione ætatum cum regionibus, non esse exspectandam similitudinem in omnibus exactã, sed satis esse, vt inter eas seruetur in aliquibus proportio. Sed huic explicationi reluctatur Galenus, qui in B robore, crassitie, magnitudine, & colore, pilos in regionibus & ætatibus ad portionem se habere scribit. Dicerem ergo potius, Galenum hoc loco regionibus ætates non ita contulisse, vt similes in vtrisque pilos esse voluerit; sed significasse dumtaxat, talem esse in pilis ætatum intemperatarũ proportionem ad ætatem temperatam, qualis est intemperatarum etiam regionum ad regionem temperatam. Dicentur itaque infantium pili ad portionẽ se habere Germanis, non quod Germanorum & infantium pili sint omnino similes; sed quod quam proportionem in pilis seruat Germania cum regione temperata, eandem cum ætate temperata seruet infantia: est enim vt inter regiones Germania, ita inter ætates humidissima infantia. Et pili ætate florentium dicentur se habere ad portionem Aethyopibus, quia quam proportionem in pilis habet Aethyopia ad regionem temperatam, eandem habet florens ætas ad temperatam ætatem; C Aethyopia namque & florens ætas calore & siccitate conueniunt. Ac tandem puerorum & epheborum pili ad portionem se habent iis qui temperatam regionem habitant, quia quemadmodum in regione temperata mediocriter se habent in suis differentiis pili, collatione facta ad regiones extremas; ita & in pueritia & ephebia mediocriter se habent pili, ad extremas ætates (infantiam scilicet & iuuentutem) facta collatione. Dixit autem pueros & ephebos ad portionem se habere iis qui temperatum locum incolunt, potius quam adolescentes, qui reuera sunt temperati; vt indicaret, non tantum in ætate temperatissima (qualis est adolescentia) pilos se habere mediocriter, sed etiam in ętatibus intemperatis, dummodo non longe absint ab optima temperie. Siquidem & regionum eadem prorsus est ratio, cum & in intemperatis quę non longe ab optima temperie distant, pilorum mediocritas obseruetur.

D *In corporum quoque naturis ad ætatum & regionum portionem pili se habẽt. Pueri enim admodum parui nudi sunt pilis, quod vtique nec meatus adhuc vllus illis in cute est, nec fuliginosum excrementum. Incipientes autem pubescere paruos & imbecillos exigunt. *At qui iam florent, valẽtiores, & multos, & magnos, & nigros habent; quod & frequentes iam meatus his sint facti, & fuliginosis excrementis præ siccitate & calore abundent.*

* ἰσχυρότεροι

Seruant quoque intemperatæ naturæ suam in pilis proportionem cum natura temperata, non secus ac regiones & ætates. Hanc vero pilorum varietatem in diuersis ætatibus ostendit, quoniam in his diuersæ corporum naturæ maxime elucescunt.

A elucescunt. Pueros inquit admodum paruos pilis nudos esse, ob duplicem caussam; & quod ob nimiam humiditatem nullos adhuc habeant meatus in cute; & quod ob mitem halituosumque calorē nullis adhuc fuliginibus abundent. Qui pubescere incipiunt paruos habent pilos & imbecillos, quia cum minus iam humidi sint, & fuligines vtcumque colligunt, & cutis meatus apertos seruant. Florentes ætate pilos habent valētiores, multos, magnos, & nigros; quod plurimi in cute sint facti meatus, ob caloremque & siccitatem plurimis abundent excrementis fuliginosis. Post florentem ætatem nulla fere in pilis mutatio contingit; sed quales in hac ætate sunt geniti, tales ad extremum vsque senium permanent, nisi quod cani sensim reddantur. Atque hinc factum est, vt agens hoc loco de pilorum differentiis, neque declinantis ætatis, neque senectutis meminerit.

B *Ceterum pili qui in capite, superciliis, & ciliis habentur, etiam pueris nobis innascuntur. Siquidem generatio his est, non qualis herbis, sed qualis stirpibus prima ratione a natura conditis, non temperamētum ex necessitate sequentibus, sicuti in libris de vsu particularum est monstratum. Verum hi quoque quod quidem sint, id naturæ arti acceptum ferunt; quod nigri, rufiue, vel alio quouis sint colore, id ætatis temperamento omnino debent. Subrufi enim fere sunt, quoniam quod in meatibus est impactum, nondum totum est nigrum: quippe cum humiditas multa sit, & transitus facilis, & deustio imbecilla. Boni vero incrementi, & modice crassi sunt, propter excrementorum quibus aluntur copiam. Quippe ipsa pars corporis in qua fiunt, siccā est, tota namque calua ossea est;* C *cutis vero quæ illi est circundata, tanto reliqua totius corporis cute est siccior, quanto etiam est durior. Ascendit tamen tum ab iis quæ circa cerebrum sunt, tum vero ex toto corpore, fuliginosi excrementi non parua vis: quo fit, vt quale ætate florentibus totum est corpus, eiusmodi iam infantibus sit capitis cutis.*

Tacitæ obiectioni respondet, qua posset aliquis ostendere falsum esse quod antea dixerat, pueros scilicet pilis esse nudos; cum certum sit, pilos qui in capite, superciliis, & palpebris habentur, nobis pueris innasci. Vt autem hanc obiectionem dissoluat, breuiter hoc loco attingit, id quod docuit copiosius lib. 11. de vsu part. bifariam scilicet accidere generationem pilorum non secus ac plantarum. Quippe vt plantæ quædam sine agricolæ industria sponte nascūtur, (Cap. 14.) alia vero agricolę diligentiam artemque exposcunt, ita & pili quidam loci cui D insunt naturam dumtaxat sequuti, sponte nascūtur; alii vero ob priuatos quosdam insignesque naturæ vsus gigni solent. Facile autem est, vel solo aspectu vtrosque distinguere. Nam qui loci naturam dumtaxat sequuntur, neque certis circumscribuntur limitibus, neque in certum ordinem sunt dispositi. Cuius generis sunt qui in habitu corporis sponte proueniunt, & multo adhuc magis qui circa pudenda, & sub axillis nascuntur: hi namque in nullam certam seriem digesti conspiciuntur, sed rudem quandam indigestamque molem potius referunt. At vero qui ob insignem aliquem vsum à natura gignuntur, aut certum habent terminum incrementi, aut saltem certis quibusdam limitibus continentur. Hinc namque factum est, vt palpebrarum & superciliorum pili toto fere vitæ tempore parem seruent longitudinem; ne scilicet perpetuas tenebras

oculis offunderent, si indies augerentur. Cum vero ad oculorum tutelam sint facti, tales tantosq. eos esse oportebat, quales quantosq. rei vtilitas postulabat. A
At quanti nunc sunt, maximā oculis vtilitatem præstant; cum superciliorū pilis, veluti mœniis quibusdam muniantur oculi, ne ab iis quæ à capite defluunt, lædantur; pilis vero palpebrarum veluti in aciem vtrinq. dispositis, ne ab externis iniuriis noxam contrahant. Eadem ferme ratio est pilorum capitis & menti, circumscribuntur enim vtrique certis limitibus, quia naturæ prouidentiam sequitur ipsorum generatio. Vnde factū est, vt quamuis capilli hunc vsum præbeant, vt munimentum sint cerebri totiusque capitis; in frontis tamen cute nequaquam nascantur, ne oculis caliginem inducerent, humanaque facies ferina videretur. Iam vero quia oportebat virilem faciem muliebri grauiorem esse & venerabiliorem, barba tributa est viris, qua tamē mulieres carere satius erat, vtpote quarum facies pulchritudinem potius quam grauitatem postulabat. Non enim viro minus turpe est esse imberbem, ac mulieri esse barbatam: B
degenerat enim vterque à propria sui sexus natura. Postulabat itaque is vsus, ne vniuersam faciem barba occuparet, ne pro virili grauitate, leoninam, aut visinam immanitatem humana facies referret. Ceterum licet menti & capitis pili id cōmune habeāt cum pilis ciliorum & superciliorum, vt certis coërceantur finibus; in eo tamen differunt, quod certum non habeant terminum incrementi. Nam præterquam quod nullius partis actio ab ipsorum incremento lædi poterat, nunc pauciores & breuiores, nunc contra plures & longiores eos esse conueniebat. Hyeme namque, in regionibus frigidis, frigidisq. affectibus insignem vsum præbent; æstate vero, in regionibus calidis, calidisque affectibus (vt febre ardente, & phrænitide) nullum. Quin etiam (vt hunc quoque vsum addamus) capillorum copia & longitudine solent plerumque mulieres C
abuti, dum variis modis comuntur. Verum licet huiusmodi pilorum generatio naturæ propter vsum agenti debeatur, iuuatur tamen maxime & ab idonea materia, & loci ipsius natura. Pili namque superciliorum ex cute ossi durissimo adhærente nascuntur, & palpebrarum pili in duram cartailginosamque substantiam firmantur; vt ab immodica loci siccitate ipsorum incrementum impediatur: nam & stirpes quæ in locis petrosis & squalentibus proueniunt, minimum augeri solēt. Sed & capitis cutis in prima statim formatione siccior creata est, vt ad pilos statim gignendos idonea redderetur. Quin & initio statim abundantem pilis in capite gignendis materiam præparauit natura, cum plurimæ fuligines & ex toto corpore, & ex iis partibus quæ circa cerebrum sunt, ad D
capitis cutem ascendant. Et in viris priuatim, idoneam abundantemq gignendæ barbæ materiam suppeditauit, quoniam in his (vtpote calidioribus) tanta colligitur fuliginum copia, vt non solis capillis, sed gignendæ etiam barbæ satis esse possint. In mulieribus vero ob natiuā frigiditatem & pauciores colliguntur fuligines, & in solos capillos prorsus absumuntur. Ex iis quæ dicta sunt facile dissoluitur obiectio, nam dum pueros pilis nudos esse asserimus, de iis tantum pilis intelligere oportet, qui corporis temperiem sequuntur. Pueri namque in pudendis, alis, & vniuerso corporis habitu, ob benignum & mitem calorem, nimiamque cutis humiditatem, glabri conspiciuntur. Habent tamen à prima statim formatione pilos in capite, palpebris, & superciliis, quoniam hi naturæ potius industriam sequuntur, quam corporis temperiem. Barbam vero pueris denegauit natura, tum quia ad nullius partis tutelam futura erat vtilis, cum potissimum, quia puerilem faciem ac mores à grauitate prorsus alienos esse con-

A esse conueniebat. Neq. enim minus esset ridiculũ, puerum grauem barbatumq; intueri, quam senem imberbem, puerilique facie ac moribus præditum. Dolendum ergo, quod tam multi nostris hisce temporibus inueniantur pueri centum annorum. Porro licet horum pilorum generatio naturæ prouidentiam sequatur; negari tamen non potest, quin ipsorum color, crassities aut tenuitas, & incrementum temperamento debeantur. Quo fit, vt in pueris capitis pili plerumque sint subrufi, modice crassi, & boni incrementi. Subrufi quidem, quia mitis puerorum calor humiditati adiunctus fuligines nequaquam adurit. Modice crassi ob mediocrem copiam fuliginum, quæ ad capitis cutem ascendunt. Boni autem incrementi, tum ob mediocrem fuliginum copiam, tum etiã quod capitis cutis in pueris etiam natura sit siccior: quippe (vt recte inquit Galenus) talis statim in pueris est cutis capitis, qualis est iuuenibus totius corporis cutis. Merito igitur fiet, vt quemadmodũ iuuenibus hirsuta est tota cutis, ita & pue-
B ris capitis cutis pluribus pilis abundet.

Eoque rationabilius nonnulli procedente tempore calui redduntur, quibus scilicet a primo ortu durior cutis erat: quippe monstratum prius est, senescentium partes omnes siccescere. Fit autem cutis non paucis veluti testacea, vbi supra iustum fuerit siccata; in ea vero, sicut ex prioribus constat, nihil nasci potest. Itaque etiam interna manuum, et inferna pedum semper glabra, et pilorum expertia sunt, quod siccissimus densissimusque sit tendo is qui sub cute habetur.

C Extremo hoc capite agit de duabus capillorum affectionibus, caluitio, & canitie. Caluitium nihil aliud est, quam decidentia pilorum ex capite, potissimumque ex syncipite, ætatis ratione proueniens: vnde intelligitur, non esse hîc agendum de caussis decidentiæ capillorum præter naturã, qualis in morbo Gallico, aliisque affectibus cõtingit. Caluitii autem vnicam caussam statuit, nimiam scilicet cutis capitis siccitatem. Quippe cum capitis cutis ex sua natura sicca iam sit, procedente tempore interdum ita exsiccatur, vt reddatur veluti testacea, proptereaque ad producendos pilos inepta. Porro quod cutis siccitas pilorum generationem impediat, exemplo volæ manus, & plantæ pedis confirmat, in quibus propter siccitatem nullos pilos nasci experimur. Sunt autem eiusmodi partes siccæ, non ratione cutis (quam in interna manu temperatam esse diximus) sed ratione lati tendonis, qui vtrobique cuti subnascitur; in manu
D quidem originem plerumque trahens à musculo exiguo, in interno humeri tuberculo; in pede vero ex osse calcis. Sed non videtur sola subiecti tendonis siccitas harum partium glabritiei esse caussa; cum aliquibus etiam pilos in femore nasci obseruemus, cuius cuti latissimus quidam subnascitur tendo, eius scilicet musculi, quem sextum numerant anatomici inter eos qui tibiam mouent. Quare præter tendonis siccitatem, aliam eius glabritiei caussam alii assignant, validum scilicet ac frequentem earum partium motum, cuius occasione fuliginosa excrementa dissipantur. Verum neq. hanc caussam probo, tum quod in femore pili etiam nascantur, licet validos motus edat; cũ potissimum, quod frontis cutis, quæ parũ aut nihil exercitatur, glabra sit. Quare nõ immerito sentit Eustathius, earum partium glabritiem, arcanam potius naturæ dispensationem sequi, quam subiecti tendinis occasionem. Videtur enim natura in eorum

eorum etiam pilorum generatione, qui corporis temperiem, non ipsius indu- A
striam sequantur, illud diligenter prospexisse, ne alicuius partis functio à pilis inibi genitus læderetur. In femore igitur pilos nasci permisit, nullam inde noxam sequuturam prævidens; fronti vero, manuum volis, & plantis pedum glabritiem tribuit, vt harum partium functiones illæsæ seruarentur. Hæc itaq. naturæ prouidentia, prima est atque præcipua eius glabritiei caussa; secundaria vero loci natura ob tendinis siccitatem. Ceterum quamuis recte Galenus dixerit, pilorum generationem à cutis siccitate impediri; non tamen satis constat, quomodo cutis siccitas pilorum decidentiam efficiat in caluitie. Putant aliqui ob cutis siccitatem pilos cadere, quia adueniens pilorum nutrimentum à nimia siccitate absumitur. Atqui à calore potius immodico quam à siccitate fuligines absumi crediderim. Hieremias duplicem adfert caussam, sed hanc magis probat. In senibus, inquit, tunc primum pili decidunt, cum primum cutis B
quæ ante carnosa fuerat, extenuatur, & abeunte carne quæ fuerat illi prius subtexta, rara efficitur. Nescio tamen quam carnem in caluitio abire scribat, cum solum caluescat synciput, in quo cutis nudo ossi adheret. Lopezius tres caussas assignat, quarum primam libenter amplector, labuntur enim è capite pili ob nimiam cutis siccitatem, quia cutis exsiccata valide tenditur; tensa vero ipsius meatus ampliores fiunt, pilorumque radices infirmiores redduntur, donec tandem decidere cogantur. Porro quod tensio patentiores meatus efficiat, & cribrorum foramina aperte monstrant, & docuit alibi Galenus, qui tensionem vueæ caussam statuit dilatationis pupillæ. Est itaque cutis siccitas prima caluitii caussa, non tamen proxima. Decidunt namque in caluitio pili, quia ipsorum radices infirmiores sunt redditæ; huius autem infirmitatis caussa est amplitudo meatuum; amplitudinis rursus caussa cutis tensio est; C
quæ tandem ex siccitate prouenit. Quod si cutis capitis siccitas (vt hactenus dictum est) caluitiei est caussa, facillimum est explicare, cur pueri & mulieres aut nunquam, aut raro caluescant, est enim vtrisque mollis ac humida cutis. Sed cur Aethyopes, quibus sicca cutis est, non caluescunt? quia scilicet capitis cutem ab initio siccissimam habuerunt. Nam vt in saxis difficile nascuntur stirpes, semel vero genitæ vix vnquam euelli possunt; ita & in siccissima Aethyopum cute, quamuis propter naturæ vsum aliqui gignantur pili, illi tamen & difficilem ortum habent, & exigui sunt incrementi, & semel geniti difficillime dilabuntur. Sed dubium est, an præter cutis siccitatem aliæ esse posint caluitiei caussæ; contendit enim Hieremias, Hippocratem in Epidemiis raritatem cutis, & humorum subtilitatem, caluitiei caussas statuisse; quorum vtrumque falso Hippocrati adscribit. Verius multo dixisset, cerebri consumptionem ex Hippocratis sententia alteram esse caluitii caussam, cum in Epidemiis ad hunc modum scripserit, Cerebri consumptio, ideo & caluities. Nos tamen consumptionem cerebri ad siccitatem referendã esse cum Galeno asserimus. Consumitur namq. cerebrum, quando imminuitur; imminuitur, quia exsiccatur ætatis progressu; exsiccatum vero à syncipite recedit, vt in dissectionibus obseruatum est; ac tandẽ eo recedente syncipitis cutis siccior necessario euadit. Neq. vero Galenum Aristoteli contradixisse putandum est, calidi pinguisq. humoris inopiam caluitii caussam statuẽti: nam ex humoris inopia siccitas necessario prouenit. Quamuis videatur Aristoteles, defectum nutrimenti pilorum, potiusquam siccitatem cutis, calidi pinguisque humoris inopiam vocasse. D

Lib. 1. de caussis sympt. c. 2.

Lib. 6. epid. par. 3. sent. 1.

Lib. 5. de gener. ani. cap. 3

Quibus

A *Quibus autem ad summam siccitatem cutis capitis non peruênit, imbecilli his omnino albique pili fiunt, quos vulgo canos appellant. Imbecilli quidem conuenientis alimenti penuria; albi vero, propterea quod alimentum quo aluntur, veluti situs est pituitæ, quæ spatio computruit. Vbi enim meatus etiamnum manet, excrementum vero exiguum est & lentum, ac languide a calore propellitur, non dissimiliter putredini afficitur.*

In canitie hæc duo pilis necessario accidunt, vt imbecilli fiant simul & albi. Imbecillitatis caussa est conuenientis alimēti penuria ob imbecillum calorem, caussa vero albedinis est pituitæ situs. Est autem situs auctore Aristotele, terreni vaporis putredo: at fuliginosum excrementum, quod materia pilorum est, terrenum esse vaporem antea monstrauimus. Putrescit vero pituitosa fuligo, quia ab imbecillo calore foras propelli nequit, sed meatibus impacta diutius adhæret. Quare merito Aristoteles, præter terreni vaporis putredinem, innati quoque caloris imbecillitatem canitiei caussam statuit; caloris namque imbecillitas facit, vt colligatur in partibus pituita, ipsiusque fuligo meatibus impacta, neque foras propulsa, tandem putrescat. Vnde perspicuum est, Aristotelem & Galenum de canitiei caussis idem omnino sensisse. Cur vero canities quibusdam incipiat ab extremis pilorum finibus, quibusdā potius à radicibus; hanc caussam reddit Aristoteles, quoniam in vltimis ac tenuissimis calor minimus habetur. Quibus verbis significat extremos pilos putrescere, quia cum minimum calorem habeant, ab ambientis calore facile corripiuntur. Atqui verisimile non est, extremos pilos à calore ambientis putrere; putret namque pituitosa fuligo intra cutis meatus, dum inibi diutius retinetur. Quare aliter multo ex iis quæ hoc loco docet Galenus, propositum problema dissoluerem. Quibus calor imbecillus admodum non est, neque multum lenta pituitosa fuligo; his quidem extremi pili primum canescunt, quod putrida fuligo quæ meatibus adhæret, à calore non multum languido ad extremos vsque fines propellatur. Quibus vero imbecillior est calor, aut magis lenta pituita; his quod intra meatum putruit, tum ob lentorem, tum ob caloris imbecillitatem longe propelli nequit; proptereaque his pili à radice potius canescunt.

Lib. 5. de genera. ani. c. 4.

B

Lib. 5. de gener. ani. c. 5.

C

Iam calui fiunt homines, cum senescunt, a syncipite magis, canescunt magis a temporibus, quoniam illud omnium capitis partium est siccissimum, (hæret enim cutis illic ossi nudo) tempora vero humidiora sunt, quod in his musculi magni sub cute habeantur; omnis autem musculus carnosus sit; caro tum osse, tum cute humidior.

D

Explicat tandem duo problemata, cur caluitium fiat magis in syncipite, & cur canities à temporibus magis incipiat. Aristoteles quidem, qui calidi humoris inopiam caluitii caussam esse credidit, syncipут potissimum caluescere affirmat, quia ex omnibus capitis partibus syncipит potissimū sentit calidi humoris defectum: vtpote quod maximam cerebri (partis frigidissimæ) portionem contineat. Verius tamen multo sentit Galenus, caluitium syncipiti accidere, quia omnium capitis partium siccissimum est. Quippe cum demonstratum sit, cutis capitis siccitatem vnicam esse caluitii caussam; merito fit, vt quæ capitis pars siccissima est, ea potissimum caluescat. Cum autē syncipут siccissimum esse dicimus,

Lib. 5. de gen. ani. cap. 3.

dicimus, id non de osse (quod & rarius est & mollius) intelligimus, sed tantum A de cute, quæ in syncipite siccior est, cum ossi nudo adhæreat. In occipite namque carnosæ adhæret membranæ, quæ plurimis carnosis fibris adaucta, in musculos eos degenerat, qui capitis cutem interdum mouent, quosque à Vesalio alijsque anatomicis prætermissos, recte obseruauit Fallopius. Porro quod tempora prius canescant, ad eorundem humiditatem referendum esse ait. Nam si pituitę situm canitiei caussam esse recte demonstrauimus, in his locis proculdubio canities incipiet, in quibus pituita citius putrescet: putrescit autem facilius in locis humidioribus. Atqui tempora ceteris capitis partibus humidiora sunt, quia in his magni quidam sub cute habentur musculi, quos proinde temporales appellant. Omnis autem musculus caro est, caro vero tum osse, tum cute est humidior. Ex his certo intelliges, male Aristotelem propositi problematis rationem reddidisse. Voluit namque tempora prius canescere, quia mediam habent naturam inter syncipput & occiput. Hoc enim (vt ipse ait) cum cerebrum B non contineat, humore vacat; illud vero multum humoris habet, & quod multum est difficile putrescit. At tempora nec tam parum humoris habent, vt concoqui possit, nec tam multum vt nequeat putrescere. Hæc tamen ratio constare nō potest, cum dictum sit, syncipput omnium corporis partium siccissimū esse.

CAP. VIII.

ST autem ei quod dicimus diligenter attendendum, ne imprudentes nosmet ipsos fallamus, sicuti se fallunt multi ex iis qui optimi visi sunt medici, qui si quē caluum viderint, statim huic siccum esse totius corporis temperamentū putāt. Neq. enim simpliciter ita con- C *iectare oportebat, sed prius illud definire præstiterat, humanū corpus in aliis æquabili per totum tēperamento esse, in aliis, nec his paucis, inæquabiliter esse affectum; cum eorū aliæ particulæ mediocri & iusto sint humidiores, aliæ frigidiores, aliæ sicciores, aliæ calidiores, aliæ prorsus tēperatæ ac mediocres. Porro huic maxime esse attētos cōuenit, vbi corporis tēperiem æstimamus. Quippe si totū corpus æquabiliter cōditum* sit, omniumq. partium inter se competentiam in latitudine, longitudine, & altitudine seruet; potest vtique æquabiliter attemperatū esse id corpus. At sicui corpori thorax, collum, & humeri maximi sunt, lumbi parui angustique, & crura gracilia atq. sicca; quomodo id dixeris omnibus particulis* D *similiter affectum? Quin si crura ei crassa sint, & lumbi lati, thorax vero angustus; ne id quidem omnibus particulis æquabiliter est temperatum. Sunt alia corpora, quibus maximum est caput, alia quibus paruum, quale passeribus: Iam crura aliis blæsa, aliis vara. Artuum quoque extrema aliis gracilia sunt, aliis crassa. Et thorax aliis, (vt dictum est) latus, aliis tabulæ ritu angustus; quos Græci σανιώδεις vocant. Vbi vero opertæ scoptulæ illis sine carne, nudæq. plane sunt, & alarum more pronæ, nominantur a medicis eiusmodi naturæ Græce πτερυγώδεις. Quantopere hæ sint vitiatæ deperdito his paullo minus omni interno thoracis spatio, quo pulmo & cor sunt sita, neminem latet. Innumeræ vero aliæ*

* εὔρυθμον.

ro aliæ

A *ro aliæ particularum corporis plane affectiones ſunt , vbi id a naturali analogia protinus in vtero matris ad inæqualem intemperiem eſt mutatum.*

Cognoſcendorũ temperamentorũ methodum ex tribus ſignorum generibus conſtitutã hactenus tradidit: hoc autẽ capite tria præcepta ſcribit neceſſario ſeruanda, ne in dignoſcendis iuxta prædictam methodũ temperamẽtis fallamur. Præcipit inprimis, ne ex vnica particula de temperamẽto totius corporis iudicium ferre tentemus; eſt enim incertum fallaxq. eiuſmodi iudicium , niſi fuerit corpus æqualiter intẽperatum. Monet propterea vt ante omnia diſtinguamus, ſitne corpus æqualiter intemperatum, an inæqualiter. Aequaliter intemperatũ illud dicitur, in quo omnes partes ad eandem intẽperiem declinant; veluti ſi partes omnes calidiores fuerint in ſuo genere , aut frigidiores: quod de prin-
B cipibus partibus intelligere potiſsimum oportet, quarum temperiem reliquæ ſequuntur. Illud vero inæqualiter intemperatum vocatur , in quo partes principes aut contrariam, aut ſaltem diuerſam habent intemperiem: veluti ſi ventriculus calidus ſit , & iecur frigidum ; aut frigidum ſit cor, & cerebrum in ſuo genere ſiccum. Diſtinguemus æqualem corporis intẽperiem ab inæquali, ex partium inter ſeſe proportione in tribus dimenſionibus, longitudine, latitudine, & altitudine. Quippe quæ corpora iuſtam habent partium proportionem & concinnitatem, ea quidem ſunt æqualiter intemperata. Veluti ſi cui caput ſit magnum, ceruix ampla, latus thorax, tum etiam & lumbi lati, is ſane erit æqualiter intemperatus in calore; quemadmodum contra ſi quis caput habeat paruum, thoracem, & lumbos anguſtos; in frigiditate erit æqualiter intemperatus. Quod ſi hanc partium proportionem corpus non ſeruauerit, erit neceſſario inæquali-
C ter intemperatum , vt ſi caput magnum ſit, & thorax anguſtus; is namque cordis frigiditatem indicat; illud vero cerebri calidicatem. Et rariora ſane eſſe ſolent æqualiter intemperata corpora, pleraque enim inæqualiter ſunt intemperata; neque id mirum, cum in pleriſque hominibus earundem partium formationem maxime diuerſam eſſe experiamur. Quibuſdam enim caput eſt magnum , aliis paruum; quibuſdam crura ſunt blæſa, id eſt ad exteriorem partem diſtorta; aliis vara , id eſt ad partem interiorem reflexa. Thorax preterea aliis eſt latus, aliis anguſtus, & tabulę ritu depreſsus; quos proinde Gręci σανιώδεις appellãt. Quod ſi his carne nudę ſcapulę alarum more promineant, Gręcis πτερυγώδεις, Latinis dicuntur alati. Quę thoracis formatio omnium maxime damnanda eſt, cum anguſtiſsimum ſit internum pectoris ſpatium, in quo pulmo cõtinetur & cor. Quo
D ſit, vt inſaluberrimę ſint huiuſmodi naturę, & phthiſi omnium maxime obnoxię.
» Quod & ab Hippocrate obſeruatum eſt , dum ſcribit in hunc modum , Genus Lib. 3. epide.
» erat tabidorum, glabrum, ſubalbum, pituitoſum, ſubrubicundum , cæſium, leu- par. 3. ſent. 70.
» cophlegmatiæ, & quibus ſcapulæ in morem alarum prominebant. Talem formationem habuit Euryanactis filia , cui (vt Hippocrates inquit) narium quod- Lib. 3. epide.
dam inerat tabidum , cuius occaſione interiit. Vidimus & alios , qui non ſecus par. 2. ſent. 3.
ac Euryanactis filia , ob deprauatam thoracis formationem tabe abſumpti perierunt.

Lib. de cau. mor. cap. 7.

Minime igitur in corporibus id genus ex vnica particula coniectandum de toto eſt; neq. enim ii qui mores ex ingenio corporis docere profitentur, ſimpliciter de omnibus pronunciant. Verum ipſi quoque experientia docti, ſi quis impę e*

* φυσιογνωμονεῖν.

hirto eſt

*θυμικός. *hirto est pectore, hunc audacem* indicant; sin cruribus est hirtis, salacem; non* A
tamen caussam etiam adduciunt. Neque enim cum pectus habere leoni simile dicunt, crura vero hircosa, primam ideo caussam inuenerunt; siquidem cur leo quidem audax, hircus vero salax sit, ratio etiam inuestigandum exigit. Hactenus enim quod in re quidem fieri cernitur dixère, caussam tamen eius omisère. Ceterum is qui naturali speculatione est exercitatus, sicuti aliorum omnium, ita horum quoque caussas inuenire tentat. Propterea enim quod inæquali partium temperamento sunt, non leo modo & hircus, sed etiam ceterorum pleraque animalia; idcirco ad alias actiones aliud est pronum. Ac de his quidem Aristoteles commode tractauit. Sed quod ad rem propositam est vtile id iam apparet, hominum scilicet temperamēta considerantibus, singulas partium per se examinādas B
esse. Nec si cui thorax hirsutus est, huic totum corpus calidius sicciusq. ex necessitate putandum, sed plurimum in corde calorem esse, eoque audacem. Posse vero aliquando etiam huius ipsius rei occasione accidere, quo minus totum his corpus similiter calidum siccumque sit; quod scilicet plurimum caloris sursum huc spirauerit, atque in partem continentem euacuatum sit.

Quod ex vna parte non liceat totius temperamentum colligere, confirmat testimonio Physiognomorum, qui solo aspectu iudicant de hominum moribus. Hi namque ex vnius partis intuitu de moribus omnibus iudicium non ferunt, sed de his tantum qui eius partis temperiem sequuntur. Veluti si quem hirto C
pectore viderint, hunc audacem iudicāt, & animosum; si vero hirsutis cruribus, salacem. Et quamuis rem ita habere experiētia didicerint, caussā tamen ignorant, ad solamque similitudinem referunt. Nam audaces illos esse aiūt, quod pectus habeant leonis pectori simile; hos vero salaces, quod habeant crura hircorum cruribus similia. Cur autem fortis sit leo, & hircus salax, non explicant Physiognomi sola experientia contenti; Physici tamen ad cordis iecorisq. caliditatem huius rei caussam verissime referunt. Nam quibus cor calidum est, audaces sunt & animosi; cognoscitur autem cordis caliditas ex pectoris hirsutie. Ac rursus quibus iecur, renes, & testes calidi sunt, hi ex sua natura sunt in venerem procliues; quarum partium caliditas ex ventris inferioris, & crurū hirsutie deprehenditur. Quemadmodum ergo non licet Physiognomo, vna parte conspecta de moribus in vniuersum pronuntiare; ita neque licebit Medico, D
ex vna particula de totius corporis temperamento iudicare, nisi corpus fuerit æqualiter intemperatum: alioqui enim multo satius est, singularum partium internarum temperiem ex propriis signis expendere. Neque enim siquis caluus est, is toto corpore est siccus, sed solo capite; nec siquis hirtis est cruribus is toto corpore calidus est, sed iecore, renibus, & potissimū testibus. Et quod maius est, siquis pectus habeat hirsutum ac latum, neq. is toto corpore calidus est necessario, sed solo corde calidus; cum fieri aliquando possit, vt ob nimiam cordis caliditatem reliquum corpus frigidius euadat, calore scilicet plurimo sursum euocato, & in partem continentem (nempe thoracem) euacuato: vel potius (vt vertit Fuchsius) in ambientem dissipato. Quod si ex temperamento cordis, quod vim maximam habet mutandi vniuersum corpus (cum fons sit ac principium innati caloris) totius corporis temperiem colligere non licet, quid

quæso,

A quæso, de aliis partibus sentiendum? Iecur enim cum & venarum & sanguinis principium sit, vim quoque habet mutandi vniuersum corpus, quemadmodum cor, imbecilliorem tamen. Huc namque pertinet quod alibi dictum est à Galeno, calidi cordis tẽperaturam magna ex parte vniuersum corpus calidum reddere, nisi hepar vehementius obstiterit: obstat vero, quando contrariam cordi habet intemperiem. Quo casu vniuersum corpus inæqualiter intemperatum maxime efficitur, partibus scilicet principibus contraria intemperie inter se pugnantibus. In art. med. cap. 29.

Nam si tota corporis temperies est æqualis, erit his statim thorax ipse vniuersus latissimus, venæ amplæ, arteriæ magnæ, eædem maxime vehementissimeque pulsantes. Tum plurimi per totum corpus pili, atque hi quidem in capite plurimi B *incrementi, nigri, & crispi, vtique in prima ætate, procedente vero tempore caluities excipiet. Quinetiam eiusmodi hominibus cum æqualiter sunt attemperati, & robustum, & exacte delineatum, & musculosum totum corpus erit; tum cutis nigrior, durior, atque hirsutior. Ad eundem modum si contraria omnia in thorace sint, ac æqualis in toto corpore temperies vigeat (id est, si humidiores, frigidioresq. vniuersæ corporis partes sint) thorax quidem angustus & glaber erit; sicuti etiã totum corpus pilis nudum; cutis vero mollis & alba; capilli subrufi, potissimum in iuuentute. Hi in senectute non caluescunt, timidiq. statim, & ignaui,* & segnes; adde etiam paruis venis, ac minime conspicuis, et adiposi fiunt. Iidem neruis musculisq. imbecillis, et artubus parum exacte delineatis, et blæsis.* * ἄτολμοι. C *At vbi varia partium temperies est, ex vna earum pronuntiare de toto corpore non licet, sed adeundæ singulæ sunt, æstimandumque, quo temperamento ventriculus, quo pulmo, quo cerebrum, ac reliquarum per se vnaquæque seorsum sit. Atque hæc quidem ex functionibus noscenda, cum nec manuum contrectatione, nec oculorum inspectione inuenisse eorum temperiem sit.*

Cum in corporibus æqualiter intemperatis ex vna particula cognosci possit totius corporis temperies, merito nunc tradit æqualium intemperierum notas; non quidem omnium, vt fecit in art. med. sed earum dumtaxat, quæ omnium sunt frequentissimæ, & quibus cognitis reliquæ facile cognosci possint: quales sunt calida & sicca, frigida & humida. Calidæ igitur & siccæ intemperiei æqualis hæ sunt notæ. Thorax latissimus ob cordis caliditatem; arteriæ magnæ, quæ ob auctum vsum magnos pulsus edunt, & vehementes ob facultatis robur; venæ itidem latæ, quia iecur est calidũ; pili per totum corporis habitum plurimi ob copiam fuliginum, & siccitatem cutis; capilli plurimi incrementi ob eandem caussam; crispi propter fuliginum & cutis capitis siccitatem. Procedente autem tempore caluities excipiet, quoniam capitis cutis quæ iusto siccior fuerat ab initio, ætatis progressu veluti testacea redditur. Totum corpus robustum est, exacte delineatum, & musculosum. Robustum quidem, quia facultates ad agendum excitat calor, siccitas vero robur actionibus addit. Ceterum dum calidis & siccis corpus robustum esse dicimus; agile, & ad omnes functiones obeundas bene comparatum intelligimus. Solent enim alioqui qui calidi sunt & sicci, cum laboriosum aliquod opus moliuntur, prom- A cap. 52. ad 59. D Lib. 3. de cau. sympt. cap. 3.

pte concidere, & (vt antea diximus) solius inediæ occasione in grauissima labi symptomata: præsertim si magna fuerit intemperies. Est quoque corpus exacte delineatum, quia ob robur caloris partes exacte formantur, & propriis limitibus circumscriptæ, à se inuicem distinguuntur. Adde quod gracillima sint corpora calida & sicca, quibus deficiente pinguedine & carne, totus corporis habitus exacte delineatus conspicitur. Potissimum vero conspicui sub cute sunt musculi, à se manifesto distincti; vnde corpus dicitur musculosum. Postremo cutis nigrior est propter calorem; durior propter siccitatem; hirsutior propter vtrumque. Porro frigida & humida intemperies æqualis ex contrariis signis dignoscitur. Thorax angustus est & glaber ob cordis frigiditatem. Totum corpus glabrum ob fuliginum inopiam, & cutis mollitiem. Hæc itidem alba est, nisi multa sit in corporis habitu pituitæ copia; tunc enim, vt Galenus ait, color est potius veluti plumbeus. Capilli sunt subrufi, potissimum in iuuentute, in pueritia enim potius albicant. Hi non caluescunt, quoniam capitis cutis humidior est. Timidi sunt, & ἄτολμοι id est pusillanimes, quia cor frigidum habẽt. Sunt itidem segnes & pigri ad motum reliquasque functiones, quia frigiditas omnes animæ actiones torpidas reddit. Venas habent paruas, quia frigidum est iecur; & minime conspicuas, tum ob paruitatem, cũ potissimũ propter corporis crassitiem, sunt enim hi omnium maxime obesi. Neruos & musculos habent imbecillos, & artus ob præpollentem frigiditatem parum delineatos. In his itaque, aliisque similibus intemperiebus æqualibus, ex vna dumtaxat parte de totius corporis temperie iudicium ferri potest. In corporibus vero inæqualiter intẽperatis præstat potius propriam partium internarum temperiem ex propriis actionibus æstimare, vt sequenti capite dicemus.

In art. med. cap. 58.

A

B

Simul autem pensitandus & continentium ea partium affectus est, quarum omniũ extrema est cutis. Hæc in nostra regione quæ vtiq. tẽperata est, subiectarum partium naturã prodit; quãquam nec in ea simpliciter loquenti omnium, sed dumtaxat earũ quæ similem habent cuti temperiẽ. At in iis qui sub Vrsa & sub Meridie sunt locis, quoniam corporũ quæ in altero sunt calor, in altũ a circumdante extrinsecus & vincente frigore est fugatus, alterorum in cutem ab externo calore attractus prodiit; non potest ex eo affectu qui in cute cernitur, internarum particularũ temperies clare discerni. Quippe corporis temperies in regionibus his quæ a temperie recesserunt, inæqualis visitur, externis scilicet internisq. partibus ad eundem se modum non habentibus. Gallis enim, & Germanis, & omni Thracio, ac Scythico generi frigida humidaque cutis est, ideoq. etiam mollis, alba, & pilis nuda. Omnis vero naturalis his calor in viscera vna cum sanguine confugit, vbi diũ agitatur, premitur, & feruet; iracũdi, audaces, & præcipitis consilii redduntur. Æthyopibus vero, & Arabibus, omnibus deniq. iis qui ad meridiẽ incolunt, natura cutis ex ambiẽtis æstu, et naturali calore foras acto, vsta, dura, sicca, et nigra redditur; toto corpore naturalis quidem caloris exiguam obtinente portionem, sed alieno atque adscititio incalescente.*

C

D

* θυμικοί.

Duo quæ sequuntur præcepta, ad cutis affectum pertinent, ex quo interdum licet totius corporis temperiem colligere. Quippe (vt dictum est) calida cutis

calidum

A calidum, frigida frigidum corporis temperamentum indicat. Præcipit itaque nunc secundo, ne ex cutis affectu de temperamento totius iudicium semper feramus, sed in regione tantum temperata. In hac enim sola, cutis quæ omnium partium viscera continentium extima est, subiectarum partium naturam ostendere potest, vtpote quæ ab ipsis mutata, eandem cum ipsis temperiem induat. Est tamé obseruatione dignum quod inquit hoc loco, cutem scilicet in regione temperata non omnium partium subiectarum naturam prodere, sed earum dumtaxat, quæ similem habent cuti temperiem. Quas rectè interpretatur Lopezius eas esse, quæ cutem ipsam alterare, atque pro suæ temperaturæ modo mutare possunt. Tales autem sunt cor & iecur, quibus (vt sæpe diximus) magna vis inest mutandi vniuersum corpus; vt fatetur etiam Galenus in art. med. ita
» scribens, Totius autem corporis habitus diximus & superius, quomodo & he- Cap. 50.
» patis & cordis naturam sequatur. Habent igitur cor & iecur similem cuti tem-
B periem, quoniam suam cuti temperiem communicant; ostenditq. cutis cordis & iecoris naturam, quia ab his duobus visceribus cutis necessario mutatur. At reliquæ partes internæ cum sanguinis principia non sint, cutem haudquaquam immutant; neque enim si cerebrum frigidum sit, cutis est necessario frigida; neque eidem calida, si vétriculus calidus fuerit. Quamuis negari non possit, quin eiusmodi partes à corde & iecore insigniter mutentur, fiantque proinde in suo genere calidiores aut frigidiores, pro calida aut frigida iecoris & cordis intemperie. Cum itaque in regione temperata nullam ab ambiente aëre insignem mutationem accipiat cutis, ipsius affectus cordis primum & iecoris, deinde vero corporis vniuersi temperiem certissime prodit. At in regionibus intemperatis, iisque potissimum quæ vel extreme calidæ sunt, vel
C extreme frigidæ, numquam licebit ex cutis affectu totius temperamentum colligere; quoniam ab ambiente calido aut frigido nouum contrahit cutis affectum, à quo obscuratur, vel potius vincitur internarum partium alteratio. Fieri namque minime potest, vt in regione intemperata corpus sit æqualiter temperatum, contrario scilicet modo se habentibus partibus internis & externis. Hanc legitimã esse huius loci explicationem, ex iis confirmari potest, quæ ipsemet Galenus in art. med. ad hunc modum scribit. Dicen- Cap. 50.
» tur igitur & horum temperaturæ indicia in bene temperata regione, nam quæ
» male temperatæ sunt, cutem permutant ex se ipsis formantes, & quædam ex in-
» diciis corrumpunt. Omnibus itaque qui frigidas regiones incolunt (quales sunt Galli, Germani, Thraces, & Scythæ) vniuersus corporis habitus frigidus est, in-
D terna auté viscera calent, fugato scilicet in profundum calore à vincéte extrinsecus frigore. Atq. hinc fit, vt cutis his omnibus frigida sit & humida, ideoq. alba, mollis, & glabra. Sunt tamen iracundi, audaces, & præcipitis cõsilii ob sanguinis circa viscera feruorem. Nam quãuis ob regionis frigiditatem sanguis in his difficile accendatur, semel tamen accensus feruorem non facile deponit: quo fit, vt cum sint laborum patientissimi, in strenuos milites plerumque euadant. Vocat autem Linacrus hoc loco iracundos, quos Græci θυμικοὺς appellãt; rectius tamen dixisset animosos; nã iracundi, quos ὀξυθύμους, vel ὀργίλους Græci vocant, frigidiore temperamento sunt præditi pusillanimesque sunt teste Galeno. Immo iracũdos iratis (Græce θυμώδεσι) contrarios esse docuit ex Hippocra- Lib. 1. epid. par. 2. com. 78.
tis sententia; ita vt irati magnanimi sint, & humilium rerum contemptores; iracundi vero generoso virilique animo non sint, sed potius pusillanimes. Videturque iracundos eos vocasse, qui leui occasione, aut etiam citra rationem

 irascun-

irascuntur; quales sunt mulieres, pueri, & viri etiam pusillanimes; quibus imbecillima est facultas irascibilis cordis. Iam vero Aethyopibus, Arabibus, omnibus denique qui extreme calidas regiones habitant, extima cutis ab ambientis æstu, & naturali calore foras acto, vsta, sicca, dura, & nigra redditur; interna tamen viscera minimum retinent innati caloris, vnde fit, vt sint imbecillima. Facile itaque in his ob ambientis æstum sanguis feruere solet, sunt tamen pusillanimes ac timidi, & prompte concidunt ob innati caloris inopiam. Neq. is locus durior est, vt sentit Hieremias, cum & rationi omnino consentiat, & experientiæ. A

Græce additur κάλλιστα.

Quippe id quoque ab Aristotele in multis est traditum, estque illi (si alteri vlli) attendendum; ac in singulis corporibus æstimandum, suone & proprio, an adscititio calore incaleāt. Quæ enim putrescūt omnia, adscititio calore sunt calida, proprio frigent. Qui meridianam plagant incolunt, adscititio calore sunt calidi, proprio frigidi. Iam apud nos quoque naturalis calor hyeme est vberior, adscititius minor; æstate contra adscititius maior, naturalis minor. Omnia namque hæc definiat oportet, qui recte tēperamentum est cogniturus. Neque enim omnino si cutis nigrior apparet, iam totus homo calidior est; sed si ita est ceteris omnibus simili modo se habentibus. Siquidem si alter in sole versatus diutius est, alter in vmbra; illi nigrior, huic albidior cutis erit. Verum hoc ad totius temperamenti alterationem nihil facit, ipsa namque cutis sub sole diutius habita, siccior; in vmbra humidior euadet: non tamen naturalis temperies, vel iecinoris, vel cordis, vel alterius cuiusquam visceris statim mutabitur. B C

Præcipit tandem, vt adscititias cutis qualitates à natiuis ac propriis distinguamus; cum ex his totius corporis temperamentum colligi possit; illæ vero ad temperamenti dignotionem nihil prorsus conferant. Id priuatim explicat in calore cutis, & eiusdem colore, licet & reliquarum qualitatum (veluti duritiei & mollitiei) eadem sit ratio. Non igitur si calida tangatur cutis, statim iudicare oportet vniuersum corpus esse calidum; ne fortasse quod à caussa quapiā externa ortum habuit, id propriæ corporis naturæ perperam tribuamus. Erit itaque corpus calidum, si calor qui in cute sentitur, à nulla caussa externa, velati sole aut exercitatione, originem traxerit. Porro quod calor interdum proprius sit, interdum adscititius, cōfirmat exemplo corporum putrescētium, regionum, & anni temporum. Nam quæ putrescunt adscititio calore calent, proprio frigent; & in frigidis regionibus interna viscera innato calore calida sunt, adscititio frigida; & tandem æstate adscititius calor maior est, innatus minor; hyeme vero contra. Eadem ratio coloris est, qui & adscititius & congenitus esse potest. Veluti color niger si natiuus sit, temperamenti caliditatem indicat; si vero, ex mora sub sole ortum trahat, nihil facit ad temperamenti cognitionem. Et albedo cutis, si innata fuerit, temperamenti frigiditatem demonstrat; si vero ex diuturna in carceribus mora, aut vita vtcumque vmbratili ortum habuerit, nullius temperamenti est nota. Hæc itaque tria si obseruentur, licebit vtiq. ex vna parte, potissimumque ex cutis affectu, de totius corporis temperie iudicium ferre. Alioqui tutius fuerit, singularum partium internarum propriam temperiem ex propriis functionibus explorare, vt sequenti capite docebit. D

CAP.

A

CAP. IX.

PTIMVM igitur fuerit, ſicuti prius eſt dictum, cuiuſq. ſeorſum particulæ temperamenti notas comparaſſe. Verbi gratia ventriculi, ſi is bene concoquit, quod temperatus ſit; ſi non bene concoquit, intemperatus. Si nidoroſos quoſdam vel fumoſos edit ructus, quod igneus in eo calor & immoderatus ſit; ſin acidos, imbecillus & infirmus. Simili modo ſi qui bubulam, & omnia quæ concoctu difficilia ſunt, concoquunt, eorum calor immodicus ſit; ſi qui vero hæc concoquere non valent, ſed ſaxatiles piſces, & talia concoquunt, infirmus.

Abſoluta diſputatione de cognoſcendis temperamentis hominum, ad alteram nunc aggreditur, quæ in cognoſcendis partium internarum temperamentis verſatur. Non enim ſatis erat nouiſſe ſingularum partium temperaméta, collatione facta ad cutem, quæ in genere partium temperatiſsima eſt; niſi etiã cognouerimus, qualis ſit in ſua ſpecie vniuſcuiuſque partis temperies. Methodum itaque in primis proponit omnium partium temperamentis inquirendis communem; deinde vero eandem priuatim exercet, ventriculi temperiem inueſtigans. Hoc namque vnico exemplo in præſentia contentus, reliquarũ partium temperamenta breuitatis cauſſa prætermiſit, quæ diligenter perſequutus eſt in art. med. Ac methodus quidem breuiſsima eſt & facillima, cum partium temperamenta ex propriis functionibus in vniuerſum cognoſcantur: quippe cum in intimo corpore deliteſcant, neque viſu, neque tactu, qualis ſit ipſarum temperies, explorare licet. Optima igitur cuiuſcumque partis tẽperies ex propriæ functionis perfectione cognoſcitur; vt reliquorum omnium quæ in ſuo genere aut ſpecie media ſunt: vtpote quæ ad iuſtitiam tantum, non autem ad pondus ſint temperata. Intemperies vero ex propriæ actionis vicio deprehenditur; quod cum multiplex ſit, varias intemperiei differentias oſtendere poteſt. Hac methodo ventriculi temperies certiſsime faciliimeque cognoſcetur, cognita primum propria ipſius actione, quam omnes concedunt eſſe ciborũ concoctionem. Si ergo ventriculus ingeſtos cibos optime concoquit, in ſua ſpecie temperatus cenſendus eſt, ſi male concoquit, intemperatus. At ex vicio concoctionis, qualis ſit vẽtriculi intemperies, diſtinguemus. Sunt autem omniũ frequentiſsimæ intemperies calida & frigida, quarum notas hoc loco tantum perſequitur: quamuis & reliquarum ſigna tradiderit in art. medi. Si igitur ad eum modum vicietur in ventriculo ciborum concoctio, vt nidoroſos quoſdam ac veluti fumoſos ructus vẽtriculus emittat, igneũ eſſe ipſius calorem ſcire oportet: exhalant enim eiuſmodi ructus à cibis in ventriculo corruptis potius quam incoctis. Atqui nidoris variæ ſunt differentiæ, quæ vix verbis exprimi poſſunt; nã oua putrefacta aliquando referre videtur, aliquando cœnũ, aut corruptos piſces, aut aliud quidpiam ſimile. Oportet tamen diligenter diſtinguere, an ventriculi, an potius ingeſtorum ciborum culpa nidoroſi proueniant ructus: ſunt namque alimenta quædam, quæ in nidorem mutari facile ſolent, quales ſunt raphani, oua fricta, & quæ bellaria vocantur. Quare ſi præcedente horum ciborum vſu ructus nidoroſi ſuperuenerint, ventriculi calorem accuſare non licet, ſed deprauatam tantum victus rationem. Si vero ventriculus nidorem eructet eiuſmodi cibis nequaquam ingeſtis, calida ipſius intemperies

(Margin letters: B, C, D.)

A cap. 60. ad 64.

Lib. 3. de cau. ſymp. cap. 1.

Lib. 1. de loc. affect. cap. 4.

certissime iudicatur. Porro si ita vicietur ciborum concoctio, vt ructus acidos A vētriculus emittat, frigidam esse ipsius intemperiem intellige; dūmodo à caussa externa huiusmodi vicium nō proueniat, veluti ab immodico aceti & acidorum pomorum vsu. Ex his facile intelligitur Alexandri Tralliani error, tum etiam & Auerrois, qui acidum saporem & frigiditatis & caliditatis sobolem esse posse aduersus Galenum temere contendunt. Neque his fauet aphorismus ille Hippocratis, In diuturna læuitate intestinorū si ructus acidus superueniat, qui prius non exstiterit, bonum est signum. Commendat enim Hippocrates ructum acidum in lienteria, non quod robusti caloris sit indicium (est namq. perpetuo imbecilli caloris soboles) sed quod cibos, qui prius crudi omnino deiiciebantur, aliquamdiu in ventriculo retineri, & vtcumque iam alterari significet. Quocirca in diuturna dumtaxat lienteria acidum ructum bonum esse dixit, quoniam ea incipiente cum plerumque abolita adhuc non sit ciborum concoctio, acidi ructus nihil boni significantes interdum apparent, qui ingrauescente malo prorsus abolentur. Iam vero neque omnem ructum acidum in diuturna etiam lienteria commendat, sed eum tantū qui prius non exstiterit; quippe quæ à pituita (acidaque potissimum) ventriculum refrigerante fit lienteria, secum semper coniunctam habet ὀξυρεγμίαν. Erit itaque ructus acidus certissimum frigidi ventriculi signum, non secus ac nidorosus ventriculi calidi; nisi (vt dictum est) ciborum culpa proueniat. Sed præter ructus alterum quoque proponit vtriusque intemperiei signum, ex concoctionis differentia desumptum. Si quis enim alimenta concoctu difficilia (vt bubulam & suillam) facile concoquit, huic ventriculus calidus est immodice; frigidus autem, si hæc superare non possit, sed ea tantum quæ sunt concoctu facilia, vt pisces saxatiles, hepata gallinarum, & oua sorbilia. B C

Lib. 7. cap. 12.
Lib. 3. collect. cap. 16.
Aphor. 1. lib. 6.

Videndum autem hîc rursum, num succi alicuius qui aliunde confluat culpa, eiusmodi symptoma ventriculo accidat; aliis enim ex capite pituita, aliis flaua ex iecinore bilis in ventriculum confluit. Rarum tamen hoc cernitur, & paucissimis contingere; at compluribus a capite defluit pituita, atq. id maxime Romæ, ac locis perinde humidis. Ceterum & quod raro accidit considerandum, nihilque pro superfluo habendum, aut negligendum. Siquidem ipse vidi quibusdam perquam pituitosis hominibus multam tamen in ventriculo colligi flauam bilem; quam cum ante cibum aqua vinove epoto euomere debuissent, si quid ciborum priusquam vomerent, gustassent, & hos corrumperent, & capite dolerent. Cum hos quidam natura biliosos esse crederent, quamquam essent toto corpore molles, & candidi, & glabri, & adiposi, & venis ac musculis parum conspicuis, præterea exangues, nec tangentibus admodum calidi. Vidi & qui bilem numquam vomuerunt, qui tamen & graciles, & hirsuti, & musculosi, & nigri, et venosi fuerunt, affatimque calidi (si quis tangeret) videbantur: cuiusmodi habitu Eudemus philosophus erat. Sed incidit hoc loco speculatio quædam anatomica, id est quæ ad corporum dissectionem pertinet, quam aliqui medicorum ignorantes, ex symptomatum dissonantia magnopere anguntur; dum parum intelligunt, meatum illum per quem iecur bilem in ventrem D

trem

A *tremeuomit, aliis geminum esse, aliis vnicum: id quod in quadrupedum dissectionibus videre licet. Ac plurimum quidem vnicus est, in id intestinum, quod pylori (id est exitus fundi ventris) & ieiuni medium est, insertus: Græci medium id γαστρὸς ἔκφυσιν, quasi quiddam è ventre enatum vocant. Vel si geminus meatus sit, in ecphysin illam maior inseritur, minor in fundum ventriculi paullo supra pyloron inuenitur; sed tamen in paucissimis superior pars maior, inferior minor. Ceterum quibus est maior, his in ventrem quotidie non exiguum bilis effunditur, quam & euomant ante cibum oportet, & nisi id faciant læduntur; quibus autem vnicus est omnino meatus, his tota bilis confluit in ieiunum.*

B Ructus nidorosus nisi culpa ciborum acciderit, calidam ventriculi intemperiem indicat, quemadmodum ructus acidus intemperiem frigidam. Distinguere tamen oportet, an eiusmodi intemperies propria ventriculi sit, an afficiatur potius per consensum, pituita vel bile aliunde ad ipsum confluente. Quibusdam enim ex capite defluit ad ventriculum pituita, cuius occasione male concoquens acidum eructat: quod quidem in his locis frequentissimum esse solet, quæ destillationibus sunt obnoxia; qualis est Roma, & nostra etiam Valentia. Aliis itidem flaua bilis ex iecore ad ventriculum confluens, ingestos cibos corrumpit, atque in nidorem conuertit: id quod rarissimum esse inquit Galenus. Verum cum experientia monstret, & febricitantibus, & iis qui iam iam labuntur in febres, vomitum bilis frequentissime accidere; quod à Galeno nūc dictum est, de sanis necessario intelligendum cēsemus; in quibus bilis ad duodenum plerumque expurgatur, rarissime autem ascendit ad ventriculum: id
C namque his solis accidit, quibus geminus factus est meatus ille, per quem bilis secundum naturam expurgari solet. Est autem huiusmodi meatus plerumque vnicus, qui in ecphysin inseritur; interdum geminus, in duosque ramos diuisus, quorum alter in ecphysin, alter vero in ventriculi fundum protenditur. Porro rarissima esse solet gemini huius meatus formatio, vsqueadeo vt semel tantum à se visam fuisse testetur diligentissimus Vesalius. Si igitur duplici existente Lib. 5. de fa-
meatu, quæ portio ad ventriculi fundum fertur altera sit maior; plurimam bilis bri. corp. hu-
copiam ad ventriculum quotidie transmitti, & nisi vomitu prius reiecta fuerit, ma. cap. 8.
& cibos ab ea corrumpi, & ex his corruptis nidorosos ructus gigni necesse est. Quæ sane Galeni sententia verissima est, etiam si Vesalio suspecta videatur, quod remex ille in quo bilis meatum geminum inuenerat, vomitu nūquam
D fuisset vexatus. Neque enim omnibus his quibus geminus est eiusmodi meatus, biliosum vomitum accidere dixit; sed his dumtaxat, quibus maior eius meatus portio in ventriculi fundum inseritur. Quare si maior portio inseratur in ecphysin, cum minima bilis portio ad ventriculum ascendat, eaq. facile possit ad intestina depelli; neque bilis vomitus, neque ructus nidorosus necessario sequitur. Cum igitur varia huius meatus structura non sequatur corporis temperiem, fieri aliquando potest, vt qui natura frigidus est ac pituitosus, aut bilē quotidie vomat, aut nidorem patiatur. Quod confirmat historia cuiusdam, cuius etiam meminit in art. med. cap. 74. & nomen expresit lib. 2. de rat. vict. in morb. acut. com. 29. Paulum rhetorem fuisse scribens. Fieri itidem potest, vt qui natura calidi & sicci sunt ac biliosi, bilem nunquam vomant; cuiusmodi habitu præditum fuisse inquit Eudemum philosophum.

Quanã igitur ratione dignoſcere hos licebit? neq. enim diſſecandos eſſe viuos cenſeo. Primum certe totius corporis temperamento, veluti paullo ſupra eſt propoſitum. Deinde iis quæ infra excernuntur, Eudemus enim bilioſa mera perpetuo perſedem excernebat, vtpote qui multam collegit bilem, cuius nihil in ſuperiorem ventrem peruênit. Reliquis, qui ſcilicet & pituitoſo erant corporis habitu, & bilem vomebant; his haud quaquam erat aluus bilioſa, quippe cum & minimum flauæ bilis gignerent, & plurima portio in ſuperiorem ventrem perueniret. Tertium notæ genus in ipſis eſt vacuatis, nam quibus in ventre bilioſum excrementum gignitur, id porri colorem præfert; at quibus ex iecinore deſcendit, his vel plane flauum eſt, vel omnino ſaltem pallidum. Præterea quibus in ventriculo bilis illa gignitur quæ porri colorem imitatur, debet omnino his cibus fuiſſe, non panis, non ſuilla caro, ſimileve aliquid; ſed neceſſario aliquid quod his calidius fuit, neque id boni ſucci. Quibus autem ex iecinore in ventrem defluit, his flaua ea pallidave euomitur; etiam ſi boni inprimis ſucci fuit quod ſumpſerunt; etiamſi ad ſummum fuit concoctum; immo vero magis ipſis qui ad vnguem concoxerunt flaua vomuntur; atque etiam magis his qui diutius cibo abſtinuerunt. Quæ vero bilis porrum refert his ſolis gignitur in ventre, qui vtique concoxerunt male. Quinetiam ſollicitudo, ira, dolor, labor, exercitatio, vigilia, abſtinentia, & inedia, ſucci flauæ bilis plus aceruant, propterea quod plus eius ſucci in iecinore gignunt. Sunt igitur tum hæc certa indicia, tum adhæc quod vbi ſiccum & igneum ventriculi calorem conuerſio ad bilioſum ſequitur, panis, et ſuilla, et bubula caro, commodius quam ſaxatiles piſces concoquuntur; cum ſi ex iecinore bilis affluat, ex comeſtorum mutatione nulla ſequutura ſit concoctionis diuerſitas. Atque his quidem diſcernitur, quod non temperamenti, ſed alterius cuiuſquam gratia prouenit.*

* λυπαὶ.

Quinque ſignis diſtinguere poſſumus, an cibi corrumpantur ob calidam ventriculi intemperiẽ, an potius ob bilem, quæ viciata meatus bilis ſtructura confluat ad ventriculum. Inprimis ex totius corporis temperamento, nam ſi is qui nidorem patitur natura frigidus ſit & pituitoſus, huic profecto viciata eſt eius meatus ſtructura. Sic Paullus ille rhetor (vt antea diximus) cum toto corpore frigidus eſſet, bilem quotidie vomebat. Secundo ex alui excrementis, quæ bilioſa iis eſſe ſolent qui temperamento ſunt calido; qualia refert hoc loco fuiſſe Eudemo. At ſi bile tincta non fuerint, maior meatus portio ad vẽtriculum fertur, cum tota fere bilis ad ipſum confluat. Sic namque in Paullo ſe coniectura deprehendiſſe ſcribit, male formatum fuiſſe meatum, quod alui excrementa albicantia redderet. Quod tamen de ſanis intelligere oportet, in ictericis enim albicant alui excrementa, bilis autem meatus geminus non eſt, ſed tantum obſtructus. Tertium notæ genus in ipſis eſt vacuatis, id eſt in bile quæ vomitu reiicitur. Nam quibus in ventriculo gignitur bilis, porri virorem refert; quibus vero ex iecore confluit, his pallida eſt vel flaua. Quo loco aduerte, non dixiſſe Galenum, in ventriculo tantum gigni bilem porraceam, pallidam vero & flauam,

A uam tantum in venis; nam & in venis porracea,& flaua in ventriculo gigni potest, vt alibi docebimus. Sed tantum monet, colorem bilis quæ vomitu reiicitur, considerandum esse,vt ex eo distinguamus,corrumpātur ne cibi culpa ventriculi calidi, an potius quod viciata meatus bilis formatione, bilis ad ventriculum confluat. Nam si bilis porracea sit, ventriculus calida intemperie laborat; si pallida aut flaua, confluit potius ex iecore. Quod itidem in sanis intelligendum est, quibus porracea bilis in ventriculo tantum gigni potest; quæ enim in vasis gignitur, grauissimorum morborum est soboles. Et quibus sanis vomitu reiicitur pallida bilis aut flaua,his meatus bilis male formatus est;quāuis ægrotantibus frequenter vomatur citra meatus vicium. Quarta nota desumitur ex præcedente victus ratione, nam quibus in ventriculo gignitur porracea bilis,debet omnino his cibus fuisse,non panis,non suilla caro,simile ve aliquid; sed necessario aliquid,quod his calidius fuit,neque id boni succi. Quem B locum sic plerique interpretantur, vt velit Galenus porraceā bilem non posse gigni in ventriculo,nisi præcesserit vsus ciborum calidorum & praui succi:qualia potissimum olera sunt,ex quibus(vt ipsemet fatetur) huiusmodi bilis in vētriculo gigni solet. Atqui cum instituerit nunc distinguere, an ciborum in nidorem conuersio ex calida ventriculi intemperie proueniat, an potius ex bile, quæ ob viciatam meatus structuram ad ipsum cōfluat; quid ad hoc distinguendum faciat præcedens victus ratio, intelligere non possum. Esto namque,vt ex prauis cibis ingestis genita in ventriculo sit porracea bilis,quæ vomitu reiiciatur; numquid statim igneum ventriculi culpabis calorem? At quamuis in ventriculo calido eiusmodi cibi facilius corrumpantur, negari tamen non potest, quin & in ventriculo temperato ex olerum,similiumq. prauorum ciborū immodico vsu bilis porracea gigni possit. Cibos igitur qui ex sua natura facile cor- C rumpuntur (quod nos antea fecimus) excludere oportet, qui nullam prorsus ventriculi intemperiem indicare possunt;propria vero ventriculi calidi indicia diligenter animaduertere. Inter quæ non postremum locum id obtinet, cuius in præsentia meminit, & multo dilucidius in art. medi. vbi ventriculū calidum ex eo cognosci scribit,quod solida, concoctuq. difficilia alimenta felicius concoquat;tenuia vero,& concoctu facilia potius corrumpat. Id ipsum ergo significat in præsentia,cum ait, quibus in ventriculo bilis porracea gignitur, his cibum fuisse,non panem, aut carnem suillam; quæ, cum alimenta solida sint, & proinde difficilis coctionis, in ventriculo calido recte fuissent concocta; tātum D abest, vt corrupta, in succumque porraceum fuissent conuersa. Sed his cibus fuisse debuit necessario aliquid aliud,pane aut suilla calidius ac tenuius, proindeque concoctu multo facilius;id namque in ventriculo calido corrumpitur potius quam concoquatur: præsertim si boni succi nō fuerit. Quamuis absurdum non sit, ex alimentis etiam boni succi, dummodo concoctu facilia sint, ab immodico ventriculi calore bilem porraceam gigni,vt alibi dicemus.Hanc legitimam esse huius loci explicationem, confirmant ea quæ statim subiunget, tradens postremum huius distinctionis indicium, ex iuuantibus & nocentibus petitum. Ex quibus patet, ciborum corruptionem à calida ventriculi intemperie prouenientem ex eo dignosci,quod assumptis cibis cōcoctu facilibus sequatur bilis porraceæ vomitus. At quibus ex iecore confluit bilis, his pallida aut flaua vomitu reiicitur,qualiacumque ingesta sint alimenta, siue facilis, siue difficilis concoctionis. Immo licet boni sint succi, & perfectissime in ventriculo concocta, bilis euomitur; & magis iis qui ad vnguem concoxerunt, cum bi-

Lib. 2. prog. com. 39.

Cap. 62.

lis sit secundæ concoctionis excrementum. Solent itidem præcedere quæ corpus calfaciunt & exsiccant, plurimamque proinde in corpore bilem gignunt; veluti inedia, sollicitudo, ira, mæstitia, labor, & alia similia. Postremum huius distinctionis signum ex iuuantibus & nocentibus petitum est, quemadmodum etiam docuit lib. 1. de loc. affect. Quippe si ab igneo ventriculi calore nidorem prouenisse suspiceris, victus rationem statim immuta; eaque alimenta exhibe, quæ solidiora sint, & difficilis concoctionis, vt suillam, aut bubulam. Quod si eiusmodi alimenta felicius concoqui obseruaueris, certo iam intellige, igneum esse ventriculi calorem. At quibus ex hepate confluit bilis, nulla ex tali victus mutatione sequetur vtilitas; nam qualiacumque alimenta ingerantur, nisi ante prandium bilem quæ ad ventriculum confluxit, vomitu reiecerint, necessario corrumpuntur. Hæc quinque signa si attente obseruaueris, certo distingues, an ructus nidorosi à calida fiant ventriculi intemperie, an potius affecto per consensum ventriculo, ob deprauatam meatus formationem bile ad ipsum ex hepate & venis confluente. A B

Cap. 4.

Ad eundem modum si defluens a capite in ventrem pituita acidi ructus caussa est, conueniet simili ratione hîc quoque a ventris proprio affectu hãc discernere. Æque vero et capitis dolores, ex propria ne eius intemperie, an propter ventris aliqua excrementa incidant, discernendi.

Acidi ructus, non secus ac nidorosi, interdum fiunt ex propria ventriculi intemperie, interdum vero ventriculo per consensum affecto; quando scilicet aliunde fluentem pituitam excipit. Excipit autem à capite frequentissime in distillationibus, in quibus affectum cerebrum ad partes infernas, veluti nares, palatum, pulmonem, & ventriculum, noxiam fluxionem depellit. Quæ igitur pituita ex capite ad ventriculum distillat, ipsum refrigerans acidos ructus creat; præsertim si & ipsa acida fuerit. Quare distinguẽdum est necessario, fiantne acidi ructus culpa ventriculi frigidi, an ob pituitam ex cerebro distillãtem. Quomodo id distinguere oporteat, non explicat in præsentia; tum quod manifesta sint distillationis indicia; cum potissimum, quod huiusmodi distinctio ad disputationem de locis affectis potius pertineat, in qua generalis traditur methodus distinguendi affectus proprios ab affectibus per consensum. Iuxta quam methodum cerebro pituitam transmittenti ventriculum consentire ex his facile cognosces, quod affectus ventriculum non semper affligat, sed per certa temporum interualla repetat; & quod male habente cerebro, male habeat ventriculus; & cessante cerebri affectu ventriculi affectus similiter quiescat; ac tandẽ, quod affectus ventriculi idoneis adhibitis remediis curari nõ possit, donec cacapiti sit prospectum. Neque mirum videri debet, si ventriculus capiti laboranti consentiat, cum & caput ipsum in ventriculi consensum sæpe trahatur. Id quod in capitis doloribus frequentissime experimur, qui aliquando fiunt ex proprio capitis affectu, aliquando vero à vaporibus sursum ex vẽtriculo ascendentibus. Hæc docet Galenus hoc capite de cognoscenda calida ventriculi intemperie, tum etiam & frigida, ex propriæ functionis vicio: alia tamen vtriusq. intemperiei signa adiunxit in art. medi. Quippe calidus ventriculus melius cõcoquit quam appetat; cibis ac potionibus calidis oblectatur; neque à frigidis noxam vllam percipit, si modice ipsis vtatur. Frigidus ventriculus contra plus appetit quam concoquat, præsertim cibos difficilis coctionis ac frigidos, qui C D

Cap. 62.

facile

A facile acescunt; frigidis gaudet, sed ab immodico ipsorum vsu facile offenditur; & frigida quæ extrinsecus occursant, nequit longiori tempore tolerare.

Iam cerebrum ipsum cuius sit temperamenti, per se æstimare est satius, quam ex corporis totius affectu. Ipsius autem per se consideratio, ex canitie; catarrhis, tussi, distillatione, et saliuæ copia initur; quippe quæ omnia id frigidius humidiusque esse doceant: atq. his amplius, si ex leui qualibet occasione* in hos deuenit affectus. At caluities ex siccitate prouenit; nigrorũ autem et frequentium pilorum prouentus æqualis in cerebro temperamenti nota est.* * κόρυζαι. *προφάσεσιν.

Extremo hoc capite scribit breuissime signa temperamẽti cerebri, ac potissimũ frigidæ & humidæ intemperiei, quæ frequentissima est distillationis caussa; B cuius occasione (vt dictum est) sæpe ventriculus afficitur. Cerebri quidẽ temperies, auctore Galeno, ex quinque signorum generibus in vniuersum cognosci potest, ex totius capitis dispositione (quæ magnitudinem, figuram, & capillos comprehendit) ex actionibus animæ principibus, & non principibus; ex actionibus eiusdem cerebri naturalibus; & tandẽ ex cerebri alteratione ab iis quæ extrinsecus occurrũt. Nunc autẽ solius intẽperiei frigidæ & humidæ notas proponit; neque has quidẽ omnes, sed eas dũtaxat, quæ & manifestiores sunt, & magis sensibiles. Hæ sunt, canities cito adueniẽs, frequẽs catarrhus, tussis, grauedo, & saliuæ copia: præsertim si à caussis externis, & manifestis (quas Græci προφάσεις vocant) in eiusmodi affectus facile incidat. Aduerte hoc loco cum C Fuchsio, male Linacrum κόρυζαν transtulisse distillationem, quæ reuera distincta non est à catharro, cuius seorsum Galenus antea meminerat. Κόρυζα vero, quæ Latinis grauedo dicitur, species est catharri siue distillationis, in qua fluxio ad nares descendit. Porrro quam temere ex hoc loco Hieremias colligat, distillationem à calore fieri non posse, nemo est qui nõ intelligat. Reliquarum cerebri intẽperierum vix meminit in præsentia, tantum enim docet, caluitium sicci cerebri indicium esse, & nigrorum frequentiumque pilorum prouentum signum esse æqualis in cerebro temperamenti, calidi scilicet & sicci: qui sane pilorum prouentus in iuuẽtute (vt ex superioribus constat) potissimũ spectatur. In art. medic. cap. 10.

CAP. X.

D *ERGO ad hunc modum de temperamentis ineunda nobis consideratio est, quam que scilicet particulam seorsum perpendentibus. Nec ausis ex vna pronuntiare de omnibus, quod vtique nonnulli fecerunt, qui resimos humidos, aduncos siccos esse dixerunt: et quibus parui sunt oculi, siccos; quibus magni, humidos. Atque de hoc quidem parum inter eos conuenit, alii namque eorum, qui scilicet humidis particulis oculos adnumerant, vbi eos maiores vident, in his humiditatem temperamenti pollere existimant. Alii caloris vehementia, qui in prima formatione sursum confertim magis, copiosiorque ferebatur, non oculos modo, verum etiam os ipsum, et reliquos omnes meatus ampliores factos aiunt: ita non humiditatis id, sed caloris indicium esse. Verum ambo a veritate aberrant. Vno modo, coq. communi,*

quod

quod vnius particulæ occasione, de toto corpore pronuntiare sint ausi. Altero, quod formatricis in natura virtutis, quæ artifex facultas est, & particulas secundum animi mores effingit, parum meminerunt. De hac namque Aristoteles dubitauit, numquid diuinioris originis sit, atque a calido, frigido, humido, & sicco, res diuersa. Quo mihi minus recte facere videtur, qui tam temere de rebus maximis pronuntiant, & solis qualitatibus formandarum partium caussam assignant: rationabile enim est hæc organa esse, formatorem alium. Sed & citra tam arduas quæstiones inuenire licet (sicut ostendimus) humidam, siccam, frigidam, calidamque temperiem. Errant igitur qui propriis indiciis neglectis, ad ea quæ longe posita sunt, & magnæ quæstioni fuerunt, & ad hunc vsque diem optimis philosophorum dubitata sunt, conuertuntur. A B

Vt huic disputationi finem imponat, reprehendit tandem extremo hoc libro veteres quosdam medicos, qui de temperamentorum notis perperam disputarunt. Animaduertit autem quattuor potissimum errores ab illis commissos, inter quos primum obtinet locum error eorum, qui ex sola vna particula de totius corporis temperie iudicium ferre tentarunt. Et (quod maius est) neglectis iis quæ eius partis temperiem ostendere possunt indiciis, solam interdum partis magnitudinem aut paruitatem, figurã, colorem, gracilitatem aut crassitiem obseruarunt; quæ parum aut nihil facere videntur ad partis, nedum ad totius corporis temperamenti dignotionem. Ex horum numero inprimis sunt, qui ex sola oculorum magnitudine aut paruitate totius corporis temperiem cognosci posse crediderunt. Quamuis neque de hac re inter ipsos omnino cõstet, aliis quidem oculorum magnitudinem temperamẽti humidi, aliis potius calidi notam esse existimantibus. Qui humidi temperamenti indicium esse volunt, id ex eo confirmant, quod oculi partes humidæ sint, cum ex pluribus humoribus constent: quare quo maiores, eo humidiores erunt. Qui vero calidam intemperiem indicare asserunt, ex eo id probant, quod caloris proprium sit partes omnes dilatare, meatusque omnes ampliores efficere. Quod si oculorum magnitudo aut humidi, aut calidi temperamenti est indiciũ; erit haud dubie oculorum paruitas temperamẽti sicci, aut frigidi nota. Vtrosque reprehendit Galenus duplici nomine: primum quidem generali ea ratione, quod vnius particulæ occasione de toto corpore iudicare sunt ausi; quod tamen (vt supra monstrauimus) facere non licet, nisi corpus fuerit æqualiter intemperatum. Deinde vero, quia parum meminisse videntur facultatis formatricis, cuius magna habenda est ratio, cum de partium magnitudine agitur; hæc enim facultas est, quæ conuenientem figuram, debitam magnitudinem, iustum numerum, decentemque compositionem singulis partibus tribuit: & (vt ait hoc loco) hæc artifex est facultas, & particulas secundum animi mores effingit. Si igitur formatrix facultas quattuor qualitatum temperiem sequeretur, recte fortasse ex oculorum paruitate aut magnitudine, si non totius corporis, saltem eorundem oculorum temperiem colligerent. Atqui ab Aristotele aliisque philosophis diu multumque dubitatum est de formatricis essentia, sitne posita in qualitatum temperie, vel diuiniorem habeat originem. De qua etiam re plerisque in locis dubius est Galenus, quamuis hoc loco videatur sentire, diuiniorẽ originẽ habuisse à qualitatibus prorsus distinctam: scribit enim, esse rationi consentaneum, qualitates or- C D

tes or-

A tes organa esse, formatorem vero alium. Sed rem hanc accuratius explicaturi sumus lib. 1. de fac. nat. Cum igitur isti ad solas qualitates formandarum partium caussam retulerint, de rebusque maximis ac difficillimis (qualis formatricis essentia est) simpliciter pronuntiarint; iusta reprehensione digni videntur. Quod si diuinioris originis sit facultas formatrix, cum magnitudo oculorum & paruitas facultatis formatricis sint opera, neq. totius corporis, neque ipsorum oculorum temperamenti notę esse possunt. Quid igitur, inquies, indicabũt magnitudo & paruitas oculorũ? Certe si Galeno credimus, oculorum magnitudo solam indicat materiæ copiam, & eiusdem inopiam oculorum paruitas. Quod si oculorum magnitudini coniuncta sit propriæ functionis (nempe visionis) perfectio, simul cum materiæ copia optima indicatur temperies: si vero oculi magni imbecilliter videant, materia quidem copiosa exstitit, intemperata tamen. In art. med. cap. 24. & 25.
B Eadem ratio & paruitatis est, nam si oculi parui exacte videant, optima indicatur temperies simul cum materiæ inopia, si vero culpatam visionem exerceant, & pauca, & male temperata ab initio materia fuit.

Neque enim propterea quod pueri nasis magis sunt resimis, florentes ætate magis aduncis; idcirco rationabile est, resimos omnes humidos censere, aduncos siccos: sed fieri potest, vt formatricis virtutis eiusmodi opus sit, potius quã temperamenti. Quod si temperamenti est nota, at certe eius quod in naso tãtum habetur, non eius quod in toto corpore, nota fuerit. Quare frustra illud prædicant, in siccis natura temperamentis nasum acutum, oculos cauos, tempora collapsa; quod scilicet in affectibus iis qui corpora liquant, atque supra quam par est inaniunt, hæc contingant. C *Sæpe namque sic accidit, sæpe non ita; sed videre licet totius corporis habitum, & mollem, & pinguem, & album, & carnosum, cum tamen oculi sunt parui, et nasus acutus. Rursus siccum, macilentum, nigrum, et hirsutum, vbi magni sunt oculi, et nasus resimus. Præstat igitur, siquidem de solo agitur naso, vt ex eo resimo humiditatem, ex eo adunco siccitatem coniectes; nec de totius animantis temperie ex his particulis pronunties.*

Ex nasi figura colligebant alii totius corporis temperamentũ. Quippe cum pueri humidissimi sint, & nasum plerumque habeant resimum; hinc colligebãt resimam nasi figuram humidi temperamenti indicium esse. Et rursus cum iuuenes nasum habeant aduncum simulq. sint sicci; figuram nasi aduncam sicci temperamenti notam esse concludebant. D Quod itidem confirmabant ex febribus malignis, & colliquantibus, in quibus præ nimia totius corporis siccitate & absumptione, lethalis ea facies obseruari solet, quam (quod ab Hippocrate descripta fuerit) Hippocraticã vocant, in qua nasus fit acutus, oculi caui, & tẽpora collapsa. Inefficaces tamẽ sunt huiusmodi rationes, quia licet pueri resimi sint, non propterea necessarium est resimos omnes esse humidos. Neque itidem est necessarium aduncos omnes esse siccos, etiam si iuuenes adunci esse soleant, & in febribus colliquantibus absumpta pinguedine & carne nasus acutus fiat. Est enim nasi figura facultatis formatricis potius quam temperamenti opus: aut si temperiem sequatur, non totius corporis, sed solius nasi temperamentum ostẽdet. Porro quod neque nasus acutus, neque oculorum paruitas siccitatem, neque nasus resimus & oculorum magnitudo temperamenti humiditatem ostendant; Lib. 1. progn. sent. 8.

dant; vel ex iis quæ experientia sunt cognita, discere licet. Sunt enim nonnulli, qui cum pingues sint, aut carnosi, candidi, ac molles (quæ humidi temperamenti sunt signa) habent tamen oculos paruos, & nasum acutum. Rursus alios videas, quibus nasus resimus est, & oculi magni, quos tamen sicco temperamento præditos esse constat, cum duri sint, graciles, nigri, & hirsuti. A

Pari modo oculorum & alterius cuiuslibet particulæ temperamentum ex propriis indiciis æstimare est satius, non de totius corporis temperie ab vna quapiam particula indicium sumi: cum siue humoris vincentis, siue caloris, siue etiam amborum, cæsios oculos indicium statuere oportet; vtique proprii ipsorum sic, non omnium totius corporis partium temperamenti documentum erunt.

Ex colore itidem oculorum colligebant alii totius corporis temperiem, ac potissimum ex oculis cæsiis, quos glaucos, & cæruleos etiam vocant. Quidam enim cæsios oculos temperamenti humidi, alii calidi, alii calidi simul & humidi indicium statuerunt: qui sane communem cum superioribus reprehensionem admittunt. Cæsios oculos ex humoris crystallini magnitudine, splendore, & prominenti situ, necnon ex paucitate, & puritate aquei humoris, quemadmodum & nigros à caussis contrariis nasci voluit Galenus. Quæ quidem sententia plerisque suspecta, Vesalio autem visa est omnino falsa, cum oculorum colores, qui in variis hominibus varii apparent, tunicæ vueæ congenitos esse monstret experientia. Nam & indissectis oculis, è quibus effusi sint humores, & in demortuis, in quibus splendor vna cum spiritu iam euanuit, eundem adhuc colorem retineri obseruamus. Quæ sane cum ita habeant, Galeni sententiam amice sic interpretarer, vt oculorum colores, qui tunicæ vueæ sunt reuera congeniti, ab eiusmodi caussis vel splendidiores, vel obscuriores reddantur. At splendor cæsios, obscuritas nigriores oculos necessario efficiet. B C

In art. med. cap. 27.

Neq. enim si dura & macra crura sunt, omnino siccũ est totius corporis tẽperamentũ. Alii namq. affatim carnosi, & pingues & crassi, & prominenti ventre, & molles, & cãdidi, etiam cũ eiusmodi cruribus cernuntur. Verum si totius corporis temperies pari ratione se habeat; sicci omnino sunt quibus macra sunt crura; humidi quibus crassa. Præterea quibus acutus est nasus, aut aduncus, hi sicci; quibus resimus, humidi. Ad eundem modum de oculis, temporibus, ceteris denique omnibus particulis iudicandum. Quibus vero impar temperamentum est, nec omnium particularum idem; alienum a ratione est, ex vnicæ particulæ natura de omnibus sententiam ferre. Porro tale quidpiam plurimis eorum imposuit; cum non de hominum modo, sed etiam aliorum animalium totius corporis temperamento, ex indiciis quæ in cute spectantur, iudicium ferre sunt ausi. Neque enim si dura cutis est, necessario siccum est animans, sed fieri potest, vt tantum cutis sic sit affecta. Sed nec si nigra hæc, hirtave est, simili modo. Nec si mollis hæc, depilisve est, humidum ex necessitate totum est animal. Verum si per totum æquabiliter est attemperatum, ratio est, vt qualis sit cutis, talis sit & reliquarum partium vnaquæque; sin inæqualiter, non item. Quippe ossi earum totum D

A *tum corpus humidissimum est, cutis ipsa siccissima; est enim his qua teguntur testa, cuiusmodi est nobis cutis. Atque hinc illis Græce nomen, ὀστρακόδερμα enim nominantur omnia eiusmodi animalia, propterea quod cutis eis ostraco, id est testæ, adsimilis est. Iam malacostraca, id est quæ molli testa integuntur, (veluti marinæ locustæ, & gammari, & cancri) cutem quidē habent siccam, reliquam vniuersam temperiem humidam. Immo vero illud ipsum humiditatis in carne nonnumquam animalibus caussa est, quod siccam terrenamque portionem natura his vniuersam circa cutem reponit. Non est igitur putandum, nec quod cutis ostreis sicca est, illico carnem quoque esse siccam; nec quod hæc perhumida mucosaque est, iam cutem quoque eiusmodi esse: quippe æquum est quamque par-* B *ticulam ex seipsa dignosci.*

Ex crurum tandem gracilitate & crassitie tentarunt alii totius temperamentum colligere; existimantes scilicet, eos in vniuersum siccos esse quibus gracilia sunt crura; humidos vero, quibus crassa. Atqui fieri potest, vt qui reliquo corpore sunt humidi (quales sunt carnosi, aut pingues, molles, candidi, & prominenti ventre) crura habeant gracilia, & contra. Quamobrem etiamsi gracilitas in vniuersum siccitatem sequatur, & humiditatem crassities; crurum tamen crassities, & gracilitas, non totius quidē corporis, sed eorūdem dumtaxat crurū humiditatem, siccitatemve indicabunt. Ex quibus tandem colligit quod explicauerat copiosius capite octauo, nunquam scilicet licere, ex vnica particula de totius corporis temperie pronuntiare, nisi corpus fuerit æqualiter intemperatum. In corporibus enim inæqualiter intēperatis, satius est singularum partium C temperiem ex propriis indiciis inuestigare. Quod cum veterum plerique non distinxissent, non tantum in hominibus, sed in aliis etiam animalibus decepti sunt, ex sola cute de temperamento totius iudicium ferentes. Quæ sane iudicandi ratio fallax est, & omnino incerta, cum partes internas contrariam cuti intēperiem habere non raro contingat. Id quod in regionibus extreme calidis aut frigidis, hominibus accidere antea dixit. Sed & idem in iis animalibus nūc ostendit, quæ Græcis ὀστρακόδερμα, id est testacea, & μαλακόστρακα, id est crustacea dicuntur. Quippe cum hæc inæqualiter sint intemperata, cutem habēt siccissimam & durissimam, carnem contra humidam ac mollem. Neq. id mirum, D cum in prima horum animalium generatione, ad durissimum illud formandum tegumētum, crassiores subiectæ materiæ partes & magis terrestres foras natura propellat, humidioresq. tantum intus retineat. Dicitur autem testaceorum & crustaceorum caro humida ac mollis, ad cutem illam durissimam collata; nam in genere carnium dura est & concoctu difficilis; quamuis semel concocta ac superata solidum partibus præbeat nutrimentum: quo fit, vt summa cum vtilitate exhibeatur iis, quibus cibi ob igneum ventriculi calorem facile corrumpuntur. An vero propinari debeat iis qui hectica febre, aut marasmo absumuntur, non est huius loci explicare. Porro ex iis quæ in veteres medicos hactenus dicta sunt, facile quiuis intelliget, quanta nugacissimis Chiromāticis fides adhiberi possit, aut debeat. Quippe si ex vna parte, quæ ex numero etiam principum sit, totius corporis temperiem colligere non licet; quomodo quæso licebit, ex solis quæ in vola spectātur lineis, de hominum moribus iudicium ferre? At quid mores dixi? nam eo res redacta iam erat, vt de futuris contingentibus, & iis etiam

Lib. 3. de alim. fac. cap. 33.

etiam (si Diis placet) quæ à libero arbitrio pendent, ex sola linearum obseruatione præsagire auderent. Sed audacem horum temeritatem, vel temerariam potius audaciam Sixtus V. Pont. Max. paucis abhinc annis repressit. A

Ergo tum in his peccant ii qui commentarios de temperamẽtis nobis reliquerunt, tum quod id omittunt, quod Hippocrates rectißime admonuit; spectandum esse, ex quibus in quæ matationes sunt factæ. Fit enim non raro, vt præsens nota prioris temperamenti sit, non eius quod in corpore nunc habeatur. Veluti siquis annos natus sexaginta, denso pilo sit, non quod calidus et siccus nunc sit, sed quod antea talis fuerit. Consistunt autem ei prius geniti pili, ad eum modum quo herbæ quæ vere sunt enatæ, nonnunquam perseuerant æstate. Aliis enim spatio et paulatim contingit a plurima illa hirtitate mutari, labentibus scilicet præ nimia siccitate pilis, aliis diutißime pili permanent; vtiq. qui nec in processu temporis admodum siccantur, et a primo valentẽ habuerunt originem arborum ritu, quarum radices in terra valenter cõprehenderunt. Caue igitur, siquẽ pilosum admodum videas, hunc statim melancholicum putes; sed siquidem floret adhuc ætas, nondum esse talem; at si senex est, non item; fiunt namque melancholica temperamenta ex sanguinis adustione. Ceterum cum id pati incipit, non statim est percoctus; verum hirtus abunde qui calidus et siccus est celeriter erit, si modo eorum quæ proposita sunt meminimus; non illico melancholicus. Quippe cutis densitas craßiorum excrementorum transitum remorans, in temperamentis quæ calida in summo sunt, comburi ea cogit. Ita fit, vt tale his nunc sit excrementum quod pilos creat, quale olim procedente tempore in vasis [sanguinis] est futurum.* B C

* φυτῶν.

Alter medicorum error is est, quod temperamentorum notas tradentes, eas quæ ratione ætatũ contingunt mutationes, nequaquam distinxerint; obliti nimirum Hippocratici huius præcepti, Mutationes ex quibus in quæ fiant, attendendum. Quod sane generale præceptum rebus plerisque tractandis vtilissimum, victus rationi instituendæ idem Hippocrates priuatim accommodauit, sic alibi scribens, Victus ex repletione inanitioneque constat cibariorum ac potuum; horum mutationes ex qualibus in qualia vt se habeãt, spectandum. Hoc idem præceptum ad dignoscendorum temperamentorum rationem transferendum etiam esse nunc docet Galenus; quo neglecto totam hanc dignotionem claudicare necesse est. Fieri namque potest, vt nota aliqua in corpore appareat, quæ non præsentis, sed præcedentis alicuius ætatis temperamentum indicet. Veluti siquis toto corporis habitu hirsutus sit, non statim iudicandus est calidus & siccus, etiam si hirsuties calidi & sicci temperamenti sit nota; sed corporis mutationem ab ætate prouenientem expẽdere primũ oportet. Nam si sexagenarius is sit, tantum abest vt sit calidus, quin potius censendus sit ætatis ratione frigidus. Hirsuties autem ea calidam & siccam præcedẽtis iuuentutis intemperiem dumtaxat indicabit, in qua maximus esse solet pilorum prouentus. Quod vero pili in iuuentute geniti ad senectutem vsque perdurent, ob duplicem fit caussam; & quoniam pili in primo ortu validam habuerunt D

Lib. de humor. com. 2. sent. 8.

Lib. 6. epid. par. 8. sent. 1.

originem

A originem, stirpium ritu quæ firmas in terram radices egerunt; & quoniam hominis corpus temporis processu non admodum est siccatum. Diximus enim agentes de caluitio, immodicam cutis siccitatem caussam esse defluuii pilorum. Neque vero hæc ætatum distinctio ad temperamentorum cognitionem vtilis tantum censetur, verum etiam ad intelligendam humorum in corpore redundantium naturam. Vt si quempiam admodum hirsutum videas, caue ne hunc statim melancholicum iudices, etiamsi adustarum fuliginum copiã indicet hirsuties. Nam si ætate floret qui hirsutus est, biliosus potius est quam melancholicus; cum in iuuentute flaua bilis potius quam atra redundet: erit tamen paulo post melancholicus. Sin autem senex sit, non est amplius melancholicus, etiamsi talis antea fuerit; sed pituitosus iam est ob caloris imbecillitatem. At si ætate declinet, is haud dubie melancholicus est, quia (vt Galenus ait) melancholica temperamenta ex sanguinis adustione fiunt. Quem locum diligenter B obseruare oportet, cum ex eo constet, melancholici humoris generationem ad sanguinis adustionem referri debere. Quo nomine melancholicus humor conuenit cum flaua bile, quod scilicet vterque humor ex sanguinis adustione secundum naturam gignatur; flaua quidem ex parte sanguinis tenuiori; atra vero ex crassiori. Aduritur autem in iuuentute sanguis ob immodicum huius ætatis calorem; in ætate vero declinanti ob sanguinis feruorem in iuuentute præcedentẽ, plurima atra bilis in vasis colligitur. Quo fit, vt in sola ætate declinante melancholica temperamenta secundum naturã fieri possint. Errant igitur, qui ex flaua aut vitellina bile adusta atram bilem in declinanti ætate gigni arbitrantur, nam quæ ex flaua aut vitellina gignitur atra bilis, omnino præter naturam est; quæ vero in ætate declinante redundare solet, & naturalis est, & C ex sanguinis adustione ortum habet. De generatione tamen humorum alibi agemus ex instituto: nunc vero illud explicemus, cur in declinante ætate potius quam in iuuentute melancholica temperamenta fieri contingat. Si namque (vt dictum est) ex sanguinis adustione fiunt, fient potius in iuuentute, in qua ob calorẽ immodicum feruet & aduritur sanguis, qui in ætate declinanti feruorẽ iam deposuit. Respondet Hieremias, nõ ex quauis bile atram gigni posse, sed ex ea tantum quę crassa est, qualis est vitellina. Hanc inquit in ætate declinante gigni, in iuuentute vero potius flauam; atq. hinc fieri, vt in iuuentute temperamenta fiant biliosa, in ætate declinante potius melãcholica. Sed insanit iste multis nominibus. Quis enim sanæ mentis crediderit, vitellinã bilẽ (cuius generatio semper est præter naturam) in ætate declinãte redundare? Et quamuis secundũ naturã gigni posset, in iuuentute potius quam in ætate declinãti gigneretur; neq. D enim probabile est, in ætate frigidiori vitellinam bilẽ quæ flaua calidior est, secundũ naturam augeri. Huc accedit, quod (vt antea dictum est) quæ atra bilis in ætate declinantẽ abũdat, & naturalis est, & ex sanguinis adustione gignitur; quæ vero ex vitellina bile adusta fit, & præter naturam est, & humorum omnium perniciosissima. Quæ cum ita sint, nescio profecto cur sibi tantopere placeat Hieremias, vt se omnium primum propositi problematis explicationem inuenisse fateatur. Atqui facile erat ex hoc loco problematis explicationẽ col-
„ ligere, ex illisq. potissimum verbis, Ceterũ cum id pati incipit, non statim est
„ percoctus. Significat enim, aliud esse aduri sanguinem, aliud adustũ esse; quemadmodũ etiam in febribus aliud est incalescere, aliud incaluisse. In iuuẽtute igitur sanguis aduritur, nõdũ tamen adustus est, cũ tota hac ætate (quæ immodice calida est) sanguinẽ feruere, aduriq. sit necesse. In declinanti vero ætate cum

vniuersus corporis habitus refrigeretur, sanguinis feruor extinguitur, remanétque tantum in vasis adusti sanguinis reliquiæ; flaua scilicet bile propter tenuitatem iam dissipata. Quare quemadmodum autumno potius quam æstate humor melancholicus abundat, quia sanguis æstate adhuc aduritur, neque omnino adustus est; ita & in ætate declinante potiusquam in iuuentute melancholicus humor augetur, quia in hac aduritur sanguis, in illa vero adustus iam est. Ex quibus facile intelligitur, cur in ætate potius declinante quam in iuuentute melancholica fiant temperamenta. Illud tamen videtur adhuc vrgere, quod in iuuentute & plurimi nascantur pili, & maxime nigri; qui cum ex melancholicæ fuliginis copia nascantur, melancholici quoque humoris redundantiam in iuuenibus indicabunt. Dicendum tamen cum Galeno, diuersam esse in iuuenibus naturam eius excrementi quod in vasis redundat, & alterius quod pilorum materia est in habitu corporis. Colligitur namque in vasis excrementum biliosum, in habitu autem corporis biliosa fuligo ob cutis siccitatem detinetur, B detenta vero ab immodico calore comburitur, atq. in exactam fuliginem mutatur. Quo fit, vt in iuuentute tale sit in corporis habitu excremẽtum quod pilos creat, quale procedente tempore (ætate scilicet declinãte) futurum est excrementum vasorum. Quare mirum videri non debet, si in iuuentute, etiamsi bilis flaua in vasis redundet, pili nascantur nigri; qui ad ætatem vsque declinantem colore & forma fere omnino similes permaneant. Neque enim verum est, (vt quidam arbitrantur) in ætate declinante magis quam in iuuentute fuligines aduri.

Tum hæc igitur omissa prioribus sunt, tum præter hæc, quod ex natura excrementorum indefinite de temperamentis pronuntiant: putant enim particularum temperiem similem esse cum excrementorum natura. Id vero vsquequaque C *verum non est; sed fieri interim potest, vt pituitosa excrementa colligantur, nec tum humida sit particula; immo frigida omnino, humida vero non omnino, quippe cum siccam quoque esse liceat. Quod autem eis imposuit facile animaduertitur, non enim norunt, quod ex cibis, nequaquam ex ipso corpore nostro pituita fit. Quare nihil miri est, si vbi ingestos cibos qui humidi fortasse natura sint, corpus non vincit, simile his ipsum quoque excrementum creet. Non est igitur quod opinentur, tanquam corpus siccum est, itidem excrementum quoque esse siccum. Etenim si quis ab initio sicciore frigidioreque temperamento statim fuit, is non melancholicus est, sed vtique ab excrementis pituitosus. Quod si ex habitus mu-* D *tatione frigidus siccusque est redditus, necessario hic talis iam etiam melancholicus est. Verbi gratia, si quis ante calidus & siccus ex sanguine vrendo plurimam generauit atram bilem; etenim is præterquam quod siccus est & frigidus, protinus etiam melãcholicus. Sin a principio frigidus ac siccus fuit, habitus quidem corporis eius albus, mollis, depilis, venis articulisq. parum expressis, gracilis, & tangenti frigidus; animus vero minime audax, sed timens & tristis; non tamen excrementa huic melancholica sunt. In his igitur omnibus peccant plerique medicorum, ex eo quod proprias notas respuunt, atque ad ea quæ non perpetuo, sed frequenter accidunt, conuertuntur.*

A In eo quoque peccarunt veteres medici, quod ex natura redundantium excrementorum, de temperamentis indefinite pronuntiarunt; putantes nimirum partium temperiem redundanti excremento similem esse. Vulgaris & nunc is error esse solet, qui eo progressus iam est, vt varias temperamẽtorum differentias ex redundantibus humoribus constituant, temperamentũ biliosum, pituitosum, melancholicum, & sanguineum appellãtes: cũ tamen veræ tẽperamentorum differentiæ ex elementorũ qualitatibus appellationes sortiãtur. Quamuis si veris ac legitimis differentiis primũ constitutis, alias velis ex redundãtibus humoribus statuere, fautorem habebis Galenum, qui non semel hoc capite melancholici tẽperamenti mentionẽ fecit. Non tamen proinde licebit, ex redundante humore totius corporis tẽperiem colligere, quia licet plerũq. ita cõtingat, necessarium tamen non est, vt totius corporis tẽperies peccanti humori
B respondeat. Id quod exemplo senũ, & eorum qui à primo ortu frigido & sicco sunt temperamento, apertissime intelligitur. In senibus enim qui siccissimi sunt, pituita redundat humidissima; cuius copia decepti existimarunt quidam senes humidos esse, quorum errorem capite tertio confutauimus. Sed & huius erroris caussam hanc reddit in præsentia, quod scilicet ignorarint, ex cibis, nequaquam ex ipso corpore pituitam fieri. Quo loco credendum nõ est negasse Galenum, ad corporis temperiem referendam esse pituitæ generationẽ; ipse nãq. antea docuit, particulas senum ob caloris imbecillitatem male nutriri, ideoq. humidi excrementi copiam foris ipsis circũfundi. Non igitur dubitat Galenus, cur senes sicci abundent excrementis humidis; neq. ad fortunatã (vt putat Hieremias) cibo:ũ humiditatem huius euentus caussam refert: sed tantum fieri posse significat, vt pituitæ redundantia ex solis cibis ortum habeat citra frigidam
C & humidam corporis intemperiem. Neque enim absurdum est, ex frequẽti vel immodico frigidorum humidorumque ciborum vsu multã in corpore coaceruari pituitam, etiamsi id optime temperatum fuerit. Hunc autem esse legitimũ
„ huius loci sensum, ea quæ sequuntur euidenter demonstrant. Quare, inquit, ni-
„ hil miri est, si vbi ingestos cibos, qui humidi fortasse natura sint, corpus nõ vin-
„ cit, simile his ipsum quoque excrementũ creet. Iam vero qui à primo ortu frigidi sunt & sicci, melancholicum excrementum nequaquam colligunt, sed pituitosum potius; quod male in his ob caloris imbecillitatem perficiatur alimẽti concoctio. Ex quibus constat, melancholicum quidem humorẽ in corporibus frigidis & siccis secundum naturam abundare; non tamen in his omnibus, sed illis dumtaxat, quæ ex habitus mutatione, ratione scilicet ętatis declinãtis, frigida & sicca euaserunt. Neq. id fit, (vt quidã sentiunt) quod in his aduratur
D bilis, in illis vero suauior sit calor quam vt bilem multam gignere, aut genitam adurere queat; sed quod frigidis & siccis ex habitus mutatione sanguis adustus sit ob eum qui in iuuentute præcessit feruorem, ex sanguinis vero adustione atra bilis secundum naturam plurima gignatur. In illis vero qui ab initio frigidi sunt & sicci, quoniam imbecillus est calor, sanguis aduri nõ potest; ob imperfectam tamen ciborum concoctionem redundat necessario excrementum pituitosum.

Eiusdem erroris occasione & quod excalfacit id etiam siccare omnino putãt; hoc enim veluti coronide summaq. vniuersi sermonis addito, secundum hunc librum finire statui. Quippe phlegmone obsessas partes calida perfundẽtes aqua, atque ita vacuari ab his humorem cernentes; clare indicatum arbitrantur, sicci-

tatem omnino calori succedere. Neque id modo, vbi cum siccitate is, verum etiam vbi cum humore est coniunctus. Ceterum non est idem, vel vacuasse ab aliquo humorem qui locis quibusdam sit dispersus, vel propriam particulæ alicuius temperiem sicciorem reddidisse. Siquidem inæqualis quædam in iis quæ phlegmone laborant partibus, intemperies est, similaribus scilicet corporibus a proprio temperamento nondum amotis, sed assidue adhuc in mutatione atq. alteratione versatis: omnibus nimirum interpositis inter ea spatiolis fluxione refertis. Quæcumque igitur calida humidaq. natura sunt, cum sic affectis admouentur, ipsa quidem superuacanea quæ media similarium spatia occuparunt, euocant; corpora tamen ipsa tantum abest vt siccent, vt etiam illis humorem adiiciant. Ac ipsa quidem veritas ita se habet, demonstratio tamen [euidens] dictis requiritur. B *Verum eam cum & longiorem existimem quam vt huic libro inseratur; & auditorem desideret, qui medicamentorum facultatis sit non ignarus, in præsens differo. Ceterum vbi in tertio libro de omni temperamētorum genere tractauero, ac de iis quæ potestate calida, frigida, humida, siccaque sunt, omnem methodum indicauero; integrum libellum scribere de inæquali intēperie decreui. Quippe sic absoluetur a nobis vniuersa de temperamentis disceptatio [tum ad libros de medicamentis, tum] ad medendi methodū non parum adlatura cōmodi.*

Animaduertit tādem postremum veterum medicorum errorem, qui tamē ad vsum medicamentorum pertinet, quæ quidem non actu, sed potestate talia dicuntur. Vtiturq. proinde pulcherrima transitione ad librum tertium de temperamentis, & alterum de inæquali intemperie; ex quorum lectione tota hæc de temperamentis disceptatio perficitur. Reprehendit itaque quosdam ex veteribus medicis, qui falso arbitrati sunt, omnia quæ calfaciunt, (siue hæc sicca, siue humida actu sint) necessario quoque simul exsiccare. Vt autem ita sentirēt, hæc pręcipua fuit ratio, quod in partibus phlegmone obsessis, admoto medicamento calido & humido (veluti calida aqua) humorem inibi contentū vacuari experiamur, atq. absumi. Atqui absurda est horū opinio, cum ex calidis medicamentis quædam solum calfaciant, alia calfaciant simul & exsiccēt, alia tandem humectent simul & calfaciāt. In partibus vero phlegmone obsessis per halitum quidem à calidis medicamentis digeritur qui in spatiis inanibus præter naturam continetur humor, partes tamen ipsæ non efficiūtur necessario sicciores. Immo si admotū medicamentum vna cum calore adiunctā habeat humiditatem, & suo calore humorem euacuabit, & solidis partibus humiditatem adiiciet; tantū abest vt ipsas sicciores reddat. Quippe cum in partibus inflāmatis inæqualis reperiatur intēperies, in qua partiū natura mutata omnino non est, sed mutatur adhuc, & afficitur ab humore qui caussa phlegmones est; aliud profecto erit humorem ibi contentum vacuari, aliud vero partes sicciores fieri. Hæc sane intelligi non possent, nisi cognita sit methodus inquirendi facultates medicamentorū, quæ potestate dicuntur calida, frigida, sicca, aut humida; & nisi cognita etiam sit propria ratio inęqualis intemperiei. Hanc explicabit libro de inæquali intemperie, illam vero libro sequenti; cuius explanationem vt aggrediamur, ratio iam postulat.

CLAVDII

A

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE TEMPERAMENTIS LIBER TERTIVS.

THOMA LINACRO ANGLO INTERPRETE.

B

CAP. I.

C quod energia siue actu calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum vnumquodque tale esse dicatur, vel quod summam habet eiusmodi qualitatem, vel quod vincit in eo id genus qualitatum aliqua; vel quod ad cognati generis mediocre aliquid, vel ad vnũ quodlibet a nobis sit collatũ, prius est traditum. Monstratum praeterea est, quemadmodum ea quis agnoscere exacte possit. Reliquum est, vt de iis quæ talia potestate sunt disseramus; si tamen prius explicauerimus, quid ipso potestatis nomine significetur.

C

Cum temperamenta corporum vel actu talia sint, vel potestate; de iis vero quæ sunt actu talia, duobus libris superioribus accuratissime disputarit Galenus; merito nunc tandem de iis quæ sunt potestate talia, hoc libro disputationẽ instituit, eodem prorsus seruato ordine. Nam vt de tẽperamentis actu ibi primum in vniuersum disseruit, deinde vero priuatim de temperamentis hominũ, & singularum corporis humani partium; ita & nunc de iis omnibus agit quæ in vniuersum potestate talia dicũtur, postea vero de iis quæ priuatim talia dicũtur ad hominem. Atque horum quidem differentias, propriamq. naturã explicat diligentissime; ac tandem tradit generalem methodum explorandi ipsorum facultates, ac vires. Hinc certo intelligitur auctoris institutum, & insignis huius libri vtilitas, qui eius disputationis principia cõtinet, quæ de alimentorũ & simplicium medicamentorum facultatibus, aliis operibus priuatim instituitur.

D

Est autem breuis eius, & facillima, & clara explicatio. Quippe quod quale dicitur tale nondum est, sed potest tale esse, id hoc esse potestate dicimus. Hominem, verbi gratia, qui modo natus sit, rationalẽ; & auem volatilẽ; & canem venaticum; & equum celerem: scilicet quod eorum vnumquodq. futurum omnino est, si nihil id extrinsecus impediat, hoc ceu iã id sit appellantes. Vnde arbitror hæc esse potestate, non actu dicimus; perfectum namq. est, ac iam præsens ipsa energia, siue quod actu est; quod vero potestate est, imperfectũ et adhuc futurũ;

 atque

atque vt fiat quidem id quod dicitur veluti habile, non tamen adhuc subsistens. Siquidem nec infans rationalis iam est, sed talis futurus; nec qui modo editus est canis, venator, qui scilicet adhuc non videat; sed quod venari queat, si ad iustum perueniat incrementum, sic nominatur. A

Disputaturus de iis quæ sunt potestate talia, potestatis notionem optimo cõsilio primum explicat, deinde vero docet, quot modis dici aliquid possit potestate tale. Potestatis quidem notio facillima est, ea namque potestate talia in vniuersum dicuntur, quæ qualia dicuntur adhuc non sunt, sed possunt talia esse. Verbi gratia infans recens natus dicitur potestate rationalis, quia nondum actu ratiocinatur, sed insitam vim habet qua ratiocinari posit, cum primum ad perfectiorem ætatem peruenerit. Ita & catulus dicitur potestate venator, quia non adhuc venatur, vtpote qui non videat; sed innatam habet ad venandum aptitudinem, cuius beneficio ad venandi actum aliquando perueniet. Huiusmodi autem vis & aptitudo quæ rebus potestate talibus inest, ex propria natura ipsis inesse debet, non ex adcititia quapiam qualitate. Neque enim lactucæ succus potestate calidus dici poterit, etiamsi ab igne primum calfactus nos quoque calfaciat. B

Ac maxime quidem proprie sola ea potestate esse dicimus, in quibus natura ipsa [suopte impetu] ad absolutionem venit, vtique si nihil ei extrinsecus impedimento sit.

Explicata potestatis notione, docet duobus modis posse aliqua dici potestate talia. Ac primum quidem ea, in quibus natura ipsa ad absolutionem actumque peruenit, nisi ab aliquo extrinsecus impediatur. Hoc modo potestate rationalis dicitur infans, quia ex sua natura perueniet aliquando ad actum ratiocinandi, nisi morte præoccupetur, aut graui quopiam cerebri morbo prehendatur. Similiter & catulus potestate venator dicitur, quoniam talis est catuli natura, vt ad venandi actum aliquando sit peruenturus, dummodo nihil ipsi extrinsecus impedimento sit. C

Præterea quæcumque fientium (vt sic dicam) continentes materiæ sunt. Nec refert, continentes, an conuenientes, an proprias dicas; quippe cum ex omnibus indicetur quod propinquum est, quodque nec alia intercedente mutatione sic dicitur. Verbi gratia cum sanguinem potestate carnẽ appellas, quoniam minimam mutationem ad carnis generationem requirat. At non qui in ventriculo habetur concoctus cibus, continens carnis materia est, sed prius sit sanguis oportet. Longius etiam absunt maza & panis, quippe quæ vt caro fiant, certas sui mutationes requirant. Ceterum hæc quoque omnia potestate caro dicuntur; etiam ante hæc ignis, aër, aqua, & terra; etiam horum ipsorum communis materia. Atque hæc quidem omnia magis minusve loquentibus abusiue nobis dicuntur. Primus autem modus eorum quæ potestate esse aliquid dicuntur, maxime est proprius; proximus huic est eorum quæ sunt propinqua materia; veluti si fumidam exhalationem flammam esse, aut halitum aërem potestate dixeris. D

Altero

A Altero modo dicuntur potestate talia quæ sunt rerum aliarum continentes vel propinquæ materiæ, vt docuit etiam Aristoteles. Sunt autē propinquæ vel continētes materiæ, quæ vnica dumtaxat mutatione indigent, vt talia actu fiant qualia dicuntur esse potestate. Hoc pacto fumida exhalatio dicitur potestate flamma, quia proxime in flammam conuertitur. Et sanguis dicitur potestate caro, quia leuiter concoctus, proxime nulliusque alterius substantiæ interuentu in carnem mutatur. Quæ vero sunt aliarum rerum materiæ remotæ, hæc quidem non dicuntur potestate talia, nisi forte improprie & abusiue. Veluti chylus non est potestate caro, quia proxima non est carnis materia, quemadmodum sanguis; cum prius in sanguinem mutari postulet, vt in carnem conuertatur. Dicetur ergo chylus potestate caro, non proprie & simpliciter, sed improprie & cū adiectione, potestate scilicet remota. Magis adhuc improprie & B externa alimenta potestate caro dicentur, quoniam vt caro fiant, plures mutationes requirunt, cum prius in chylum, deinde vero in sanguinem mutari debeant. Iam vero & communia illa omniū corporum elementa, ignis, aër, aqua, & terra; & communis illa omnibus quæ oriuntur & intereunt subiecta materia, caro etiam abusiue dici possunt potestate remotissima: cum plurimę mutationes sint necessariæ, vt ex his gignatur, aut nutriatur caro. Quæ his duobus modis hactenus explicatis dicūtur potestate talia, partim cōueniunt, partim differunt. Conueniunt quidem, quia vim omnia insitam habent, cuius beneficio talia fieri actu possunt, qualia dicuntur esse potestate. Differūt tamen, quia quæ priori modo dicuntur potestate talia, nullius rei externæ auxilio indigent, vt actu talia euadant; sed id tantum postulant, ne quidpiam ipsis impedimento sit, quo minus ad perfectionem actumque perueniant, in quem ipsa ex sua natu- C ra feruntur. At quæ secundo modo potestate talia dicuntur, vt talia actu fiant, alterius rei ope indigent. Quare merito inquit Galenus, priorem potestatis modum maxime proprium esse, alterum vero minus. Et quo remotiores materiæ fuerint, eo minus proprie potestate tales dicentur.

Lib. 9. metaphy. cap. 7.

Dicitur autem aliquando potestate esse, quod ei quod ex accidenti dicitur, est ex aduerso positum. Vt si carnosi quis iuuenis in frigida lauationem corpus ex accidenti, non ex propria potestate calfacere dicat.

Propriam potestatis notionem, & duos modos quibus aliquid vel magis vel minus proprie dicitur potestate tale, hactenus explicauit; nūc vero ad tollendā homonymiam, alteram proponit potestatis significationem à superiori ma- D xime distinctam, quam male interpretes tertium potestatis modum appellant. Ea autem omnia in vniuersum potestate talia dicuntur hac significatione, quæ per se & ex propria natura sunt talia, non autem ex accidēti. Qua ratione ignis quamuis actu calidus sit, potestate calidus dici potest, cum per se & propria sui natura calfaciat. Quę vero ex accidenti sunt talia, ea numquam potestate talia dici possunt. Neque enim aqua frigida dicetur potestate calida, etiamsi carnosi iuuenis corpus calfaciat, & tetanum, frigidum affectum curet, æstate media large infusa, vt inquit Hippocrates: calfacit namque frigida, non ex propria natura, sed tantum ex accidenti. Hæc autem potestatis significatio multo latius patet quam superior: nam quæ duobus illis modis paullo antea explicatis sunt potestate talia, hac itidem significatione potestate talia dicuntur: cum id commune habeant, vt per se talia sint, non autem ex accidenti.

Aphor. 21. lib. 5.

Neque hæc poteſtatis ſignificatio iis tantum conuenit quæ vere ac proprie ſunt talia poteſtate, ſed conuenit etiam omnibus quæ ſunt actu talia, dummodo per ſe talia ſint. Siquidem poteſtas hac ſignificatione non aduerſatur actui, ſed ei quod eſt ex accidenti; cum poteſtatis nomen propriam cuiuſque rei vim & facultatem ſignificet, facultas vero Galeno auctore partim ſit actu, partim in futuro tempore. Huc pertinet quod ſcribit ipſemet Galenus explicans ſignificationes calidi, frigidi, humidi, & ſicci; corporum vnumquodque, aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum, bifariam dici poſſe, ex ſua ſcilicet natura, aut adſcititia qualitate. Porro quod ex ſua natura eſt tale, primario, & ſecundum ſe, & per ſe, potentia tale eſſe; quod vero ex adſcititia qualitate, ex accidenti tale dici affirmat. Et rurſus quæ ex ſua natura ſunt talia, in alia duo genera diuidit, quædã enim ſunt actu ſeu energia talia, alia vero poteſtate; differente tamen hoc poteſtatis modo, ab illo quem paullo ante dicebamus, illic enim ex aduerſo opponebatur illi quod ex accidenti dicitur, hîc vero ei quod actu. Qui ſane Galeni locus, iis quæ dicta ſunt de ſignificationibus poteſtatis, magnam lucem videtur adferre. Cum itaque poteſtas hac ſignificatione non aduerſetur actui, (vt dictum eſt) ſed ei tantum quod ex accidenti eſt tale; miror profecto Valleſium, qui hunc Galeni locum male intelligens, ea dici putat poteſtate talia hac ſignificatione, quæ ex accidenti aliquid faciunt. Atqui ex dictionis ſerie conſtat, ea potius hac ſignificatione poteſtate talia dici, quæ per ſe, & ex propria natura talia ſunt, non autem ex accidenti. Quare quæ ex accidenti aliquid faciunt, nullo pacto poteſtate talia dici poſſunt.

Lib.1.de ſimp. med. fac. c. 1. Lib.3.de ſimp. med.fac.cap.2.

A

B

Ergo tot modis etiam poteſtate calida, frigida, humida, & ſicca dicentur.

C

Poteſtatis ſignificationes ac modos, quos in vniuerſum hactenus explicauerat, priuatim nunc iis accõmodat, quæ poteſtate calida, frigida, humida, ſiccaue dicuntur. Hæc autem in multiplici ſunt differentia, vt alibi Galenus docuit id priuatim explicans in iis quæ ſunt poteſtate calida; etiamſi frigidorum, humidorum, & ſiccorum, eadem prorſus ſit ratio. Quippe cum poteſtate calida (vt ipſe ait) ſint veluti apta quædam materia eius quod eſt actu calidum; quot modis corpora dici poſſunt actu calida, totidem quoque dicentur calida poteſtate. Atqui demonſtratum eſt libro primo, multifariam dici aliquid poſſe actu calidum, ſimpliciter, per exſuperãtiam, per comparationem ad medium generis vel ſpeciei, & tandem per comparationem ad quodlibet obuium. Quare & poteſtate calidum dicetur, vel quod eſt apta materia eius quod actu eſt ſimpliciter calidum; vel eius quod eſt calidũ per exſuperantiam; vel eius quod medium eſt generis aut ſpeciei; vel tandem cuiuſlibet obuii. Vtcumque vero dicantur poteſtate calida, frigida, ſicca, aut humida, eiſdem illis modis dicuntur neceſſario poteſtate talia, quos paullo antea explicauimus.

Lib. 2. de ſim. med. fac. c. 23.

D

CAP. II.

VBITABITVR quoque non abſurde, cur caſtoreum, vel euphorbium, vel pyrethrum, vel ſtruthion, vel nitrum, vel myſi, calida eſſe dicamus; rurſus lactucam, vel cicutam, vel mandragoram, vel ſalamandram, vel papauer, frigida: vtrumne ſub prædictis iam modis comprehendantur, an alia quapiam ratione dicantur, quæ di-

cta non

A *cta nondum sit. Bitumen namque, resina, & seuum, & oleum, & pix, calida potestate sunt, quod vtique energia calida celerrime fiant; etenim celerrime inflammantur; præterea cum corporibus nostris admouentur, ea manifeste calfaciũt. At chalcitis, mysi, sinapi, nitrum, acoron, meon, costus, & pyrethrum, cum nobis sunt admota, calida videntur, alia magis, alia minus; non tamẽ sunt idonea quæ in flammam vertantur. An igitur se ipsos fallunt, qui id solum æstimant, numquid aliqua non facile in flammam transmutentur? Quos vtique non sic, sed an non vertantur in prunam, æstimare oportebat; cum sit pruna ignis non minus quam flamma: hoc tamen discrimine, quod aëre, vel aëreo quopiam in ignem mutato flamma; terra, vel terrea re aliqua accensa fit pruna. Atque hactenus*

B *quidem consentire secum sermo omnino videtur, siquidẽ videntur medicamenta ea quæ vbi ignem attigerint, facile accenduntur, nos quoque excalfacere; nisi siquod propter crassitiem intra corpus non facile assumitur: differetur enim de his latius in libris de medicamentorum viribus. Quæcumque tamen medicamenta nostrum corpus excalfacere videntur, ea prompte vertuntur in ignem.*

Ad institutum propius accedens, disputationem aggreditur de iis quæ potestate talia ad hominem dicuntur. Hæc autem in vniuersum in triplici sunt differentia, aut enim sunt nutrimenta, aut medicamenta, aut vtriusq. rationẽ habẽt, nutrimenti inquã simul & medicamenti, quæ proinde nutrimẽta medicamẽtosa vocari solẽt; quamuis hæc ad alterutrũ genus apte referri possint, potissimumque ad medicamenta.

C Et quamuis tegumenta potestate calida interdum dicantur, quod possint nostrum corpus calfacere; si tamen Galeno credimus, verius multo dicentur frigus arcere, quam calfacere; aut si calfaciant, id ex sua natura nequaquã præstant, sed adscititio calore à nostris corporibus accepto. Calfiunt namq. primum à nostris corporibus tegumẽta, semel vero calfacta nos vicissim recalfaciunt. Cũ itaq. sola nutrimẽta, & medicamẽta, & quæ vtriusq. rationem obtinent, dicantur potestate talia ad hominẽ, de his solis merito Galenus differit; reliquis omnibus, quæ vel ad ignem, vel ad equum, aut bouem, aliudve quidpiam dicuntur potestate talia, consulto prætermissis. Inquirit vero nutrimentorum & medicamentorum temperamenta, non qualia ex propria sui constitutione obtinuerunt, sed qualia sunt ad hominem, ad quem ipsa necessario

Lib. 2. de sim. med. fac. c. 24.

Lib. 1. de simp. med. fac. c. vlt. & lib. 3. cap. 5.

D referuntur. Veluti si de aquæ marinæ aut aceti temperamento inter medicos inciderit disputatio; inquirendum profecto non est, quænam in ipsis qualitas præpolleat, sed quid ipsa potius in corpus humanum agere possint, attente est considerandum. Et quoniam hominem exsiccare conspiciuntur, potestate sicca iure dicentur, nulla habita humiditatis excedentis ratione. Disputaturus itaq. primum de medicamentis, inquirit hoc capite, quo modo medicamẽta calida, vt castoreum & euphorbium; & medicamenta frigida, vt cicuta & mandragora, dicantur potestate talia. Dubitat vero potissimum, dicanturne potestate talia aliquo prædictorum modorum, an altero quopiam qui nondum sit dictus. Porro ex eo nata est dubitandi occasio, quod non satis inter veteres medicos constaret de ratione explorandi calidorum frigidorumque medicamentorum facultates. Quippe cum medicamenta potestate calida dicantur, quæ actu quidem calida non sunt, sed possunt actu calida fieri; opinati sunt plerique veterum

medicorum, ex facili vel difficili transmutatione in flammam de medicamentis potestate calidis ac frigidis iudicandum esse. Ita vt potestate calida dicantur quæ in flammam facile mutantur, vt bitumen, resina, seuum, oleum, & pix; hæc namque & inflammantur celerrime, & corpus nostrũ manifeste calfaciunt. Hoc loco inter medicamenta calida potestate recensuit oleum, quod tamen alibi temperatum statuit. Vallesius facile rem explicat, exempla non esse scrupulose examinanda affirmans, oleumque esse reuera temperatum concedens, dici tamẽ hoc loco corpus calfacere, iuxta vulgarem philosophorũ ac medicorum sententiam: præsertim cũ de olei facultate nunc ex professo Galenus non agat. Præstat tamen, & potestate calidum & temperatũ cum ipsomet Galeno oleum statuere. Nam potestate calidum dicitur, quia calfaciendi initium à nobis accipit; temperatum vero, quia calore nobis omnino simili nos recalfacit. Ex medicamentis enim potestate calidis, alia quidem caloris sui principium à nobis accipientia, similiter nos recalfaciunt; alia vero valentius. Quare oleum, auctore Galeno, intra corpus assumptum, & vt medicamentum, & vt nutrimenmentum calfacit; exterius vero admotum, calfacit vt tegumentum, quia frigus arcet. Cum itaq. (vt ad rem redeamus) & oleũ, & alia prædicta medicamenta, & hominem simul calfaciant, & prompte in flãmam mutentur; hoc solo experimento persuasi, opinati sunt veterum plerique, omnia ea quæ facile inflammantur, medicamenta esse potestate calida. Eadem prorsus ratione & de medicamentis potestate frigidis iudicandum esse voluerunt, asserentes scilicet, quæ in flammam mutari non possunt, medicamenta esse potestate frigida. Sed hos merito nunc reprehendit Galenus, quod solius flammæ meminerint, cum ignis potius in vniuersum meminisse debuissent. Neque enim sola flamma est ignis, sed præter flammam etiam pruna; cum eo tamen discrimine, quod aëre, aut aërea substantia accensa flamma fiat; pruna vero accensa terra, aut terrea quapiam substãtia. Vnde constat, non omnem ignem tenuium esse partiũ, cum pruna crassarum partium sit, sola vero flamma tenuium. Non igitur oportebat dicere, quæcumque conuertuntur in flammam esse medicamenta potestate calida, sed potius quæcumque conuertuntur in ignem, siue flamma sit, siue pruna. Multa enim sunt medicamenta potestate calida, quæ in flammam mutari nequeunt, vt chalcitis, mysi sinapi, pyrethrum, & alia eiusmodi. Numquid ergo quæcumque in ignem facile mutantur, corpus nostrum necessario calfaciunt? Galenus quidem scribit hoc loco, hunc sermonem secum omnino hactenus cõsentire, id est (vt recte explicat Vallesius) in exemplis hactenus positis: omnia enim ea quorum antea meminerat, & facile mutantur in ignem, & nos manifesto excalfaciunt. Simpliciter tamen & in vniuersum id verum non est, nam si crassarum sint partium quæ in ignem mutantur, corpus nostrũ nequaquam calfacient, vt pili. Ea vero dicuntur Galeno crassarum esse partium, quæ in tenues partes vix possunt comminui, qualia sunt dura & viscosa. Nihilominus tamen quantumuis hæc crassarum partium sint, ab externo igne comminuuntur, attenuantur, omninoque vincuntur; vtpote qui calidissimus omnium, simulque tenuissimus sit, ac in profundum facillime penetret. At nostra caliditas præterquã quod crassæ sit essentiæ, halituosa etiam est, & infirma; quo fit, vt quæ crassarum sunt partium comminuere nequeat. Quæ sane ratio etiam est, cur nullum eorum medicamẽtorum quæ sunt potestate calida (exterius præsertim admotum) calfaciat, nisi prius in minimas particulas diuisum fuerit: neque enim cum admotum integrum piper, caloris sensum excitare consueuit. Addit præterea

Lib. 2. de sim. med. fac. c. 22.

Lib. 2. de sim. med. fac. c. 24.

Lib. 1. de simp. med. fac. c. 22.

Lib. 1. de sim. med. fac. cap. 11. & 22.

A lib. 1. de simp. med. fac. (vbi de hac re accuratius disseruit) neque ea quæ raræ substantia sunt prædita, nos calfacere, etiamsi prompte accedantur. Quippe aridi calami, non solum quod sicci sint, verum etiam quod in spatiis inanibus plurimum aërem contineant; facile inflammantur, nos tamen minime calfaciunt. Non igitur omnia quæ mutantur in ignẽ, siue flamma fit, siue pruna, medicamenta sunt potestate calida, nisi tenuium sint partium, & substantia densa prædita: quæcunque tamen nostrum corpus calfaciunt, ea prompte in ignem conuerti necesse est. Si enim hæc à nostro calore (quem crassæ essentiæ, & imbecillũ antea esse diximus) accendi possunt, cur non ab igne accẽdentur multo facilius? Refragatur tamen huic sententiæ Vallesius, qui id tantum verum esse putat in resinosis, pinguibus, & metallicis. Multa enim esse medicamenta potestate calida, quæ prompte in ignẽ mutari nequeant, tithymali, & struthii virentis exemplo confirmat, & calidorũ liquorum, quos nulla ars potest in ignem conuertere. Ceterum & hæc meo iudicio in ignem mutari dicentur, quia ab ipso accensa, igneam vim naturamque induunt, donec tandem absumantur. Si ergo quæcumque nos calfaciunt in ignem mutari possunt, quæ vero mutantur in ignem non semper nos calfaciunt, vt dictum est; incerta profecto erit ratio ea explorandi medicamentorum facultates, quæ ab igne, aliisque rebus externis desumitur. Ei vero sola tuta ac firma iudicanda est, quæ ex eo quod in corpus humanum agere sunt nata, medicamentorum facultates explorat. Atque hinc factum est, vt merito Galenus hoc loco dubitauerit, quomodo medicamẽta calida & frigida potestate talia dicantur. Nam si ex igne explorandæ essent facultates medicamentorum, nulla profecto esset dubitãdi occasio; immo certissimum esset medicamenta calida & frigida potestate talia dici secundo modo; calida quidẽ, quia idonea sunt materia ignis; frigida vero, quia inepta sunt eiusdem ignis materia. — Cap. 10. & 13.

B (margin letter beside "rentis exemplo confirmat")

C (margin letter beside "ciusdem ignis materia")

At quomodo igitur, inquiunt, tangentibus non sentiuntur calida? Hoc haud scio cur dicant, nam si energia, ac iam nũc calidum esse prædictorũ quidq. diceremus; profecto mirari liceret, quomodo tangentibus non appareant calida. Nũc quod possint facile calida esse, idcirco ea potestate talia vocamus: itaque nihil miri, si eos qui se tangunt, nondum calfaciant. Veluti enim nec ignis ipse augetur, priusquam victa ab eo ligna sint mutata, quod aliquo temporis spatio omnino fit; ita nec animantium calor a medicamentis, nisi illa prius ab ipso sint mutata. Quippe alio genere calefit is qui ab igne vel sole intepescit; alio is qui a prædictorum quouis medicamentorum: illa namque actu sunt calida, medicamenta nequaquam. Itaque nec calfacere nos valent, priusquam actu talia fiant.

D (margin letter beside "ta. Quippe alio genere")

Ex iis quæ dicta sunt de medicamentis potestate calidis, nascitur hæc dubitatio, cur cum possint huiusmodi medicamenta nostrum corpus calfacere, non sentiantur tangentibus calida. Quam sane breuissime ac facillime explicat Galenus in præsentia, dicens non sentiri tangentibus calida, quia actu calida non sunt, sed tantum potestate; tactus enim earum dumtaxat qualitatum iudex esse potest, quæ in corporibus actu præpollent. Proindeque merito fit, vt quæ potestate calida sunt, numquam sentiantur calida, donec actu calida euaserint. Id confirmat exemplo eorum quæ sunt potestate calida ad ignem, quam enim hæc ad ignem rationem habent, eandem habent ad nos potestate calida medicamenta.

menta. Atqui ligna, aliaque similia quæ sunt potestate calida ad ignem, ipsum A augere non posse experimur, quin prius ab eo accensa, actu calida reddantur. Ergo pari ratione medicamenta potestate calida calorē nostrū augere non poterunt, quin prius ab ipso mutata & veluti accensa, actu calida euadant. Quo nomine potestate calida ab actu calidis differunt, hæc namque vt calfaciant, alienam opem nequaquam requirunt; illa vero calfacere nequeunt, nisi & ipsa prius calfacta fuerint. Quamobrem recte Galenus inquit, alio genere ab igne & sole nos incalescere, alio vero à medicamentis potestate calidis; illa namq. actu sunt calida, hæc autem nequaquam. Solem dixit hoc loco actu calidum nō secus ac ignem, quod tamen manifestum esse mendacium mendax asserit Hieremias; cum ex communi physicorum sententia corpora cœlestia vere credātur elementarium qualitatum expertia. Sed quamuis vulgata hæc sit philosophorum opinio, non tamen defuerūt viri doctissimi, qui & solem, & reliqua cœ- B lestia corpora, non secus ac ista inferiora, ex quattuor elementis constare affirmarint: in quam sententiam videtur aliquando inclinasse Galenus, vt alibi annotauimus. Huc accedit, quod solem actu calidum nunc dixerit, non quod calorem habeat actu excedentem, sed (vt recte interpretantur Eustathius & Lopezius) quod citra externam opem actu calfaciat. Frustra igitur Galeno patrocinari cupiens Vallesius, nomine solis aërem à sole illustratum intelligendum esse præcipit. Atque hæc quidem docet Galenus de proposita dubitatione, quam tamen aliter multo recentiores quidam medici dissoluunt, qui de medicamentorum viribus aliter sentiunt. Quidam enim medicamenta omnia actu talia esse contendunt, vt Laurentius Ioubertus; alii vero (vt Hieremias) medicamentorum vires occultas esse prædicant, quæ non ab elementis, sed ab astris C potius proueniant: vnde & medicamentorum actiones ab occulta quadā proprietate, quæ cœlestem vim ac facultatem sequatur, proficisci arbitrantur. Si igitur ab his posterioribus roges, cur medicamenta quæ vim habent calfaciendi, non sentiantur tangentibus calida, ita respondent. Si huiusmodi, inquiunt, vim ex elementis medicamenta obtinuissent, sentirentur haud dubie calida; hanc vero cum ex astris acceperint, mirum videri non debet; si more suarum caussarum sensum lateat. Et quamuis facile non sit hos redarguere, cum tamen elementa prætereuntes ad astra confugiant, rerum naturalium caussas se prorsus ignorare profitētur. Priores vero duplicē caussam reddūt, cur licet eiusmodi medicamenta sint actu calida, calida non sentiantur; obtusum scilicet cutis sensum, & medicamentorum crassitiem. Atqui obtusum in cute sensum statuere, à cutis natura est omnino alienum, cum & temperatissima sit, & præcipuum D tactus organum. Quod si demus obtuso sensu præditam esse cutem, cur in reliquis corporibus actu calidis excedentem caliditatem cognoscere potest, in solis medicamentis non potest? Sed neque substantiæ crassities eius rei potest esse caussa, cur enim hæc in solis medicamentis tactum impedit, quo minus excedentem calorem percipiat, in aliis vero corporibus actu calidis, quæ crassæ itidem essentiæ sunt, tactum impedire non potest?

Lib. de nat. hom. com. 37.

Parad. 1. de cad. 1.

Ac quod actu talia sint, id a nobis accipiunt, veluti sicci calami ab igne. Ita vero & ligna ex sua quidem natura frigida sunt vniuersa, sed quæ Ssicciora sunt & gracilia, ea facile mutantur in ignem; quæ humidiora sunt & crassa, spatio egent maiore. Nihil igitur miri est, si medicamenta quoque primum quidem

A *quidem in parua & tenuia frangi postulant; secundo loco vt tempore aliquo (tametsi minimo) corpori nostro, quo calida fiant, sint adiuncta. Tu vero si ea nec comminuta, nec prius calfacta, calida tamẽ iam fieri censes; quid significet quod potestate calidum dicitur, parum mihi meminisse vidêris: sic enim ea exploras, tanquam energia sint calida. Sed nec illud mirum, si quo recalfaciant, calefieri ipsa prius postulant; cum idem fieri cernatur & in lignorum exemplo. Quippe hæc vanescentem alias morientemque flammam tum seruant, tum vero augẽt, dum ab hac ipsa prius calefiunt. Non est igitur alienum, calorem qui in animãtibus habetur, eiusmodi medicamentis quasi alimento quodam vti, quemadmodum ignis ligno: quippe ita quoque fieri cernimus. Si vero perfrigerato corpori*
B *eorum quoduis quantumuis diligenter comminutum inspergas, prorsus non calefit. Proinde quæ perfrigeratæ partes sunt, eas eiusmodi medicamentis plurimum perfricamus, vna calorem perfricando excitãtes, vna rarum, quod frigore prius fuit densum, reddentes: quo scilicet tum introrsum pharmacum penetret, tum naturali animantis calori coniunctum mutetur, ac calefiat. Quippe cuius si particula quæpiam vel minima calorem energia concipiat, hunc deinde in totum per continuitatem porrigit; perinde ac si ex parua scintilla tedam summo tenus accendas: siquidem hanc vniuersam facile depascitur ignis, nihilo amplius scintillam requirens. Ac quidquid potestate calidum est, in hoc nondum in natura*
C *sua calidum frigido præpollet, sed in propinquo est vt præpolleat; adeo vt breuem opem, quo vincat, extrinsecus requirat. Hanc illi modo frictio abũde præstare potest, modo vel ignis, vel corporis alicuius natura calidi contactus. Non est igitur tam arduum rationem reddere, quid caussæ sit, cur alia protinus vt corpus nostrum contigêre, recalfacere id possint, alia post longius id efficere spatium. Quippe ex iis quæ igni appropinquant, alia statim accenduntur, veluti elychnium, & tenuis teda, & pix, & siccus calamus; alia nisi diutius sunt admota, non vincuntur, vt viride lignum.*

Quoniam medicamenta potestate calida calfacere non posse dixerat, quin prius & ipsa calfacta fuerint; proinde nunc totam hanc medicamentorum mu-
D tationem, quam medici reductionem, siue reuocationem in actum vocant, elegantissime explicat. Docet autem in primis huiusmodi reuocationem à nobis fieri, id est à nostro calore. Nam vt quæ sunt ad ignem potestate calida (veluti sicci calami) ab ipsomet igne actu calida fiunt; ita & medicamenta potestate calida à nobis ipsis accipiunt, vt actu calida euadant. Ad hanc vero medicamentorum reuocationem in actum quattuor docet esse necessaria, medicamenti aptitudinem, eiusdem comminutionem siue attritionem, debitam applicationem, & caussæ immutantis robur. Quod recte itidem ex iis confirmat quæ sunt potestate calida ad ignem, quæ quidem vt in ignem mutentur, quattuor illa similiter requirunt. Aptitudinem quidem, quia licet omnia ligna frigida sint ex sua natura, quæ tamen sicciora sunt facilius mutantur in ignem, humidiora vero difficilius. Illud tamen videtur omnino falsum, quod

vniuersa

vniuersa ligna ex sua natura frigida esse dixerit;cum lignum aloēs,& alia quam- A
plurima calida sint ex sua natura. Quare Vallesius vt Galenum à mendacio liberet,locum inquit de solis vulgaribus lignis intelligendum esse, quibus tanquam medicamentis non vtimur, sed tantum tanquam ignis materia. Sed nimia profecto hæc Vallesii licentia est, quæ solis fortasse legislatoribus concedi possit. Quomodo enim licentia nimia non sit,ex vniuersali propositione particularem efficere,& quod de vniuersis lignis à Galeno dictum est, ad sola vulgaria detorquere?Non itaque vulgaria tantum, sed omnia in vniuersum ligna ex sua natura frigida esse cum Galeno asserimus: quod qua ratione accipiendũ sit,paullo post explicabimus. Nunc vero præter aptitudinem,comminutionem quoque in lignis necessariam esse ostendamus, vt facile accendi possint. Non enim satis est sicca esse ligna quæ facile accendi debent,sed ea oportet gracilia esse, & in aliquas partes diuisa: nam quæ integra sunt & crassa vix flammam B
concipiunt. Sed neque sicca graciliaque ligna accendi solent,nisi & debite, & iusto tempore igni applicentur. In quo desideratur etiam robur,cum ignis scintilla, aut flamma multum exigua nihil effatu dignum efficere possit, nedum ligna comburere. Porro his multo magis indigent potestate calida medicamenta, vt actu calida à nostro calore fieri possint. Est namque in primis necessaria aptitudo,quia non omnia medicamenta idoneam habent naturam vt à nostro calore accendantur, sed ea dumtaxat quæ potestate calida dicuntur. Est & necessaria vel maior vel minor attritio pro diuersa medicamentorum substãtia; quippe quæ duriora sunt ac solidiora,maiori; quæ humidiora ac liquidiora,minori attritione indigent. Hanc plerumque molitur ars, & perficit natura, vel partium (potissimumque ventriculi)calor,si medicamentum per os ingestum fuerit: nam exterius admotum vix (ac ne vix quidem) ab innato calore comminui potest. Quo fit, vt quæ exterius applicantur medicamenta,nisi prius cõ- C
minuantur, in actum reuocari nequeant; quæ vero assumuntur intra corpus,sæpe vocentur in actum, etiamsi deglutiantur integra, vt piper. Sed & iusto tempore corpori applicata manere debent,vt in actum reducantur; longiore quidem, si minus sint vt accendantur idonea, aut partium sint crassiorum, aut noster etiam calor sit imbecillior; breuiore autem, si contraria acciderint. Desideratur tandem caussæ immutantis robur, nam si parti cuipiã perfrigeratæ medicamentum potestate calidum,diligenter etiam comminutum, debito tempore admoueris,vix vnquam incalescet. Quo casu perfrigeratam partem eiusmodi medicamento plurimum perfricamus; tum vt eo frictionis motu calorem in parte excitemus; cum potissimum vt partem frigore dẽsatam rariorem reddamus: quæ duo leuis momenti non sunt,vt medicamentum in actum reducatur. D
Siquidem parte rariori reddita introrsum penetrat,pluribusque partibus, hisq. altioribus ac calidioribus adhæret;& à calore quem frictio excitauit, facilius promptiusque incalescit. Quinetiam & quæ assumuntur medicamenta, suo fine frustrari non raro experimur, quod ab imbecillo calore nequeant commutari. Quod diligenter ab iis obseruatum velim, qui vel quod rem ipsam ignorent, vel vt aliquid semper agere videantur, vel vt amicos pharmacopolas ditent, animam pene iam agentibus ægris varia medicamenta præscribunt, à quibus innatum calorem, alioqui imbecillimum, obrui necesse est. Si igitur quattuor illa prædicta adsint, facile quidem in actum vocantur medicamenta;fiunt namque actu calida ex calidi corporis contactu; semelque calfacta partem cui adhærent,recalfaciunt;indeque ceteris partibus calorem communicant: præser-

tim

A tim si per corpus distribuantur. Quæ cum ita sint, merito inquit Galenus alienũ non esse, calorem qui in animantibus habetur, eiusmodi medicamentis quasi alimento quodam vti, quemadmodum ignis ligno. Qui locus obseruatione dignus est, cum ex eo intelligatur, medicamenta dici potestate calida, quod sint materia & veluti alimentum nostri caloris. Sed de hac re paullo post agemus. Neque vero necessarium est, vt in huiusmodi reuocatione totum medicamentum a nostro calore accendatur; cum satis plerumque sit, aliquam ipsius particulam (etiam minimam) calorem actu concipere, ex qua per continuitatem toti medicamento communicetur. Quo tempore idem credendum est medicamentis accidere, quod tedæ aut stupæ contingere experimur: sæpe namque fit, vt minima tedæ aut stupæ portiuncula à parua scintilla accendatur, eaque extincta, semel concepta flamma vniuersam stupam aut tedam depascatur. Neq. B id mirum videri debet, quoniam vt inquit Galenus, quidquid potestate calidũ est, in hoc nondum in natura sua calidum frigido præpollet, sed in propinquo est vt præpolleat; vsque adeo vt leuem dumtaxat opem extrinsecus requirat, quam sola interdum frictio præstare potest, interdum ignis, vel alterius corporis natura calidi (quale humanũ est) contactus. Quod si in medicamentis potestate calidis nondum calidũ frigido præpollet, nullum sane eorum medicamentorum erit actu calidum. At lib. 3. de simp. med. fac. agens de medicamentis potestate calidis, contrarium docuit his verbis, „ Verisimile siquidem est pleraque eorum etiam actu calida esse, sed idcirco nos fugere, quoniã aut ipsi plurimum „ habemus caloris, aut crassa eorum essentia sit. Vt autem hæc quæ alioqui secum „ pugnare videntur, sibi mutuo consentiant, reuocare in memoriã oportet quod Cap. 11. C paullo antea dictum est; medicamentum scilicet ad aliquid semper referri, & nobis medicis perpetuo ad hominem; propterea que medicamentorum vires non ex propria sui natura nobis expendi, sed ex actione quam exercent in corpus humanum. Cum vero medicamenta partim actu talia sint, partim potestate; ad hominem vtraque ita referre oportet, vt actu calida dicantur quæ nos actu calfaciunt, vt ignis; potestate vero calida quæ nos actu minime calfaciunt, sunt tamen idonea vt nos actu calfaciant, cum primum fuerint in actum reuocata. His ita statutis libenter cum Galeno concedimus, pleraque medicamenta potestate calida esse actu etiam calida, quia ex propria sui natura ac temperie quam ex primis elementis sunt sortita, calorem excedentem habent. Neque enim sentiendum est cum Vallesio, calorem in huiusmodi medicamentis potestate tantum præpollere, quemadmodum etiam ele- D menta potestate tantum manent in mixtis. Ceterum licet calorem habeãt actu excedentem, ad nos tamen potestate calida dicẽtur, quia actu nos minime calfaciunt, vel propter partium crassitiem, vel quod nos plurimum habeamus caloris, vt dicebat Galenus. Quare quod hoc loco dictũ est sic interpretari oportet, vt in iis quæ sunt potestate calida, nondum in natura sua calidum frigido præpollere dicatur, quia licet calorem excedentem actu ex propria sui constitutione habere possint, nos tamen actu nondum calfaciunt. Quippe cum potestas ex aduerso opponatur actui, absurdum profecto fuerit, idem medicamentum esse potestate simul & actu ad nos calidũ: quamuis absurdum non sit, quod ad nos est potestate calidum, ex sui natura actu calidum esse, & alteri cuipiam animantium generi actu calidum fortasse persentiri. Et quamuis in iis quæ sunt potestate calida ad nos, nondum in sua natura calidum frigido ad nos præpolleat; in propinquo est tamen vt præpolleat, quia naturam habent maxime idoneam,

neã, vt vel leui accepto incitamento fiant ad nos actu calida, id est nos actu calfaciant. Quæ cũ ita sint, necessario concedẽdum est, omnia medicamenta potestate calida vel esse ad nos actu frigida, vel in calore & frigore temperata. Atq. hinc intelliges, quam vere supra dictum fuerit à Galeno, ligna vniuersa ex sua natura esse frigida. Nam & quæ aromatica sunt, licet calorem actu excedẽtem videantur habere, sunt tamen ex sua natura ad nos actu frigida, quia frigida nobis sentiuntur iudice tactu; potestate tamen calida ad nos vere dicuntur, quia vim habent calfaciendi nostrum corpus. Ex iis quæ hactenus dicta sunt de medicamentorum reuocatione, explicat tandem hoc problema, cur medicamenta quædam cum primum fuerint corpori admota, incalescant, alia vero tempore indigeant longiori. Estque sane facillima problematis explicatio, cum ex superioribus constet, partim ad diuersam medicamẽtorum naturam, partim ad variam corporis dispositionem referẽdas esse huius rei caussas. Hæc docet hoc capite de medicamentis potestate calidis: sed cur de frigidis, humidis, & siccis nihil dixit? An quia communem esse voluit medicamentorum omniũ in actum reuocandorum rationem? Siquidem vna eâdemq. ratione noster calor in medicamenta agit, qualiacumque ea fuerint. Omnia enim calfacit, comminuit, ac distribuit; pro varia tamẽ sui natura medicamẽta varia varios patiũtur affectus. Nã quæ sunt potestate calida, cum primũ à nostro calore calfiunt, nonsolũ comminuuntur, ac mouentur, verũ etiam actu calida euadunt, quia naturam habent vt accendantur idoneã. At quæ frigida, sicca, aut humida potestate sunt, dum à nostro calore calfiunt, neq. actu calida euadũt, neq. accenduntur, sed tantũ cõminuta distribuuntur; quo tempore nos actu refrigerant, exsiccant, aut humectant. Et quamuis horum medicamentorum pleraque actu iam talia esse sit rationi consonum; merito tamen dicuntur potestate talia ad nos, quia vt actu nos refrigerent, exsiccent, aut humectent, id a nostro calore accipiunt. Quod elegãtissime explicauit lib. 3. de simp. med. fac. agens de potestate frigidis, his verbis, „Quamobrem eius quoque nunc protinus meminisse oportet, veteres medicamenta natura frigida, potestate dixisse frigida; nam ea quoque quadantenus refrigerandi potentiam à nobis accipiunt, sicut excalfaciendi calida. Quod si alio modo illa, alio vero ista, nihil vtrique refert; generale enim communeque vtrisque est, nempe alterationis principium ex passuro corpore in acturum medicamentum procedens. Nam quæ potestate quidem sunt calida, alterantur eo dumtaxat quod incalescant à nobis; at quæ natura frigida, tum quod comminuantur, tum quod adscititium accipiant motum. Cum itaque ipsis tanquam frigidis agere absque corporis patientis auxilio non licet, iure potestate frigida dicuntur. Nam vt actu nos refrigerent, non prorsum ex sese obtinent, verum à nobis prius perpetiantur, vt refrigerent, oportet: etenim in minuta conteri, & adnentitium motum accipere, affectus sunt medicaminum. Quibus sane verbis (quæ in hunc locum transcribere libuit) quo pacto medicamenta potestate frigida in actum reuocentur, apertissime declarat. Dicuntur enim refrigerandi principium à nobis accipere, non quod à nobis refrigerentur, (calor namque perpetuo calfacit) sed quod à nostro calore comminuta, adscititiumque motum nacta, nos actu refrigerent. Differunt autem à medicamentis potestate calidis, quod hæc cum primum à nobis incaluerint, actu calida fiant, nosque actu calfaciant; illa vero à nobis vtcumque calfacta, actu refrigerare non possint, donec comminuta fuerint, & adscititium motum acceperint. Atque id haud dubie voluit Galenus, cum ait, medicamenta potestate calida eo dumtaxat alterari,

Cap. 20.

quod

A quod à nobis incalescant. Neq. enim negat hæc quoq. cōminui & moueri, sed tantū significat actu nos calfacere, cum primū à nobis incaluerint; quod tamen potestate frigidis euenire non potest, vti dictū est. Eadē prorsus est ratio medicamentorum potestate humidorū & siccorum, hæc namq. cum in actum reuocantur, à nostro calore humectandi vel exsiccandi initiū accipere dicuntur, non quod à nobis humectentur aut exsiccentur; sed quod comminuta caloris vi ac distributa, actu nos humectent aut exsiccent: quod tamen antequam comminuerentur ac distribuerentur, præstare non poterant. Hæc quidem verissima certissimaque est de omnium medicamentorum potestate talium reductione Galeni sententia; à qua si semel recesseris, nihil rationi aut experientiæ consonum dicere possis. Quod sane plerisque eorum qui subsequuti sunt medicorum accidisse experimur, qui in explicanda medicamentorum reuocatione miserrime sunt lapsi. Ego namque sæpe mirari soleo an-
B tiquiorum medicorum commenta, eorum dico qui Arabum familiæ nomen dederunt; quamuis ipsorum princeps Auicenna idem cum Galeno sensisse videatur. Quidam enim ex his, ex calore nostro & propria medicamenti constitutione vnum fieri principium opinantur ad agendum habile; quod secundum diuersos temperamentorum modos in diuersis medicamentis varie operetur. Alii in actum medicamenta reuocari putant, quia à nostro calore omnino transmutantur in substantiam calfacientem, refrigerantem, humectantem, aut exsiccantem; pro varia scilicet ipsorum natura: ita vt in ventriculo gignatur chylus, qui calfaciendi, refrigerandi, exsiccandi, aut humectandi vim habeat; & in iecore sanguis iisdem faculta-
C tibus præditus; & in reliquis omnibus partibus medicamentosæ humiditates. Finxerunt alii, medicamentorum reductionem nihil esse aliud, quam partium elementarium quæ antea contrariis permistæ delitescebant, separationem quandam & veluti secretionem vi nostri caloris factam. Alii rursus priuatim in medicamentis potestate frigidis ridiculam reuocationem imaginati sunt, totam ipsius vim ad antiperistasin referentes. Cum primum enim medicamentum frigidum vel intra corpus assumptum, vel exterius est admotum, ob caloris nostri præsentiam, natiuam ipsius frigiditatem valentiorem reddi affirmant. Quam sententiam Lopezio quoque inter recentiores placuisse video. Ac tandem alii ad occultas proprietates confugientes, virtutes quasdam siue qualitates à primis distinctas, nostri caloris actione in medicamentis gigni, aut suscitari asserunt, quibus hoc vel illo modo operentur. Sed longum esset sophistarum figmenta referre & longius multo errores detegere, atque refellere. Siquis vero hæc scire cupit, ip-
D sosmet auctores adeat; aut etiam recentiores, qui huiusmodi quæstionibus delectantur. Ceterum recentiores quosdā magis mirari oportet, qui cū se iactent Galeni interpretes, nihil profecto minus quam Galeni sententiam interpretantur. E quorum numero sunt illi, qui in medicamētis ad actum reuocandis calorē nostrum impedimentū dumtaxat remouere arbitrantur; siue id sit immodicum frigus, à quo (vt quidam volunt) tota medicamenti substantia, tamquam compedibus adstricta, admoti corporis cōtactu arcetur; siue præter frigiditatem ab externo aëre contractam, partium quoque (vt alii asserunt) crassities impedimento sit, quo minus medicamentum ad actum perueniat. Putant enim (vt statim dicemus) medicamenta suopte impetu ad actum peruenire, & potestate talia vocari prima potestatis significatione. Hęc tamen opinio in medicamētis

Fen. 2. lib. 1. cap. de iis quæ comed. & bibunt.

potestate calidis locum habere non potest, vtpote quæ in actum vocata, à nostro calore incalescant & accendantur. Sed absurdior adhuc eorũ est sententia, qui medicamenta in actum à nostro calore reuocari negant, medicamenta omnia actu talia statuentes, siue ex astris, siue ex elementis vires suas acceperint. Tot igitur tamque monstrosæ sunt de medicamentorum in actum reductione medicorum opiniones, quas omnes refellere facillimum ei fuerit, qui veram Galeni sententiam semel intellexerit. Quare vt huic capiti finem tandem imponamus, illud tantum explicandum restat, quomodo medicamenta dicantur potestate talia. Quod sane cur Galenus prætererit, cum initio capitis de eo maxime dubitasset, coniicere non possum; nisi forte id fecerit, quod ex iis quæ hoc capite docuit, facile colligatur propositæ dubitationis explicatio. Qui medicamenta actu talia esse contendunt, eo tantum nomine potestate talia dici posse affirmant, quod sint per se & ex propria natura talia, non autem ex accidenti: quæ altera erat potestatis significatio, quæ quidem non actui, sed ei quod est ex accidenti aduersatur. Qui vero medicamenta potestate talia vere statuunt, non solum quod per se talia sint, potestate talia dici affirmant; verum etiam quod qualia dicuntur nondum sint, sed possint talia fieri: quæ prior erat & propria significatio potestatis. Cum autem duo sint huius potestatis modi, quinam ex his medicamentis conueniat, in dubio est positum. Sunt qui putent priorem medicamentis conuenire, quoniã ex sua natura ad actum medicamenta peruenire sentiunt, cum primum caloris nostri beneficio ademptum fuerit impedimentum; siue illud frigiditas sit, siue partium crassities. Constare tamen non potest horum opinio, quoniam quæ secundum priorem modum dicuntur potestate talia, nullius rei externæ auxilio indigent, vt perueniant ad actum, in quem natura feruntur; sed postulant tantum, ne aliquid extrinsecus impediat. At medicamenta vt actu talia fiant qualia dicuntur esse potestate, caloris nostri opem exposcunt, sine qua ad actum nullo pacto peruenire possunt. Reliquum igitur est vt necessario fateamur, medicamenta dici potestate talia secundo modo, quia scilicet sunt nostri caloris materia. Id quod de potestate calidis satis aperte videtur hoc capite docuisse Galenus dicens, eandem ea rationem habere ad nostrum calorem, quam ligna habent ad ignem. Sed & expressis verbis id ipsum significauit, sic scribens, Non ,, est igitur alienum, calorem qui in animantibus habetur, eiusmodi medica- ,, mentis quasi alimento quodam vti, quemadmodum ignis ligno. Et lib. 1. ,, de simp. med. fac. Ostensum, inquit, est in tertio de temperamentis, nullum eo- ,, rum quæ nos excalfacere apparet, perinde vt ignem posse calfacere, verum ,, vt materiam accendi facilem; siquidem mutationis principium à nostra caliditate accipientia, vt calami aridi ab igne, nos contra recalfaciunt, & ve- ,, lut partes fiunt quædam caloris natiui, sicut illi ignis. Et rursus lib. 2. quod ,, est potestate calidum velut aptam quandam materiam esse dixit eius quod est actu calidum. Dicuntur autem potestate calida medicamenta nostri caloris materia, & quasi alimentum; non quod calidam corporis nostri substantiam augeant, sed quod qualitatem intendant. Atque hactenus quidem in medicamentis potestate calidis res ita habere videtur, reliquorum vero eadem ratio esse non potest. Quippe quæ potestate humida sunt, aut sicca, cum caloris qualitatem ex sua natura intendere nequeant, quomodo caloris nostri materia dicentur? Maior adhuc dubitandi occasio est de po- [illegible] testate

Cap. 11.

Cap. 23.

A testate frigidis, vtpote quę innatum nobis calorem imminuant, & non raro prorsus extinguant, tantum abest vt ipsum augere possint. Ceterum & hæc, & reliqua omnia medicamenta potestate talia vere dicuntur ac sunt nostri caloris materia, quoniam vt in actum vocentur, à nostro calore patiuntur & mutantur. Siquidem materię nomine non tantum significatur subiectum ex quo aliquid fit, verum etiam quod ab alio patitur atque afficitur: ita vt intelligenda hoc loco sit materia potius alterationis (vt vocant) quam transmutationis. Et quamuis medicamenta omnia potestate talia hoc nomine dicantur in vniuersum materia nostri caloris; id tamen peculiare habent potestate calida, vt fiant quasi alimentum, & veluti partes quædam nostri caloris; proindeque verius multo dicantur ipsius materia. Quæ cum ita sint, nescio profecto, cur vir doctissimus, & mihi amicissimus Simon Touarius, neque primo, neque secundo modo medicamenta potestate talia dici posse affirmet, sed alio B quodam, quem Galenus in præsentia prætermisit, quo scilicet ea dicuntur talia potestate, quæ licet id quod esse dicuntur vere sint, non possunt tamen idipsum quod esse dicuntur actu in nobis expromere citra nostri caloris opem. Atqui probabile non est, eum potestatis modum qui medicamentis maxime conuenit, fuisse à Galeno prætermissum hoc libro, in quo de medicamentis potestate talibus ex instituto disputat. Satius itaque fuerit, omnia ea quæ nostri caloris auxilio indigent vt possint vires suas expromere, caloris materiam dicere, atque ad secundum potestatis modum referre. Quo fit, vt medicamentis omnibus potestate talibus tribuenda hoc nomine fit potentia passiua, cum potestate talia dicantur, quod à calore nostro mutata, possint actu talia fieri. Non tamen proinde deneganda ipsis est (vt aliqui voluerunt) potentia actiua, C cum in actum semel reuocata agant in corpus: immo actiua hæc potentia in medicamentis potissimum expendi solet, cum ex eo quod medicamentum agit in corpus, ipsius facultas colligatur.

Lib. 3. de cōp. med. exam. cap. 6.

CAP. III.

LLVD potius definiamus, cuius vtique demonstratio cum de naturalibus potentiis agemus, tradetur. Ex hypothesi autem nunc quoque propositorum caussa eo vtemur, quattuor nimirum dicentes totius corporis proprias facultates esse; vnam idoneorum D *tractricem, alteram eorum omnium retentricem, tertiam alteratricem, & quartam quæ alieni sit segregatrix. Easdemque facultates [effectus] esse totius in quouis corpore substantiæ, quam etiam constare ex calido, frigido, humido, & sicco, inter se mistis, dicimus. Vbi igitur corpus vna qualibet earum quas in se habet qualitatum, corpus quod sibi admouetur demutat; nec ipsum hoc casu tota substantia existimandum est agere; nec quod ab ipso mutatur, posse ei assimilari: quare nec vnquā nutriet quod ita mutatū est, id quod se mutauit. At si illud mutet, id est si tota substātia operetur; vtiq. tum sibi assimilabit id quod mutatur; tum ab eo nutrietur: neq. enim aliud nutritio est quam*

aſsimilatio perfecta. Quoniam autem hoc definitũ eſt, inde rurſus incipiendum. Omne animal conueniente ſibi nutritur alimento; conueniens autem cuique alimentum eſt, quidquid aſsimilari corpori quod nutritur, poteſt. Oportet igitur toti nutrientis ſubſtantiæ cum tota nutriti natura communio aliqua ſimilitudoquè ſit; prorſus hic quoque non paruo exceſſus defectuſque ſubſiſtente in ipſis diſcrimine, cum alia magis conſentientia ſimiliaque ſint, alia minus. Proinde etiam alia conficiendi opere valentiore ac diuturniore, alia minore ac breuiore egent: auium caro minore, ſuilla maiore, bubula etiam hac maiore. Vinum vero vt aſsimiletur, mutationem deſiderat minimam; quo fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrime. Porro id quoque in concoquendi inſtrumentis, ventriculo, iecore, & venis, prorſus aliquamdiu traxerit oportet; in quibus ſcilicet præparatum nutrire corpus iam queat. Ante vero quam in his ſit demutatum, fieri non poteſt vt animalis corpori ſit nutrimentum; ne ſi per totum diem ac noctem extrinſecus ſuper corpus ſit impoſitum; multoque minus panis, vel beta, vel maza foris impoſita nutriat. A B

Explicat hoc capite eorum omnium naturam quæ dicuntur ad hominem poteſtate talia. Hæc autem vel nutrimenta ſunt, vel medicamenta, ſub quibus nutrimenta medicamentoſa complectitur. Atqui vt facilius explicet purorum nutrimentorum naturam, pro hypotheſi nunc ſtatuit quod demonſtraturus eſt ex inſtituto libris de facultatibus naturalibus; quattuor ſcilicet eſſe totius corporis proprias facultates, attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem, quam vocat in præſentia alieni ſegregatricem. Quamuis & præter has, tres aliæ ſint principes, generatrix, auctrix, & nutrix; de quibus omnibus ſuo loco agemus. Has quattuor facultates vocat totius in quouis corpore ſubſtantiæ, vt eas diſtinguat ab aliis facultatibus quæ vni aut alteri qualitati debẽtur; qualis eſt facultas calfaciendi, refrigerandi, exſiccandi, & humectandi: neque enim à manifeſtis qualitatibus illæ proueniunt, ſed totius ſubſtantiæ ſunt ſoboles. Vocat autem totam ſubſtantiam, certam primarum quattuor qualitatum temperiem, cum certa ſubſtantiarum elementarium proportione, quæ vnicuique mixto eſt propria: in his enim tota miſtorum corporum ſubſtantia poſita eſt, vt alibi diximus. Ceterum licet totius ſubſtantiæ facultates dicantur, iuuantur tamen non parum à qualitatibus manifeſtis; vt attractrix & concoctrix à calore; & à ſiccitate retentrix. Humiditas vero licet ad nutritionem & auctionem mirifice faciat, ceteris tamen naturæ functionibus aduerſatur: frigiditas autem, Galeno auctore, nulli functioni eſt per ſe vtilis. Ex his certo intelligitur, actiones quæ in noſtris corporibus exercentur, in duplici eſſe differentia, aut enim ſunt actiones totius ſubſtantiæ, aut manifeſtæ cuiuſpiam qualitatis. Quando igitur corpus noſtrum in rem ſibi admotã agit manifeſta qualitate, & id quod ab ipſo patitur, manifeſta dumtaxat qualitate mutabitur; quando vero agit tota ſubſtantia, & totam eius quod patitur ſubſtantiam mutari neceſſe erit. Rurſus quod vna quapiã qualitate manifeſta mutatur, corpori aſſimilari nõ poteſt, neque ipſum nutrire; quod autem mutatur tota ſubſtantia, poteſt corpus nutrire, quia nutritio nihil aliud eſt quam perfecta aſſimilatio. Hæc autẽ fit, quando C D

Lib. 3. de cau. ſympt. cap. 3.

A quando id quod à corpore alteratur, non solis qualitatibus, sed tota sui substantia alteranti omnino fit simile, vel potius idem. Atque id sane præstant facultas concoctrix & nutrix, quæ cum in solis viuētibus reperiātur, in his quoq. solis vera perfectaq. inueniri potest assimilatio. Reliquæ vero duæ facultates, attractrix & retentrix, iis quæ vita carent sunt etiam cum viuentibus communes. Quoniam vero viuentia omnia nutrimentis indigent, quibus deperditam substantiam resarciant; oportet profecto, vt quod nutriturum est, totius substantiæ similitudinem atque cognationem cum nutriendo habeat. Et quoniam diuersa multum est viuentium natura, diuersa quoque plantarum & animalium nutrimenta esse oportuit. Sed nec plantis omnibus idem nutrimentum familiare esse potest, cum multiplex sit ipsarum natura, diuersoque gaudeant cœlo, ac solo, iuxta illud Poëtæ,

Non omnis fert omnia tellus,
B Hîc segetes, illic veniunt felicius vuæ;
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. Et rursum,
Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt,
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur; steriles saxosis montibus orni;
Littora myrtetis lætissima; denique apertos
Bacchus amat colles; aquilonem & frigora taxi.

Eadem ratio & animalium est, alia namque sunt nutrimenta iucunda bobus, alia canibus, alia hominibus; in quibus maior adhuc varietas cōspicitur, cū passim aliquos videas ab his cibis plurimum abhorrere, quibus alii maxime delectantur. In vniuersum tamen nutrimentū omne cum corpore nutriēdo totius C substantiæ similitudine vel magis vel minus conuenire debet. Pro maiori vero aut minori similitudine fit, vt aut breuiori, aut longiori tempore indigeant, vt intra corpus assumpta concoquātur. Quippe quæ magis sunt familiaria, citius; quæ minus, tardius concoqui consueuerunt: quamuis & id quoq. ad substantiæ tenuitatem vel crassitiem referri possit. Auium quidem caro (vt phasiani, attaginis, perdicis, gallinæ) facilius multo concoquitur quam caro quadrupedum; & bubula difficilius quam suilla. Inter omnia tamen quæ hominem nutriunt, celerrime concoquitur, digeritur, & assimilatur vinum; tum ob partium tenuitatem, cum potissimum ob maximam totius substantiæ similitudinem. Quantumuis tamen familiare sit ac tenue, hominem nunquam nutriet, quin prius in concoquendi instrumentis, ventriculo, iecore, & venis, præparatum fuerit atq. D concoctum. Venas hoc loco inter concoquendi instrumenta enumerat, quemadmodum ventriculum & iecur; cum tamen nullius cōctionis sint organum. Cum enim triplex sit alimenti concoctio, prima quidem in ventriculo fit, altera in iecore, tertia vero nullum peculiare instrumentum sortita, in singulis corporis partibus perficitur. Aut ergo dicendum iecur simul & venas secundæ concoctionis organum statuisse, quoniam exstitit olim quæstio, an sanguinis generatio deberetur iecori, an potius venis; aut venarum exemplo reliquas etiam partes significasse, in quibus tertia fit concoctio. Vtcumque tamen res habeat, vt nutriat vinum, debet primum in ventriculo concoqui, ibique in chylum conuerti; deinde iecore & venis in sanguinem mutari; vt tandem possit in singulis partibus nutriendis tertio cōcoctum ipsis assimilari. Atque hinc

fit, vt vinum exterius admotũ non nutriat. Quod si vinũ, nutrimentũ alioqui tenue, halituosum, omniũq. maxime familiare, alere non potest, quinprius in vẽtriculo, iecore, & reliquis partibus concoquatur; quid quæso de aliis nutrimentis, quę & crassiora sunt & minus familiaria, sentire oportet? Hãc igitur Galeni sentẽtiã diligenter obseruent nõ pauci medicorũ, qui ab obstetricibus (vt puto) edocti, vbi grauidis venam secari iubent, aut propter fœtus imbecillitatem abortus periculum imminet, dissectum columbum, aut arietinam carnem semi assatam, potisimumque cordis carnem (quasi hæc ad humani cordis vires reficiendas maiorem vim habeat) eo consilio vmbilico imponunt, vt fœtus inde nutrimentum accipiat. Cum enim hi aliquando audierint fœtum per vmbilici vasa nutrimentum attrahere; quod de proprio fœtus vmbilico vere dictum est, ad vmbilicum maternum temere ipsi transferunt. Neque vero ab hac opinione alioqui vulgari omnino recesit Vallesius, qui licet quæ admouentur vmbilico parum nutrire credat, aliquid tamen nutrimenti præbere posse affirmat. Locum autem hunc parum accurate à Galeno scriptũ fatetur, quod hîc de nutritione non agat ex instituto; quamuis nullibi (quod sciam) vniuersam nutrimentorum naturam, & totam eorundem mutationem accuratius explicarit. Aut igitur locum aliquem in mediũ proferre debuisset Vallesius, in quo Galenus ex instituto de hac re agens, nutrimenta extrinsecus admota nutrire posse concesserit; aut si minus id posset, Galeno id in præsentia neganti assentiri. At cum Galenum non posit, Hippocratem testem inuocat, qui scripsit alicubi, forinsecus alimentum ex extrema superficie ad intima peruenire. Ceterum nihil minus voluit his verbis Hippocrates quam extrinsecus imposita posse nutrire, tantum enim significauit, alimentum interdum ex partibus externis, nempe ex habitu corporis, ad partes internas remeare: quemadmodum etiam antea dixerat, intrinsecus, id est à partibus internis, ad externas alimentum peruenire: proindeque merito subiunxit, Confluxio vna, conspiratio vna. Et quamuis plurimi sint in cute meatus, plurimæq. arteriæ finiantur ad cutim; necessarium tamen non est, alimenti exterius admoti substantiam attrahi, quoniam arteriæ dilatatæ tenuisimo & ad sequendum paratisimo aëre facilius promptiusque replentur: aut si aliquid forte trahant, trahent dumtaxat quod tenuissimum est & maxime halituosum. Id vero materiam quidem gignendis spiritibus præbere, nutrire tamen nequaquam potest, cum triplicem partium substantiam deperditam instaurare nequeat: alioqui solus aër nutriret, qui materia spiritus est. Ad eundem prorsus modum & illam Hippocratis sententiam interpretari oportet, Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecus. Dixit namque carnes attractrices extrinsecus, non quod extimæ cuti imposita nutrimenta attrahere possint; sed quod ab extimis partibus sanguinem interdum in profundum reuocent; aut (quod magis Galeno placet) quod externum aëre attrahãt. Sed nonne aqua balnei intro per cutem attrahitur? attrahentur ergo & nutrimenta cuti imposita. Balnei quidem aquam à corpore trahi, affirmant vulgares se manifesto sentire, quibus etiam assentitur Galenus in eius sententiæ cõmentario; diuersa tamen aquæ & nutrimẽtorum est ratio. Hæc namque extrinsecus admota quia neque nutrire, neq. alium vsum præbere possunt, à partibus non attrahuntur; nisi forte quod in ipsis tenuissimum est, vt antea diximus. Illa vero quãuis non nutriat, aliquando attrahitur, quia duplicẽ vsum, eũq. insignẽ partibus prębet; cũ & exsiccatas partes humectet, & serosam substãtiã instauret. Porro quę prægnantiũ imponũtur vmbilicis, vt nutriẽdo fœtui prorsus inepta, ita discu-

[Margin notes: A (beside "fit, vt vinum…"); Lib. 8 contro. cap. 3. / B (beside "ne alioqui vulgari…"); Cum. in hunc locum. (beside "Locum autem hunc…"); Lib. de alimẽ. (beside "At cum Galenum…"); C (beside "nempe ex habitu corporis…"); Lib. 6. epid. sect. 6. sent. 1. (beside "teria spiritus est… interpretari oportet"); D (beside "que carnes attractrices…")]

discutiendis flatibus, firmando vtero, & fœtui retinendo vtilissima esse censeo.
A Quo sane consilio panis mica vino imbuta, cinamomo, cariophylis, & mastiche conspersa frequẽter præscribi solet. Sed iam progrediamur vlterius, illudque etiam examinemus quod hîc dictum est à Galeno, neque vinum, neque aliud quidpiam nutrire nos posse, quin prius in ventriculo, iecore, & venis fuerit concoctum. Cui profecto sententiæ plura aduersari videntur, illudque in primis, quod chylus vẽtriculum nutriat, antequam sanguis in iecore gignatur. Præterea nutrimenta per sedem iniecta nutrire possunt, alioqui perperam præscriberentur à medicis clysteres nutrientes appellati; hi vero tenue intestinum vix pertingunt, nedum vẽtriculum ipsum. Postremo vinum epotum antequam in ventriculo concoqui possit, immo & naribus dumtaxat admotum (vt reliqua omnia odorifera) celerrime nutrire videtur, cum animi deliquium & syncopen promptissime corrigat. Nihilominus tamen verissimum esse credimus quod
B hîc scriptum est à Galeno, dummodo intelligatur de iis quæ vniuerso corpori nutrimentum præbent. At chylus solius ventriculi nutrimentum est, aut (si mauis) tenuium etiam intestinorum; proindeque has partes quæ iecore priores sunt, alere potest, antequam in sanguinem conuertatur. Quippe cum ventriculus sibi potius quam reliquis partibus cibum conficiat, fieri nõn potest, quin cibo à se confecto nutriatur, non secus ac iecur à se confecto sanguine. Quod ad nutrientes clysteres attinet in controuersia est positum, concedentibus quibusdam, aliis vero negantibus nutrire posse. Si tamen nutriant (quod probabilius iudico) in chylum prius conuerti necesse est; aut in ventriculo, si sursum attracti ad ipsum ascenderint; aut (quod frequentius est) in ipsismet intestinis. His namque quemadmodum & ventriculo facultas ciborum concoctrix inest, vtpote
C te quæ & tunicam habeant cum ventriculo communem, & substantiam ab eo non multum diuersam, vt fatetur Galenus. De vino res est difficilior. dicẽdum tamen, neque vinum, neque aliud quidquam solo odore nutrire, sed halituosa sua substantia, quæ simul cum aëre ad anteriores cerebri ventriculos inspiratione attrahitur, gignendis spiritibus materiam tantum præbere; qua sola ratione lypothymiæ & syncope medetur. Idem præstat epotum vinum antequã in ventriculo concoquatur, neque enim tunc nutrit, sed tantum materiam vitali spiritui suppeditat, arteriis quæ ad ventriculum finiuntur, halituosam substantiam (quæ plurima est in vino) sua dilatatione attrahentibus. Ex iis quæ hactenus docuit Galenus, duo necessario colligimus. Primum est, vini maximam esse vim ad corrigendam syncopen, cum gignendis spiritibus materiam prompte suppeditet, concoquatur celerrime, distribuatur, tandemque assimiletur.
D Quare mirandum non est, si Galenus plerisque eorum qui exoluuntur, vinum tanquam omnium vtilissimum propinet. At passim nunc videas medicorum plerosque, vt plus sapere videantur, neglecto vino (vtpote vulgari remedio ac facili) ad secretiora carioraque confugere, veluti aurum, margaritas, & alia similia, quæ ipsi cardiaca appellant. Quibus quanta ad reficiendos spiritus, triplicemque partium substantiam instaurandam vis insit, propria ipsorum natura quæ durissima est ac solidissima, minimamq. ac fortasse nullam substantiæ similitudinem nobiscum habet, aperte declarat. Sed de his non est nunc dicendi locus. Colligimus secundo ventriculi concoctionem necessariam esse ad vitam, cum dictum sit nihil nutrire posse, quin prius concoctum in ventriculo fuerit. Id quod obseruare debuissent, qui solida tantum alimenta ventriculi concoctione indigere arbitrantur, liquida vero (quale est lac) citra concoctionem

Lib. 4. de vsu par. cap. 17.

Lib. 3. de fac. nat. cap. vlt.

Lib. 12. metho. med. cap. 4. & lib. 1. de art. curat. ad Glauco. cap. 14.

ctionem ventriculi in ſanguinem mutari poſſe. Horum tamen errorem libro tertio de facultatibus naturalibus refellemus. A

At quæ quidem aſsimilantur, omnia nutrimenta vocantur, reliqua omnia medicamenta.

Ex iis quæ hactenus docuit de nutrimentorum mutatione, colligit nunc diſcrimen inter nutrimenta & medicamenta. Differunt autem, quia licet vtraque à noſtris corporibus mutationem accipiant, nutrimenta tamen tota ſui ſubſtantia mutantur, medicamenta vero vna vel altera qualitate: ita namque & noſtrũ corpus tota ſui ſubſtantia in nutrimenta, in medicamenta vero ſola qualitate agere poteſt. Atq. hinc alterum naſcitur diſcrimen, nam cum tota ſui ſubſtãtia mutentur nutrimenta, corpori alteranti aſſimilari, ipſumque nutrire poſſunt; at medicamenta cum ſola qualitate alterentur, neque aſſimilari poſſunt, neque corpus nutrire. Propterea merito lib. 1. de ſimp. med. fac. nutrimentum eſſe dixit quidquid corporis noſtri ſubſtantiam augere poteſt; medicamentum vero, quod alterare poteſt noſtram naturam. Quæcumque vero & ſimul alterare, & corporis noſtri ſubſtantiam augere poſſunt; & nutrimenti ſimul & medicamẽti rationem obtinẽt. Ex quibus conſtat, nutrimenta eodem prorſus modo quo medicamenta, poteſtate talia vocari. Neque enim eo tantum nomine poteſtate talia dicuntur, quod per ſe & ex ſua natura ſint talia; ſed etiam quod iuxta propriam poteſtatis notionem nondum actu talia ſint qualia dicuntur, poſſint tamen talia fieri, quia naturalem vt id fiant aptitudinem habent. Et cum duo ſint eius poteſtati modi, ſecundum ipſis quemadmodum etiam medicamentis conuenire certiſsimum eſt; cum ſint noſtri caloris materia. Dicũtur autem nutrimenta omnia poteſtate talia bifariam. Primum quidem, quia ſunt poteſtate calida ad nos, cum caloris noſtri ſubſtantiam augeant. Quo nomine à medicamentis poteſtate calidis differunt, quæ quidem caloris potius qualitatem intendunt, quam ipſius ſubſtantiam augeant. Deinde vero, quia ſunt poteſtate chylus, ſanguis, caro, ligamẽtum, os, & reliquæ omnes partes ſimilares, cum ſint vel proxima vel remota horum omniũ materia. Porro nutrimenta medicamentoſa, vt miſtam naturam, ita & miſtam poteſtatem habent, nutrimenti & medicamenti participem. Quatenus enim medicamenta ſunt, poteſtate calida, frigida, ſicca, aut humida dicuntur, quia antequam concoquantur, corpus calfaciunt, refrigerant, exſiccant, aut humectant, cum primum in actum reuocata fuerint. Quatenus vero nutrimenta, dicuntur tantum poteſtate calida, quia caloris noſtri ſubſtantiam augere poſſunt, cum primum in ſanguinem mutata partibus aſſimilãtur. Quo fit, vt & chylus, & ſanguis, & caro, & reliquæ omnes corporis partes nutriendæ, dicantur quoque eſſe poteſtate.

Cap. 1. (margin) — B — C — D

Eſt porro & horum natura duplex. Quippe vel cuiuſmodi ſunt aſſumpta, eiuſmodi etiam permanentia, vincunt, corpuſque mutant, ad eundem modum quo id cibos; atque hæc prorſus tum venenoſa, tum naturæ animalis corruptricia pharmaca ſunt.

Cum duplicem eſſe dicat medicamentorum naturã, quattuor ipſorum genera ſtatim enumerat. Quare aut pro Duplex legendum Quadruplex vel Multiplex; aut locus ſic explicandus, vt duplex in vniuerſum dicatur medicamentorum

A rum natura, quoniam aut venenata sunt, aut venenatæ qualitatis expertia. Et rursus cum vtraque in duplici sint differentia, verum quoque erit quattuor esse medicamentorum genera. Inprimis itaque venenata medicamenta in duo genera diuiduntur. Primum genus eorũ est quæ cuiusmodi sunt assumpta, eiusmodi etiam permanentia, corpus mutant ac vincunt, ad eundem modum quo corpus cibos. Sentiunt autem omnes interpretes, medicamenta huius generis ea esse quæ quarto recessu sunt frigida; qualis est cicuta, mandragora, & similia: hæc namque venenosa sunt, & naturæ animalis corruptricia, cum medicamenta sint, si non toto genere, saltem quantitate deleteria. Cui interpretationi multum quoque fauet ipsemet Galenus, qui in sequentibus docebit, medicamenta frigida ne tantillum quidem mutari à nostro calore: quod itidem videtur hoc loco affirmasse de huius primi generis medicamẽtis, quæ qualia sunt assumpta, B talia in corpore permanere scribit. Facillimum tamen est huiusmodi interpretationem ex ipsomet Galeno refellere. Quippe cum dixerit ab huiusmodi medicamentis corpus mutari ac vinci, ad eundem modum quo à corpore mutãtur cibi, cibi vero tota sui substantia à corpore mutentur; necessario concedere oportet, huius generis medicamenta tota sui substantia corpus mutare ac vincere. Quod sane de medicamentis in quarto recessu frigidis verũ non est, quæ sola frigiditate corpus immutant ac perimunt. Quæ igitur in hoc genere continentur medicamenta, toto genere deleteria esse censemus; non tamen omnia, sed ea dumtaxat quæ actu deleteria sunt; quibus id proprium est, vt qualia sunt assumpta, talia in corpore permaneant, nullo pacto à nobis mutata. Quo fit, vt perniciosissima venena iure censeantur, cuius generis creduntur esse saliua viperæ, aspidis virus, & canis rabidi spuma.

C *Vel mutationis initium ab animalis corpore consequuta, deinceps iam putrescunt ac corrumpuntur; deinde corpus quoque vna corrumpunt ac putrefaciũt. Sunt autem hæc quoque noxia venena.*

Alterum genus venenorum eorum est, quæ mutationis principium à nostro calore consequuta, putrescũt ac corrumpũtur; putrefacta vero & corrupta corpus nostrum corrumpunt ac putrefaciunt. In hoc genere certissimum est contineri ea venena, quæ putrefacientia, & erodentia medicis vocantur. Putrefacientium quidem (quæ Græcis σηπτικὰ dicuntur) talis est natura, vt mutationis initio à nobis accepto promptissime putrefiãt, (vtpote quę aut humida sint, D aut humida simul & calida, proptereaq. putredini maxime obnoxia) semel vero putrefacta, partes quibus adhærent, potissimumque sanguinem, suo contactu putrefaciant. Quod tamen de vere proprieque septicis vel putrefacientibus medicamentis intelligere oportet; hæc namque, auctore Galeno, calfaciunt simul & humectant, partesque cum fœtore (qui soboles putredinis est) omnino corrumpunt. In quo genere continetur quoddam fungorum genus, qui (vt fatetur Galenus) mixtam habent ex sua natura putredinosam qualitatẽ. Eiusdem generis est salamandra, cuius veneno diutius immorante, partes nonnullas putrescentes defluere refert Dioscorides. Cenchris præterea putrefaciẽs venenum censetur, cum ipsius morsum putridum sequatur vlcus, eodem auctore. Eandem quoque naturam ac putrefaciendi vim obtinebat haud dubie perniciosissimum illud venenum, cuius meminit Matthiolus ex Gilberto Anglico. Quendam enim, dum noctu dormiret, à serpente demorsum mortem obiisse

Lib. 5. de sim. med. fac. c. 15.

Lib. 7. de sim. med. fac.

Lib. 6. cap. 4.

Lib. 6. cap. 52.

Præfat. in lib. 6. Diosc.

narrat; quem cum mane famulus quasi altius dormientem excitaturus, paullo vehementius per brachium traxisset, vniuersam brachii carnem putredine iam confectam, eo tractionis motu concidisse, nudaque ossa remansisse, non sine magna admiratione animaduertit. Sunt tamen alia medicamenta, quæ improprie septica vel putrefacientia dicuntur, propter solam scilicet symptomatis similitudinem; id namque habent cum vere putrefacientibus commune, vt sine dolore partes corrumpant. Sunt autem proprie ex genere colliquātium, quia vim habent colliquandi exedendique carnem, ac potissimum eam quæ tenella est, dum foris imponuntur. Eadem vero intra corpus assumpta, noxia sunt venena; quæ tamen non putrefaciendo, sed erodendo potius interimunt: vnde & erodentia appellantur. Cuius generis sunt arsenicum, sandaraca, chrysocolla, pityocampe, & aconitum. Porro erodentium venenorum duplex est genus, quædam enim partem quamcumque erosione corrumpunt, vt arsenicum; alia vero hanc vel illam partem priuatim erodunt, vt lepus marinus pulmonem, cātharides vesicam. Sed de vtriusque generis venenis agendum adhuc est capite sexto. Ex iis quæ de medicamentis putrefacientibus & erodentibus hactenus diximus, recentiorum medicorum errorem facile deprehēdes, qui putrefacientia cum erodentibus perperam confundunt, neque ea ab iis quæ improprie putrefacientia dicuntur, distinguunt. A B

Est his etiam amplius tertia medicamentorum species, eorum nimirum quæ corpus recalfaciunt quidem, mali tamen nihil adferunt.

In aliis duobus generibus continentur medicamenta quæ venenatæ qualitatis expertia sunt. Est itaque tertium genus eorum quæ corpus nostrum recalfaciunt, mali tamen nihil inferunt, vt Galenus ait. In hoc autem genere non solum continentur (vt putant plerique) medicamenta in primo, secūdo, & tertio ordine potestate calida, sed etiam quæ sunt calida in quarto; quibus omnibus id commune est, vt à nostro calore calfiant, calfactaque rursus corpus nostrum calfaciant. Et quamuis id commune habeant cum medicamentis secundi generis, vt sint potestate calida; eo tamen differunt, quod hæc cum venenata nō sint, nihil mali inferant; illa vero venena sint perniciosissima. Dicuntur vero nihil mali inferre, ex sua scilicet natura; nam si immodice sumantur quæ calida sunt in quarto, immodico suo calore interficiunt, cum sint quantitate deleteria. Ad hoc genus referuntur medicamenta omnia potestate humida, sicca, aut frigida, etiamsi quantitate deleteria aliquando hæc sint. Nam quamuis calidorū exemplo Galenus vsus fuerit, eadem tamen & reliquorum omnium videtur esse ratio; cum mutationis initium à nobis accipientia, nos postea refrigerent, exsiccent, aut humectent, nullamque ex sua natura noxam inferant. C D

Est & quarta eorum species quæ & agunt & patiuntur aliquid, sed tandem vincuntur, planeque assimilantur. Accidit autem his, vt tam medicamenta sint quam nutrimenta.

Continētur hoc quarto genere nutrimenta medicamentosa quæ vocant, aut medicamenta nutrimentosa. Horum natura huiusmodi est, vt à nobis assumpta agant primum in corpus, ipsumque calfaciant, refrigerent, exsiccent, aut humectent; deinde vero ita à corpore patiantur, vt prorsus deuicta ipsi assimilentur. Atque id quidem ipsis conuenit tanquam nutrimentis; illud vero tanquam medicamen-

A dicamentis. Sed manca fortasse videri posit quadripartita hæc medicamentorum diuisio, cum alexiteria, amuleta, aut alexipharmaca appellata medicamẽta non complectatur. Scio Lopezium alexipharmaca retulisse ad tertiũ genus; at quam recte, aliorum esto iudicium. Fateor equidem aliqua alexipharmaca ad tertium genus pertinere, qualia sunt quæ manifestis qualitatibus agunt; hæc namque potestate sunt calida, frigida, sicca, aut humida. At quæ tota substantia venenum corrumpunt, quæ itidem totius substantiæ similitudine venenum attrahunt, nullo pacto possunt ad tertium genus referri. Porro quod tam variæ sint alexipharmacorum species, docuit abunde Galenus lib. 5. de simp. med. fac. vbi elegantissime etiam explicauit propriam ipsorum naturam, quam mediam esse dixit inter corpora perpetientia & medicamenta ipsa lædentia. Quæ cum ita sint, ad primum potius & secundum medicamentorũ genus alexipharmaca referrem quæ tota substantia agunt; vt scilicet venena, & quæ venenis B medentur pharmaca, ad idem medicamentorum genus pertineant. Huc accedit, quod largius sumpta alexipharmaca insigniter lędant, interdumque hominem perimant. Perimunt autẽ, non qualitate manifesta, sed tota sui substantia; quo fit vt toto genere interficiant, non sint tamen toto genere deleteria, sed tantum quantitate. Cap. 18.

CAP. IIII.

NIHIL autem miri est, si exiguum consequuta momentum aliqua, maximam a priore natura mutationem habent; cernuntur enim eiusmodi multa in iis quæ extra nos sunt. Siquidem in ea Mysia C *quæ est Asiæ pars, domus hac aliquãdo ratione conflagrauit. Erat proiectum columbinum stercus, cui iam putri, ac excalfacto, & vaporem edenti, & tangentibus admodum calido, in propinquo fenestra fuerat, ita vt contingeret eius ligna, quæ large nuper illita resina fuerant. Media igitur æstate cum sol plurimus incidisset, accendit tum resinam, tum ligna; hinc autem & fores quædam aliæ quæ prope fuerant, & fenestræ nuper etiam resina illitæ facile ignem conceperant, atque ad tectum vsque submiserant. Vbi autem excepta semel a tecto est flamma, celeriter in totam domum est grassata. Hoc arbitror modo aiunt & Archimedem hostium triremes vrentibus speculis incẽdisse. Porro succendi-* D *tur his prompte lana, stupa, elychnium, ferula, quidquid denique similiter his siccum rarumque est. Flammam edunt & lapides attriti, atque hoc magis, si quis sulphure illos illeuerit. Eiusmodi erat medicamentum Medeæ, quippe quod quibus est illitum, omnia (vbi in id incidit calor) accendit: cõstat id ex sulphure & humido bitumine. Iam illud ceu rem mirandam quidam ostentauit, extinxit lucernam, ac rursus muro admouens accendit; alter lapidi eam admouit; fuerant autem tum murus tum lapis sulphure contacti; quod vbi deprehensum est, desiit mirum videri quod ostentabatur. Ergo omnia id genus medicamina perfecte calida adhuc non sunt, aptissima tamen vt calida fiant, atq. idcirco potestate calida dicuntur.*

Dissoluit hoc capite quattuor problemata, ad nutrimētorum & medicamentorum vires intelligendas necessaria. Primum id est, cur medicamenta potestate calida exiguum cōsequuta momentum, maximam à priore natura mutationem habeant; id est, cur minimo mutationis initio à nobis accepto non solum actu calida fiant, verum etiam nobis multo calidiora euadant. Respondet autem eiusmodi medicamentis idem euenire, quod iis quæ ad ignem sunt potestate calida accidere experimur. Experimur vero frequentissime, leui alterationis accepto initio calorem hæc maiorem aliquando concipere, quam ille sit à quo primum mutata fuerant. Id confirmat quinque exemplis ad rem propositam accomodatissimis, quidquid garriat Hieremias. Primum est cuiusdam domus, quæ occasione columbini stercoris iuxta ipsam proiecti conflagrauit in ea Mysia quæ est Asiæ pars. Atqui id vltimum adiecit, vt hanc Mysiam ab altera distingueret quæ est in Europa; est enim in Asia ad Troadem Mysia maior & minor; in Europa ad Thraciam Mysia superior & inferior. Alterum exemplum est admirabilis eius incendii, cuius Archimedes, summus philosophus, geometraque insignis, auctor exstitit. Is namque, cum Syracusæ ipsius patria à Marcello Romani exercitus imperatore obsiderentur, vrentibus speculis hostium triremes incendit. Obseruat Fuchsius male hunc locum fuisse à Linacro translatum, qui τῶν πυρίων vertit vrentibus speculis, cum tamen πύριον significet potius igniarium, id est id ex quo ignis elicitur. Propterea que probabilius esse iudicat, Archimedem igniario quopiam (qualecumque hoc fuerit) potius quam vrentibus speculis hostium triremes incendisse. Ceterum quod Archimedes vrentibus speculis triremes incenderit, Geometris omnibus compertum esse video; qui sane Perspectiuæ artis ope caua specula fieri posse testantur, è quibus soli ex aduerso oppositis resilientes atque in vnum coëuntes radii, quæ longius etiam distant accendere possint; dummodo illa vt accēdantur sint idonea, qualis profecto erat pix, qua illitæ fuerant triremes. Neque vero id Archimedis factum tamquam incredibile neget quispiam, cum & alia multo maiora testentur historiæ. Quippe cum Hieron Syracusarum rex, nauē quam Ptolemæo Aegyptiorum regi mittere statuerat, tātæ molis esset fabricatus, vt eam Syracusii à loco dimouere minime valerent; Archimedes vnius Geometriæ viribus fretus, se effecturum promisit, vt ipsam solus rex absque vllo labore subduceret: quod sane præstitit in omnium conspectu. Idem quoque in corona ex auro argentoque confecta, quam rex summo studio fabricari iusserat, (non dissoluta quidem, sed integra) singula auri & argenti pondera, quæ inter se aurificis fraude ac dolo commista erant, subtilissime offendit. Qui igitur insignia hęc & fere incredibilia facta expenderit, is non amplius dubitabit, Archimedis industria hostium triremes vrentibus speculis accendi potuisse. Tertium exemplum est lapidum, ex quibus inter se attritis elicitur ignis. Neque enim credendum est elici ignem, quod is antea in lapidibus delitesceret; cū demonstratum alibi sit, elementa potestate tantum manere in mixtis. Sed cum Alexandro potius sentiendum, aërem qui inter attritos lapides medius continetur, violento eo attritionis motu calfieri, & attenuari, atque in ignem tandem conuerti. Hinc namque fit, vt solidissimi & pluribus partibus inæquales exasperatique lapides ad ignem accendendum sint maxime idonei; rari vero aut læues ineptissimi: hi quidem, quia attenuare aërem nequeunt; illi vero, quoniam percussus agitatusque aër vacuos meatus facile ingreditur. Quamuis præter substantiæ soliditatem id quoque videatur in lapidibus necessarium, vt potestate sint ignis;

Marginalia: A; B; C; D; Lib. de nat. hom. com. 14. Prob. 59. sect. 1

A ignis;alioqui ex adamante facilius quam ex silice igniseliceretur. Quippe qui ex lapidum attritione attenuatus rarefactusque aër in flammam conuertitur, attriti lapidis portiunculam prompte accendit, quæ deorsum plerumque violenter ferri conspicitur. Quartum exemplum est eius medicamenti, quod ex sulphure & humido bitumine construxit Medea, quo pellicē Creüsam, Creontis Corinthiorum regis filiam, & totam ipsius regiam cremauit, vt refert Diodorus. Lib.5 Postremum exemplum militis cuiusdam est, qui vt astantes in admirationem raperet, extinctam lucernam muro aut lapidi subito admouens rursus accendebat: quod tamen mirum esse desiit, cum primum lapidem & murum sulphure prius illita fuisse deprehensum est. Hæc omnia exempla (quorum fides ex sensibus petita est) apertissime declarāt, quæ sunt potestate calida ad ignem, minimo interdum vel à sole, vel motu, vel ignis scintilla, accepto mutationis initio, non solum actu ignem fieri, verum etiam iis à quibus primum mutata B fuerant calidiora potentioraq. euadere. Quid igitur miri, si medicamenta potestate calida cum primum mutationis initium à nostro calore acceperint, non solum actu calida euadant, sed etiam nobis multo calidiora fiant, possintque interdum nos prorsus adurere? Hinc facile deprehenditur eorum medicorum error, qui potestate calida medicamenta à nostro calore mutari propterea negant, quod numquam possent nobis calidiora euadere. Et rursus error aliorum, qui eiusmodi medicamenta calorem à nobis accipere affirmant, quo nos postea recalfaciant. Atqui non calorem, sed calfaciendi initium dicere debuissent; id namque à nobis dumtaxat accipiunt; illum vero à nobis semel mutata ex sua natura adquirūt; nostro quidem semper maiorem, sed qui satis amplam habeat latitudinem. Ex qua quidem quattuor merito cō- C stituti sunt medicamentorum potestate calidorum ordines.

Ac de his quidem nulla est dubitatio. Sed nec cur vinum bibitum quidem valenter corpus calfaciat, cuti autem impositum non calfaciat. Monstratum enim supra paullo est, id non simpliciter vt calidum medicamentum, immò vt conueniens nutrimentum calfacere animal. Tamquam enim ignis idoneum alimentum ignem ipsum auget; ita quidquid corporum natura calidorū proprium & naturale est nutrimentum, id ea semper non solum roborabit, sed etiam insitum eorum calorem augebit. Atque id quidem omnis nutrimenti communis effectus est, vino autem præter cetera proprium ac suum est mutationis celeritas,* *ἐξαίρετον. D *ita vtique vt tedæ, elychnio, stupæ, pici. Iam vero ab ignis exemplo non digressi, admoneamus rursum de lignis humidis, quæ ipsa quoq. ignis nutrimentum sunt, ceterum non statim aut continuo; eoque sæpenumero igni iniecta non solū flammam quasi sopiunt, sed etiam si imbecilla est & parua, corrumpendæ quoq. eius periculum adferunt. Sic profecto & in animalibus cibi qui vti prorsus assimilentur & corpus nutriant spatio egent, hi frigus vniuersi potius quam calorem adferre in præsenti videntur. Ceterum calfaciunt hi quoque tandem non secus ac reliqui cibi, si semel* vt corpus nutriant sint consequuti: omne enim nutri-* *μόνον. *mentum quatenus nutrimentum est, animalis calorem auget. At si deuoretur quidem vt nutrimentum, nec tamen superetur; id erit quod Hippocrates dixit*

nomine

nomine quidem nutrimentum, re autem minime. Quippe cum trifariam nutrimentum dicatur (sicut ipse docuit his verbis, Nutrimentum est & quod nutrit, & quod veluti nutrimentum est, & quod futurum nutrimentum est) quod vtique iam nutrit, & corpori adiungitur, nec amplius futurum est, id proprie nutrimentum nominatur. Idem vero & corpus quod nutrit excalfacit, quod reliquorum neutrum facit, quod scilicet proprie nutrimenta non sint, sed alterum eorum veluti nutrimentum, alterum tale futurum. Proinde nec vinum ipsum semper animal calfacit, æque vt nec oleum flammam accendit, tametsi aptißimum est ignis nutrimentum. Immo si imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, suffocabis eam, prorsusque extingues, potiusquam augebis. Sic igitur & vinum vbi plus bibitur quam vt vinci possit, tantum abest vt animal calfaciat, vt etiam frigidiora vicia gignat. Quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & quæ Græce caros, & comata vocamus, & neruorum resolutio, & comitiales morbi, & conuulsiones, & tetani, immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum est vicium. Generatim enim quæcumque assumpta in corpus vt nutrimentum calfaciunt, hæc interim frigefacere deprehendas; æque scilicet vt flammam ab eadem materia non augeri modo, verum etiam aliquando extingui. Atque hæc quidem omnia tum iis quæ de elementis, tum iis quæ de temperamentis sunt prodita, consentiunt. A B C

Alterum problema est, cur vinum intra corpus assumptum nos valenter calfaciat, cuti vero impositum non calfaciat. Respondet id fieri, quoniam vinum calfacit vt nutrimentum, non autem vt medicamentum. Atqui vtrumque videtur falsum, nam & cuti impositum vinum calfacit, & intra corpus assumptum, nõ solum vt nutrimentum, sed etiam vt medicamentum potest calfacere. Quod cuti impositum calfaciat, ipsius facultas aperte ostendit; docuit namque ipsemet Galenus, vinum esse ex secundo calfaciẽtium ordine; & quod admodum vetus est, ex tertio; sicut mustum quod vocant, ex primo. Quod autem epotũ vinum possit etiam vt medicamentum calfacere, ex antiquo generosoque vino intelligitur; id namque non tantum vehementis caliditatis sensum, verum etiam vigilias & febres inferre solet. Atque id quidem puer ille summo cum suo malo Pergami expertus est, qui cum vehementi siti cruciaretur, nec esset ipsi aquæ copia, vinum vetus liberaliter potans, vigil omnino permansit, febrique postea correptus, vna cum vigiliis oborto delirio periit. Quæ cũ ita sint, quod dictum hîc est à Galeno ita interpretari oportet, vt vinum cuti impositum animal non calfaciat, quia cum nutrire non possit, caloris substantiam nequaquam auget. Non igitur calfacit vt nutrimentum, quamuis vt medicamentum calfaciat; est enim exterius admodum potestate calidum medicamentum. Diuersa ratio est vini intra corpus assumpti, id namque cum nutriat, calorisque substantiam augeat, calfacit vt nutrimentũ: vt medicamentum tamen non calfacit, nisi forte antiquum fuerit; tale enim nutrimentum est potestate calidũ. Quo fit, vt priusquam concoquatur, vt medicamentum calfaciat; concoctũ vero & assimilatum calfaciat vt nutrimentum. Is namque communis omnium nutrimentorum effectus est vt corpus nostrum calfaciant, quia caloris innati substantiam augent, D

Lib. 8. de simp. med. fac.

Lib. 2. de loc. affect. cap. vlt.

neque

A neque ipsius qualitatem intendunt; in vino tamen præ ceteris elucescit, quoniam (vt dictum est) & concoquitur, & digeritur, & assimilatur celerrime. Sed posset quispiam obiicere, neque vinum, neque reliqua nutrimenta nos semper calfacere, sed interdum quoque refrigerare; cum cibos quamplurimos, eosque potissimum qui & crassi sunt, & cõcoctu difficiles, frigus potius quam calorem inducere experiamur; & vinum si immodice bibatur, frigidos affectus parere, vt epilepsiam, apoplexiam, paralysim, tremorem, & conuulsionem: quibus malis obnoxii esse solent, qui vino plus iusto sunt dediti. Porro vt hanc obiectionem dissoluat, docet ex Hippocrate nutrimentum triplex esse, nutrimentum scilicet quod nutrit, veluti nutrimentum, & futurum nutrimentum. Lib. de alim. Proprie ac simpliciter dictum nutrimentum (vt alibi interpretatur) illud est quod actu iam nutrit; nutrit vero, quando assimilatur; veluti nutrimentum autem dicitur quod agglutinatur, aut apponitur; futurum vero nutrimē- Lib. 1. de fac. nat. cap. 11.
B tum, quod in venis continetur, aut in ventriculo. Ad quem etiam modum externa edulia nutrimenta vocari solent, quod scilicet si concoquantur & assimilentur, sint haud dubie nutritura. Quæ igitur proprie sunt nutrimenta, ea corpus reuera calfaciunt, vtpote quæ innati caloris substantiam instaurant, & augent; reliqua duo genera nequaquam. Quare licet sanguis tepido suo calore natiuam partium temperiem custodiat, eo vero quem à corde accipit, vniuersum corpus calfaciat; reuera tamen non calfacit vt nutrimentum, quia futurum dumtaxat nutrimentum est. Ex his facile dissoluit propositã obiectionem, quippe crassi concoctuque difficiles cibi, quo tempore victi à natura & concocti partibus assimilantur, corpus reuera calfaciunt, cum vere nutrimenta iam sint; antequam vero assimilentur, non calfaciunt, quia veluti nutrimenta
C ta tantum sunt, aut futura nutrimenta. Immo dum in ventriculo incocti permanent, frigus potius quam calorem inducunt, potissimumque si imbecillus vẽtriculi calor veluti obrutus quodammodo extinguatur, non secus ac à viridibus crassisque lignis exigua flamma. Vnde intelligitur vulgaris multorum error, qui nos interdum à cibo frigere arbitrantur, quod partiũ extremarum calor iuuandæ concoctionis gratia ad ventriculum reuocetur; quasi partium calor gubernetur ratione. Non ergo ob id frigemus à pastu, sed quia (vt hîc ait Galenus) ventriculi calor ab incoctis cibis grauatus obruitur. At grauato ventriculo partes extremæ frigent, vel quod læsionis vẽtriculi sensu calor ad interna colligitur, rigoris veluti initium quoddã perpessus, vt inquit Vallesius; vel (vt sentit Ioubertus) quod sola frigiditas, aut frigidi potius vapores ex cibis incoctis exhalantes, ad extremas partes transmittuntur. Id quod experientia ipsa satis Parad. 3. de cad. 1.
D confirmat; neque enim omnes à cibo frigere solent, sed (vt vulgo dici consueuit) homines tantum miseri, qui scilicet ventriculi imbecillitate laborant; aut saltem qui crassis, frigidis, vel multis cibis vtuntur. Vnde perspicuum est, eam partium perfrigerationem quæ à cibo contingit, non esse (vt vulgus opinatur) robusti caloris indicium, sed aut caloris imbecillitatem, aut deprauatam victus rationem ostendere. Atque hæc quidem de cibis; de vino autem idem ferme sentire oportet, nisi quod cum modice calidum sit, & tenuis substantiæ, & nobis maxime familiare; sola copia frigiditatis sensum inducat, frigidaque vicia gignat. Siquidem immodice bibitum & cruda excremẽta gignit, & humidos vapores emittit quamplurimos, qui in cerebro concrescentes, in excrementitiam humiditatem degenerant, à qua nerui vna cũ suo principio insigniter lædũtur. Gignit itaque vinum frigidos affectus, non quod natura sit frigidum, sed quod multitu-

multitudine ac copia calorem imbecillum obruat, non secus ac multum oleum A
exiguæ flammæ confertim iniectum; quod quamuis conueniens sit flammæ nutrimentum, tãtum tamen abest vt ipsam augeat, quin potius eandem multitudine extinguat. Non igitur tanti momẽti erat hæc ratio ex frigidis affectibus petita, vt cogeret quemquam vinum frigidum statuere: in quo errore versatur inter alios Macrobius, qui ea ratione aliisque similibus persuasus, à vera Medicorum sententia perperam recessit.

Lib. 7. Satur. cap. 6.

Illud fortasse dissonare videbitur, quod ex iis quæ vt nutrimentum comeduntur, aliqua cuti imposita hanc erodunt atque exulcerant; sicut sinapi, muria, * *allia, cepæ. Verum hoc quoq. cum positis a principio hypothesibus concordat. Etenim propterea quod tum in ventre concocta, tum in venis in sanguinem versa mutantur, alteranturque; præterea quod vno loco non permanent, sed in* B
multas partes diuisa quoquoversus feruntur; adde & quod non solũ multis succis miscentur, sed etiam cibis cum quibus sumuntur; adhæc quod celeriter eorum & concoctio & partium separatio perficitur, ita vt quod conueniens in eis est assimiletur, quod superuacaneum & acre, per aluum, vrinas, & sudorem excernatur; propter hæc inquam omnia quod foris impositum exulcerat, id comestum non exulcerat. Et si vel vnum quodlibet prædictorum his accederet, satis esset ad ea quæ foris * *sunt integra seruanda, verbi gratia mutatio ipsa prima. Si namque non maneat sinapi quale extrinsecus fuit cum est assumptum, manifestum est, nec vim eius manere censendum. Quod si tum dirimuntur eius partes,* C
tum purgantur; multo vtique magis sic censendum. Iam satis erat, quod nec eodem loco manet, cum nec circa cutem aliquid efficere posse videatur, nisi diutius immoretur. Sed nec mistio ipsa cum multis cibis parum momenti habet, si enim id citra alium cibum solum assumas, facile intelliges quantum molestiæ & rosionis ventriculo sit adlaturum: quinetiam si plurimo dulci admistum succo cuti id imponas, quam nihil adferat incõmodi. Cum igitur prædictorum vnum quodlibet per se satis prohibere posit, quominus sinapi quod foris * *facit idem facere intus posit; multo arbitror magis, vbi omnia simul coierint. Nam & coquendo alteratur, & secernitur, & expurgatur, & cum multis aliis miscetur, et varie distribuitur, et in omnem partem fertur, nec in vlla moratur. Quod autem* D
si acrimoniam suam seruaret, interna quoque omnino exulceraret, ex iis quæ sponte accidunt vlceribus intelligas. Gignitur enim non raro aliis ex vicioso cibo, aliis ex quapiam in ipso corpore corruptela et putredine viciosus succus, quã cacochymiam vocant. His aliquando interiorum quoque aliquid exulceratur, magna tamen ex parte cutis (quoniam in hanc excrementa quæ in habitu corporis colliguntur, natura expellit) multis et assiduis vlceribus afficitur. Quippe cancri, phagedænæ, herpetes erodentes, carbunculi, et quæ chironia, et telephia vocantur, milleque aliæ vlcerũ generationes ab eiusmodi cacochymia nascũtur.

* τάριχος.

* ἐκτὸς legitur Græce id est foris, legendum tamen potius ἐντὸς, id est intus.

Græce additur περὶ τὸ δέρμα, id est, circa cutem.

Quærit

A Quærit tertio, cur aliqua ex iis quę vt nutrimēta comedūtur, extrinsecus admota cutē erodant atq. exulcerent; intra corpus vero assumpta nihil mali inferant. Huius generis sunt allia, cæpæ, sinapi, & muria, vel (vt vertit Fuchsius) salsamentū: quæ sane licet simpliciter nutrimenta non sint, sunt tamen nutrimenta medicamētosa. Dubitandi ratio ex eo pendet, quod partes internæ potiusquam externæ, videantur erosioni obnoxiæ, cū & delicatiores sint, & calorē habeant robustiorē, qui nutrimenta eiusmodi potestate calida in actū facilius reuocet. Tota vero huius problematis explicatio huic soli rationi innititur, quod eiusmodi nutrimenta intra corpus ingesta, natiuā acrimoniam deponāt, extrinsecus autē admota eandem retineant. Deponūt autem acrimoniā ob quattuor caussas. Primum quidē, quia in ventriculo iecoreque concocta, in chylumq. & sanguinem mutata, natiuas vires magna ex parte amittunt. Deinde quia non semper eidem parti adhærent, sed per venas delata in vniuersum corpus distribuūtur: quo sane motu erodendi vis maxime frangitur, quæ quo diutius eidem parti infixa permanserit, eo vehementius agit. Adhæc acria nutrimenta comesta sinceras vires non retinent, sed aliorum permistione castigatas; in ore namque & ventriculo permiscentur cibis, quibuscum plerumq. assumuntur; in vasis autem sanguini aliisque succis. Neque id mirū videri debet in cibis, cū & eorum quæ erosione interimunt medicamentorum qualitas, hac potissimum ratione retundi soleat: non enim cantharidibus, quādo ipsarum vsus vrget, solis vtimur, sed benigno cuipiam liquori permistis. Postremo acres eorum nutrimentorum partes in singulis concoctionibus separantur, per aluumque, vrinas, & sudorem excernuntur. Harum certę caussarum vnaquæq. efficere potest, ne ab acribus nutrimentis partes internæ erodantur, nedum omnes simul iunctę. A caussis cōtrariis fit, vt exterius admota innatam seruent acrimoniam, cutemque propterea exulcerent. Neque enim concoquuntur in cute, neque mouentur, neque permiscentur succis, neque acres ipsorum partes ab vtilibus secernuntur; sed tota seruata integra eidem parti diutissime adhærent. Quod si intra corpus aliquando ingesta non omnino deposuerint acrimoniam, (siue id ex frequenti ipsorum vsu, aut copia immodica, siue quod sola assumantur, acciderit) partes etiam internas ab ipsis erodi necesse est; vt indicant manifeste quæ sponte proueniunt vlcera, quæ sane ab acribus excremētis in corpore genitis necessario ortum habent. Gignuntur autem vel ex prauis viciosisque cibis, vel ex humorum putredine aut adustione. Sic namq. à flaua, vel atra bile intestina erodi solent, & à pituita salsa frequentissime vesica. Frequentius tamen multo ab iisdē eroditur exulceraturq. cutis, quæ cū extimū sit totius corporis tegumētum, noxiorum excremētorum fluxiones à partibus internis transmissas facile suscipit; eiusque rei occasione vlceribus frequentissime infestatur, aut solis, aut tumori præter naturā coniunctis. Cum tumore quidē, veluti in cancro, phagedæna, herpete, & carbūculo; sine tumore autem, veluti in chironiis, & telephiis. Ac in cancro quidē non semper reperitur vlcus, phagedæna vero cōposita semper affectio est ex tumore pręter naturā & depascente vlcere, vt auctor est Gal. Lib. de tumor. præt. nat. c. 13. At herpes qui per excellentiā erodens aut exedēs appellatur, sine vlcere cōsistere nequit; reliquæ vero duę species, miliaris scilicet, & simpliciter dictus herpes, & sine vlcere, & cū vlcere possunt consistere. Porro id propriū carbunculo est, vt crustosum vlcus habeat adiunctū. Iam vero chironia & telephia nullum habent adiunctum tumorem, suntq. malignorum vlcerū differentiæ quædam, vel potius appellationes; chironia namque à Chirone qui primus ipsa sanauit;

Lib. 2. metho. med. cap. 2.

telephia vero à Telepho qui iisdem infestatus est, nomina obtinuere. Sed de his alibi; nunc vero id tantum obseruemus, quod ex hoc Galeni loco recte colligitur, quodque ad instituendam in morbis victus rationem non parũ vtilitatis adferre potest. Quippe cum medicamentosa nutrimenta postquã in ventriculo concocta sunt, & multo adhuc magis postquam in hepate sunt in sanguinẽ conuersa, natiuas suas vires amittãt; fieri profecto potest, vt habita ratione partis affectę, nutrimenta aliqua concedi debeant, quæ tamen ratione affectus noxia iudicantur. Veluti in iecoris inflammatione si affectum consideres, ea nutrimẽta vtilia cẽsentur quæ citra morsum detergent, vt ptisana; ea vero noxia sunt quæ adstringunt, meatusque occludunt. At si in iecoris gibba inflãmatio constiterit, quoniam concocta, in sanguinẽq. mutata, & succis iam permista eo nutrimenta perueniunt; concedi ægro possunt pyra, mala, & alia id genus; quoniã aut nulla, aut certe minima in ipsis remanet adstringẽdi vis. Si vero ventriculũ, aut iecoris simam inflãmatio occupauerit, ab adstringentibus nutrimentis abstinere omnino oportebit, quæ liberam eorum quę à parte inflammata resudãt, excrementorum expurgationem impediunt. Hæc attente considerent austeri quidam medici, qui plura interdum nutrimenta miseris ægrotantibus denegãt, quæ præterquã quod nullam noxam inferre, prostratam fortasse appetentiam (quod sint palato iucundiora) excitare possent. Ceterũ qui adeo seuere ægrotantes tractant, in memoriam reuocent aphorismum illum Hippocratis, Paulo deterior, sed suauior cibus ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus.

Lib. 13. metho. med. cap. 14.

Aphor. 38. lib. 2

A B

Neq. igitur taliũ quidquam est dubitandũ, sed nec cur medicamentorũ nonnulla cum nihil nos extrinsecus offendunt, intro assumpta magnũ adferant malũ: aliqua rursus intro assumpta nonnumquã lædant, nonnumquã conferant: aliqua non solũ intro assumpta, sed etiã extrinsecus applicata offendant. Quippe vt semel dicã, nihil foris intusq. parem agendi facultatẽ habet. Neq. enim aut viperæ venenũ, aut rabidi canis spuma, aut aspidis virus (quæ tamen si extrinsecus corpori occurrant, offendere creduntur) parem vim habent, vel soli cuti applicata, vel intro assumpta. Sed nec illud est mirandũ, si certorum medicamentorũ vis ad profundum non peruenit; neq. enim necesse est vt omnia parem habeant vim. Quod si ex iis quæ intro sumuntur, non pauca certo tempore, & certa quãtitate, & in mistura cum ceteris accepta conferunt, intempestiue autem, & largius, nec cum aliis admista lædunt; ne id quidem dubitationem vllam disputationi pariat. Siquidẽ id tum cibis, tum igni, tum vero omnibus (vt sic dicam) quæ corpori* occurrunt, accidere solet. Nam & mediocri nobis flamma nonnũquam opus est, eaq. vsi, plurimum ea iuuamur; cum tamẽ immodica flãma nos vrat. Ad eundẽ vero modũ & frigidæ potio quæ mediocris est, cõfert; quæ immodica certe est, maximã adfert læsionẽ. Quid igitur miri est, esse medicamentũ aliquod adeo calidũ potestate, vt si multũ eius sumatur, ac in vacuum corpus inferatur, erodat prorsus vratq. sin vero exiguum sit, et cũ iis quæ vehementiã eius remittant coniunctum, non modo nihil incommodi adferat, verum etiam calfaciendo iuuet? Lacrymam* enim vel Cirenaicam, vel Medicam, vel Parthicam, ipsam quidem*

Græce additur χωρὶς ἕλκους, id citra exulcerationem.

C D

Græce additur ὡσαύτως, id est similiter.

* ὀπὸς, succum.

per se

A *per se citra incommodũ sumere non est; at si omnino exigua, vel cum aliis in tẽpore congruente sit sumpta, magnopere conducit. Atq. adhunc quidẽ modum quæcumq. corpus excalfaciũt, vbi mutationis principiũ in ipso (sicut dictũ est prius) accepêre, recalfacere illud sunt apta. Quæ vero refrigerant, veluti papaueris liquor, hæc a nostro corpore nec vel paullum quidem demutãtur, sed ipsum statim vicunt ac mutant, etiãsi calfacta prius dederis: est enim natura eorum frigida quemadmodũ aqua. Quare illud recte Aristoteli (sicut alia multa) dictũ est, calidorum, frigidorum, siccorũ, & humidorũ corporum, quædam esse talia per se, quædam ex accidenti. Sicut aqua per se quidem frigida est, ex accidenti vero aliquando calida; verum adquisititius eius calor breui perit, naturalis frigiditas*
B *manet. Tãquam igitur calida aqua flammæ iniecta eã extinguit; sic meconium si id quantumuis calfactum dederis, & calorẽ animalis perfrigerabis, & necis periculum adferes. Omnia igitur id genus medicamenta si exigue sint data, & vna cum iis quæ vehementiam frigoris eorũ castigare valeant, nonnunquã vsum aliquẽ corporibus nostris præstant, quẽadmodũ in opere de medicamẽtis dicetur. Siquidẽ medicamen id quod cãtharidas recipit, hydericis prodest, tametsi cãtharis ipsa vesicam omnino exulcerat. Verũ vbi per quæ admiscentur castigata est, ac corpori quod plurimo humore grauatur, tũ offertur; illũ per vrinas expellit.*

Quartum problema ad sola medicamenta pertinet, & facilem admittit explicationem. Diuiditur autem in tres partes, nam primũ quærit, cur quædã medicamenta extrinsecus admota nihil offendãt, eadẽ vero intra corpus assumpta
C maximũ malum inferant: deinde cur aliqua medicamenta intra corpus assumpta nonnũquam conferant, nonnũquam lædant: postremo cur aliqua non solum intra corpus assumpta noceant, sed etiam extrinsecus applicata. Quod ad primum attinet, certissimum est multa esse medicamẽta eius generis, vt cerussam, sanguinem taurinũ, & potissimum quæ sunt genere deleteria; quæ quidẽ exterius admota plerumq. non nocent, intro autẽ assumpta insigniter lædunt, & sæpe interficiunt. Huius itaq. euentus duplicẽ caussam assignat, prior quidem est, quia in vniuersum nullum medicamentũ parem habet foris intusque agendi facultatem. Intus enim plerumq. vehemẽtius agit, quia in actũ facilius reuocatur, distribuiturq. celerius ad cor. Exemplo sunt ea venena, quæ & toto genere & actu credũtur esse deleteria; qualia sunt, saliua viperæ, canis rabidi spuma, & as-
D pidis virus. Hæc namq. etiamsi perniciosissima sint venena, & (vt Galenus ait) extrinsecus corpori occurrentia offendere credantur; foris tamẽ applicita noxam inferunt multo minorẽ, bibita vero enecant. Quamuis non immerito dubitatum sit à quibusdam, possint ne huiusmodi venena exterius tantum admota interficere. Quam sane dubitationẽ attingit quidẽ hoc loco Galenus, inexplicatam tamen relinquit; tantũ enim scribit, ab eiusmodi venenis corpori occurrentibus noxam prouenire creditum esse. Nos tamen rem sic distinguimus. Si cutis (vt in venenatorum animalium morsibus fieri solet) vlceretur; non solum lædere, sed & interficere posse eiusmodi venena certum est, quoniam sanguis à veneno facile inficitur. Si vero permanserit integra, res est difficilior, quamuis probabilius iudicem posse quoque interficere. Quid enim obstat, quominus quæ ad cutem finiuntur arteriæ, inter dilatandum venenum attrahant, eoq. attracto inficiatur sanguis? Quamuis enim hæ dilatatæ facilius aëre reple-

antur, possunt tamen & venenatæ substantiæ aliquid vna cum aëre attrahere. A
Atq. id quidẽ veteres sensisse indicat hoc loco Galenus, cum ait, Neque enim „
aut viperæ venenũ, aut rabidi canis spuma, aut aspidis virus, quæ tamen si ex- „
trinsecus corpori sine vlcere occurrant, offendere creduntur, &c. Græce enim „
legitur χωρὶς ἕλκους id est sine vlcere; quod tamen nescio cur prætermiserit Linacer. Non tamen proinde fidem adhibendam iis esse cẽseo, qui vulgi opinionem sequuti, rabidi canis spumam, vel si pallio inhæserit, rabiẽ homini inferre posse pueriliter affirmãt. Licet minime negarim aliqua esse venena, quæ nobis per medium aërem communicata, infectis corruptisque spiritibus nonnumquam interimant: tale enim est mortiferum basilisci virus, qui solo aspectu necare creditur. Sed ad rem redeamus. Altera caussa cur aliqua medicamẽta exterius admota non lædãt, assumpta vero & lædere possint & interficere, est imbecilla ipsorum vis, quæ plane ad interna non permeat, si medicamentum cuti B
applicetur; si vero intro assumptum fuerit, internis visceribus communicatur. Secunda dubitatio erat, quî fiat, vt aliqua medicamẽta intro assumpta aliquãdo prosint, aliquando noceant. Respondet vero, assumpta medicamẽta iuuare, quando tẽpestiue, & quantitate mediocri, & aliis quæ ipsorũ vim frangant cõmista exhibentur; nocere autem, si intempestiue, aut quantitate immodica, aut impermista assumantur. Nec id sane mirum, cum salubres etiã caussas vel immodico, vel intempestiuo vsu, insalubres quotidie fieri experiamur; vt flammæ & frigidæ potionis exemplo recte nunc confirmat. Id tamen in iis medicamentis priuatim explicat, quæ quãtitate deleteria vocantur; siue calida hæc sint, siue frigida. Lacryma, inquit, vel (vt Græce legitur) ὀπὸς, id est succus, Cyrenaicus, aut Medicus, aut Parthicus (qui est potestate calidissimus) si vel solus, vel paulo copiosior sumatur, haud dubie nocebit, & fortasse hominẽ perimet; quia vehementi suo calore internas partes erodet, aduretque. Idẽ vero si tempestiue, C
aut modice, aut frigido quopiam temperatus sumatur, magnopere conducet. Potum enim aduersus venena telorũ, & animalia omnia quæ virus eiaculantur, plurimum valere testis est Dioscorides. Et Galenus in curandis quartanis medicamentum illud tamquam prestantissimum & sibi maxime familiare plurimũ cõmendat, quod Cyrenaicum succũ recipit & castorium. Dicitur is succus Laser, colliturq. ex Laserpitio, quod Græcis σίλφιον appellatur. An vero succus Cyrenaicus idem sit cũ vulgari Beniuhino, succus autẽ Medicus & Parthicus idem sit cum Assa fœtida vocata; ac rursus an eadem sit planta quæ in diuersis D
regionibus hos succos producat, non est huius loci explicare. Illud tamen silẽtio prætereũdum non est, quod succum Cyrenaicum quantitate deleteriũ hîc statuerit, qui potestate calidissimus est: vt hinc intelligas, nõ omnia medicamenta quantitate deleteria esse (vt quidam opinantur) necessario frigida. Quãuis negari non possit, quin eorũ pleraq. frigida sint; quæ quidẽ non secus ac calida, si modice & tempestiue sumantur, iuuãt; sin minus, necant vehemẽti sua frigiditate. Quod vt facilius explicet, docet discrimen inter medicamenta potestate calida & frigida. Hæc vero eo nomine distinguit, quod calida vbi mutationis initiũ à nobis acceperint, nos recalfaciant; frigida vero ne paullum quidẽ à nostro corpore demutẽtur, sed ipsum statim mutẽt, ac vincant. Neq. vero his verbis (vt falso putat Hieremias) frigida medicamenta in actũ reuocari negat Galenus; cũ demõstratũ ante sit, medicamẽta potestate frigida vt nos actu refrigerẽt, nõ minus indigere nostri caloris ope, quã potestate calida vt nos actu calfaciãt. Fatemur tamen nõ eundem prorsus esse in vtrisq. reuocationis modum. Siquidem potestate calida à nobis quidem primum calfiunt & accenduntur, semel

Lib. 3. cap. 78.

Lib. 1. de art. curat. cap. 11. & lib. de tremore, rigo. cap. 7

vero

A vero calfacta nos deinde recalfaciunt; at potestate frigida à nostro calore nequaquam refrigerantur, sed cõminuta dumtaxat & distributa, nos actu refrigerant. Quare quod hoc loco dictum est à Galeno, sic interpretari oportet cum Lopezio, vt frigida medicamenta ne paulum quidem demutentur à nostro calore, in ea scilicet qualitate, qua agunt ipsa in corpus; cum tamen potestate calida eadem qualitate qua ipsa nos postea mutant, à nobis primum mutentur. Neque enim placet explicatio Vallesii, qui medicamenta frigida propterea nos refrigerare affirmat ex sententia Galeni, quia à nostro calore minime deuicta, neque calfacta, frigida permanent. Vnde colligit, medicamenta frigida improprie & abusiue potestate frigida appellari, cum reuera actu sint frigida, & negatiue dumtaxat potestate frigida dicãtur, quod scilicet à nostro calore nequaquam calfiant. Ceterum licet potestate calida medicamenta verius multo
B dicantur nostri caloris materia quam potestate frigida; hæc tamen non minus proprie dicuntur potestate talia, cum indigeant vtraque nostri caloris ope, vt nos actu calfacere, aut refrigerare possint. Et quamuis ex sua natura sint actu frigida, dicuntur tamen potestate frigida, quia nos actu minime refrigerant, donec comminuta sint, ac distributa à nostro calore. Quod si medicamẽta frigida à nostro calore (vt dictum est) ne paullulum quidem mutata, nos potius mutant ac vincunt; recte Galenus colligit, ab his corpus refrigerari, etiamsi calfacta exhibeantur, quia eorum natura (vt ipse ait) frigida est quemadmodum aqua. Quod non ita accipi velim, vt quemadmodum aqua nos actu refrigerat, ita & actu refrigerent medicamenta frigida; sed potius quod quemadmodum aqua per se & ex propria natura nos refrigerat, ita & medicamenta potestate
C frigida, per se, non ex accidenti vim habeant refrigerandi. Porro quod is legitimus sit huius loci sensus, ex iis quæ Galenus subiungit, certe intelligitur; laudat enim Aristotelem, qui verissime docuit, calidorum, frigidorũ, siccorum, & humidorum, alia quidem esse per se talia, alia vero ex accidenti. Quoniam ergo potestate frigida medicamenta sunt per se frigida, etiãsi calfacta exhibeãtur, necessario refrigerant. Quippe cum calfacta, non per se, sed ex acciđẽti sint calida; adscititium illum calorem sensim amittunt, natiuamque frigiditatẽ qua agunt in corpus, perpetuo retinent. Quemadmodum enim non solum frigida, sed etiam calida aqua ignem extinguit; ita & meconiũ (id est papaueris succus) calorem nostrum extinguit, non solum si frigidum, verum etiam si calfactũ propinetur. Quę sane accomodatissima est similitudo, etiam si meconium calfactum frigore interimat, calida vero aqua, humida potius crassaque substantia ignem
D extinguat; vtpote quæ calorem obruat, ipsiusque motum ad superna impediat. Explicato discrimine inter medicamenta calida & frigida, ad institutũ reuersus docet, frigida medicamenta non secus ac calida, si aut sola, aut quãtitate immodica, aut intempestiue sumantur, & insigniter lædere, & necis periculum adferre; iuuare autem, si tempestiue, & modice, & aliis quę ipsorũ vires retundant permista, exhibeantur. Ad quem sane modum & ad vigilias immodicas, & ad vehementissimos dolores opio frequẽter vtimur, & Philonis antidoto. Neque vero admiratione dignum videri debet, si huiusmodi medicamenta (quæ sola quantitate possunt esse deleteria) ad eum quem diximus modum exhibita prosint, cum id ipsum medicamentis genere deleteriis accidere possit. Nam & cantharides (quæ sunt ex erodentium genere) si præparatæ, & mitioribus aliis medicamentis permixtæ, minima quantitate propinentur, tantum abest vt lædant, quinpotius vtilitatis plurimũ adferant. Quo sane consilio medicamen-

Lib. 2. de par. ani. cap. 2.

dicamentum illud quod cantharides recipit (cuius hoc loco meminit) olim compositum fuit, hydericis & ischuria laborantibus longe vtilissimum; quod quidem ex medicamentis vrinam cientibus, quibus nonnihil cantharidum admistum sit, constare testatur Galenus. Prauam igitur eorum medicorum consuetudinem summopere damnandam censemus, qui in eiusmodi affectibus sanandis solis fere cantharidibus vtuntur, quos sane mirum non est suo plerumque fine frustrari. Satius autem fuerit, integras cantharides Galeni exemplo eiusmodi medicamentis indere, quam solas alas & pedes (quæ putant nonnulli alexiteria iis esse qui ipsarum corpora biberunt) aut sola corpora, capite, alis, pedibusque abscisis, vt Arabum plerique faciendum esse præcipiunt, ab auctore libri quarti de victus ratione in morbis acutis, manifesto decepti. Sed incidit hoc loco dubitatio, quî fieri possit vt cantharides vtilitatem præstent, cum sint medicamenta, vel potius venena erodentia. Scribit namque Galenus, putrefacientia medicamenta etiamsi minima quantitate sumantur, omnino corrumpere; quod itidem de erodentibus vere affirmari potest, cum par videatur esse vtrorumque ratio. Scribit præterea ea appellari deleteria, quæ nullo vnquam tempore ęgrotis, aut bene valentibus opem ferunt; at cantharides deleteriam vim obtinent; ergo numquam prodesse poterunt. Vt hæc componat Vallesius, duo fingit genera venenorum, quædam enim ait esse omnino venena, alia vero venena simul & medicamenta; hęc inquit vsum aliquando præstare; illa numquam. Ego tamen adduci non possum vt credam, venena erosione necantia (è quorum numero cantharides sunt) non esse omnino venena vbi intra corpus assumuntur; cum sint toto genere deleteria. Ea namque medicamenta simul & venena dici posse existimo, quæ sunt deleteria quantitate; vel quæ cum sint genere deleteria, exterius dumtaxat admouentur. Quare Galenus inter ea quæ sunt venena simpliciter, leporem marinum enumerauit, qui ex genere erodentium est. Potius itaque dicendum arbitror, cantharides per se, ex propriaque sui natura semper nocere, prodesse vero numquam. Si quis enim solas cantharides minima etiam quantitate assumpserit (dummodo magnitudinem habeant ad agendum, sine qua ne ignis quidem potest calfacere) is nullam profecto vtilitatē percipiet, sed necessario lædetur. Quod si aliquando iuuant, ex accidenti id fit, vbi scilicet minima quantitate medicamētis diureticis permistæ bibuntur. Quo tempore medicamenta diuretica per se quidem iuuant; quoniam insita facultate serosæ humiditatis euacuationem moliuntur. Cantharides vero præ exiguitate vesicam erodere nequeunt, & ex accidenti eo dumtaxat nomine prosunt, quod medicamentorum vrinam cientium vehiculum sint ad vesicam, ad quam ipsæ veluti sponte feruntur. Sed de his satis. Erat & tertia dubitatio hoc loco à Galeno explicanda, cur scilicet nonnulla medicamenta & intra corpus assumpta noceant, & exterius admota. Hanc tamen non explicat, forte quod ex iis quæ dicta sunt, quid sentire oporteat, facile intelligitur. Quæcumque enim medicamenta validis ad agendum viribus sunt prædita (veluti caustica) ea & intus, & foris nocere possunt.

Lib. 3. simp. c. 23. & lib. 4. cap. 19.

Lib. 11. simp.

Sent. penult.

Lib. 3. simp. cap. 22.

Lib. 6. epide. par. 6. com. 5.

Ibidem.

A B C D

CAP. V.

Axime igitur est attēdendū in omnibus quæ potestate calida, frigidave dicūtur, sintne ea ex natura eorū quæ nutrire corpus possunt; an eiusmodi, quæ exiguū alterationis momentū nacta, deinde secundum propriam naturam alterata, corpus ipsum aliquo modo afficiunt; tertio loco, an

nullo

A *nullo pacto ab eo quidquam alterentur. Si namque ex nutrientium sunt genere, siquidem vincantur, calfaciunt; si non vincantur, refrigerant. Sin ex iis sunt quæ exiguum quidpiam alterantur, omnino calfaciunt. Si vero ex iis quæ omnino non alterantur, maxime refrigerant.*

Nullam hîc proponit tripartitam medicamentorum omnium diuisionem, vt sentiunt Hieremias & Lopezius. Quorsum enim tria medicamentorum genera nunc recẽsuisset, quorum quattuor genera antea statuerat? Tria igitur ex iis quæ hactenus docuerat, colligit hoc capite, ad explorandas medicamentorum facultates maxime necessaria. Quippe cum ait attendendum maxime esse, sintne ex natura eorum quæ nutrire corpus possunt, pura sinceraque nutrimenta intelligit; non medicamenta omnia frigida, dummodo insigniter frigida nõ sint; neque medicamentosa omnia nutrimenta quæ calida sunt aut frigida, vt multi opinantur. B Vult namque distinguendum inprimis esse, an quæ potestate dicuntur calida vel frigida, ex nutrimentorum genere sint, an potius ex genere medicamentorũ. Quod si nutrimẽta sint, distinguere rursus oportet, victa ne sint à nostro calore, an potius inuicta permanserint. Quæ victa sunt à calore, calfaciunt quidẽ vt nutrimenta; non quod caloris qualitatem intendant vt medicamenta calida, sed quod caloris substantiam augeãt. Atq. id quidẽ (vt superiori capite diximus) de vere nutrimentis intelligendũ est, non autẽ de iis quæ veluti nutrimẽta sunt, aut futura nutrimẽta. Quæ vero inuicta permanent (potissimũq. in vẽtriculo) tãtum abest vt calfaciant, quin potius calorem innatum grauantia corpus refrigerent. Porro si sint medicamenta, distinguendum amplius est, an sint eiusmodi quæ exiguum alterationis momentum nacta, deinde secundũ propriam naturam alterata, corpus ipsum aliquo modo afficiunt; an potius nullo pacto à corpore alterentur. C Si ex priori sint genere, omnino calfaciunt, cum sint medicamenta potestate calida; quibus id peculiare est, vt cum primum à nostro calore mutationis initium acceperint, secundum suam naturam calfiãt, nosq. deinde recalfaciant. Si ex posteriori, hęc sane maxime refrigerant, cũ sint medicamenta potestate frigida. Hæc namque (qualiacumq fuerint) in hoc genere continentur, non sola venena frigida, vt sentit Vallesius. Est enim medicamentis omnibus potestate frigidis id cõmune, vt nullo pacto à nobis alterentur, in ea scilicet qualitate qua ipsa in corpus agũt, vt supra interpretati sumus.

Attendere autem (vt dictum est) quam maxime oportet, ac discernere quæ per se sunt ab iis quæ per accidens; non in calidis & frigidis modo, sed nihilo D *etiam secius in siccis & humidis. Quippe aliqua talium cũ siccam substantiam sint sortita, vbi largo calore sunt liquata, humiditatis phantasiã præbent, veluti æs, & ferrũ. Quædam per se humida vbi in sincero frigore sunt morata, apparẽt sicca, sicut glacies. Minime igitur de his omnibus faciendũ absolute & sine vlla exceptione iudiciũ est, sicut in superioribus monuimus; sed cũ eo, vt quemadmodum sese in calore frigoreque habeãt, consideretur. Siquidẽ si exiguo prædita calore, nihilominus humida cernũtur, talia esse ex propria natura sunt censenda: tametsi cum copioso calore sint sicca. Quæ vero vel sub feruente calore fluunt, vel sub puro rigore sunt concreta; ne horum quidem altera per se humida, altera per se sicca sunt existimanda. Ergo tum ad hunc modum distinguere*

conueniet quæ per se sunt ab iis quæ per accidens; tum ad hæc ipsa spectantibus, eorum quæ potestate calida, frigida, humida, siccave sunt, iudicium faciendum. Non enim ad id quod secundum acciděs est respicientibus, sed ad id quod secundum se est, id quod potestate est iudicari debebit. A

Præcipit secundo distinguendum quoque esse de calidis, frigidis, humidis, & siccis, sintne talia per se, an potius ex accidenti. Nonnulla enim quæ per se calida sunt, per accidens euadunt frigida, vt absynthii succus, si niue refrigeratus exhibeatur. Nonnulla quoque per se frigida sunt, & per accidens calida, vt succus papaueris igne calfactus. Eadem ratio est siccorum & humidorum. Aes namque & ferrum ab igne liquata, per se quidem sunt sicca, ex accidenti tamen humida: glacies vero per se est humida, ex accidenti vero sicca. Propterea monet, quod multo copiosius docuerat libro superiore, de corporibus humidis aut siccis non esse absolute pronunciandum, sed hac distinctione adhibita, vt vehementis caloris & frigoris sint expertia; ita vt neque à frigore concrescere, neque à calore liquari possint. Porro huiusmodi distinctio ad explorandas medicamentorum facultates maxime est necessaria; de quibus nihil certi statui potest, nisi semel constitutum fuerit, medicamenta quæ in iudicium veniunt, per se atque ex propria natura esse talia, non autem ex accidenti. Nam vt capite primo diximus, potestas ex propria sui natura medicamentis inesse debet, nō ex qualitate aliqua adscititia. Verum de hac distinctione accuratius postea agemus. B

Porro communis in omnibus vnaque iudicandi ratio est alterationis celeritas. At cum calidum, frigidum, humidum, et siccum, dicantur ὁμωνυμῶς quod scilicet alia per id quod exsuperat, alia quod eam qualitatem a qua sunt denominata, summam habeant; in vtrumcumque horum prompte vertitur de quo agitur iudicium, tale potestate fuerit. Oleum namque calidum potestate est, nimirum quod flamma facile fiat; eodem modo resina, bitumen, et pix. Vinum autem, quod facile fiat sanguis: pari modo mel, et caro, et lac. C

Colligit tertio distinguendum esse, quo pacto quæ potestate calida sunt aut frigida, dicantur potestate talia. Quippe cum talia potestate dicātur quod possint actu talia fieri; quot modis actu calidum aut frigidum dici aliquid poterit, totidem profecto & potestate calidum aut frigidum quidpiam dicetur. At calidum aut frigidum actu bifariam aliquid dicitur, vel quod summum calorem aut frigus habet, vel quod tale est per exsuperantiā. Et quamuis aliqua sint actu calida aut frigida per comparationem; hæc tamen consulto nunc prætermisit, quoniam talia non sunt ex propria sui natura. Quocirca & quæ potestate calida dicuntur bifariā quoque dicentur; vel quod facile prompteque in id quod est simpliciter calidum (veluti ignem) mutentur; vel in id quod per exsuperantiam est calidum, veluti sanguinem: qui quidem calidus per exsuperantiam hic dicitur, quia (vt libro primo dictum est) calorem accipit à corde. Oleum itaq. resina, bitumen, & pix, potestate calida dicuntur, quod facile mutentur in ignē; vinum autem, mel, caro, & lac, quod prompte mutentur in sanguinem. Nam (vt Galenus inquit) communis in omnibus vnaque iudicandi ratio est alterationis celeritas. Quibus verbis non distinguit quæ per se talia sunt ab iis quæ sunt talia ex D

A lia ex accidenti, vt ſentiunt Euſtathius & Lopezius, ſuperioribus hæc perperam coniungentes; ſed docet potius, quæ dicuntur poteſtate calida ex eo iudicanda eſſe, quod facile mutentur in id quod actu calidum eſt; ſiue ſit ſimpliciter calidum qualis eſt ignis, ſiue ſit calidum per exſuperantiam, qualis eſt ſanguis.

CAP. VI.

ATQVE hæc quidem totis ipſorum alteratis ſubſtantiis nutrimenta ſe alterantium ſunt; quæ vero vnaqualibet qualitate alterantur, ac mutantur, ea medicamenta tantum ſunt.

Diſputationem de medicamentis hoc capite perficit, repetitq. inprimis diſcrimen inter nutrimenta & medicamenta. Quæ quidem licet id habeant commune vt à noſtris corporibus alterentur; eo tamen potiſſimum nomine differunt, B quod nutrimenta totius ſubſtantiæ mutationem patiantur; medicamenta vero vna dumtaxat qualitate mutentur. Siquidem dum concoquuntur & aſſimilantur nutrimenta, & propriam naturam amittunt, & in partium ſubſtantiam degenerant; medicamenta vero cum neque concoqui, neque aſſimilari poſſint, propriam naturam retinent, à noſtroque calore dumtaxat calfiunt. Quod ſane de omnibus medicamentis, non de ſolis calidis dictum fuiſſe intellige, quia quamuis priuatim id habeant medicamenta poteſtate calida, vt cum primum à noſtro calore mutationis initium acceperint, accendantur; negari tamen non poteſt, quin & reliqua medicamenta à nobis vtcumque calfiant. Vſqueadeo vt venena actu talia in vna ſaltem qualitate mutentur, vt ſtatim dicemus.

Medicamenta itidem ſunt & quæ nulla ſubſtantiæ ſuæ mutata parte, ſed tota ſeruata integra, corpus ipſum afficiunt; ceterum grauia, & naturæ C *animalis corrumpentia: vnde & totum eorum genus, deleterion & peſtilens dici reor. Quippe hæc non eo minus genere deleteria ſunt dicenda, quod vbi plane minima exhibentur, nullam inferunt ſenſibilem noxam; ſic namque neque ignis ipſe calidus ſit, neque nix frigida. Nam horum quoque ſi quid prorſus exiguum eſt, nullum euidens in corporibus noſtris excitat affectum.* Quippe centeſima vnius ſcintillæ pars, eſt quidem omnino genere ignis; ceterum adeo nos non vrat, excalfaciatve, vt corpori incidens ne ſenſum quidem vllum ſui excitet. Ad eundem modum frigidæ aſperginis centeſima portio non modo nihil offendat, aut refrigeret, ſed nec ſenſum ſui vllum præbeat. Nequaquam igitur ſic iudicanda* D *deleteria ſunt, immo totius naturæ ſuæ contrarietate. Porro iudicabitur contrarietas ex ea quæ media intercedit mutatione. In elementis verbi gratia, neq. aqua mutari poteſt in ignem, neque ignis in aquam; ſed ambo in aërem; is vero in vtraque; illa in alterutrum nullo modo. Ergo continens & ſine medio eſt aquæ mutatio in aërem, itemque ignis; non continens ignis & aquæ in alterutrum. Hæc igitur inter ſe contraria pugnantiaque ſunt. Non diſsimili ratione papaueris ſuccus hominis corpori prorſus eſt contrarius, vt quod in eum quidquam agere ne vna quidem qualitate poſsit, multo minus tota ſua ſubſtantia poſsit. Atque vnum quidem deleteriorum genus eiuſmodi eſt.*

* πάθος.

Si medicamenta à nobis (vt dictum est) vna saltem qualitate mutantur, ea A fortasse non esse medicamenta suspicetur quispiam, quæ nulla substantiæ suæ parte mutata, sed tota seruata integra, corpus nostrum afficiunt. Atqui & hæc medicamenta esse fatetur in præsentia Galenus, propter eaque & aliquã à nobis mutationem accipere concedendum est. Mutantur autem, quia non secus ac reliqua medicamenta, à nostro calore qui in omnia medicamenta similiter agit, calfiunt. Sed quænam hæc medicamenta sunt, quæ nulla sui parte mutata, sed tota seruata integra, corpus nostrum afficiunt? Sentit Fuchsius esse medicamenta frigida in quarto recessu, hæc namque cum frigida sint, integra permanent, neque à nostro calore vincuntur; sed ipsa potius corpus afficiunt ac vincunt,& vbi largius sumpta fuerint, sua frigiditate interimunt. Hæc tamen interpretatio Galeni verbis nequaquam consentit,cum totum horum medicamentorum genus deleterium ac pestilens dici scribat. At medicaméta frigida in quarto recessu non sunt toto genere deleteria, sed tantum quantitate; B nullum enim eorum quæ frigore interimunt, genere deleteriũ est auctore Galeno. Sed vt suam explicationem defendat, cõcedit quidem Fuchsius medicamenta frigore interimentia esse quantitate deleteria;nunc tamen à Galeno genere deleteria vocari asserit, quod sint ex deleteriorum genere. Atqui Galenus aliique omnes medici quantitate deleteria medicamenta ex aduersó opponunt iis quæ sunt genere deleteria; cum hæc tota substantia, illa vero manifesta qualitate interficiant. Omissa igitur Fuchsii explicatione pure grammatica,medicamenta de quibus hîc agitur, noxia venena toto genere deleteria esse sentimus; quæ quidem & naturam habent nostræ contrariam ac corruptricem, & actu talia sunt: qualis est canis rabidi spuma, saliua viperæ, & aspidis virus. Hæc namque præterquam quod toto genere sunt deleteria, id priuatim C obtinent, vt nulla substantiæ suæ parte mutata, sed(cum actu talia iam sint) tota seruata integra, corpus nostrum afficiant ac corrumpant. Hæc dixerat quoque capite tertio, cuiusmodi sunt assumpta,eiusmodi etiam permanentia, vincere mutareque corpus,ad eundem modum quo id cibos. Ceterum posset aliquis ostendere, noxia hæc medicamenta non esse toto genere deleteria, quia si minima quantitate assumantur,non interficiunt; cum tamen quæ tota essentia nobis contraria sunt, omnino lædant, etiamsi vel minimum eorum assumptum fuerit,vt ipsemet Galenus alibi docet. Hanc obiectionem dissoluit, dicens, facultatem omnem ac vim (quantumuis sit vehementissima) iusta indigere substantiæ mole, vt aliquid effatu dignum efficere queat. Nam & centesima scintillæ particula,quæ reuera ignis est,tantum abest vt vrat,vt ne calfaciat quidẽ; & minima niuis portiuncula, quæ reuera nix est, nullum præ exiguitate perfri- D gerationis sensum excitat. Ad eundem igitur modum & medicamenta genere deleteria,etiamsi vehementissima polleant agendi vi, si minima quantitate sint exhibita, nullam sensibilem noxam inferunt, tantum abest vt interimant. Dicentur vero omnino lædere vel si eorum minimum assumptum fuerit, facta compartione ad quantitate deleteria; quę quidem lædere nequeunt, nisi immodica quantitate assumantur. Vnde Galenus colligit, medicamenta deleteria non esse ex eo iudicãda quod semper interficiãt, sed potius ex totius naturæ suæ contrarietate. Hanc autem iudicandam esse ait ex ea quæ media intercedit mutatione, ita vt ea dicantur nobis contraria, quæ mutari non possunt in nostram naturam. Nam vt ea elementa contrariam naturam habere dicimus, quæ transmutari in se inuicem non possunt, vt ignem & aquam; ita & ea medicamen-

Marginal notes: Lib. 3. simp. cap. 19 — Lib. 5. simp. cap. 19. — Lib. 3. simp. cap. 23.

A dicamenta dicemus naturam habere nobis cõtrariam, quæ mutari non possunt in corporis substantiam. Id illustrat succi papaueris exemplo; quem inquit esse homini prorsus contrarium, cum hominis corpus ne vna quidem qualitate in ipsum agere posit, nedum tota substantia. Atqui hoc exemplum duplicẽ parit difficultatem. Quippe cum papaueris succus medicamentum sit frigore interimens, proindeque quantitate deleterium, accommodatum exemplum esse non potest eorum quę dicta sunt de venenis actu deleteriis. Rursus cum dictum antea sit medicamenta omnia vna saltem qualitate à nobis immutari, quomodo nũc dixit, nostrum corpus ne vna quidem qualitate agere in succum papaueris? Vt priorem dubitationem effugiant, sentiunt plerique deprauatum esse hunc locum, & pro papaueris succo alterum exemplũ substituendum esse. Aut igitur deprauatus est locus; aut dicendum, naturæ quidem contrarietatẽ medicamen-B tis genere deleteriis potissimum inesse, esse tamen medicamentis omnibus cõmunem, quoniam medicamentorum omnium natura (vt postea dicemus) hominibus maxime est contraria; nisi fortasse ex longa consuetudine, & frequenti vsu, aliquam nobiscum familiaritatẽ contraxerint; vt contigit anui illi Atheniensi, quæ cicuta sine detrimento tandem nutrita fuit. Quare cum exẽplo elementorum docuisset, naturæ cõtrarietatem in iis reperiri quę in se inuicem mutari non possunt; satis ipsi fuit, cuiuscumque medicamenti exemplo, & in genere deleteriis, & in reliquis medicamentis, naturæ contrarietatem ex eo ostendere, quod in corporis nostri substantiã mutari nequeãt. Quod ad alteram dubitationem attinet, dicendum puto, papaueris succum ne vna quidem qualitate à nostro corpore mutari, quia licet vt reliqua medicamenta à nostro calore calfiat, numquam tamen actu calidus euadit. Id namque commune est medica-C mentis omnibus potestate frigidis, vt à nostro calore incalescentia, euadant actu frigida. Iam vero neque illud difficultate caret, quod in medicamentis genere deleteriis ex eo iudicandam esse dixerit naturæ contrarietatem, quod nequeant nobis assimilari; cum id medicamentis omnibus sit cõmune, vt corpus quidem mutare, nequaquam vero nutrire possint. Ceterum cum omnibus medicamentis communis sit naturæ contrarietas; communis quoq; erit ratio iudicandi hanc naturæ contrarietatem in omnibus medicamentis. Quamuis genere deleteriis id priuatim insit, vt præterquam quod nobis assimilari non possint, naturam habeant pestilentem ac corruptricem.

Lib. 3. simp. cap. 18.

D *Alterum est eorum quæ ex nostro calore momentum aliquod mutationis accipiunt, ac deinde in multifarias alterationes vertuntur, quibus corrumpi naturam nostrã accidit. Eiusmodi enim omnia deleteria genere sunt, etiamsi propter exiguitatem nonnumquam nihil quod sentiatur efficiant. Ac quæ corporis naturam rodunt, putrefaciunt, & liquant, merito potestate calida nominantur; contra quæ refrigerant, & sensum auferunt, torporemque notabilem adferunt, frigida. Et priora quidem nihil non rationi consonum nec ipsa pati, nec in corporibus nostris efficere videntur; siquidem calido corpori applicata, & mutationis momentum aliquod hinc adepta, partim eorum ad summam caliditatem, partim perueniunt ad putredinem. Iure igitur pro affectu quem ipsa consequuta sunt, etiam corpus animalis afficiunt.*

Est

Est & alterum quoddam genus venenorum, quæ mutationis initium à nobis accipientia; in multifarias mutationes vertuntur, quibus corrumpunt nostram naturam. Hæc autem ea esse quæ erodentia, & putrefacientia dicuntur, ab omnibus vere concessum est. Ista vero cum venenis primi generis partim conueniunt, partim non. Conueniunt quidem, quia non secus ac illa, sunt toto genere deleteria; neque enim genere deleteria eo tantum nomine vocantur quod sint ex deleteriorum genere, sed quod naturam habeant nostræ omnino contrariam ac corruptricem. Vnde fit, vt quo longiori tempore intra corpus manent, eo agant vehementius: potissimumque ea quæ crassa terrenaque essentia sunt prædita. Neque enim vnquam possunt, vt medicamenta quantitate deleteria, vinci à nostro calore, etiamsi minima quantitate assumantur. Neque vero necessarium propterea est, vt minima quantitate exhibita interficiant; quoniam facultas omnis vt agat, iustam exposcit substantiæ molem; & deleteria facultas non est ex eo iudicanda quod semper interficiat, sedpotius ex omnimoda naturæ contrarietate. Immo (quod maius est) & mediocri copia assumpta non semper interficiunt; vel quod vna cum excrementis excernantur, priusquam iniuria afficiant corpus; vel quod bona fortuna homini faueat, qui doctum exercitatumque medicum statim sit nactus; vel quod salutiferis remediis sit vsus, antequam grauis noxa illata sit corpori. Differūt autem, quia venena primi generis ex propria sui constitutione naturam habent nobis omnino contrariam; id enim tantum accipiunt à nostro calore, vt comminuātur, & distribuantur. At venena huius secundi generis naturam nobis contrariam ex se non habent, sed eam adquirunt, vbi mutationis initium à nobis acceperint. Est quoque illud venenis secundi generis peculiare, vt sint potestate calida, accenduntur enim prompte à nostro calore, semelque accensa partim ad summam caliditatem perueniunt, partim ad putredinem. Quippe quæ calida sunt & humida, facile putrescunt; quæ vero siccitatem habent calori adiunctam, ad summam perducuntur caliditatem citra putredinem: quo fit, vt hæc erodendo, illa vero putrefaciendo interimant.

Lib. 3. simp. cap. 22.

Lib. 3. simp. cap. 23.

A

B

C

*At quæ corpus, tametsi ipsa calida sunt applicata, tamen refrigerant; non paruam dubitationem adferunt, vtrius potius naturæ sint. Nam si energia semel calida sunt reddita, cur animal non calfaciunt? Sin nondum sunt calfacta, quomodo apparent calida? Soluetur dubitatio, si distinguatur quod per se frigidum est ab eo quod est ex accidenti, ita vti Aristoteles docuit. Perit namq. celeriter eorum quæ ex accidenti sunt calida adquisititius effectus, ita vt in priorem naturæ suæ statum facile reuertatur. Porro in applicandis iis nobis quæ natura quidem sunt frigida, sed per accidens calida, duo hæc contingere est necesse; & vt adquisititius eorum calor pereat; & propria eorum temperies a nostra nihil immutata, frigida perstet. Et quid miri est, si papaueris succus, mandragora, vel cicuta, vel similium aliquid, quamuis exhibeantur calfacta, paullo post euadunt frigida, cum idem patiantur ptisana, & lac, & far, * & panis, vbi in imbecillum ventrem demissa, ab eo non superantur? euomuntur enim non raro abunde frigida. Et quod his maius est, quodque Hippocrates notauit, pituita ipsa quamuis iam succus sit, atque ex cibis in ventre iam * concoctis nata,* D

* χόνδρος.

* μὴ.

nihilo-

A *nihilominus frigida tangentibus sentitur; neq. id modo dum in ventre consistit, sed postquam à venis ipsis purgantis cuiuspiam medicamẽti vi est detracta. Tametsi enim quam tenacissima sit, ac per vim ducitur; attamẽ ne ipsa quidem tractus violentia calfieri potest. Quid igitur miri, si etiam papaueris succus (quod naturæ nostræ tam contrarium medicamentum est) quam celerrime refrigeretur, etiamsi calfactus sit exhibitus, refrigeret autẽ vna secum & corpus? Quippe adquisititium calorem non seruat, propterea quod natura frigidus est; at quia eius substantia a nobis non alteratur, immo potius nos alterat & mutat, idcirco nec a nobis quidquam recipit caloris, & pro sua natura nos afficit. Itaq. cum frigidus natura sit, & nos vtiq. refrigerat. Nihil igitur in dictione nostra est du*B *bitationibus reliquum, enimuero quod horum omnium quæ frigida per naturam sunt, quidquid plus iusto calfeceris, ex propria natura recedat; præterquam quod nullam dubitationem habet, etiam prædictis a nobis adfert testimonium. Sicut enim salamandra ad certum vsq. terminum ab igni nihil patitur, vritur autem si longiore spatio igni sit admota; sic & mandragora, & cicuta, & psyllium, breui spatio igni admota, propriũ adhuc temperamentum seruant; largius autem excalfacta ilico corrumpuntur, nec quidquã efficere, quæ prius poterant, valẽt.*

Dubitat tandem, an ea medicamenta quæ calida exhibita corpus refrigerãt, ad medicamenta calida referri debeãt, an potius ad frigida. Quippe cum actu C calida tangantur, ad calida; cum autem nos refrigerẽt, ad frigida pertinere videntur. Porro hanc dubitationem ex iis facile dissoluit quæ supra dicta de iis sunt quæ aut per se, aut ex accidenti sunt talia. Siquidem adscititiæ qualitates breui perire solent; quæ vero natura insunt, diutissime permanent. Quare quæ medicamenta calida exhibita corpus refrigerant; ea profecto potestate frigida censeri debent; quamuis quo tempore exhibentur actu sint calida. Sunt enim actu & ex accidenti calida, potestate vero & per se frigida; quo fit, vt abeunte quem ab igne vel sole contraxerant adscititio calore, innata refrigerandi vis seipsam prodat. Nam vt inquit Galenus hoc loco, duo hæc illis contingere est necesse; vt adscititius ipsorum calor pereat, & propria eorundem temperies à nobis nihil immutata perstet. Perstat autem immutata, quia licet eiusmodi medicamenta in actum reuocentur à nostro calore, nunquam tamen à nobis actu D calida fiunt. Porro non solum refrigerant quæ cum potestate frigida sint actu calida exhibentur, verum etiam refrigerant citius & valentius; quoniam scilicet caloris beneficio facilius comminuuntur, & distribuuntur celerius. Quippe quæ frigore interimunt medicamenta, calidioribus maiorem quam frigidioribus corporibus noxam inferunt, teste Galeno. Quod autem medicamenta potestate frigida, actu calida exhibita, deposito sensim adscititio calore frigida euadant, duobus exemplis confirmat, ciborum, & pituitæ. Cibos namq. qui à ventriculo concocti non sunt, frigidos euomi non raro experimur. Neque id accidit quod à ventriculi frigiditate mutentur & acescant, vt quidam putant; neque (vt alii volunt) quod ad frigidam suam naturam redeant, cum panis & alica cibi non sint frigidi, sed quod adscititium calorem quem ab externo igne, aut imbecillo ventriculo contraxerunt, facile amittant. Præterea pituita quamuis

Lib. 3. simp. cap. 18.

quamuis iam ſuccus ſit, atque ex cibis in ventriculo iam concoctis genita; ſentitur tamen nihilominus frigida, non ſolum dum in ventriculo cõſiſtit, ſed etiam A poſtquam à purgante medicamento ex vaſis attracta excernitur, vt annotauit Hippocrates. Tametſi enim tenaciſſima ſit, & violentiſſime trahatur, ne ſic quidem calfieri poteſt; quamuis alioqui motus caloris ſit cauſſa. Pituitam dixit hoc loco interpres ex cibis in ventriculo iam concoctis gigni, Græce tamen legitur cum negatione Non concoctis. Et certe vtraque lectio vera eſſe poteſt, nam cum gignatur pituita ex crudiori ciborum portione quæ in chylum mutari non potuit, vere quidem dicetur ex cibis in ventriculo non concoctis gigni. Et rurſus cum pituita primæ concoctionis ſit excrementum, ipſiuſque generationem neceſſario præcedat ciborũ concoctio, quæ in ventriculo fit; vere quoque gigni dicetur ex cibis in ventriculo iam concoctis. Et hanc lectionem magis probo, vtpote quæ inſtituto Galeni ſit magis accommodata. Si namque cibi (quarum natura nobis eſt familiaris) vbi non concoquuntur in ventriculo, euomuntur interdum frigidi, quia adſcititium calorem facile amittunt; ac rurſus ſi B pituita (quæ iam ſuccus eſt, & ex cibis in ventriculo iam concoctis gignitur) frigida ſentitur, à medicamento purgante violenter etiam attracta; mirandũ profecto non eſt, ſi papaueris ſuccus (qui noſtræ naturæ contrarius dicitur, quod in noſtram ſubſtantiam conuerti nequeat) nos ſtatim refrigeret, etiamſi calfactus exhibeatur. Nam cum ſit natura frigidus, externum calorem cito deponit; cum vero ipſius ſubſtantia à nobis non alteretur, nihil caloris à nobis recipere dicitur, quia numquam euadit calidus. Quod ſi contingat medicamentum aliquod poteſtate frigidum vſque adeo calfieri, vt veluti aduſtum corrumpatur; illud ſane & propriam naturam amittet, & nos amplius non refrigerabit. Sicut enim ſalamandra ad certum vſque terminum ab igne nihil patitur, tandem vero ſi C longiore ſpatio igni ſit admota, aduritur; ſic & mandragora, & cicuta, & pſyllium, breui tempore igni admota, ſuam adhuc temperiem ſeruant, largius autem excalfacta omnino corrumpuntur. In ſalamandræ exemplo illud eſt obſeruatione dignum, quod licet diu igni reſiſtat, tandem tamen aduratur. Vnde intelligitur, falſo ac prorſus aniliter quibuſdam creditum fuiſſe, ſalamandram in igne vitam traducere. Sicubi vero à Nicandro aliiſque probatis auctoribus inuiolata ab igne ſalamandra dicatur; ſic inuiolatam accipere oportet, vt longo tempore illæſa in igne ſeruetur. Plurimo namque eoque craſſo humore perpetuo imbuta madet, qui donec abſumptus fuerit, ignis vim inſigniter frãgit. Decipiuntur ergo qui huius euẽtus cauſſam ad inſignem ſalamandræ frigiditatem, aut maximam cutis denſitatem, aut occultam aliquam proprietatem retulerunt. In exemplo quoque pſyllii latet difficultas, cum ipſum videatur hoc loco inter medicamenta frigore interimentia vna cum mandragora & cicuta recenſuiſſe; cum tamen libro octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus pſyllii ſemen in ſecundo ordine frigidum, & in altera opoſitione temperatum ſtatuat. Hæc loca facile componit Valleſius, dicens, licuiſſe nunc Galeno pſyllii exemplo vti ſecundum communem quæ de eo habetur opinionem; libris tamen ſimplicium, vbi de hac re priuatim agebat, ipſius naturam optime explicaſſe. Ego tamen (vt verum fatear) nullam in his locis repugnantiã animaduerto, neque enim inter venena frigida, ſed tantum inter medicamenta poteſtate frigida pſyllium in præſentia recenſuit. Quippe cum dubitatio à Galeno propoſita non in ſolis frigidis venenis, ſed in omnibus medicamentis poteſtate frigidis locum habeat, quibus id commune eſt, vt licet calfacta exhibeantur,

Lib. de nat. homi. ſent. 31.

In Alexiphar.

D

beantur, corpus refrigerent, & nimis excalfacta corrumpantur; licuit profecto
A Galeno vti in ea explicanda frigidorum venenorum exemplis, qualis est cicuta, & mandragora, & exemplis medicamentorum potestate dumtaxat frigidorum, quale est psyllium. Et quamuis in genere venenorũ quæ frigore interimunt, psyllium collocarit Dioscorides; ipsius vero corticem frigidum in tertio, medullamque in quarto calidam statuerit Mesue; magis tamen probandam existimo Galeni sententiam. Cui sane plurimum etiam fauet experientia, quæ frequentissime docet, psylli semen non solum obstetricum, sed etiam medicorum iussu, citra aliquam offensam ad leniendam aluum enixis exhiberi.

CAP. VII.

AC talium quidem omnium natura hominibus maxime est contraria. Sane naturam cum dico, vniuersam substantiam ac temperiem quæ
B *ex primis elementis conflatur, significo, calido, frigido, humido, sicco. Eorum vero quæ celerrime nutriunt, conuenientissima. Reliqua omnia media inter hæc sunt, quorum alia magis, alia minus agere ac pati a corpore nostro possunt. Siquidem castoreum et piper agere magis in corpus nostrum quam pati ab eo valent; vinum, et mel, et ptisana, pati magis quam agere.*

Quænam hæc sint, quorum naturam hominibus maxime contrariam nunc dicit, dubium est. Venena hæc esse contendũt interpretes, alii frigida tantum, alii præter hæc etiam calida. Præstat tamen de omnibus medicamentis locum intelligere. Quippe cum medicamentorum omnium naturam ac vires hactenus explicasset, merito nunc medicamenta à nutrimentis distinguit, & à nutrimen-
C tis medicamentosis, de quibus hoc capite agere instituit. Hæc itaque tria eo nomine inter se differre docet, quod medicamentorum omnium natura maxime sit hominibus contraria; eorum quæ celerrime nutriunt (id est omnium nutrimentorum) conuenientissima; reliquorũ vero (quæ scilicet nutrimenta sunt medicamentosa) media, id est partim contraria, partim conueniens. Quoniam vero naturæ nomine (vt ipsemet interpretatur) vniuersam substantiam ac temperiem ex primis elementis conflatam intelligere oportet; colligit ex hoc loco Lopezius, Galenum concessisse temperamẽtum substantiarum. Verum cum substantiæ & temperamenti seorsum meminerit, tantum abest vt temperamentum substantiarum concesserit, quin potius ipsum negasse videatur, substãtiam à temperamento distinguens. Aut igitur substantiam vocat certam substantia-
D rum elementarium molem, ex qua vna cum qualitatum temperie propria perficitur mixtorum corporum constitutio; aut substantiam non distinguit ab ipsamet temperie. Hæc namque licet qualitas sit, substantia tamen dicitur, quia (vt suo loco diximus) forma est mixtorum corporũ vt mixta sunt. Ceterum naturæ contrarietas quã omnibus medicamentis inesse diximus, latitudinẽ habet satis insignem, cum alia magis, alia minus contrariã naturã obtineant. Medicamenta quidem toto genere deleteria naturam habent nobis omnino contrariam, quia præterquam quod nobis assimilari non possunt, nos etiam corrumpunt ac interimunt. Reliqua vero medicamenta, etiam illa quæ sunt deleteria quantitate, eo dumtaxat nomine contrariam naturam habere dicuntur, quod nobis assimilari nequeant: neque enim ex sua natura interficiunt. Similiter quoque in ea naturæ conuenientia quæ nutrimentis omnibus est communis, magna statuenda

tuenda est latitudo; cum quædam nutrimenta magis , alia minus sint nobis familiaria. Eadem ratione & nutrimenta medicamentosa se habent, quorum alia naturam habent magis contrariam quam conuenientẽ, alia vero contra. Quo fit, vt illa magis agant in corpus quam ab ipso patiantur, vt castoreum & piper; hæc vero magis patiantur quam agant, vt vinum, mel, & ptisana. Et mirum profecto videri debet, quomodo vinum quod antea dixerat nutrimentorum omnium couenientissimum esse & maxime familiare, proindeque celerrime concoqui, distribui, & assimilari, inter nutrimenta medicamentosa nunc enumerarit. Oportebit ergo, vt hæc sibi mutuo cõsentiant, vini ætates distinguere, quarum ratione mutari solet ipsius temperies. Nam quod ætatis est mediæ, purum est sincerumque nutrimentum; antiquum vero, nutrimentum est potestate calidum. A

Ergo hæc omnia tum agunt circa corpus aliquid, tum vero patiuntur. Omnino enim vbi duo corpora inter se commissa multo tempore pugnant, certantque de alterando, vtrumque eorum tum agere tum pati est necesse. Fortasse autem etsi non multo tempore id fiat, attamen agit etiam id quod vincitur in id quod vincit, verum ita exiguum vt sensum effugiat. Neque enim si acutissimo ferro mollissimam ceram toto die ac nocte incidas, fieri potest vt non fiat manifesto obtusius. Ita nimirum illud commode dici videtur, Assiduo illisu durum cauat vndula saxum: quippe ita quoque fieri cernitur. Ceterum vno aut altero ictu nihil adhuc euidens videre in talibus licet, ex quo factum arbitror, vt quædam ab admotis sibi nihil prorsus pati opinati nonnulli sint. Et cedendum quidem est ita loquentibus; sæpe vero nobis quoque ipsis ita plerumque loquendum, nisi sicubi ad vltimum examen disputationem perducimus, quemadmodum in præsentia facimus. Sic igitur ἀειπάθεια, id est nunquam deficientis affectionis dogma; iis vtique qui solum id ratione ipsa æstimant, valente demonstratione non caret; non est tamen eius ad priuatas singulatim obeundas actiones vllus vsus. Si namque adeo exigui affectus sint quibus assidue afficimur, vt nulli actioni sensibile & manifestum incommodum adferant; facile profecto contemnendi sunt, atque ei qui affectus id genus nullos esse dicit, non repugnandum. Perinde igitur habet & in iis quæ nutriunt prope dixerim omnibus, quippe quæ ipsa quoq. in corpus hominis aliquid faciunt, sed nec sensibile aliquid prorsus nec euidens. Diuturna tamen eorum exhibitio magnopere alterat mutatque iam corpora. B C D

Licet medicamenta, nutrimenta, & quæ vtriusque rationem obtinent, maxime inter se differant; in eo tamen conueniunt omnia, vt tum agant in nostrum corpus, tum ab ipso etiam patiantur. Quod sane in medicamentis & nutrimentis medicamentosis constat ex iis quæ diximus. Medicamenta enim dum à nostro calore in actum reuocantur, aliquid necessario patiuntur; agunt autem, quando in actum perducta nos calfaciunt, aut refrigerant, aut etiam interimũt. Nutrimenta vero medicamentosa antequam concoquantur, agunt in corpus non secus ac medicamenta; patiuntur autem, quando concocta assimilantur. De nutrimentis res est difficilior, quæ cum medicamentosæ qualitatis sint expertia,

A pertia, nihil in corpus agere, sed tantũ ab eo pati videntur. Nihilominus tamen quod & nutrimẽta aliquid agant, ex certissimo hoc principio ab omnibus philosophis cõcesso demonstrat. Vbi duo corpora quæ agere & pati sunt nata, mutuo inter se pugnãt, ambo simul agunt & patiuntur; ita vt si alterũ eorum vincat, patiatur necessario ab eo quod vincitur. In eo tantũ est discrimẽ, quod vincens sensibiliter agat, & insensibiliter patiatur; victũ cõtra patiatur sensibiliter, nihil autẽ plerũq. agat, quod sensu animaduerti possit. Hæc illustrat acutissimi gladii & ceræ mollissimæ exemplo, exemplo itidem guttæ saxum tandem excauantis. Quamuis enim gladius nihil per initia à mollissima cera videatur pati, patitur tamen, cum ipsius acies tandem retundatur. Et rursus licet aquæ guttula nihil primis diebus videatur in durissimum saxum agere, agit tamen singulis ictibus aliquid; alioqui non potuisset saxum excauare. Neque enim ab vltimo ictu saxum excauatũ esse quis dixerit, cum maior in eo non sit agendi vis quam B in præcedentibus. Hæ quidem victarum rerum actiones, & vincentium pathemata, quia sensum omnino effugiunt, contemni solent, quasi non essent; quamuis ratio monstret, quidquid agit pati, & quidquid patitur agere. Hinc dogma ἀειπαθείας, id est perpetuæ passionis, inuentum olim fuit à Stoicis, quibus etiam ratio suffragatur. Nobis tamen medicis inutile prorsus est eiusmodi dogma ad priuatas actiones obeundas, veluti ad sanitatis custodiam, & morborum curationem: quo etiam nomine à Galeno plerumque damnari solet. Ergo quemadmodum cera in ferrum, & aquæ guttula agit in saxum; ita & nutrimenta in corpus agere credendum est: quamuis præ exiguitate sensum id omnino effugiat: nisi frequens fortasse diuturnusque alicuius nutrimenti vsus illud quantumcumque sit, tandem detegat. Lib. 1. de sanit. tu. cap. 5.

C

Sunt enim & quæ primo statim vsu manifestam alterationem suam indicent, veluti lactuca; quæ eos quibus venter quidem æstuat, manifeste refrigerat, atque a siti vendicat; quibus vero refrigeratus est, manifeste lædit. Conducit vero & ad somnum non parum, neque id alia ratione vlla, quam quod frigido temperamento & humido est. Verum sic est humida & frigida ad hominem, & alia quæ ab ipsa nutriri sunt apta, sicut viridia ligna ad ignem. Quare rationabiliter cibi id genus vtrumque præstant, & quod veluti medicamenta corpus nostrum afficiunt, & quod nutriant. Toto quidem concoquendi tempore, vt medicamenta; vbi iam nutriunt, ac prorsus sunt assimilata, tunc nihil amplius in nos D *agunt, sed naturalem calorem augent, ceu prius est dictum: quippe id omnium quæ nutriunt, commune est. Nec est quod miremur, si modo exempli viridium lignorum non sumus immemores, esse aliqua, quæ priusquam assimilentur & nutriant, dum adhuc concoquuntur, refrigerent; cum assimilata sunt, ac iam nutriunt, calfaciant.*

Nutrimenta medicamentosa eo nomine distinguuntur à nutrimentis, quod hæc in corpus agant insensibiliter, aut diuturno vsu; illa vero & sensibiliter, & primo statim occursu. Id confirmat exemplo lactucæ, quæ antequam concoquatur ac nutriat, corpus manifeste humectat & refrigerat. Hinc namque fit, vt æstuantem ventriculum insigniter iuuet, refrigeratum contra maxime lędat.

Lib. 1. simp. cap. 30.

Neq. aliunde fit, vt à siti nos vĕdicet, cū sitis duplex sit caussa auctore Galeno, A caloris copia,& humoris inopia.Similiter quoq. ad somnum conciliandū non parum conducit, sunt enim quæ somnum inducunt, aut frigida, aut humida; aut humida simul & frigida. Has lactucæ vires in se ipso expertus est Galenus, cui (vt ipsemet refert) consueta fuit & maxime familiaris;in iuuentute quidĕ, ad refrigerandum ventriculum, qui assidue infestabatur bile; in ætate autem declinante ad corrigendas vigilias: nam vespere commansa vnicum ipsi fuit aduersus vigilias alexipharmacū. Quoniam vero nutrimentis medicamentosis id conuenit, vt & agant sensibiliter tamquam medicamenta, & tamquam nutrimenta manifesto patiantur;diuersis temporibus hæc ipsis accidere intellige. Agunt enim dum concoquuntur,patiuntur vero vbi iam assimilantur ac nutriūt; quo tempore natiuum calorem non secus ac pura nutrimenta, augent, etiamsi fuerint ex sua natura frigida. Quippe vt ligna viridia primo statim occursu flāmam imminuunt,eandem autem augent semel accensa;ita & nutrimenta pote- B state frigida primo occursu refrigerant, assimilata calorem augent.

Lib. 2. de alim. fac. cap. 40.

Itaque vsus quoq. talium omnium duplex medicis suppetit, tum vt ciborum, tum vt medicamentorum. Fac namque mutata sit alicui optima ventriculi temperies ad calidiorem; is profecto quamdiu lactucam concoquit, refrigerabitur, & mediocritatem temperamenti assequetur; vbi vero ex ea iam nutritus est, insiti caloris substantiam augebit. In eo igitur vel maxime sese fallere videtur iuniorū medicorum vulgus, quod ignorat in nobis aliquando qualitatem caloris intendi, aliquando substantiam eius augeri. Tum quod vtroque genere C veteres calidius factum animal dicant; quando etiam calidius fit, siue calorem eius intendas, siue substantiam in qua primo consistit, inaugeas. Finge namque, ex iis quæ in animalis corpore continentur sanguinem esse per se calidum, aut (si magis placet) flauam bilem; reliqua omnia ex accidenti esse calida, vtique quod horum aliquam habeant partem. Numquid necesse erit animal bifariam calidius esse; vel quod plus calidorum succorum sit sortitum; vel quod calidiores eos habeat quam ante? Mihi plane ita videtur. Ad eundem modum arbitror & frigidius erit bifariam; vel quod plures illi succreuerint frigidi succi, ceu pituita & nigra bilis; vel quod eorum omnium D modo non mutato, sola qualitas sit intensa. An igitur miri quidquam est, si corpus, quoad concoquitur frigidus natura cibus, (sicut portulaca & lactuca) frigidæ qualitatis non parum percipiat; percocto autem, ac iam in bonum sanguinem verso, calidi succi accessione calidius quam prius euadat? Atqui si nihil horum aut eiusmodi est quod fieri nequeat, aut etiam adhuc mirum; desinant iam obstrepere, qui vnum eundemq. cibū tum nutrimenti tum medicamenti vsum corpori præstare negant. Tamquā enim si omnino non percoqueretur, perpetuo maneret medicamentum, sic cū iam est percoctus, ambo efficitur. Pone enim prorsus nō concoquatur lactuca, vel (si mauis) succus ipsius*

* συμμετρία.

quando

A *quando is si liberalius sumatur, similẽ in homine cũ papaueris succo effectũ habet. Nonne hoc casu medicamentum tantum erit, an non? Nemo arbitror de ea re dubitet. Ergo habet omnino lactuca & medicamenti facultatem. At vero habebat & nutrimẽti, quippe quæ persæpe nutrit; ambas igitur facultates simul in se cõtinet. Non tamen similiter ambas ostendit, verũ vbi plus egit in homine quã sit passa, medicamenti potius indicat facultatẽ; vbi passa plus est quã egit, nutrimenti. Nec mirũ illud est, si lactucæ tum agere, tum pati contingit, quando ensi quoque (ceu paullo ante diximus) non solum in cerã agere, sed etiam ab ea pati accidit. Ceterũ eo quod multo amplius est quod agit quã quod patitur, alterũ latet. At si durissimũ illi ferrum admoueas, contra magis pati quã agere tibi videbitur: tametsi agit aliquid tũ quoque, sed vis eius negligitur præ exiguitate. Itaq. de omnibus prorsus cibis illud pronũciare non dubitemus, quod non solũ a nostris corporibus pati, sed etiã agere aliquid in ea possunt. Iã vero & de quibusdã quæ plane scilicet & luculenter videmus agere, quod non tantum cibi sint, sed etiam medicamenta.*

B

Cum medicamentosa nutrimẽta & agere & pati possint, duplicẽ vsum medicis haud dubie præstant; medicamenti scilicet ad corrigendam contrariam intẽperiem; & nutrimenti ad instaurandam corporis substantiam. Quæ sane curãdi ratio magis probanda est quam quæ per sola medicamenta perficitur, quorũ natura (vt antea diximus) maxime est hominibus contraria. Veluti si calida intemperie laboret ventriculus, vtilissimum fuerit nutrimentis potestate frigidis vti; quæ quidem quamdiu concoquentur, vẽtriculum refrigerabunt, & ad mediocritatem temperamenti reuocabunt; concocta vero & assimilata ipsius calorem augebunt. Vt autem intelligatur facilius, quomodo nutrimenta potestate frigida refrigerare primum dicantur, deinde corpus calfacere; bifariam corpus calidius aut frigidius fieri posse ostendit. Ac calidius quidem, vel intensa sola caliditate, vel aucta substantia calida. Veluti si sanguis in nostris corporibus sit per se calidus, vel potius bilis, reliqua vero ab his incalescant; corpus certe calidius euadet, vel quod sanguis & bilis sint iusto calidiora; vel quod aucta sit ipsorum quantitas. Sanguinem hoc loco exempli tãtum caussa calidum per se fingit, quem diximus alibi esse temperatum. Atque id considerans, sanguinis exemplo nequaquam contentus, bilis exemplum statim adiungit, quam esse per se calidã omnes concedunt. Quod sane propter eos obseruatum velim, qui exemplorum veritatem in Galeni scriptis requirendam non esse passim inculcãt. Eadem ratione bifariam corpus frigidius fieri potest, vel auctis frigidis succis, qualis est pituita, & humor melãcholicus; vel his humoribus redditis frigidioribus, etiam si iustum modum seruauerint. Quæ cum ita sint, absurdum profecto non erit, si vnum idemque nutrimentum vno quidem modo refrigeret, altero vero calfaciat. Lactuca namq. & reliqua nutrimenta potestate frigida dum in ventriculo concoquuntur, primo statim occursu frigiditatem intendunt; in sanguinem vero mutata calfaciunt, quia calidam substantiam augent. Reliqua huius dictionis perspicua sunt, & ex superioribus satis cognita.

C

D

Et lactuca quidem tam cibus quã medicamentũ frigidum est; eruca tã cibus

quam medicamentũ calidum. Quod si castoreũ quoq. spatio concoquitur, erit id quoq. simul nutrimentũ, simul medicamentũ calidum: ad eũdem modum sinapi, & piper. Ex herbis quoq. anethũ, & ruta, & origanũ, & pulegiũ, & calaminthe, & thymbra, & thymũ; quippe hæc omnia tum cibi, tũ medicamenta calida sunt. Prius enim quam in sanguinem sunt mutata, dũ scilicet adhuc concoquuntur, medicamenta; mutata vero in sanguinem, non vtique iam medicamenta, sed nutrimenta; secunda nimirum nutrimenti significatione, qua id significatur quod nondum est alimentum, sed veluti alimentum. Ergo sicut de lactuca paullo supra fecimus, cum duos ventres, alterum iusto frigidiorem, alterum iusto calidiorẽ finximus; ita nunc quoq. in omnibus iis quæ potestate calida sunt proponamus eosdẽ ventres. Ergo eũ qui frigidior iusto est, quoad in eo continentur ac concoquũtur, omnes id genus herbæ calfaciunt, atq. ad tẽperamenti æqualitatem reuocabunt, proderuntque vt medicamẽta; alterum vero qui calidus est, inflãmabunt, ac magnopere lædent. Atq. has quidẽ alterationes qualitate sua inducent, nã omnino percocta ac in sanguinẽ bonũ iam versa, naturalis in animali caloris substãtiã augebunt, qualitatem vero nequaquã intendent. In totũ enim siue frigidus, siue calidus potestate cibus sit, posteaquã in sanguinẽ cõuersus est, naturalẽ calorem similiter augebit; quoad autẽ ad sanguinis formam tendit, nec dũ plane sanguis est redditus, refrigerat, excalfacit ve animal medicamẽti ritu. A B

Quemadmodum nutrimenta potestate frigida agunt primũ in corpus vt medicamenta, deinde vero à corpore patiuntur vt nutrimenta; ita & nutrimenta potestate calida. Intendunt enim hæc dũ concoquuntur caloris qualitatẽ, concocta vero & in sanguinẽ conuersa caloris substantiã augent; quemadmodũ illa corpus dũ concoquuntur refrigerant, cõcocta vero & in sanguinẽ mutata calfaciunt. Quo etiã fit, vt quemadmodũ potestate frigida nutrimẽta calido ventriculo vtilia sunt, frigido noxia; ita & nutrimenta potestate calida calido ventriculo noceãt, frigido autẽ non mediocriter prosint, quia frigidã ipsius intemperiẽ corrigunt. Ex quibus patet, nutrimenta potestate calida duplici nomine corpus calfacere, & quod caloris qualitatẽ intendant, & quod calidã substantiam augeant. Id namque cibis omnibus est commune, vt siue frigidi sint, siue calidi, innatum calorem similiter augeant, posteaquam in sanguinem sunt conuersi. Neque his verbis voluit Galenus (vt visum est Hieremiæ) ex eruca aliisque calidis cibis nihilo calidiorem sanguinem gigni, quam ex lactuca aliisque cibis frigidis. Non enim cibos omnes, siue calidi sint, siue frigidi, innatum calorem similiter augere dixit, quod similem omnino sanguinem gignant; sed (vt recte annotauit Vallesius) quod eodem modo illud præstent, augendo scilicet substantiam calidam. Quippe necessario concedendum est nutrimenta in sanguinem mutata, alia magis, alia minus caloris substantiam augere, calidioremque ex nutrimentis calidis, ex frigidis vero frigidiorem sanguinem gigni, quidquid Fuchsius dicat. Pendet tamen huius rei explicatio ex ea quæstione, possintne nutrimenta medicamẽtosa in corpus agere, non solum antequam mutentur in sanguinem, verum etiam posteaquam in sanguinem conuersa fuerint. Galenus quidem hoc loco non semel affirmauit, nutrimenta frigida aut calida dum concoquuntur, vt medicamenta in corpus agere; concocta vero & in sanguinem conuersa nihil amplius agere, sed tantum C D

pati

A pati vt nutrimenta. Sed ratio mõstrat, in sanguinem etiam mutata aliquid agere, alioqui enim nullus esset ipsorum vsus ad corrigendas earũ partium intemperies quæ sunt supra iecur: quod tamen experientiæ aduersatur. Non igitur refrigerandi vim omnino amittit lactuca in sanguinem conuersa, neque eruca vim calfaciendi deponit; sed agunt adhuc aliquid in partes nutriendas, donec assimilentur. Id tamen effatu dignum non est, separatis nimirum per concoctiones præcedentes partibus fere omnibus medicamentosis. Proindeque merito nunc dixit Galenus frigida aut calida nutrimenta si semel in bonum sanguinem sint conuersa, medicamenta amplius non esse, sed nutrimenta dumtaxat. Ita vt quod puris sincerisque nutrimentis ex propria natura conuenire antea diximus, id ipsum nutrimentis medicamentosis in sanguinem iam mutatis conuenire videatur.

B CAP. VIII.

ANE omnis hæc disceptatio ab vno principio pendet, quo magis seruandum id, memoriaque tenendum perpetuo est; cuilibet corpori proprietatem quandam temperamenti esse, quæ huic quidem naturæ sit consentiens, ab hac vero sit dissentiens. Tum si quod cõueniens sibi est, in suam naturam transmutet, eo pacto caloris sui substãtiam augebit. Sin ipsum sit mutatum, duorum alterum illi continget; vel vt calorem quendam conquirat, vtique si id a quo mutatur excalfacit; vel proprium calorem amittat, si id non calfacit. Liquet igitur ex his, quod eiusmodi omnia ex eorum
C *sunt numero quæ relata ad aliquid dicantur, cum ad proprietatem mutãtis naturæ, quidquid assumitur vel nutrimenti, vel medicamenti, vel vtriusque rationem sortiatur. Verbi gratia, cicuta sturno nutrimentum est, homini medicamentum. Rursus coturnici veratrum nutrimentum est, hominibus medicamentum; siquidem coturnicum temperies assimilare sibi veratrum potest, quod hominum temperies non potest.*

Explicata natura ac viribus eorum quæ dicuntur potestate talia, accedendũ iam erat ad tradendam methodum explorandi facultates medicamentorum. Prius tamen ea omnia quæ dicuntur potestate talia, ad aliqnid necessario referri, potissimumq. ad hominem, hoc capite demonstrat, posito hoc principio. Cuilibet, inquit, corpori proprietas quædam temperamenti inest, quæ quibusdam
D naturis consentiens est, ab aliis vero dissentiens. Vocat autẽ temperamenti proprietatem nõ virtutem aliquam cœlestem corporibus inditam; sed certãquandam elementorum constitutionem, quæ vnicuique corpori est propria, cuiusq. ratione vnumquodq. corpus ab aliis omnibus distinguitur. Hæc autẽ nõ solam qualitatũ temperiem, sed etiã substantiarum mixtionẽ amplectitur; nã vt qualitates certũ habent tẽperationis modum, ita & substantiæ certũ habent modum mixtionis. Ac quoniã tẽperationis & mixtionis modi pene infiniti esse possunt, mirandũ profecto non est, si tam variẹ sint tẽperamentorum proprietates, vt sua cuiq. corpori esse possit. Ex hac tẽperamẽti proprietate nascitur inter mixta substantiæ similitudo, ac dissimilitudo. Ea nãq. dicũtur habere inter se substãtiæ similitudinẽ, in quibus affinis est tẽperamentorum proprietas; dissimilitudinẽ vero, quæ temperamentorum proprietatẽ nullo modo habent affinem. Quod si temperamenti proprietas non tantum dissimilis sit, sed etiam contraria; & totius

substantiæ contrarietatem inesse necesse erit. Porro vt ex temperamenti proprietate substantiæ similitudo, aut dissimilitudo, aut contrarietas ortum habet; ita etiam ex his tria illa genera rerum quæ dicuntur potestate tales nascuntur. Si enim substantiæ similitudinem ita inter se aliqua habeāt, vt ipsorum alterum ab altero prorsus mutari, & alterius substantiæ assimilari possit; erit profecto id quod assimilatur eius quod assimilat nutrimentum. Si vero inter aliqua ea sit substantiæ dissimilitudo, vt neutrum in alterius substantiam transmutari, sed alterum ab altero tantum mutari queat; erit hauddubie id quod mutat eius quod mutatur medicamentum. Quod si substātiæ similitudinem partim habeāt, partim dissimilitudinem, ita vt quod prius egit ab altero deinde patiatur, ipsique assimiletur; habebit sane id & nutrimenti & medicamenti rationem. Quoniam vero & eorum quæ mutant, & eorum quæ mutantur, diuersæ sunt proprietates ac naturæ; recte Galenus colligit, nutrimenta, medicamenta, & quæ vtriusque rationem obtinent, ad aliquid necessa io dici. Neque enim eadem sunt nutrimenta, aut medicamenta equorum, boum, & hominum; immo sæpe fit, vt quod alicui animali nutrimentum est, alteri sit medicamentum, & contra. Veluti cicuta nutrimentum est sturno propter substātiæ similitudinem, homini vero ob dissimilitudinem est medicamentum frigore interimens. Quamuis caliditas homini insita, arteriarumque amplitudo, & valida eatundem attractio, in caussa quoque sint, cur cicuta hominem interficiat, vtpote quę integris viribus distribuatur ad cor; sturnum vero ob caussas contrarias nutriat, cum diutissime detenta tandem vincatur, vt ipsemet Galenus alibi explicauit. Præterea veratrum medicamentum est homini noxium, coturnici autem ob substantiæ similitudinem familiare est nutrimentum.

Lib. 3. simp. cap. 18.

Ergo manifestum iam arbitror factum, quod iudicium eius quod respectu nostri calidum, frigidum, humidum, & siccum dicitur, non ex iis quæ extrinsecus sunt posita, sed ex iis quibus ipsi afficimur, certum exactumque fieri possit; atq. id tāquam primum ac maxime sit spectādum; deinde si res exigit, etiam quod ab externis petitur. Nā si euidens ad sentiendum & clarus sit adhibiti medicamēti effectus, huic reliquis notis omnibus posthabitis credendum. Sin debilis, & obscurus, aut etiā mistus, aut vllam omnino dubitationē sit exhibens; tum vtiq. ad externa omnia conferentes, de eo iudicandum. Ac neq. horum quidem ad ea quæ longius absunt, sed quæ ab ipsa quæsitæ rei substantia sunt desumpta. Verbi gratia, si oleum calidum est, non id inde spectandum, quod glutinosum, aut pallidum, aut leue est; sed quod facile inflammatur: id namque erat illi calidum potestate esse, quod celeriter in energia calidum mutatur. Ad eundem modum & in corporibus nostris non vtique id expendendum, an crassarum partium, an tenuium, an humidum, aut leue, aut glutinosum, aut pallidum; sed an calfaciat admotum. Aeque vero an dulce sit, an aluum deiiciat, an sanguinem si instilletur faciat in missione fluxilem; quippe hæc quoque superuacua sunt, cum æstimare liceat, an calfaciat cum admouetur. Ergo si notabiliter id valenterque faceret quemadmodum piper, vtique clarum id

procul

A *proculque dubio esset; nunc cum minime valenter id præstet, merito in quæstionem venit. Multo vero magis de rosaceo & aceto dubitatur a medicis atque ambigitur, calida ne hæc, an frigida potestate sint. Agendum igitur id est, vt in omnibus quæ potestate calida, frigida, humida, siccave dicuntur, exactas aliquas clarasque discretiones inueniamus, sicut ante de energia sic dictis fecimus. Porro incipiendum arbitror ab iis quæ euidentissima sunt, quando in his exercitatus facile consequetur ea quæ minus sunt euidentia.*

Si nutrimenta & medicamenta ad aliquid dicuntur, ferendum de his iudiciũ est eius semper habita rarione, ad quod dicuntur esse talia potestate. Ceterum cum corpus humanum huius nostræ artis sit subiectum, de solius hominis nutrimentis ac medicamentis sollicitos esse medicos oportet: neque enim nostra interest, B de boum, equorum, canum, aliorumque animaliũ, aut etiam plantarum nutrimentis medicamentisque disserere. Quamobrem merito nunc monet Galenus, seruandum id perpetuo esse tamquam explicandæ methodi principium, vt de nutrimentis medicamentisque iudicemus, habita solius hominis ratione, ceterisque rebus externis ad quas referri possent, prorsus explosis. Est autem duplex ratio explorandi facultates medicamentorum facta ad hominem collatione. Vna quidem certissima, quam tradit sequenti capite, & exercet copiosissime tribus libris prioribus de simplicium medicamentorũ facultatibus; quæ soli experientiæ innititur seruatis quibusdam præceptionibus. Altera vero difficilior est & minus certa, quæ ex natura & generatione saporum omnino pẽdet: quam sane hoc libro silentio præteriit, & libro quarto simplicium diligentissime C tradidit. Prior vero quã hoc libro persequitur, ex effectu vel actione quam medicamenta exercerent nobis admota, ipsorum facultates explorare docet. Quippe si ab admoto medicamento hominem calfieri experiamur, potestate calidum haud dubie dicetur; quemadmodum etiam potestate frigidum, si hominem refrigerari obseruemus. Idem dicendum de humidis & siccis. Hæc sane explorandi ratio satis esse potest, vbi manifesta ac valens est admoti medicamenti actio; si vero imbecillior fuerit aut minus euidens, (qualis in iis esse solet quæ in primo recessu sunt talia, vel cõtrariis facultatibus sunt prædita) cogimur interdum ad res externas, potissimumque ad ignem confugere; cuius sane maxima vis est ad obscuras medicamentorum facultates detegendas. Siquidem ita natura comparatum est, vt quæcumque ad ignem sunt potestate calida, eaD dem quoque ad nos sint calida potestate; dummodo illa seruentur quæ secundo capite explicauimus. Porro siue ad ignem, siue ad hominem expendendæ sint medicamentorũ facultates, non est ex iis quæ longius absunt iudiciũ ferẽdum, sed ex iis potius quæ ad quæsitæ rei essentiam pertinent. Cum enim ea dicantur potestate talia quæ possunt actu talia fieri; siquid ad ignem dicitur potestate calidum, id certe in ignem facile transmutabitur. Simili ratione quod potestate calidum ad hominem dicitur, non aliunde certius tale esse iudicabitur, quã quod hominem calfaciat. Quæ vero à quæsitæ rei essentia longius absunt, inutilia prorsus sunt censenda; cuius generis sunt substantiæ tenuitas aut crassities; leuitas aut grauitas, densitas aut raritas; colores; odores; & sapores: quamuis ex his non parum iuuemur ad facultatum inuentionem. Quamobrem merito Galenus libris prioribus de simpliciũ medicamentorum faculta-

facultatibus veteres quosdam medicos reprehendit, qui optima facillimaque iudicandi ratione neglecta, ad incertas inutilesque, ex iis quæ longius absunt petitas, temere sunt digressi: vnde factum est, vt nihil de medicamentorũ facultatibus certo pronunciare potuerint. Ceterum licet hæc experiundi ratio in iis medicamentis quæ manifestam edunt actionem, facilis sit ac certa; in aliis tamen quarum actio infirmior ac minus euidẽs est, non omnino facilis apparet, veluti in oleo, aceto, & rosaceo; de quorum viribus variæ ac inter se pugnantes olim exstiterunt veterum philosophorum ac medicorum opiniones. Quamobrem vt tuto possimus medicamentorum omnium vires per experientiam explorare, methodo aliqua indigemus, qua instructi id artificiose præstemus: hãc autem sequenti capite proponet. A

CAP. IX.

RGO statim vt corpori hoc vel illud medicamentum cibusve admouetur, expers esto omnis adquisititii caloris vehemẽtis aut frigoris. Quam enim in superioribus determinationem iniuimus, cum sicca & humida corpora dignoscenda proposuimus; eadem nobis nũc quoque in iis quæ potestate calida frigidaque sunt, non minus erit vtilis. Nam siue potestate frigidum cum id applicas manifeste calfacias, siue calidum refrigeres; corpus primo occursu, qualitatis adquisitæ, non eius quæ propria est rei admotæ, sensu afficitur. Vt ergo admotæ rei vera sinceraque natura exploretur, tepidum quoad fieri maxime potest esto, nec vllam extrinsecus notabilem alterationem valentis caloris frigorisve ceperit. Ac prima quidem admoti medicamenti præparatio talis esto. B C

Methodus explorandi facultates medicamentorum ex quinque præceptionibus constituitur. Prima est, vt medicamentũ adscititiæ qualitatis, potissimũq. vehementis caloris aut frigoris sit expers; ne scilicet propria medicamenti vis ab adscititia qualitate obscuretur. Quippe si medicamentũ potestate frigidum (qualis est lactucæ succus) vehementer calfactum assumatur, cum primo statim occursu calfaciat, potestate calidum fortasse censeretur. Et succus absynthii qui potestate est calidus, censeretur potestate frigidus, vbi niue refrigeratus exhibetur, quoniam primo occursu refrigerat. Erit autem quod assumitur medicamentum externi caloris aut frigoris expers, si tepidum admoueatur; nam quæ tepida sunt, neque calfacere primo occursu possunt, neque refrigerare. At si medicamentum quod admouetur tepidum hominem calfaciat, erit haud dubie potestate calidum; quemadmodum etiam potestate frigidum, si hominem refrigeret. Hanc legem repetit lib. 1. simp. cap. 3. D

Applicatur autem, cum eius vim exploras, non cuilibet corporis affectui, sed simplicissimo, & quoad fieri maxime potest summo. At si summi quidem caloris affectioni admotum frigoris sensum excitet, erit profecto sic frigidum. Pari modo si frigido affectui applicatum calidum statim appareat, id quoque erit calidum. Sin vel calidæ affectioni calidum, vel frigidæ frigidum sentiatur; non est quod illud calidum, hoc frigidum omnino pronuncies. Est enim aliquando summi caloris

A *caloris affectus, quem mediocriter frigidum medicamen adeo non alterat, vt refrigerando densandoque summum extrinsecus corpus, calorem intro concludat, ac difflari vetet, indeque affectum magis accendat. Ita vero & si quod frigido affectui admouetur nullum adferat calorem, videndum est, num id cum sit aliquid mediocriter calidum, nihil egit in affectum qui summi indiguit caloris.*

Medicamentum cuius vim exploras, tepidum admoueri potest corpori temperato, aut intemperato intra sanitatis limites adhuc constituto, aut etiam intemperato præter naturam affecto: his namque omnibus modis aquæ facultatem inuestigauit Galenus, cum de hac re ageret. Hic tamen omissis prioribus Lib.1.simp.c.4 tertii dumtaxat meminit, quia cum morbosa intemperies à naturali statu plurimum recesserit, medicamentum exposcit validis viribus præditum, cuius actio B euidens esse solet. Est igitur hæc secunda præceptio, vt applicetur medicamẽtum affectui simplicissimo, & quoad fieri possit summo. Simplicissimũ affectum vocat, non solum (vt plerique volunt) intemperiem nudam, sed in vniuersum omnem intemperiem simplicem, quæ scilicet nulli alteri morbo, aut caussæ, aut symptomati complicetur; in hac enim curanda medicamenti admoti vis facile deprehenditur, quæ tamen in complicatis affectibus plurimum obscuratur. Neque vero simplicem esse affectum tantum præcipit, verum etiam summum; quia quo maior fuerit affectus, eo euidentior erit medicamenti affectum sanantis actio. Porro iuxta hoc secundum præceptum medicamenti facultatem ad hunc modum colligemus. Si homini calida intemperie, simplici, ac summa laboranti, frigoris sensum excitet admotum medicamentum; erit necessario potestate frigidum. Ita quoque si in curanda frigida intemperie, summa, ac simpli-C ci, admotum medicamentum caloris sensum inferat, calidum erit potestate. Non tamen sic recte colliges, medicamentum admotum in calida intemperie caliditatis sensum auget, ergo est potestate calidum. Fieri namque potest, vt à medicamento potestate frigido calidus affectus ex accidenti augeatur, calore scilicet ad interna reuocato, & ab cutis densitatem difflari prohibito. Neque rursus sic recte colliges, admotum medicamentum frigiditatis sensum auget in affectu frigido, ergo est potestate frigidum. Accidit enim interdum, vt medicamentum natura calidum, frigidum affectum ex accidẽti augeat, dissipando scilicet calidam corporis substantiam. Iam vero neque hæc optima est colligendi ratio, admotum medicamentum, calidum affectum non refrigerat, ergo non est potestate frigidum. Rursus neque hæc altera, admotum medicamentum non D calfacit affectum frigidum, ergo non est potestate calidum. Nam si medicamẽtum affectu sanando sit imbecillius, ipsius actio propter affectus vehementiam euanescit. Veluti si curanda sit frigida intemperies in tertio recessu, applicetur vero medicamentum calidum in primo; affectum quidem nequaquam sanauerit, fuerit tamen nihilominus potestate calidum. Proinde in sequentibus merito præcipiet, medicamenta curandis affectibus debere esse æqualia.

Ergo nec sic admoti medicaminis exploranda vis est, nec si ex accidenti aliquid efficiat, non per se. Iudicabis autem quod ex accidenti aliquid facit, tum ex affectu ipso, tum tempore. Ex affectu, si is simplex est & vnus; at a tempore determinabitur iudicium ad hunc modum. Quod protinus vt admotum est, calfacere vel refrigerare manifeste cernitur, id vtiq. & ex se & per se tale fuerit:

*quod tẽpore id facit, fortasse ex aliquo accidẽti huc est actũ. Veluti iuueni quadrati corporis, tetano æstate media laboranti, frigida liberaliter affusa caloris repercussum facit. Ceterum quod aqua frigida per se non calfaciat, ex primo eius occursu patet; sensum nãq. inuehit frigoris; præterea cutim quoad ei affunditur, frigefacit; tum calorem nec in omni tempore, nec dum affunditur inuehit; immo tantum in iuuene quadrati corporis, & æstate media, & postquam a perfundendo est cessatum. Sicut igitur frigida quibus incidit hæc illico perfrigerat, siue animata corpora sint, siue non animata, siue calida, siue frigida; ita si quod esset tẽpus, vel corporis natura, vel affectus vllus, in quo frigida primo statim occursu caloris sensum inueheret, iure quæri posset, calfacere ne, an frigefacere per se nata esset. Nunc autem cum omnia tum animata tum inanimata protinus & perpetuo frigefieri ab ea cernamus; quibus autem insitus calor veluti fons quidam ignis in visceribus est, his adhibita repercussum aliquando caloris facit; rationabile arbitror, ex accidenti non per se talia calfacere. Sed nec latet qua ratione illud accidat, siquidem stipata clausaque corporis summa facie, repercussus refractusque fit caloris eius qui a profundo ascendit; quique simul propter difflatus inopiam est aceruatus; simul propter frigidi circumstantis violentiam in altum recedit; simul ex succis istic habitis nutritur. Quippe vbi collectus nutritusque calor ad summa corporis violentius ruit, fit quidem caloris repercussus. Indicium vero ac documentum quod frigida haudquaquam per se calorem auxit, nam per se quidem cutim perfrigerauit; frigus vero, eius densitas & reditus caloris ad profundum sunt consequuti. Rursus horum, densitatem quidem difflatus prohibitio, reditum vero ad interiora concoctio qui istic sunt succorum est adsequuta. Horum vero, difflatus prohibitio caloris colligendi; succorum concoctio eiusdem generandi fuit occasio: porro horum vtrumque caloris sequitur auctio. Ergo intercedentibus & mediis vtrisque frigida in animalis corpore caloris aliquãdo excitat incrementum, per se nũquam. Sed non minus est quando calor ex accidenti perfrigerat, vtiq. intercedẽte vacuatione, sicut perfusio phlegmonen. Cũ enim ex calida fluxione phlegmone cõsistat, propria quidẽ eius curatio vacuatio superuacui est, vacuationi autẽ, particulæ quæ per phlegmonẽ excalfacta est, omnino succedit refrigeratio. Ergo cũ duplex in iis quæ phlegmone laborãt particulis affectus sit; vnus quidẽ in quãtitate ex superuacui naturæ modũ excedentis abũdãtia; alter in qualitate, qui ex caloris spectatur ratione; sequitur prioris eorum curationem etiam posterioris curatio: fiuntque ex accidenti quæ * vacuant calentis materiæ remedia, & inflammationis particularum refrigeratoria.* A B C D

Græce sic legitur τὰ κενωτικὰ τῆς θερμῆς ὕλης. Quare sic potius cõuertendum, quæ vacuant calẽtem materiam, remedia etiã inflammationis, &c.

Tertium præceptum est, vt diligenter distinguamus an medicamentum agat per se, an potius ex accidenti: neque enim ex eo quod ex accidenti fit, sed ex eo tantum quod fit per se, colligenda est cuiusque medicamenti facultas. Distinguemus

A stinguemus an agat per se, an ex accidẽti, ex his duobus, affectu & tẽpore. Ex affectu quidem, si is simplex fuerit, & vnicus, id est (vt antea diximus) nulli alteri complicatus. Nam si admotum medicamentum frigidam intemperiem sanat, per se quidem calfacit; quemadmodum etiam per se refrigerat, quod simplicem intemperiem calidam curat. At in complicatis affectibus facile non est quod per se fit à medicamẽto, ab eo quod fit ex accidenti, distinguere. Ex tempore vero id distinguitur hoc pacto, quod primo statim occursu à medicamento fit, per se quidem fit, quod autem fit interposito temporis spatio, potest ex accidenti fieri. Veluti si admotum medicamentum primo statim occursu caloris sensum excitat, per se & propria vi calfacit; si vero post aliquod tempus caloris sensum inferat, fieri potest vt ex accidenti calfaciat. Primum vero medicamenti occursum à reuocatione in actum intelligere oportet, dummodo potestate sit tale, non actu. Sed quomodo nunc ex primo medicamenti occursu colligit per se agere, cum actionis perseuerantiam exspectandam potius esse alibi
B præceperit? Etenim (vt ipse ait) quod ab initio ad finem vsq. dum applicatum est, magis semper calfacit, id non ex accidenti calfacit, sed per se, & propria natura. Et rursus quod ab initio ad finem vsque refrigerat, id per se refrigerat, non autem ex accidenti. Monstrat præterea experientia incertam esse eã quæ ex primo medicamenti occursu desumitur distinctionem, cum medicamenta potestate frigida primo statim occursu interdum calfaciant, veluti si ab igne & ipsa primum calfacta exhibeantur. Similiter quoque & potestate calida medicamenta si nunc primum & ipsa refrigerentur, primo suo occursu refrigerant. Dicendum tamen, vtramque distinguendi rationem, & quæ ex primo medicamenti occursu, & quæ ex actionis perseuerantia desumitur, optimam esse, &
C suis locis maxime accõmodatam. Quippe si medicamentum cuius vires exploras, adscititiæ qualitatis sit expers; ex eo quod primo occursu agit, natiua ipsius facultas certo dignoscitur. Quare cum præcepisset antea tepidum admouẽdum esse medicamentũ, ne adscititius calor aut frigus natiuã ipsius vim obscuraret; merito nunc docet, primũ medicamẽti occursum obseruandũ esse. At libro primo simplicium cum eam legem nondũ constituisset, actionis potius perseuerantiã exspectandam esse iubet; cum per initia propria medicamenti vis ab adscititia qualitate adulterari possit. Porro quod ex primo occursu colligenda sit propria medicamenti facultas, exemplo aquæ confirmat, & medicamentorum quę per halitum digerunt. Aqua enim cum primo suo occursu semper refrigeret, per se refrigerare, cum vero interposito tempore calfaciat, ex accidenti calfacere dicitur. Quod autem aqua frigida interdum calfaciat, constat ex Hippo-
D crate, qui tetanum, affectum frigidũ, frigidæ perfusione aliquando curari scri-
,, psit. Est, inquit, vbi in tetano sine vlcere, iuuene eusarco, ætate media, frigidæ
,, larga perfusio calorem reuocat, calor vero hunc soluit. Ex quo aphorismo certe intelligitur, aquam per se quidem refrigerare, ex accidenti tamen calfacere. Neque enim dum affunditur calfacit aqua, sed postquam à perfundendo cessatũ fuerit. Neq. omnia corpora in vniuersum tunc calfacit, sed iuuenilia tantũ, in quibus insitus calor valentissimus est in visceribus. Immo neque hæc omnia, sed quæ mediocri habitu sunt prędita. Neque quocumque tempore hæc calfacit, sed media æstate calidissima. Calfacit autem ad hunc modum aqua, quia per se statim refrigerat, sic namque cutem densat, & intro calorem reuocat. Cuius densitatem calidi effluuii retentio sequitur, cuius occasione calor colligitur, & veluti coaceruatur, & corpus incalescit. Incalescit tamen potissimum ob caloris

Lib. 1. simp. cap. 3.

Aphor. 21. lib. 5.

loris reuocationem, quæ per antiperistasin fit, vel vt Galenus ait, ob frigidi circunstantis violentiã. Atqui ad interna reuocatus calor succos qui inibi sunt concoquit; his vero concoctis calor necessario augetur. Hæc eadem quoque est ratio, cur feliciores concoctiones hyeme fiant, quia scilicet (vt inquit Hippocrates) ventres hyeme natura sunt calidissimi. Porro quemadmodum aqua per se refrigerat, & per accidens calfacit; ita & medicamenta per halitum digerentia per se quidem calfaciunt, ex accidenti vero interdum refrigerant: id quod in partibus phlegmone tẽtatis manifeste obseruatur. Quippe cũ in phlegmone duplex (vt ait Galenus) affectus reperiatur, alter in quantitate humoris aucta, vnde ortum habet tumor præter naturam; alter in qualitate, vnde nascitur calida intemperies; iisdem profecto remediis vterque sanari potest. Nam quamuis sanguinis copia euacuantia postulet, calida vero intemperies refrigerantia; euacuationem tamen sequitur refrigeratio. Quo fit, vt medicamenta quæ sanguinem ibi contentum per halitum digerunt, calidam intemperiem simul corrigant. Hoc tamen ex accidenti præstant, euacuata scilicet calida materia; illud vero per se efficiunt, & nullo alio medio.

Aphor. 15. lib. 1.

A

B

Ergo tum hæc discernere oportet, tum id agere, vt pro modo simplicis affectus etiam virium medicamenti inueniatur modus. Verbi gratia, si calidus in summo affectus sit, frigidum quoque in summo medicamentum paretur: sin affectus a summo paulum recedat, medicamentum quoque a summo paulum declinet: si plus a summo calore affectus absit, ad portionem absit a summo frigore medicamen. Quippe si auspicatus a tali coniectura examen eorum sis, facilius propriam cuiusque inuenies vim. Ad summum enim, in omni simplici affectu calido quodcumque adhibitum medicamen primo statim occursu frigoris sensum intulit, id frigidum potestate est; ac multo profecto magis, si post primam exhibitionem tale perpetuo manet. Quod si calidum affectum prorsus sanet, frigidum id ex necessitate fuerit. Adhibendum vero est cum exploratur omnino tepidũ, vt prius testati sumus. Vbi iam cognitum est tale esse, deinde curationis caussa petitur, rectius frigidum sumitur; nisi si medicamen summi sit frigoris, morbus in summo calore non sit. Atque hæc quidem diffusius tum in opere de medicamentis, tum curandi methodo tradentur. Ad præsens illud saltẽ meminisse oportet, si quod calido & simplici affectui adhibitum medicamentum, tum protinus, tum toto deinceps tempore frigoris sensum, ac facilioris tolerantiæ iuuamentiq. laboranti adfert, id frigidum necessario est: tametsi in aliis nonnũquam videatur calidum. Deprehendetur enim in illis, si diligenter exploretur, non vtique per se, sed ex accidenti excalfacere. Cum per se dicimus, vel primum, vel nullo intercedente medio, omnibus eiusmodi verbis idem potestate significamus; in quibus omnibus lectorem in opere de medicamentis propriis exemplis exercitabimus.

C

D

Quarta hæc lex magnam habet cum secunda affinitatem, non est tamen cum illa eadem. Sancitum namque illa fuerat, vt medicamentum admoueretur corpori summo ac simplici affectu laboranti; hac vero nũc præcipitur, vt pro modo

simplicis

A ſimplicis affectus virium medicamenti modus inueniatur. Quibus verbis ſignificat, medicamenti vires curando affectui pares eſſe debere, contrarias tamen. Quippe ſi medicamentum curando affectu ſit imbecillius, nihil effatu dignum agere poterit; ſi valentius, contrarium inducet affectum: atque ita fiet, vt aut incerta, aut periculoſa reddatur eiuſmodi experientia. Si vero medicamentũ fuerit affectui æquale, præterquam quod medicamẽti facultatem cognoueris, morboſum quoque affectum ſanaueris. Quamobrem in explorandis medicamentorum facultatibus ſecundæ & quartæ legis hæc vis erit. Si corpori calida intemperie ſimplici laboranti admotum medicamentum primo ſtatim occurſu frigoris ſenſum inferat, poteſtate frigidum eſt. Quod ſi non tantum primo occurſu, ſed poſtea etiam conſtanter refrigeret, certius multo colligemus eſſe poteſtate frigidum. Si vero non ſolum refrigeret, ſed calidum etiam affectum ſanet; & poteſtate frigidum, & affectui æquale neceſſario erit. Dubitat merito B Valleſius, quorſum nunc præcipiat Galenus ei qui per experientiam medicamenti facultatem explorat, vt medicamentum curando affectui æquale admouendum curet, cum incognitus adhuc ſit caloris aut frigiditatis gradus. Dubitationem diſſoluit, dicens duplicem eſſe rationem examinandi medicamenti cuiuſpiam vires; alteram, qua inueſtigamus ſitne medicamentum calidum an frigidum; alteram vero, qua inquirimus an tali facultate ſit præditum, quale eſſe dicitur, aut ab auctoribus traditur. Priori inquit nos vti ad medicamenta noua, & quorum hiſtoria in antidotariis nondum eſt ſcripta; altera vero ad alia omnia, quorum hiſtoria ſcripta eſt in antidotariis. Hanc aſſerit nunc tradi à Galeno, illam ſuperius eſſe traditam. Sed quid, quæſo, refert veteribus cognita aut incognita eſſe ea medicamenta, quorum facultates exploraC mus, aut ipſorum hiſtoriam in antidotariis ſcriptam eſſe, ſi communem ac prorſus eandem explorandi methodum ſortiuntur? Nam ſiue noui cuiuſpiam medicamenti vires per experientiam inquiras, ſiue examinare velis quæ de alicuius medicamẽti facultate prodita ſunt à veteribus; hac ſola methodo quod quæris inuenire licebit. Quomodo igitur, inquies, affectui æquale medicamentum inueniet, qui ipſius facultatem nunc primum explorat? Quomodo quæſo aliter quam per experientiam, vſus per initia artificioſa coniectura? Nam ſi in calido affectu admotum medicamentum frigoris ſenſum excitet, affectum tamen minime ſanet; poteſtate quidem frigidũ, ſed affectu imbecillius eſſe eiuſmodi medicamentum certe intelliget. At ſi admotũ medicamentũ non ſolum frigoris ſenſum excitet, ſed affectum omnino ſanet, neque affectũ contrarium inducat, affectui æquale eſſe cognoſcet. Monet tamen Galenus, vt ſi propriẹ faD cultatis explorandæ gratia eiuſmodi medicamentum admouetur, quoad fieri poteſt tepidum applicetur, vt ſcilicet expers ſit (vt antea diximus) adſcititiæ qualitatis. Si vero cognita iam ipſius vi curationis cauſſa admoueatur, frigidũ admouere præſtat, vt calidam intemperiem facilius ſanet, niſi fortaſſe curando affectu ſit multo valentius; periculum enim tunc imminet, ne ſublato calido affectu frigida intemperies gignatur. Quo tempore ſatius fuerit, poteſtate frigidum medicamentum actu calidum exhibere, vt ab adſcititio calore frigida ipſius vis quodammodo retundatur. Eadẽ ratione ſi in frigida intemperie medicamẽtum poteſtate calidum curationis cauſſa applicetur, præſtat itidem calfactum admouere, vt in frigidum affectum valentius agat, niſi affectus frigidus a medicamento calido longo interuallo ſuperetur; periculum enim tũc imminet, ne frigido affectu ſanato calida intemperies relinquatur. Quo caſu vtilius fuerit

fuerit medicamentum poteſtate calidum actu frigidum applicare, vt ab adſci- A
titia frigiditate inſignis calfaciendi vis vtcumque caſtigetur. Monet tamen eſſe quoque hic diſtinguendum, an medicamentum ita admotum per ſe agat, an ex accidenti. Docetque idem prorſus ſignificari, ſiue per ſe dixeris, ſiue primo, ſiue nullo alio medio, vt teſtatur etiam lib. de differ. ſympt. cap. 1. Vnde colligemus, ex accidenti, ſecundario, & alio medio, idem prorſus ſignificare.

Nunc recenſitis iis quæ ante iam dixi, propoſito libro commodum imponere finem tentabo. Cum namque calidum corpus multifariam dicatur, (nam & quod ſummam eiuſmodi habet in ſe qualitatem, ipſum ſcilicet elementum; & quod propter eiuſmodi qualitatem pollentem nomen eſt ſortitũ; adhæc quod collatum ad aliud dicitur, vel ad id quod mediocre eiuſdem ſit generis, vel quidquid ſors tulerit) ſic & quod poteſtate calidum eſt, energia vero nondum dici poteſt, intel- B
ligi probarique multis modis oportet. Quo vtique minus recte ſi quid non ſtatim inflammatur, id aliqui ne vt ad nos quidem eſſe calidum poteſtate putant. Nam ſiue facile concoquitur, & cito nutrit, erit vt ad nos calidum; ſiue admotum veluti medicamentum calfaciat, erit id quoque vt ad hominem poteſtate calidum. Sic nimirum & per ſingulas animalis ſpecies ipſum poteſtate calidũ, ſiue eſt vt medicamentũ, ſiue vt nutrimentum, ad illud tantũ animal dicitur: eſt enim ex iis quæ ad aliquid referũtur quidquid poteſtate dicitur. Quare & probatio quæ propria eſt, melior vtiq. eſt quã quæ ab externo petitur: propria vero eſt vna in ſin- C
gulis, vtique ſi celeriter tale fieri appareat, quale id eſſe poteſtate diximus. Eſt enim poteſtate ignis quiquid celeriter in ignem vertitur, poteſtate vero calidum vt ad hominem (quæ eſt vna ex ſpeciebus eorum quæ ex eo quod in ipſis præpollet dicuntur) quidquid homini applicatum naturalis eius caloris vel qualitatem auget, vel ſubſtantiam. Eadem mihi & de aliis cenſeri dicta velim, quæcumq. ſcilicet poteſtate frigida, vel ſicca, vel humida dicuntur; cum hæc quoque partim veluti ad ipſa elementa, partim veluti ad ea quæ ex præpollente ſunt nominata, tum intelligi, tum explorari, tum doceri conueniat.

Monet tandem, iuxta ea quæ hoc libro ſæpius ſunt dicta, de nutrimentis & D
medicamentis ferendum eſſe iudicium facta ad hominem collatione, ad quem ſcilicet illa dicuntur eſſe poteſtate talia. Cuius rei occaſione docet, tot modis dici aliquid poſſe poteſtate tale, quot modis dicitur aliquid actu tale. Quæ ſane cum facilia ſint, & ex ſuperioribus ſatis cognita, noua explanatione non indigent.

Patet vero, eum qui iudicat tactum omnis adquiſititii caloris & frigoris expertem eſſe debere, ſicuti de medicamentis ipſis prius eſt dictum.

Methodum explorandi facultates medicamẽtorum nũc perficit, & vniuerſo operi de Tẽperamentis finẽ imponit, adiecta quincta præceptione. Præcipit autẽ, vt eius qui iudicat tactus, non ſecus ac medicamentũ quod in iudiciũ venit, adquiſititii caloris & frigoris ſit expers: alioqui enim incertum eſſet fallaxque iudicium.

A iudicium. Veluti si is cui medicamentũ applicatur, calorem adscititium habeat in primo recessu, nullã à medicamento in primo etiã recessu calido mutationẽ percipiet; si vero omnis adscititiæ qualitatis expers fuerit, de quocumq. medicamento certum iudicium feret. Ex quibus constat, male hunc locum explicatum fuisse à Vallesio, qui hoc Galeni præceptum ad eorum dumtaxat dignotionem quæ actu talia sunt pertinere asserit. Atqui quamuis eorum quæ sunt actu talia tactus certissimus sit iudex; nihilominus tamen & tactu eius cui medicamenta admouentur, ipsorum facultates cognoscũtur. Sed & ipsamet dictio Galeni locum hunc de medicamentis intelligendum esse apertissime declarat; cum & tactum qui iudicat, & medicamentũ quod iudicatur, adscititii caloris & frigoris expertia esse velit. Adde quod aliena prorsus sit ab huius libri instituto eorum quæ actu talia sunt dignotio, quæ ad præcedentes libros potius pertine-
B re videtur. Neque vero huiusmodi præceptum necessarium tantum est, quando medicamentum corpori temperato admouetur; verum etiam quando applicatur corpori morbosa intemperie laboranti. Siquis ergo medicamentorum facultates per experientiam cognoscere cupit, is methodum hactenus traditam, & ex quinque illis præceptis constitutam ad vnguem obseruet. Quod si breuiori via progredi cupiens, citra experientiam velit ex odoribus, potissimumque ex saporibus de facultatibus medicamentorum iudicium ferre; consulat librum quartum de simplicium medicamentorum facultatibus.

IACOBI

IACOBI SEGARRÆ ALONENSIS IN TRES LIBROS GALENI DE FACVLTATIBVS NATVRALIBVS COMMENTARII.

IN LIBROS DE FACVLTATIBVS NATVRALIBVS

PRÆFATIO.

T ab elementis temperamenta, ita & à temperamentis fa- A
cultates, ab hiſque rurſus actiones dimanant. Siquid enim
certi de facultatum eſſentia ſtatuendum ſit, neque de hac cũ
Scepticis perpetuò dubitandum, aut deſperandum de ipſius
cognitione cum Empiricis; ipſam profectò ad cõcretionem
atomorum cum Aſclepiade, Epicuro, & Leucippo; aut cum
Hippocrate ad quattuor primarum qualitatum temperiem
Lib.1.ſimp.c.1. referre oportet. Quare meritò Galenus primas quattuor qualitates non ſolum
in medicamentis, ſed etiam in ceteris omnibus effectricum facultatum eſſen-
tias conſtituit; cum & medicamenta, & cetera omnia corpora quæ facultatibus
prædita dicuntur, ob certam quandam qualitatum temperiem hoc vel illo mo-
Lib.de conſt. artis med.c. 4. do agere videantur. Quo itidem pacto ſingulæ noſtri corporis partes proprias
actiones exercere credũtur, vtpote quę otioſæ non ſint, neque ſolum præbeant
Lib. de conſt. art. med. cap. 5.& lib.de ſangui. miſſ. c. 4. vſum, vt partes domus. Quippe cum ex partibus ſimilaribus & organicis con-
ſtituatur corpus; ab his quidẽ ſecundariæ, ab illis verò primariæ actiones exer-
centur. Immo propriarum functionum cauſſa, potius quã propter ſeipſas cor- B
Lib. 1. metho. meden. cap. 9. poris partes expetimus; quæ ſane ſi nihil agant, veluti moleſtum quoddã onus
reliquo corpori eſſe ſolent, vt in paralyticis experimur. Porro cum earum quæ
in noſtris corporibus exercentur actionum multiplex ſit genus, alienum omni-
no à ratione fuerit, vnicam facultatem conſtituere, quæ (vt falſo credidit Chry-
ſippus) & ratiocinetur in homine, & iraſcatur, & concupiſcat. Sunt igitur cum
Hippocrate, Platone, Ariſtotele, Galeno, atq. etiam Poſſidonio Stoico, plu-
res facultates neceſſario concedendæ; quarum numerum Plato omnium primus
optime demonſtrauit.

An verò idem ſit facultatum omnium principium, & ſedes eadem, inter ve-
teres olim, & nunc inter recentiores philoſophos ac medicos maxime eſt contro-
uer-

A trouersum. Plato quidem non tantũ facultates, sed & animas ipsas diuersis facultatibus præditas, essentia & sedibus distinctas esse voluit. Tres namque animas specie distinctas constituit, concupiscibilẽ, irascibilẽ, & tertiã, quæ in brutis sentiens, in homine vero rationalis appellatur. Concupiscibilẽ sic appellãdam esse censuit veluti per excellentiã quandam, quod quãuis suos appetitus & aliæ habeant, sint tamẽ huius multiplices & maxime insignes. Nam licet in plãtis (quibus etiam cõmunis est) cibũ appetat & potũ; in animalibus tamẽ fertur etiam in venerẽ; cuius ratione variæ cuidã, & multorũ capitum belluæ similis esse dicitur. Irascibilis ex vehementissimo affectu, scilicet ira, appellationem obtinuit. Appetit hæc quæ ardua sunt & difficilia, vt vindictã, gloriã, honores, atque victoriã; proptereaq. merito cõparatur leoni. Variis quoq. pathematis afficitur, vt ira, metu, gaudio, mæstitia, & verecũdia; homini tamẽ priuatim tributa videtur in rationis ministeriũ. Quippe aduersus vehemẽtissimos concupiscibilis impetus, rationi mirifice auxiliatur, simul cum ipsa stans, eamq. strenue defendẽs, non secus ac canis auxiliarius hominẽ: nisi forte (vt aliquãdo cõtingit) vna cum concupiscibili aduersus rationẽ insurgat. Rationalis ex actione omniũ præstantissima nomen sortita, quæ quidẽ bona sunt appetit, aut saltem quæ boni speciẽ præ se ferũt. Hanc immortalẽ esse, & à corpore separabilẽ, Plato verissime credidit. Cum enim vera sit substantialis hominis forma, de potentia materiæ (vt Philosophi loquũtur) nequaquã educitur, vt reliquorũ corporũ quæ oriũtur & intereunt formæ; sed à Deo Opt. Max. ex nihilo creata, in corpus ipsum infunditur. Coërcet hæc ac moderatur multiplices irascibilis & concupiscibilis motus, cũ vtriq. præsit veluti auriga equis. Quo tempore virtutes emergũt, quibus ceu gemmis quibusdã exornata splendet; quemadmodũ si ab affectibus victa se trahi sinat, viciis criminibusq. scatens, diuinã illam pulchritudinem amittit.

Lib. 9. de repu. in Phædro, & in Timæo.

Lib. 4. & 9. de repub.

B

C Neque vero essentia tantũ, sed etiã sede tres istas animas distinguẽs Plato, Concupiscibilẽ in iecore, Irascibilẽ in corde, Rationalẽ vero collocauit in cerebro. Aristoteles tamẽ à Platone in eo dissentit, quod quemadmodũ vnica est in plantis anima, quã ipse vegetãtem vel altricẽ vocat; ita & vnicam in brutis, scilicet sentientẽ, vnicã quoq. in homine, nẽpe rationalẽ, esse velit; quæ diuersis facultatibus prædita cõcupiscat, irascatur, & ratiocinetur. Hanc vero nõ collocat in cerebro cum Platone, sed potius in corde, probabilibus rationibus vtcumq. persuasus. Nam quia mediũ totius corporis locum obtinet, vnde facultates in reliquum corpus cõmode diffundi possunt; & quia melius est vnicũ in homine (vt in bene gubernata republica) principiũ statuere quam plura; vnicũ facultatũ omnium principiũ ac sedem constituit cor. Quod autẽ facultatis naturalis principiũ sit, tribus rationibus priuatim confirmat; quia scilicet inter omnia viscera primũ formatur; & quia principiũ sanguinis est, cõmunis omnium partiũ alimenti, cum plurimum intra propriam substãtiam sanguinem contineat; & tandem quia principium est venarum, cùm vena nulla transeat per cor, quemadmodum per alia viscera. Ostendit quoque facultatis animalis principium esse cor, proindeque animæ sedem, quoniam & alimenti, & spiritus, sensusq. & motus principium est. Porro quod sit cor principiũ motus, ex eo constare inquit, quod omnium corporis partium primum moueatur, & omniũ vltimum cesset à motu. Magnam quoq. neruorum copiã in corde reperiri affirmat, ex qua colligere liceat, neruorũ originẽ esse cor, proptereaq. principiũ sensus & motus. Atq. hæc quidẽ præcipuæ sunt Peripateticorũ & Stoicorũ rationes; nam quæ à Diogene & Chrysippo traditæ fuerant, nullã (vt Galenus refert) probabilitatem præ se

Lib. 3. de part. anim. cap. 4.

D

ferebant. Ceterum Galenus Platonẽ sequutus, tres in nobis esse facultates sede omnino distinctas, aduersus Peripateticos & Stoicos firmissimis rationibus demonstrauit. Atq. vt ab eo quod ab omnibus cõcessum est exordiamur, ex animi perturbationibus, (vt ira, metu, gaudio, mærore) in quibus cor ipsum à naturali statu maxime deturbatur, irascibilẽ facultatem in corde sedẽ habere certissime intelligitur. Arteriarũ præterea (in quibus pulsus elucet) exortus, cor facultatis vitalis sedẽ esse aperte declarat: nam (vt ex anatome constat) arteria omniũ maxima ex sinistro cordis vẽtriculo ortũ habet. Iam vero quod cerebrũ potius quã cor, animalis facultatis principiũ sit, proindeq. animæ domiciliũ; ex principio ab ipsomet Aristot. recte concesso necessario colligitur. Ea namq. corporis pars cẽsenda est animæ sedes, quæ principiũ est sensus & volũtarii motus. Et rursus quæ pars est principiũ neruorum, eadẽ quoq. est sensus & motus principiũ; cum per neruos descẽdat facultas sentiẽs & mouens ad propria sensuũ & motus instrumẽta. Atqui mõstrat anatome nullũ ex corde oriri neruũ, ex cerebro vero septem nasci neruorũ paria, & spinalẽ præterea medullã, quæ reliquorũ omnium neruorũ est origo. Adhæc collisis aut vulneratis vẽtriculis cerebri, concidit statim animal sine sensu & motu, seruato pulsu cordis & arteriarũ: at cõpresso corde solus perit pulsus, seruato sensu & motu: ergo cerebrũ principiũ est volũtarii motus & sensus, non autẽ cor. Præterea male affecto cerebro principes animæ actiones lædi solent, vt in melãcholia & phrænitide; à quibus inseparabile est deliriũ, imaginationis, aut rationis, aut vtriusque deprauatio. At laborante corde syncope potius quã deliriũ contingit. Quod si in melãcholia & phrænitide cor potius quã cerebrũ affici dixeris, cur potius capiti quam pectori topica admouemus remedia? Hæc itaq. omnia facillime demõstrant, cerebrũ esse facultatis animalis principiũ. Difficilius multo demõstrari potest, facultatis naturalis principiũ esse iecur, quia nullius euidentis motus initiũ est, quemadmodũ cor & cerebrũ; neq. colliso iecore, aut vinculo exceptis venis, aliqua statim sequitur sensibilis noxa. Nihilominus tamen cum & venarũ & sanguinis principiũ sit, concedẽdum est necessario facultatis naturalis esse principiũ. Venarũ quidẽ principiũ est iecur, quoniã vena omniũ maxima, quã cauam etiã appellãt, ex ipso originẽ trahit. Sed id negat Aristot. qui ex corde potius oriri contẽdit. Neq. facile est hanc litem dirimere, cum in vtroq. viscere caua vena cõspiciatur; præsertim cum Andreas Vesalius, anatomicus diligẽtissimus, Aristot. sentẽtiam de venæ cauæ exortu amplectatur. Verũ licet de prima cauæ origine dubitari possit, certissimum tamẽ est, alterã illam venã quam portam vocãt, ex iecore nasci, nullamq. cõmunitatem habere cũ corde. Aut igitur duo venarũ principia constituere, aut venã etiam cauã ex iecore nasci, concedere oportet. Animalia præterea quæ pulmone carere creduntur, dextro itidem cordis ventriculo carere necesse est; ex quo tamen vena caua oriri debuisset. Est quoque iecur principiũ sanguinis, communis omnium partium nutrimenti; quãuis id neget Aristoteles, qui iecur quidem sanguinem cordi dumtaxat præparare, cor autẽ perfectum sanguinem gignere asserit. Sed quomodo constare id possit non video, cum omnes quæ sub septo trãsuerso sunt partes, ex iecore potius quam corde sanguinẽ ad sui nutritionem accipiant. Immo & septum ipsum & pericardion sanguinem accipiunt ex vena caua, antequam hæc dextrum cordis ventriculũ ingrediatur. Sed quid pericardion, aut septum transuersum commemoro, cum nutriatur etiam cor sanguine per venam coronariam ab hepate accepto? Adde, quod si iecur sanguinẽ tantum præparat cordi, in hoc potius quã in iecore à suis excrementis

Lib. 6. de Hip. & Plat. decret. cap. 3.

Lib. 6. de fab. corp. hum. cap. 12.

A mentis expurgaretur, quod est manifeste falsum; cum à vesica quæ iecori subest, liene, & renibus secundũ naturã expurgetur. Oportuisset preterea in dextro cordis ventriculo duas esse venas, alterã scilicet, per quã susciperet cor rudem adhuc sanguinẽ ex iecore; alterã vero, per quam perfectũ sanguinem à se genitũ, ad vniuersum corpus trãsmitteret. Atqui nulla est in dextro cordis ventriculo vena, per quã sanguis in vniuersum corpus distribuatur; nam vena arterialis ad solũ pulmonem sanguinẽ defert. Verum cum iecur sanguinis venalis principiũ statuimus, alterius cuiusdam sanguinis principiũ esse cor minime inficiamur; sanguinis inquam arterialis, qui ex venali in sinistro ipsius vẽtriculo gignitur.

Sed iam expendamus Aristotelis rationes, quæ verissimam hanc de facultatum principiis Platonis & Galeni sententiam nullo pacto subuertunt; cum aliæ probabiles tantum sint, aliæ vero falsum assumant. Inprimis enim quæ tanta esse
B potest situs vis, vt colligat ex eo cor esse omnium facultatum principium? Neq. enim situs ad quæsitæ rei essentiam pertinet. Quod si situs aliqua sit habẽda ratio, probabilius multo colligemus cerebrum esse animæ sedem, quoniam in capite, parte omnium suprema, tamquam in arce quadam, magni regis instar collocatum cerebrum, sensus omnes quasi apparitores & satellites habet circumiectos. Iam vero quod in vniuerso est cælũ, idem est in homine caput; quare sicut illud Dei domicilium habetur, ita in cerebro rationis atque animæ sedes collocari debet. Si vero medium locum supremo præferendum esse contendat Aristoteles, neque cor medium totius corporis locum obtinuisse intelligat, sed potius vmbilicum; quem sane (si solius situs ratio habẽda sit) animæ sedem statuere oportebit. Neque melius erat vnicum esse in nobis omnium facultatum principium, immo vt facultates diuersæ sunt, ita oportebat diuersa esse ipsarum principia, ex quibus in vniuersum corpus diffunderentur. Minus adhuc probabiles
C sunt Aristotelis rationes, quibus cor facultatis naturalis principium esse ostendebat. Neque enim cor omnium primum formatur, vt ipse putat, immo iecur primum gigni videtur, aut saltem vna cum corde, vt libro primo dicemus. Neq. itidem principium est sanguinis, aut venarũ, vt antea diximus; etiamsi plurimũ sanguinem intra propriam substantiam cõtineat. Id namque fit, quia per venam cauam sanguinem venalẽ ex iecore accipit, qui ex dextro ventriculo in sinistrũ transmissus, in sanguinem arterialem mutatur. Non longe ab his absunt & rationes aliæ, quibus ostendebat cor esse animæ sedem. Neque enim principium alimenti est cor; neq. si esset, animæ sedes propterea esset; cum alimenti principiũ reuera sit iecur, quod tamen animæ sedes non est. Porro cum ait, cor esse principium neruorum, quoniam neruorum copia in ipso reperitur, bifariam peccat. Quamuis enim neruis reuera abundaret cor, non recte inde colligeret esse ner
D uorum originem. Quippe & in ventriculi orificio, & in manibus, & pedibus neruorũ copia reperitur, nemo tamẽ neruos ex his partibus oriri vere dixerit. Sed neque multi, neque magni nerui conspiciũtur in corde, immo exiguũ dumtaxat neruũ ex sexto pari neruorũ cerebri ortũ in corde monstrat diligens etiã dissectio. Aristoteli autẽ errandi occasionẽ præbuit Herophilus, neruosas discriminationes plurimas in corde reperiri affirmãs. Atqui neruosæ istæ discriminationes nerui nõ sunt, vt putabat Aristot. sed fines potius membranarũ quæ orificiis vasorũ cordis adiacent, quas anatomici valuulas appellãt. Illud fortasse verius ab Arist. dictũ videbitur, quod spiritus & motus principiũ sit cor, ac propterea animæ sedes. Est quidẽ cor spiritus principiũ, spiritus inquã vitalis, qui nullum animæ actionibus obeũdis vsum præbet, vtpote qui solius naturæ sit instrumẽtũ. Alter vero spiritus, qui animæ instrumentũ est, & animalis propterea dicitur;

Lib. 1. de Hip. & Plat. decret. cap. vlt.

in solo gignitur cerebro. Eadem ratio & motus est, nam qui motus in corde viget, naturalis est, non voluntarius; quæstio tamen erat de sensus & voluntarii motus principio. Hæc si expendissent recentiores quidam Philosophi ac Medici, qui in Aristotelis verba sensibus omnino neglectis iurarunt; neq. in vanis excogitandis solutionibus, neq. in componendis auctoribus in hac quæstione de animæ principatu omnino interse dissidentibus, tantopere laborassent. Quod si omni animi affectu, atq. in Aristotelem obseruantia tantisper deposita, Galeni rationum vim diligenter expendere velint, venarumq. & neruorum exortum sibi monstrari patiantur; nō dubito futurum, quin Peripateticorū Stoicorumq. opinione reiecta tandem recipiscant, triaq. trium facultatum distincta principia cum Hippocrate, Platone, & Galeno constituant. A

An vero vnica sit in homine anima, his tribus facultatibus prędita, an vt tres sunt facultates, tres quoque animæ sint concedendæ, vna quidem rationalis & immortalis, duæ mortales & irrationales; olim quidem maxime controuersum fuit, Platone plures, Aristotele vero vnicam statuente. Quidquid tamen de hac re sacrosancta Romana Ecclesia in Synodo Constantinopolitana quarta, aut alibi decreuit, id ego firmissime amplector, ac recipio, & ad extremum vsque vitæ spiritum amplexurum profiteor. B

Reuertamur igitur ad facultates, de quibus instituta est disputatio, quarū singulas ex suis principiis in reliquas partes influere, ab omnibus Philosophis pariter ac Medicis concessum video. Animalis itaque facultas (vt de hac primum agamus) ex cerebro tamquam proprio principio per neruos influit in vniuersum corpus. Sed quoniam cerebrum duplici membrana secundum naturam inuoluitur, tenui, & crassa; dubitari potest, an ex propria cerebri substantia, an potius ex menyngibus eiusmodi facultas influat. Erasistratus olim cum exteriorē nerui partem per longum tēpus solam cōspexisset, quæ à crassiore cerebri membrana ortum habet; ab ea totum neruum oriri, vimq. animalem ab eadē descendere arbitratus est, vt refert Galenus. Postea vero diu multumq. in dissectionibus exercitatus, cum totam nerui formationem exacte assequutus fuisset, mutauit iam senex sentētiam; intelligens scilicet, ex triplici substātia neruum constare, vna quidem intima ac media, & arborum medullæ quam simillima, quæ ex cerebri substātia ortum habet; & duabus aliis exterioribus, quæ intimæ sunt tegumenta, & ex tenui crassaq. cerebri mēbrana nascūtur. Quippe cum ex cerebro aut spinali medulla nascantur nerui, eisdē quibus illa inuolucris vestiuntur. Ex quibus patet, vim animalē ex propria cerebri substātia influere, non ex menyngibus; cum ex his neruorū dūtaxat inuolucra, ex illa vero propria neruorū medulla originē trahat. Sed & anatomicis demonstrationibus id facile confirmari potest. Nam si extracto capitis osse in viuo animali, crassum cerebri inuolucrum denudaueris, ipsumq. vel solū secueris, vel totum etiā detraxeris; nullā sensus aut motus noxā inde sequi experieris. At dissecto, vulnerato, aut colliso cerebro ad vētriculos vsque, concidit statim animal sine sensu & motu: & neruo per transuersum secto, pars in quā neruus inserebatur, motu aut sensu priuatur. Quæ cum ita sint, nō possum nō mirari Ferneliū, qui leuissimis rationibus adductus, à verissimaq. Galeni sentētia recedēs, duplicem animalis facultatis influxū concessit. Voluit namque mouēdi vim per neruorum medullā ex cerebro, ex crassa vero cerebri mēbrana per extimum neruorum inuolucrū vim sentiēdi influere. Cum enim cerebrum perpetuo moueatur, non autem sentiat; solius motus, non autem sensus principium esse potest. Quomodo enim sensum partibus tirbuet, C D

Lib. 7. de Hip. & Plat. decret. cap. 3.

Lib. 5. de nat. par. medici. cap. 10.

cum

A cum ſenſus ſit expers? Et rurſus cũ cerebri menynges ſint ex ſe immobiles, ſenſu autem polleant exquiſitiſſimo; erunt profecto ſenſus, non motus principium. Ratio mehercle inefficax, & quæ facile poſſit in eũdem Fernelium retorqueri. Nam cum cerebri motus voluntarius non ſit, ſed naturalis, quomodo quæſo, cerebrum voluntarii motus principiũ dicetur; aut quomodo volũtarium motum cuius omnino eſt expers, partibus aliis impertietur? Et quamuis menynges exquiſitiſſimo ſenſu polleant, non erunt proinde principium ſenſus, qui nulli parti congenitus eſſe poteſt. Cerebrum vero licet neque ſentiat, neq. voluntarie moueatur, merito dicetur ſenſus & voluntarii motus principium, quia vel ſuo contactu, vel mediis neruis, totius ſubſtantiæ alterationem ad partes tranſmittit; cuius beneficio idonea fiunt aut ſenſus, aut motus voluntarii inſtrumenta.

Dubitari quoq. ſolet, an hæc facultas quam ex cerebro per neruos influere B diximus, ſola influat ſine aliqua ſubſtantia, an potius ſpiritu vtatur tanquam vehiculo. Reſpondet Galenus, ad oculos & ſpinalis medullæ initium facultatem vna cum animali ſpiritu deſcendere, ad reliquas vero partes ſolam ſine ſpiritu influere. Quod ad ſpinalem medullam & oculos cum ſpiritu deſcendat, ex harum partium formatione conſtare ait. Nam in exortu ſpinalis medullæ meatus euidenter apparet, cuius nullus alius vſus eſſe poteſt, quam vt animali ſpiritu repleatur. Et nerui optici ſunt quoque propter eundem vſum perforati, proptereaq. olim ab Herophilo dicti ſunt πόροι. Plura itidem longa obſeruatione cõprobata, animalem ſpiritum per neruos opticos ad oculos deſcendere apertiſſime teſtantur. Quippe in leonibus, pardis, aliisq. animalibus quibus ſunt oculi natura ſplendidi, noctu in pupilla ſplẽdoris veluti circulus quidam obſeruatur; præſertim ſi pupillam ad nares contorſerint. Experimur quoque in nobis ipſis C altero oculorum clauſo alterius pupillam dilatari; & rurſus aperto ad priorem magnitudinem reuerti: quod certe fieri non poſſet, niſi oculus denuo irruente aliqua ſubſtantia repleretur. Atqui tam ſubita repletio ab humore fieri nequit, fiet igitur neceſſario à ſpiritu. Indiguerunt autem ſpiritu oculi & ſpinalis medulla, quoniam maius facultatis robur huiuſmodi partes poſtulabant. Spinalis quidem medulla, quod multorum inſigniumq. neruorum ſit principium; oculi vero, quod ſplendor (quem ſpiritus oculis tribuunt) ad viſionem ſit maxime neceſſarius. Oportebat quoq. à ſpiritu ab oculis emiſſo aërem oculis circumfuſum vehementer alterari, cum quo primo ſtatim incurſu ſpiritus vnitur, ipſumque ſuo contactu ad naturæ ſuæ proprietatem immutat. Reliquis partibus neceſſarius non fuit ſpiritus, ſed ſolius facultatis tranſmiſſio ſatis eſſe potuit; quæ irradiationis ritu ex cerebro per neruos in vniuerſum corpus diffunditur. Nam vt D radiorum ſplendore inferiora hæc corpora per medium aërem illuſtrat ſol, nullam ex ſeipſo ſubſtantiam emittens; ita & cerebrum ſolam vim atque alterationem per medios neruos in reliquas omnes partes ſine ſpiritu tranſmittit. Alioqui & tenuiſſimas neruorũ fibras perforatas eſſe oportuiſſet; tales vero & rumperentur facile, & ſingulis fere momentis obſtruerentur.

Lib. 7. de Hip. & Plat. decre. cap. 4.

Hæc veriſſima eſt de facultatis animalis influxu Galeni ſentẽtia, quam tamen Arabum plerique nequaquam probarunt, per neruos omnes (minimos etiam ac tenuiſſimos) ſpiritum deſcendere exiſtimantes: quorum opinionem optime refutauit Valleſius. Sed & in eodem errore verſatur Fernelius, leuiſſima ratione perſuaſus. Si alimentum, inquit, in neruorũ ſubſtantiam penetrat, & craſſus lentusq. humor; certe animalis ſpiritus, qui tenuiſſimus eſt, neruorum ſubſtantiam quoquoverſum peruadet. Non tamen animaduertit Fernelius, diuerſam eſſe ra-

Lib. 2. contro. cap. 15.

Lib. 6. de nat. part. med. cap. 13.

tionem spiritus animalis & nutrimenti. Id namque (lentum alioqui & crassum) à neruis attrahitur propter substantiæ similitudinẽ; idemq. firmissime retinetur, ac suo lentore sensim ipsis adhæret, atque affigitur. Ille vero nisi recta cum impetu per meatum aliquem feratur, facile dissipatur, ac diffluit; vt qui neq. à neruis trahi, neque præ substãtiæ tenuitate ipsis diutius adhærere possit. Longe aliter sentit Argenterius, qui magis adhuc à veritate aberrans, nullum in cerebro gigni animalem spiritum affirmat, qui facultatis animalis sit vehiculũ. At si nullus in cerebro gignitur spiritus, quorsum per arterias tãta spiritus copia ex corde transmittitur ad cerebrum? An quia spiritus vitalis in corde genitus, animæ actionibus exercendis idoneum est organum? Atqui probabilius est, cerebrum sibiipsi spiritus conficere ad animæ actiones exercendas omnino necessarios, quam à corde genitos accipere. Sed & his indiguit cerebrum non tamquã propriarum actionum instrumento, sed tamquam idonea spiritus animalis materia: ex his namque & aëre per nares attracto spiritus animalis in cerebri ventriculis gignitur. Sed quid de neruis opticis, quos perforatos esse negat Argenterius? Certe hanc calumniam multo ante præuidens Galenus, ita exiguum esse nerui optici foramen asseruit, vt vix deprehendi queat; nisi magnum animal sit quod ad dissectionem paratur; & statim ab ipsius morte dissectionem aggrediamur; & caueamus tandẽ ne aër caliginosus sit, aut nebulosus. Quæ tria si seruentur, fiet fortasse vt in neruis opticis exiguus aliquis meatus appareat; quem tamen (vt verum fatear) mihi adhuc videre non licuit. Illud vero præ ceteris spiritum animalem ad oculos descendere ostendit, quod clauso altero oculo alterius pupilla dilatetur, vt antea dictum est. Argenterius tamẽ hanc rationem eludens, spiritum quidem ad oculos descẽdere concedit, non per neruos opticos, sed tantum per arterias; proindeq. eum spiritum vitalem esse asserit, nõ animalem. Acuta mehercle responsio, sed quæ in iis qui suffusione laborant locũ habere non potest. Cur enim in his si clauso altero oculo, oculi ægrotantis pupilla nõ dilatatur, insanabilis est suffusio? Nonne quia præter suffusionem alter indicatur affectus incurabilis (nempe obstructio) qui spiritus descensum impediat? At si vitalis spiritus est qui ad oculum descendit per arterias, non erit insanabilis ea suffusio, cum arteriarum obstructio curationem admittat.

Comm. in art. medi. pag. 193.

Porro animalis facultatis (vt reliquarum omnium) differentiæ ex numero actionum certissime colligitur. Actiones autem animæ ex sententia Galeni aut principes sunt, aut non principes. Atque hæ rursus sunt duæ, sensus scilicet, & motus voluntarius: illæ autem sunt tres, imaginatio, ratiocinatio, & memoria. Motus quidem etiam si in diuersis instrumentis ita variet, vt videatur esse multiformis; reuera tamen simplex animæ actio est, quia vnum & certum instrumentum sibi vendicat, nempe musculum; & vnus in omnibus quæ mouẽtur partibus motionis est modus, qui perpetuo fit retractis ad suam originem musculis. At sensus neque vnum est organũ, neque idem sensationis modus in variis instrumentis; quo fit vt multiplex censeatur, visus scilicet, auditus, olfactus, gustus, & tactus; quorum diuersa sunt organa. Visus enim proprium organum oculus est, auris auditus, nasus olfactus, quemadmodum lingua gustus. Solus tactus peculiari instrumento caret, quia sensus quidam est omnibus fere corporis partibus communis; quamuis cutis internæ manus dicatur interdum tactus instrumẽtum propter caussam à nobis alibi explicatam. Singulis his animæ functionibus singulæ facultates respondent, quarũ aliæ principes sunt, aliæ non principes. Principes quidẽ tres sunt, imaginatrix, ratiocinatrix, & memoratrix; non principes duæ,

Lib. de differ. sympt. cap. 3. & 1. de caus. sympt. cap. 1.

Lib. 1. de tẽp. cap. 10.

A duæ, mouens, & sentiēs. Hæc rursus quintuplex est, nempe facultas videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, & tangendi.

Ceterum neque hæc quæ de facultatum animalium numero breuiter ac vere hactenus diximus, difficultate carent. In primis enim dubitari solet, an facultas animæ non princeps simplex sit, an duplex: id est an facultas sentiens eadem sit cum motrice, an potius diuersa. Sunt qui putent vnam esse facultatem, quæ tamen in diuersis instrumentis diuersas actiones, sensum scilicet ac motum, exerceat. Quibus fauet Galenus lib. 2. de caus. sympt. vbi reddens rationē cur abolito motu seruetur aliquando sensus, id propterea fieri docet, quia maius facultatis robur desideratur ad motum quam ad sensum: quæ ratio nullius esset momenti, si facultates essent distinctæ. Alii contra sentiūt facultates esse diuersas; cum sensus & motus actiones sint specie distinctæ, & diuersa sint tū propria sensus & motus instrumenta, tum etiam instrumenta sensum & motum deferentia, scilicet nerui: quorum aliqui solam sentiendi vim ad cutim deferunt, & propria sensuum organa. Ex dormientibus idem constare aiunt, in quibus sentiens facultas quiescit, motrix autē agere conspicitur, cum & respirent, & brachia cruraq. iactent. Præterea abolito sensu seruatur interdum motus, vt contigit Pausaniæ: quod tamen fieri non posse credunt, nisi facultas sentiēs distincta sit à motrice. Vtrique quidem probabilia dicunt, neutri tamen rem ipsam quæ distinctione indigebat, accurate explicant. Omnium optime rem distinxit Vallesius, qui aliter sentiendum esse docet de facultate influente ex cerebro, aliter vero de facultate quæ sensum aut motum edit in propriis instrumentis. Quæ ex cerebro influit facultas, & per neruos in vniuersum corpus diffunditur, vna est & eadem: neque enim aliud est (vt mox dicemus) facultatem influere, quam ex principiis reliquo corpori quandam totius substantiæ alterationem communicari. At vna cum sit cerebri temperies, multiformis esse non potest ea alteratio quæ per neruos ex cerebro transmittitur. Facultas vero quæ in musculo motum efficit, ab ea quæ in sensuum instrumentis efficit sensum, specie differt, quemadmodum instrumenta motus ab instrumentis sensuum. Nam licet instrumēta sensuum & motus eandem alterationem à cerebro accipiant, nihilominus tamen pro diuersa instrumentorum natura variæ gignuntur facultates singulis instrumentis propriæ. Immo non solum facultas motrix quæ in solo musculo reperitur, specie differt à facultate sentiente; sed etiam hæc multiplex secundum speciem statuenda est. Quippe quantum oculus specie differt à lingua, tantum facultas videndi à gustandi facultate specie distinguitur. Idem de aliis dicēdum. Quod satis aperte significauit Galenus lib. 8. de vsu part. sic scribens, Cum igitur in capite quattuor sint instrumenta sensoria, oculi, aures, nares, lingua, omniaq. hæc ex cerebro sensus principium habeant, eaq. saltem ratione similia appareant; inest tamen eis secundum speciē dissimilitudo, non modo in ipsis sentiendi facultatibus, verumetiam in corporibus per quæ facultates ipsæ ferūtur: quādoquidem facultatum alia odorum, alia saporum, alia sonorum, alia colorum est diiudicatrix.

(Margin notes: Cap. 5. — Lib. 2. contro. cap. 24. — Cap. 6. — section letters B, C, D)

Neque vero quod facultates in suis instrumentis specie distinctas statuimus, spirituum animalium diuersitatem concedimus. Non enim multiplex in cerebri ventriculis spiritus gignitur, neque vnicus qui ibi genitus est, nouam in singulis sensuum organis naturā induit, vt quidam finxerūt: præsertim cum ad solos oculos, & spinalis medullæ principium (vt prius dictū est) animalis spiritus descendat. Quare etiamsi in his instrumentis facultatis ex cerebro influentis vehiculū

sit reuera animalis spiritus; nemo tamen hunc dixerit instrumentum esse facultatem animalem deferens, cum huius rei gratia nerui creati sint à natura. Vnde nata est illa neruorum diuisio, quam scribit Galenus lib. I. de Hippoc. & Plat. decret. Neruorum alii deferunt sensum, alii motum, alii vtrumque. Quæ sane eo nomine videtur difficilis, quod licet plures sint nerui qui solum deferant sensum, & plures quoque qui sensum simul ac motum; nullus tamē reperiri possit qui solum deferat motum. Nam qui motum deferunt nerui, musculis in quos inseruntur, sensum tactus necessario tribuunt, cuius musculi omnes sunt participes. Explicanda igitur hæc diuisio est ex ipsomet Galeno, qui lib. 5. de vsu partium docet, naturam ob triplicem scopum neruos distribuisse, vel vt sensilibus instrumentis sensum, vel motoriis motum impertiret, vel vt partes quæ sibi molestiam adferunt dignoscerent. Atqui tertius iste scopus sub primo videtur comprehendi, cum eorum quæ molestiam adferunt dignotio ad sensum pertineat. Quamobrem per sensilia instrumēta eas dumtaxat partes Galenus intelligit, quæ peculiarium sensuum sunt propria instrumenta; quales sunt oculi, aures, nares, & lingua. Reliquas vero partes solo sensu tactus præditas, sensilia instrumenta non vocat, quoniam tactus nullum peculiare ac proprium instrumentum obtinuit. His itaq. partibus solo tactu præditis neruos natura tribuit, vt ea quæ molestiam adferunt cognoscerent; sensilibus autem instrumentis, vt sensum peculiarem impertiret. Quemadmodum igitur rei molestantis sensum, qui solus tactus est, à peculiaribus sensibus, visu, auditu, olfactu, & gustu, eo loco distinxit; ita quoque in communi illa neruorum diuisione fecisse credendū est: ita vt nerui illi dicantur solum motum deferre, qui licet tactum deferāt vna cum motu, nullum tamen ad sensilia instrumenta peculiarem sensum deferunt. Huius generis sunt nerui secundæ coniugationis cerebri, qui cum motum oculis tribuant, visui nullam prorsus opem ferunt. Eiusdē generis sunt nerui septimæ coniugationis cerebri, qui quidem motum impertiuntur linguæ, quæ gustandi vim accipit per neruos tertiæ coniugationis: quamuis Galenus ad vtrūq. neruorum par exquisitissimum linguæ sensum retulerit. Quod si concesserimus, motum & sensum simul deferre potius dicentur, quam solum motum.

Cap. 9. Cap. 9. Lib. 4. simp. cap. 1.

Sed quoniam de facultatibus animæ non principibus satis iam diximus, de principibus (quas etiam rectrices appellant) nunc pauca dicamus; de quarum numero magna est inter medicos & philosophos controuersia, cum hi plures, illi vero pauciores recenseant. Galenus quidem variis in locis tres dumtaxat enumerat actiones animæ principes, imaginationem, ratiocinationem, & memoriam. Aristoteles tamen (quem non solū omnes philosophi, verum etiam medicorum nonnulli sequuntur) præter imaginandi facultatem, alteram quandam cōstituit, quam primum, aut principem, aut communem sensum appellat. Huic duo munera Peripatetici tribuunt, externorum scilicet sensuum actiones cognoscere, & eorundem obiecta à se inuicem distinguere. Quippe cum sensus externi proprias actiones nequaquam percipiant, (neque enim visus se videre, neque auditus se audire cognoscit) huius communis sensus beneficio fieri aiūt, vt nos videre, audire, olfacere, gustare, & tangere sentiamus. Præterea cum externorum sensuum nullus proprium alterius sensus obiectum percipere queat, nullum inter diuersa diuersorum sensuum obiecta discrimen à nobis cognosci posset, nisi vna esset facultas, quæ receptis sensilium omnium obiectorum formis siue simulachris, ea omnia perciperet. Porro triplici nomine sensum communem ab imaginatrice distinguunt. Primum quidem, quia sensus communis

Lib. 8. de vsu part. cap. 6. & lib. de diff. sympt. cap. 3 & lib. 1. de cau. symp. cap. 1. & lib. 3. de loc. affect. cap. 3. Lib. 3. de ani. cap. 2. & 3.

A B C D

A præſentibus dumtaxat externis obiectis ſuo munere fungi poteſt; imaginatrix autem cum impreſſas ac permanentes ſpecies habeat, res etiam abſentes cognoſcit; idque non ſolum nobis vigilantibus, verum etiam ſomniantibus. Deinde, quia ſenſus communis propria tantum externorum ſenſuum obiecta cognoſcit atque diſtinguit; imaginatrix autem & propria, & communia, & per accidens: veluti ſi quis ſomnians, Platonis colorem, figuram, & magnitudinem ſimul cognoſcat, & Cleonis filium eſſe diſcipulũ Socratis. Poſtremo, quia imaginatricis actio voluntaria eſt, cum liceat nobis quidquid lubet (etiam ea quæ nullo pacto fieri, aut conſtare poſſunt) imaginatione concipere, vt montes aureos, volantes aſinos, & alia ſimilia. Ceterum cum facultatum numerum ex numero functionum ſpecie diſtinctarum inuenire oporteat, nulla vnquam ratio cõcedere coget, ſenſum communem facultatem eſſe ab imaginatrice diuerſam. Nam quæcumque illi tribuunt ſenſui communi, hæc nos imaginatrici tribuẽ-
B da eſſe cenſemus; cum actiones non ſint ſpecie diſtinctæ, ſed multiplices dumtaxat ſenſuum externorum obiecta (qualiacumque ea fuerint) cognoſcendi ac diſtinguendi modi. Alioqui ſi communis ſenſus actio ab imaginatricis actione ſpecie diſtingueretur, fieret haud dubie delirium eiuſmodi actione deprauata, non ſecus ac deprauata imaginatione, aut ratione. At tria tantum delirii genera & à Galeno vere tradita, & ab aliis medicis recte obſeruata legimus; duo quidem ſimplicia, quorum alterum ſola imaginatione, alterum ſola ratione deprauata contingit; tertium vero ex duobus ſimplicibus compoſitum. Quamobrem aut nullus in nobis eſt ſenſus communis, aut certe ab imaginatrice non diſtinguitur. Neque vero oportet phantaſiam (vt quidam perperam fecerunt) ab imaginatione diſtinguere, nam quæ
C actio Græcis φαντάσια, eadem nobis imaginatio; & quæ nobis imaginatrix facultas, eadem Græcis φανταστικὴ appellatur. Ad eandem quoque imaginandi vim (ne facultatum multitudinem fruſtra admittamus) quæ philoſophorum non pauci ad æſtimatiuam pertinere volunt, nos potius referimus: quale potiſſimũ eſt, ex ſenſilibus rerum imaginibus inſenſiles colligere; veluti cum ouis lupum antea numquam viſum fugit, & gallinaceus pullus aquilam vel accipitrem. Sed forte putarit quiſpiam, Galenum non ſecus ac Ariſtotelem ſenſum communem conceſſiſſe, ipſius namque meminit lib. 7. de Hipp. & Plat. decret. ad hunc mo- Cap. 1.
„ dum ſcribens, Alteratur quippe ſenſus ipſius inſtrumentum, alteratio vero ip-
„ ſa ab vna eademque facultate omnibus ſenſoriis communiter impertita, à
„ principio emanante dignoſcitur; quod quidem principium, ſiue ſenſum commu
„ nem, ſiue primum ſenſorium appelles, nihil refert. Et lib. de differ. ſympt. vi- Cap. 5.
D giliam & veternum primi omnium ſenſus, qui cõmunis quoque dicitur, ſymptomata eſſe dixit. Ceterum nomine ſenſus communis nullam animæ facultatem, ſed ipſum potius cerebrum Galenum intellexiſſe, ipſemet apertiſſime docuit, dicens loco citato ex lib. 7. de Hipp. & Plat. decret. à ſe fuiſſe antea demõſtratum, ſenſum communem, ſiue primum ſenſorium, eſſe cerebrum. Cur autem cerebrum primum ſenſorium, aut ſenſus communis dicatur, rationẽ reddidit lib. Cap. vlt.
„ 1. de cau. ſymp. Conſequens, inquit, eſt, vt ad ipſorũ ſenſuum principium, quod
„ veluti fons quidam ſuas illis facultates mittit, cõuertatur oratio; id vero eſt pri-
„ mum ſenſorium. Quippe cuiuſque ſenſus alteratio quæ à ſenſilibus infertur, in
„ ſingulis inſtrumentis perficitur; eius autem ſenſorium eſt ipſa quæ alteratur par-
„ ticula, ex eo quod à cerebro delatam ad ſe per neruos virtutem recipit. Ipſum
„ namque cerebrum ſenſoriũ organum à natura conditum non eſt, ſed ſenſorio-

rium sensoriorum. Vnde intelligitur, cerebrum dici primum sensorium, quod sit origo, ac veluti fons sensuum omnium particularium. Constat itidem cerebrum A ex Galeni sententia non sentire, cum à natura conditum non sit quasi sensorium organum, sed quasi principium sensus. Quoniam vero multi contendunt, cerebrum sentire, idq; videtur colligi posse ex aliquot Galeni locis, quæ non omnino facilem explicationem admittũt; non abs re fuerit hæc in medium proferre.
Cap. 4. Libro de multi. scribit, grauitatem non subobscurum modo, sed etiam perquam manifestum sui sensum nonnumquam excitare secundum cerebrum; in partibus autem sensu vacuis nullum posse nedum grauitatis, sed ne alterius etiã symptomatis sensum haberi. Nihil tamen certi colligi ex hoc loco potest, neque enim grauitatis sensum in cerebro fieri dixit, sed tantum secũdum cerebrũ. Et quamuis illud dixisset, nõ adhuc colligeretur cerebrum sentire; cum idem de ossibus affirmet, quæ (solis exceptis dentibus) sensu carent. Quare quæcũque partes sensu destitutæ sunt, nullum sui ratione grauitatis sensum habere possunt, sed tantũ B ratione membranarum quibus vestiuntur, quemadmodum ossa. Eadem ratio & cerebri est, quamuis nonnulli (vt ibidem Galenus refert) inter partes sentiẽtes ipsum enumerarint. Prӕterea lib. 8. de vsu part. agens de vsu tenuis menyngis,
Cap. 9. sensum videtur cerebro tribuisse; his verbis, Quod si natura tenuẽ menyngem non interposuisset, cerebri cum crassa menynge vicinitas haudquaquam dolore vacaret. Verum neque hic cerebrum doliturum dixit, sed cerebri cum crassa menynge vicinitatẽ. Crassa namque menynx doleret potius quam cerebrum, quia cum à tenui menynge, tota cerebri substantia coacta, ac veluti vnita seruetur; nisi eam interposuisset natura, tota substãtia cerebri in crassam menyngem diffusa collaberetur; hæc vero à cerebro compressa atque distẽta, doleret. Iam
Cap. 9. vero lib. 3. de loc. affect. cephalæam cerebri morbum esse dixit, quod, nisi cere- C brum sentiat, verum esse nequit, cum cephalæa capitis dolorem significet. Dicitur tamen cephalæa cerebri morbus, non quod cerebrũ dolere possit, sed quod morbus qui caussa est cephalæę possit esse in cerebro. Id quod ex iis quæ postea subiunxit, aperte colligitur; inquirẽs enim locum affectum in cephalæa docet, aut dolere menynges cerebri, aut pericranion, nulla cerebri facta mentione.
Cap. 18. Scribit quoque lib. 6. de vsu par. iecur & cor exiguos neruos à propriis tunicis accepisse, ne sensu omnino carerent, neve vt plantæ penitus essent: quod foret plane absurdum, cum & partes principes sint, & facultatum principia. Atqui cerebrum pars est iecore & corde præstantior, ergo absurdum erit concedere, vt plantam tantum ipsum viuere sine sensu. Est sane illa Galeni ratio in iecore & corde efficacissima, in cerebro vero prorsus inefficax. Quippe quæ dignitas cordi ac iecori ex sensu accedit, cuius ratione distinguuntur à plantis; eandem omnino, immo & hac multo maiorem ex eo accipit cerebrum, quod licet sensu pri- D uetur, sensus & motus principium sit, & animæ sedes. Multo difficilius est quod
Cap. 16. lib. 9. de vsu part. scribit agẽs de crassa cerebri membrana, Merito, inquit, crassior inferne exstitit, vt cum cerebrum super eam omnino esset firmandum, nullum ei exhibeat dolorem, penitusq; ab eo non sentiatur subiacentiũ ossium duritiess. Verum cum supra crassam menyngem non nudum firmetur cerebri corpus, sed tenui menynge omni ex parte vestitum; de hoc sane, non de solo cerebro locum hunc intelligẽdum esse crediderim. Porro hanc explicationem admittere non potest locus omnium difficillimus lib. 2. de comp. med. sec. loc. vbi
Cap. 1. cum docuisset, doloris capitis curationem ob diuersam affectarum partium naturam plurimũ variare, ita habet, Aliquando enim extra caluariam affectio est,

aliquan-

A aliquando intra; & quãdoque quidem omnium exteriorum aut interiorum est,
» quandoque non omnium, sed vnius tãtum corporum generis, arteriarum vide-
» licet, aut venarum, aut neruorum, aut membranarum, aut cutis, aut ipsius adeo
» cerebri: quo loco (vt patet) cerebri & membranarũ seorsum meminit. Sed qui eius dictionis seriẽ attente expenderit, is haud dubie intelliget, non inquirere ibi Galenum partes quæ dolere possunt, sed eas potius, in quibus affectio quæ caussa doloris est, inueniri potest. Atqui licet cerebrum dolere non possit, in eo tamen inueniri potest affectio, quæ in aliis partibus, potissimumq. membranis, dolorem excitet. Sed non oportet quid à Galeno dictum sit curiosius inuestigare, cùm sensu potius, quam vel auctorum testimoniis, vel ratione, dirimenda sit proposita quæstio. Hunc igitur si consulueris in viuo adhuc animali, dissecto cranio, cerebriq. substantia ab vtraque menynge diligenter (quoad fieri B possit) separata; experieris proculdubio, etiam si cerebri substantiã pungas, aut vulneres, nullum doloris sensum ipsi inesse. Quin & in altioribus capitis vulneribus aliquam cerebri portiunculam citra dolorem à chyrurgo diuulsam non semel obseruauimus. Sed vt eo vnde huc digressa est, nostra reuertatur oratio, institutum de principibus animæ facultatibus sermonem absoluamus.

Est itaque præter imaginatricem altera quædam animæ facultas omniũ maxime princeps, quæ & hominem separat à brutis, & ob diuersas (vt quidam sentiunt) actiones, vel (vt alii volũt) ob diuersos dumtaxat agẽdi modos, & mens, & intellectus, & intelligendi, cogitandi, iudicandi, & ratiocinandi vis siue facultas appellatur. Ad hanc enim pertinet simplicium apprehensio quam vocant; compositio itidem & diuisio; & eius quod consequens est aut repugnans cognitio: vnde tres illi insignes nascuntur habitus, intelligentia, scientia, & sapientia. C Hæc eadem facultas est, quæ finem in actionibus obeundis cognoscit; quæ de mediis ad finem comparandum necessariis consilium init; quæ id quod melius videtur, aut conuenientius, iudicat, atque eligit; quæq. tandem quid faciẽdum sit imperat. Cetera nunc consulto præterimus quæ doctissimi Philosophi ac Theologi huic facultati tribuũt, ne in magnitudinẽ immensam nostra hæc præfatio crescat, quæ in medicorum gratiam atque vsum potissimum conscribitur.

Ad facultatem igitur memoratricem transeamus, quam inter principes tertiam Galenus enumerat; cuius sane propria actio non est rerũ præcognitarum species atque simulachra conseruare, sed recordari potius præteritorum: neque enim futurorum aut præsentium memoria esse potest. Quoniam vero quæ à nobis cognoscuntur, aut cognoscuntur sensu, aut intellectu; duplicem in nobis memoriam statuere oportet, rerum sensilium vnam, alteram vero rerum (vt sic di- D cam) intelligibilium: nam & aliquid nos vidisse, aut audiuisse, aut etiam didicisse meminimus. An vero rerum sensilium memoria eadem reuera sit cum imaginatione, & memoria rerum intelligibiliũ eadem sit cum intellectu; dubium est ac controuersum. Cum autem præteritorum recordatio actio sit ab iis quæ intellectui & imaginatrici antea tribuimus, specie distincta; ab imaginandi & intelligendi facultate distinctam esse memoratricem rationi est consentaneum. Huc accedit, quod læsa interdum imaginatione, aut ratione, integram seruari memoriam obseruemus; quod fieri minime posset, nisi ab illis distingueretur. Quod si alicubi dixit Galenus partem animæ imaginatricẽ, quæcumque ea sit, etiam recordari; per animæ partem non intellexit facultatem, sed potius animæ speciem. Nam quæ anima imaginatur, eadem & recordatur, diuersis scilicet facultatibus; in brutis quidem anima sentiens, in homine vero rationalis. At reminiscentia

Lib. 2. de mot. musc. cap. 6.

niſcentia ſola ratione à memoria diſtinguitur, eſt enim vtraq; rerum præteritarum recordatio, quæ ab eadem facultate, non tamen eodem modo fieri videtur. Quamdiu enim vniuerſa rei imago atq; ſimulachrum, ſolidum, purum, dilucidumq. retinetur, ita vt omni ſui parte animę vim excitare, & ab ea ſimul perſpici cognoſciq. poſsit, meminiſſe dicimur; reminiſci vero, quando non vniuerſum remanet ſimulachrum, ſed pars deleta eſt, pars vero conſeruatur; ex qua veluti ex impreſſo veſtigio, refert ſeſe animus in cognitionem eius quod memoria exciderat. Atq. ita efficitur, vt reminiſcentia ſit prioris memoriæ, non quidem totius (nam hoc diſcere eſt) ſed partis reparatio. Quãobrem merito Themiſtius reminiſcentiam vocauit reducem ac rediuiuam memoriam, aut memoriæ collapſæ reuocationem. Habet præterea id proprium reminiſcentia, vt fiat veluti ratiocinando ex principio ſimili, vel diſsimili, vel proximo; quo fit, vt in ſolis reperiatur hominibus. A

Tres iſtas facultates animæ principes ſentiũt multi locis ita diſtingui, vt imaginatrix in anteriore, memoratrix in poſteriore, ratiocinatrix vero in medio cerebro ſedem obtineat. Id ex eo confirmant, quod pars cerebri anterior humidior ſit media, & pars poſterior media ſiccior; ſiccitas autem memoriæ, imaginationi vero humiditas vſum præbeat, quemadmodum temperamenti mediocritas rationi. Addunt præterea, læſa imaginatione illęſam interdum ſeruari rationem, & cõtra, vt monſtrant (Galeno etiã auctore) varia delirii genera; quod tamen fieri non poſſe aiunt, niſi eiuſmodi facultates locis diſtinguantur. Quin & pro actionum noxis, variis capitis partibus conuenientia remedia à medicis admoueri prædicant; ſyncipiti ſcilicet læſa imaginatione, occipiti læſa memoria, vertici autem, ſi ratio noxam contraxerit. Fauet quoq. his non parum ventriculorum cerebri diſtinctio, & impar dignitatis gradus; qui non aliunde videtur pẽdere, quam ex actionum præſtantia, quibus ventriculi ipſi vſum præbent. Verum cum vna ſit totius cerebri temperies, probabilius eſſe cenſeo, per totam cerebri ſubſtantiam eiuſmodi facultates eſſe diffuſas; in variis tamen cerebri partibus ipſarũ actiones eluceſcere, quod à manifeſtis etiam qualitatibus iuuẽtur. Eluceſcit itaq. in anteriore cerebro imaginatio (quæ alioqui totius cerebri actio eſt) quia humiditate iuuatur, quæ in anteriori cerebro magis præpollet. Ac rurſus quoniam memoria iuuatur ſiccitate, in poſteriore cerebro magis elucet, in quo minor eſt humiditatis exceſſus. Ratio vero in medio cerebro potius viget, in quo propria cerebri temperies mediocritatem quandam videtur obtinere. Quamuis enim facultas intelligẽdi rationalis animæ ſit propria, neq. corporeo inſtrumento indigeat; negari tamen non poteſt, quin dum anima in corpore veluti incluſa detinetur, & animali ſpiritu, & cerebri temperie non parum egeat. Quo fit, vt vel inflammato cerebro, quemadmodum in phrænitide; vel ſola intemperie citra inflammationem affecto, vt in mania & melancholia, delirium contingat deprauata ratione. Immo & ob inſignem cerebri intemperiem ratio interdum funditus aboletur, vt in amentibus: etiam ſi intelligendi facultas ſit ab anima inſeparabilis, & incorporea. Cum itaq. his facultatibus animæ diuerſæ qualitates ſubſeruiant, mirandum profecto non eſt, ſi earum facultatũ actiones in diuerſis cerebri partibus eluceſcant; & ipſarũ aliqua lædatur, reliquis ſeruatis illæſis. Id namq. & facultatibus naturalibus frequenter accidere experimur, quas tamen in confeſſo eſt locis nequaquam diſtingui. Porro dum variis capitis partibus pro diuerſarum functionum noxa medicamenta admoueri aſſerunt, falſa omnino prædicant. Sumpta namque indicatione ex natiua capitis

Lib. de differ. ſymp. cap. 3.

Margin letters: B, C, D

forma-

A formatione, parti anteriori applicãda esse perpetuo medicamenta præcipit Galenus, vt scilicet tum ob ossis tenuitatem ac raritatem, cum potissimum ob suturam coronariam medicamentorum vis ad interna permeet. Ac tandem ventriculorum cerebri distinctio diuersas facultatum sedes nequaquam ostendit, sed tantum monstrare potest, ventriculos anteriores imaginationi, postremum memoriæ, medium vero ratiocinationi vsum præbere. Lib. 13. metho. med. cap. 22.

Quod autem attinet ad ventriculorum cerebri dignitatẽ atque præstantiam, dubium est & maxime controuersum; cum alii ventriculum medium, alii potius cum Herophilo postremũ nobiliorem esse contendant. Quid vero sentiendum sit, in commentariis de Hippocratis & Platonis decretis à se explicatum esse alibi refert Galenus; cum tamen nec illo in opere, nec alibi (quod ego sciam) id explicatum inueniatur. Quare suspicandum merito est, huius quæstionis explicationem simul cum aliis periisse quæ in primo eius operis libro desiderantur. Lib. 8. de vsu par. cap. 11.

B Alibi tamen sententiam Herophili videtur probasse, nam lib. 3. de loc. affect. Cap. 7.
„ agens de spiritu animali hæc scribit, Ac primum ipsius animæ instrumentũ, tum
„ in sensibilibus actionibus omnibus, tum in iis quæ à consilio & voluntate prodeunt, spiritus est, qui in cerebri vẽtriculis, maximeq. in postremo continetur;
„ quamuis non contemnendus sit medius ventriculus, perinde quasi non nobilis-
„ simus sit; multis enim rationibus inducimur vt hunc amplectamur, duos vero an
„ teriores deseramus. Quo loco postremum ventriculum medio, hunc autem anterioribus videtur prætulisse. Cur vero postremus vẽtriculus nobilissimus censeatur, hanc rationem reddit Vallesius; quia licet facultates omnes animæ principes in toto cerebro operentur, operantur tamẽ minimum in anterioribus ventriculis, maxime in postremo, in medio autem medio modo. Hæc tamen ratio constare non potest, neque enim verum est principes omnes actiones in postremo ventriculo maxime vigere, cum potius in singulis ventriculis singulæ elucescant, vt antea diximus. Cuius rationis inconstantiam visus est agnouisse ipsemet Vallesius, cum in suis commentariis in libros de locis affectis postea scripserit, se non satis intelligere, quibus rationibus potuerit Galenus adduci, vt postremum ventriculum reliquis anteponeret. Rectius multo postremi ventriculi dignitatem ex recondito ipsius situ & paruitate confirmat Thomas Rodericus Veiga; tum etiam ex eo quod spiritum exacte concoctum elaboratumq. contineat; & quod eo colliso maior noxa sequatur. Ceterum neque hæc sunt omni ex parte vera, quippe cum ventriculorum cerebri præcipuus vsus is sit, vt spiritum animalem contineant, qui instrumentum est omnium animæ actionum; certe quo præstantior fuerit actio animæ cui spiritus in ventriculo contentus vsum præbet, eo nobilior ventriculus censendus erit qui eiusmodi spiritum continet. Lib. 2. contro. cap. 23.

C

D Cum itaque ventriculus medius rationi, postremus vero memoriæ inseruiat; quanto præstantior ratio memoria est, tanto profecto nobilior erit medius ventriculus postremo. Id quod significauit Galenus lib. 3. de Hipp. & Plat. decret. dum fabulam interpretatur de ortu Mineruæ ex capite Iouis, potissimumq. ex vertice; qua in parte (vt ipse ait) medius atque idem principalis cerebri ventriculus est. Vt ergo hæc omnia sibi mutuo consentiant, rem sic explicãdam esse censeo. Ventriculorum cerebri dignitas bifariam expendi potest, ex præstantia scilicet actionum quibus ipsi inseruiũt, aut ex vsu ad vitam necessario. Si actionum præstantiam consideres, ceteris proculdubio nobilior erit vẽtriculus medius, qui rationi inseruit; si vsum ad vitam necessarium, postremus ventriculus erit omnium præstantissimus, cum ex ipso influat potissimũ motus, qui ad vitam necessa- Cap. vlt.

necessarius est propter respirationem. Vnde fit, vt vulnerato aut colliso postremo cerebri ventriculo, citius quam aliis ventriculis affectis animal intereat. A

Sed ratio iam postulat, vt ad alteram facultatem transeamus, quam vitalem appellari, in cordeq. sedem habere demõstrauimus. Dicitur autem vitalis, non quod vniuerso corpori vitam impertiat, vt sentit Fernelius; (viuũt enim singulæ corporis partes facultatibus sibi congenitis, non secus ac plantæ) sed quod ipsius beneficio conseruetur potissimum calor innatus, qui præcipuum est vitæ instrumentum: quo itidem nomine cor vere dici solet vitæ fons ac principium. Sunt qui putent, vnica cum sit hæc facultas, à variis auctoribus variis exprimi nominibus, diciq. vitalem, pulsatilem, irascibilem, & animosam. Alii triplicem esse credunt, vitalem, pulsatilem, & irascibilem; quarũ singulis proprias tribuunt actiones. Galenus tamẽ cum irascibilem quæ in corde residet, animam potius quam animæ facultatem, cum Platone esse velit, duplicem statuit facultatem cordis vitalem, quarũ altera princeps sit, altera ministra. Quæ princeps est B communi generis nomine vitalis per excellentiam dicitur; cuius propria actio ex communi omnium medicorum consensu est sanguinis arterialis & spiritus vitalis generatio. Vnde perspicuum est, facultatem hanc vitalem reuera naturalẽ esse, cum à facultate cordis alteratrice siue concoctrice non distinguatur. Nam vt venalis sanguis in iecore, & spiritus animalis in cerebro concoctione gignuntur; ita arterialis sanguis, & vitalis spiritus in corde. Fallũtur ergo qui vanis rationibus persuasi, à facultate cordis concoctrice hanc vitalem distinguunt. Propterea Galenus duplex dumtaxat actionum omnium genus statuere plerumq. solet, animales scilicet & naturales: sub his nimirum vitales comprehendens.

Lib. 5. de nat. par. med. cap. 15.

Argenterius com. in ar. med. pag. 180. Vega lib. 1. de art. med. cap. 5. & Peramatus lib. de ani. fac. cap. 3.

Peramatus lib. de ani. fac. cap. 3.

Lib. 1. de fac. nat. cap. 1. & lib. de diff. symp. cap. 3.

Facultas vitalis ministra ex ea quã edit actione, pulsifica, aut pulsatilis appellatur; hæc enim cordis & arteriarum motus est auctor quem pulsum vocant. Ministrat autem alteri vitali principi, quia cor dum dilatatur, inspiratum aërem ad vitalis spiritus generationem omnino necessarium ex pulmone attrahit per arteriam venalem; & per venam cauam venalem sanguinem ex iecore, sanguinis arterialis materiam. Ceterum licet ministra alterius sit, vitalis quoque dicitur, quia conseruãdo singularum partium calori necessarium vsum præbet. Quippe dum arterias distendit, externum attrahit aërem, quo innatus calor ventilatur, & refrigeratur; dum vero easdem contrahit, fuliginosa excremẽta foras propellit. Atq. hinc factum est, vt Galenus tum alibi, cum potissimum lib. 4. de differ. pul. tradens ex instituto pulsus definitionẽ, à facultate vitali pulsum fieri dixerit. Et quoniam pulsatilis facultas cordi insita est non secus ac vitalis, merito fit, vt huius statum ex pulsu certissime dignoscamus. Neque vero duplicem facultatem pulsatilem fingere cum quibusdam oportet, alteram quæ cor & arterias distendat, alteram vero quæ contrahat; quia licet dilatatio & contractio contrarii sint motus, ab eadem tamẽ facultate fieri nihil prohibet, cum motus non sint specie distincti. C D

Cap. 2.

Porro vt animalis facultas ex cerebro per neruos influit in vniuersum corpus, ita & vitalis ex suo principio, scilicet corde, in vniuersum corpus influit per arterias, quas ex ipsomet corde ortum habere diximus. Per arteriarum autem cauitatem nequaquam influere, sed potius per propriam ipsarum substantiam aut tunicas, euidenti demonstratione ostendit Galenus. Si enim arteriam quampiam à cuti, aliisq. adiacentibus corporibus nudatam, secundum longitudinem ita secueris, vt calamus aut ænea fistula intra ipsius cauitatẽ immittatur; obseruabis haud dubie iniecto vinculo, arteriæ partes vinculo superiores pulsare,

Lib. an sang. guis in art. n at. conti.

A sare, inferiores vero pulsu priuari; easdemq. rursus detracto vinculo pulsare. Nihilominus tamen probabile est, & spiritus in arteriis contentos non exigui esse momenti, vt ea quæ influit facultas robustior euadat, quemadmodum in facultate animali experimur. Hæc namq. in oculis & principio spinalis medullæ validior apparet, quia vna cum animali spiritu ad has partes descendit. Porro an à facultate pulsatili simul distendantur, simulq. contrahantur cor & arteriæ, an potius dilatato corde contrahantur arteriæ, & contracto corde arteriæ dilatentur; id quidem, & si quid aliud sit quod ad facultatem vitalem pertinere videatur, in disputatione de pulsibus explicabitur.

Reliquum igitur est, vt ad huius operis institutum propius accedētes, de facultate naturali (quam vegetantem, nutricem, altricemq. etiam appellant) tandem disseramus. Huius principium diximus esse iecur, quia & venarum principium est, & sanguinis, communis scilicet partium nutrimēti, circa quod facultas B hæc potissimum versatur. Atqui vt cerebrum per neruos, & per arterias cor in vniuersum corpus vires suas diffundūt; ita & iecur per venas facultatem naturalem transmittit: quod locis pene innumeris Galenus testatur. Sed quænam hæc naturalis facultas sit, quam vniuerso corpori per venas communicat iecur, paulo diligentius inuestigemus. Cum enim septem sint (vt postea dicemus) facultates naturales, principes tres, & quattuor ministræ; harū profecto nulla videtur ex iecore influere. Nam quæ ministrāt, singulis partibus congenitæ sunt, quemadmodum ex principibus auctrix & nutrix: generatrix vero in testibus potius quam in iecore viget, cum in illis gignatur semen, in quo eiusmodi facultas elucescit. Adhæc si facultas aliqua ex iecore ad partes influeret, instrumenta naturalia impedito eius facultatis influxu, affici possent per consensum: quod tamen C negat Galenus lib. 1. de loc. affect. statuens discrimen inter instrumenta naturalia & animalia. Nonnulli quidem his rationibus conuicti, nullam facultatem naturalem ex iecore ad venas, aliasve partes influere affirmant; dici tamen iecur naturalis facultatis originem, tum quia in ipso potissimū viget, tum quia radix est & principium omnium venarum, quæ propria sunt huius facultatis organa. Alii tamen contra sentiūt plures facultates ex iecore influere ad venas, sanguificam scilicet, attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem. Quas sane generales facultates esse aiunt, quarum beneficio non solum sibi, sed pro reliquarum partiū ministerio alimentum attrahant venæ, retineant, concoquant, totius corporis excrementa expellant, & sanguinem gignant: quamuis præter has aliæ particulares venis ipsis sint insitæ. Quod autem à Galeno dictū est lib. 1. de loc. affect. de omnibus instrumentis naturæ intelligendum esse dicunt, so- D lis exceptis venis; quas per consensum affici posse affirmāt, cum præter peculiares facultates sibi congenitas, generales alias ex iecore influentes accipiant. Alii tandem duas facultates naturales ex hepate fluere asserunt, sanguificam ad venas, ad reliquas vero corporis partes per medias venas altricem. Locum vero ex lib. 1. de loc. affect. doctius multo explicant, naturalia instrumenta innatas quidem habere facultates, eoq. nomine ab animalibus differre asserentes; indigere tamen ad sui conseruationē iecoris, cordis, & cerebri facultatum influxu; atque hinc fieri, vt male affecto cerebro, aut neruo, animalia instrumenta citra propriam offensam per consensum affici possint; naturalia vero per consensum numquam afficiantur, nisi lædatur propria ipsorum natura; lædi autem deficiente earum facultatum influxu. Hæc quidem à recentioribus medicis de facultatis naturalis influxu tradūtur, quæ tamē mihi nullo pacto probari possunt. Nam

Cap. vlt.

Vallesius lib. 2. contro. cap. 16. & Argēterius com. in art. med. pag. 190. Vega lib. 1. de art. med. cap. 5.

Peramatus lib. de anim. facul. cap. 3.

vt à posterioribus,qui probabiliora loquuntur,exordiar, quam quæso altricem vim partibus communicat iecur? aut propter quem vsum communicat? Quippe cum singulis partibus altrix facultas sit congenita, quorsum alterius altricis ex iecore influentis opem exspectat? Num quia imbecillior est,quam vt sola possit sine alterius ope nutrimentum partibus assimilare? Atqui tanquam artificii expers reprehendenda esset natura, quod cum robustas vires partibus largiri potuisset,,imbecillas ipsis tribuerit;& frustra nunc duarum facultatum altricum opera perficiat,quod vnius beneficio facile præstare poterat.Porro de facultate sanguifica nihil in præsentia dicere instituimus, cum lib. 2. de fac. nat. de ipsius influxu sit accurate agendum.Eadem quoque in eos dicta esse velim, qui generales facultates ex iecore ad venas manare arbitrantur.Quorum etiam opinionem illud priuatim refellit,quod iecur potissimũ dicatur altricis facultatis principium. Quare siquæ facultas influit ex iecore, influet potius altrix quam attractrix,retẽtrix,concoctrix, & expultrix. Adhæc naturalis facultas quæ influit ex iecore, per venas in vniuersum corpus diffunditur; falso igitur ad solas venas transmitti concedunt. Ac tandem cum Galenus in vniuersum dixerit, naturalia instrumenta non posse affici per consensum,quin propria ipsorum essentia sit læsa; cur ab eo sermone venas excipiunt? Iam vero qui facultatis naturalis influxũ ex iecore negant,præterquam quod aduersantur Galeno,sibiipsis non omnino consentiunt.Neque enim animaduertunt, locum illum libri primi de locis affectis, ex quo suam sententiam confirmãt,in seipsos facile retorqueri posse. Cum enim duo tantum instrumentorum genera statuerit ibi Galenus, animalia scilicet & naturalia,ad hæc necessario vitalia instrumẽta (qualia sunt cor & arteriæ) referre oportet. Cum autem instrumentis omnibus naturæ, facultates congenitas esse dicat, non aliunde fluentes; neque facultas naturalis ex iecore, neque ex corde influet vitalis. Postremo quod eo tantum nomine dicatur iecur naturalis facultatis origo, quia principium sanguinis est,nullo pacto cõstare potest. Neque enim esset iecur ex earum partium numero quæ proprie vocantur principia, sed potius ex earum genere quæ & insitas facultates habent, & aliunde manantes accipiunt.Atqui Galenus in difficillima illa omnium partium diuisione quam tradidit in art.med.quattuor principia enumerat,cerebrũ, cor, hepar, & testes. Quod si ad rationem principii satis esse putant,vt nutrimẽtum aut materiam suppeditet;cur ventriculum & pulmonem inter principia non recensuit, cum is aërem cordi, ille vero chylum iecori præbeat? At Galenus loco citato inter eas tantum partes enumerat,quæ & à seipsis,& ab aliis reguntur.Et lib.2. de art.curat.ad Glauc.agens de indicatione quæ à viribus desumitur,earum potissimum partium robur seruandum esse præcipit,quæ alicuius virtutis omnibus partibus communicatæ sunt origo, aut opus edunt toti corpori vtile:in hoc autem secundo genere ventriculum collocat,in priori autẽ hepar,cor, cerebrum, & testes. Vnde constat, eas dumtaxat partes principia vocari, quæ facultatem aliquam aut vim corpori cõmunicant: quamuis lib. 6. de Hipp. & Plat. decret. membrum illud quod iis quæ ex se oriũtur, vel vim,vel saltem materiam suppeditat, principium vocari scripserit. Certum tamen est ibi loqui Galenum ex hypothesi Erasistrati,cuius opinionem de venarum principio (vt cõstat ex dictionis serie) refutabat. Hinc quoque perspicuum est,principia non esse temere cõfundenda cum partibus principibus. Nam principia (vt dictum est) facultatem aliquam transmittunt,partes vero principes eæ in vniuersum dicuntur, auctore Galeno, quæ sunt ad vitam necessariæ. Quo fit, vt ventriculus pars princeps sit,

Marginal notes: A; B; C; Cap. 9.; Cap. 2.; D; Cap. 6.; Lib. 6. de vsu part. cap. 7.

A non autem principium; testes vero contra principia sint, nō autem partes principes. Negari itaque non potest, quin iecur nōn secus ac cerebrum & cor, alicuius facultatis sit principium, quæ per venas influat in vniuersum corpus. Atqui facultatem influere aliud est nihil, quam alterationē quandam ex tota principiorum temperie prodeuntem, in vniuersum corpus transmitti. Quod recte explicauit Galenus, agens priuatim de animalis facultatis influxu lib. 7. de Hipp. & Plat. decret. ad hunc modum scribens. Quinetiam tertium illud, quomodo Cap. 4.
» scilicet alteratio qualitatis in continuo corpore efficiatur, quam innuere mihi
» videntur illi, qui quandam sine substantia vim influere dicunt; à quibus qualita-
» tum per alterationem in continua corpora diffusiones, facultatis & virtutis in-
» fluxus appellantur. Quemadmodum cum à solis splendore in ambientem aërē
» profecta quædā qualitas, in totum eius corpus, solis substantia immota perma-
B nente diffunditur. Atque hactenus quidem cerebrum, cor, & iecur, inter se cōueniunt, quod cum facultatum principia dicantur, totius substantiæ alterationē per sua exorta in vniuersum corpus diffundant. Est tamen in eo discrimē, quod ex cerebri alteratione in animalibus instrumentis facultates gignantur, quibus proprias actiones exercent; vt in musculo facultas motrix, in oculo visoria, & gustatrix in lingua. At in instrumentis naturalibus (sub quibus & vitalia cōprehendi diximus) ex cordis & iecoris alteratione nulla omnino gignitur facultas, sed ipsismet instrumētis congenitæ sunt vires, quibus proprias functiones edūt. Atq. id est quod Galenus dicebat lib. 1. de loc. affect. animalia scilicet instrumēta facultates aliunde fluentes accipere, naturalia vero cōgenitas habere; atque hinc fieri, vt instrumenta animæ ita aliquando afficiantur per cōsensum, vt propria essentia nequaquam læsa, propriæ ipsorū actiones aboleantur. Quo nomi-
C ne differunt ab instrumentis naturę, quæ licet per consensum affici possint, nunquā tamen ita afficiuntur, vt ipsorū actiones lædantur, quin primario, vel potius proprio affectu laborent. Quod igitur iecur alterationem quandam totius substantiæ diffundat in vniuersum corpus, facultatis naturalis principium dicitur; quamuis nulla priuatim naturalis facultas ex ipso reuera influat.

Sed an huiusmodi facultas, vel alteratio, sola ex iecore influat, an simul cū spiritu, inuestigatione dignum videtur. In singulis quidē corporis partibus spiritū quendā reperiri, quem naturalē, insitum, innatum, & congenitū vocant, ab omnibus concessum est. Hunc vero, eundē cum innati caloris substantia, siue innato calido, Galenus cōstituit; in cuius natura explicāda varius ac incōstans videtur. Nā sanguineā seminalemq. substantiam vna cū spiritu aliquando calidū innatum appellat; alibi sanguinem & semen; alibi sanguinem & pituitam; ac rursus alibi aëream & aqueam substantiam; & tandem substantiam igneam & aëream. Hæc tamen tanta nominum varietas damnāda non est, cum propriā rei de qua agitur, naturā optime exprimat. Nā quia ipsius substantia tenuissima est ac leuissima, innatus spiritus vocatur: calidum vero innatum, quia à calidis elemētis ortū habet. Et rursus quoniam hæc elemēta sunt ignis & aër, ignea aëreaq. substantia merito dicitur. Quoniam vero ex semine & sanguine (duobus nostræ generationis principiis) proxime fit, dicitur interdum semen & sanguis; & verius multo sanguinea seminalisque substantia. Ac tandem quia plus est in semine substātiæ igneæ & aëreæ, spiritus natiui substantia ad semen potius quā ad sanguinem referri solet; vnde & substantia aërea & aquea interdum appellatur: talis enim est substantia seminis, spirituosi simul & humidi. Illud tantum difficultatem parit, quod innati caloris substantia in sanguine & pituita

Lib. aduer. Lycum. cap. 7.
D Lib. 8. de placit. cap. 7.
Lib. 1. apho. com. 14.
Lib. 1. de sani. tu. cap. 2.

consistere dicatur; quid enim innato calori pituita conferre possit, non video. A
Sed merito hunc locum deprauatum esse plerique censent, & pro φλέγματι legendum πνεύματι. Ex his intelliges, quam male Fernelius spiritum natiuum ab innato calido distinxerit, hoc vero cum humido primogenio spiritu caloreque perfuso idem prorsus esse dixerit. Siquidem humidum primogenium substantia est partium humida, calidum vero innatum substantia potius spirituosa; quæ quidem ab humida tantum differt, quantum solida ab vtraque. Adhæc primogenium humidum innati calidi pabulum est vt oleum flammæ, ergo quemadmodum diuersa est olei & flammæ natura, ita innati calidi & humidi primogenii natura diuersa erit. Neque vero minus peccat, dum propriam huius substantiæ qualitatem, non solum elementarem calorem, sed præter hunc, diuinum ac cœlestem alterum ad partium functiones obeundas necessarium fingit; quippe vt ex elementis calidi innati substantia ortum habuit, ita ex ipsis solis propriam qualitatem accepit. B

Lib. 4. de nat. parr. med. c. 6.

Lib. 2 de abdi. rerum cau. c. 7.

De hoc itaque spiritu singulis partibus insito nulla est controuersia; dubitari vero solet, an præter hunc, spiritus alter naturalis sit, qui in iecore genitus vna cum venali sanguine per venas in partes omnes diffundatur. Galenus quidem vbicumque de hac re agit, duplicem concedit spiritum influentem, vitalem scilicet & animalem. Vitalem in arteriis & corde, in sinistroque potissimũ ipsius ventriculo, ex sanguinis vapore, & aëre per inspirationem arteriarumque dilatationem attracto, gigni sentit. Is vero ex sinistro cordis vẽtriculo vna cũ arteriali sanguine per arteriam magnam in omnes partes transmittitur, vt calido innato quod perpetuo dissipatur, ac effluit, nutrimentũ præbeat; simulq. materiã cerebro suppeditet ad spiritus animalis generationem. Ex vitali namq. spiritu per arterias delato, alter quidam spiritus in cerebri ventriculis gignitur, quem C
quia præcipuum est actionum animæ instrumentum, animalem Galenus appellat. Non tamen propterea plexum illum arteriarum retiformem & admirabilem, quem Galenus somniauit, admittimus, in quo vitales spiritus plurimũ elaborari ac perfici voluit, vt spirituum animalium naturam tandem induerẽt. Sed & externum aërem per nares attractum animalis spiritus materiam esse, atq. ad huius generationem aëre potius quam vitali spiritu cerebrũ indigere, vinculo exceptis quæ in collo sunt arteriis, optime demonstrauit Galenus. Quo nomine & cerebro non secus ac cordi facultas pulsandi insita est, vt sua dilatatione externũ aërem attrahat per nares, contractione vero, vaporosa aut fuliginosa excrementa foras propellat. Quare merito Hippocrates inter principia nutrimenti spiritus, nares etiam recensuit, sic scribens. Principium nutrimenti spiritus, os, nares, guttur, pulmo, & alia respiratio. Sanguinis quoq. vapores animali D
spiritui materiã præbere, rationi est maxime consentaneum; cum in melancholicis, pituitosis, biliosis, & sanguineis, peccãtis humoris naturã referre videatur.

Lib. 7. de placi cap. 3. & lib. 12. meth. med. c. 5.

Lib. de vtili. respir.

Lib. de alim.

Hæc itaque duo influentis spiritus genera Galenus manifesto cõcessit, an vero concedendus etiam sit spiritus aliquis naturalis, incertum reliquit. Nam lib. 12. metho. med. cum de spiritu vitali & animali egisset, hæc subiungit. Quod si naturalis aliquis spiritus quoque est, vtique is quoq. in iecinore & venis continebitur. Cum tamen nullibi naturalem spiritum concesserit, & vbicumque de spiritibus agit, vitalis dumtaxat & animalis mẽtionem fecerit; probabilius est, iecur nullius spiritus principiũ esse. Alioqui pulsaret iecur non secus ac cerebrũ & cor, vt externum aërem attraheret, præcipuam spiritus gignendi materiam.

Cap. 5.

Solam igitur facultatem sine spiritu per venarũ tunicas in vniuersum corpus ex iecore influere, & rationi & Galeno consentaneum esse sentimus. Auicenna tamen,

A tamen, qui cum Aristotele statuit cor facultatum omnium principium ac sedē, spiritum qui in corde gignitur, omnium primum esse arbitratur; eundem vero ad partes alias principes ex corde transmissum, temperiem naturamque mutare; ita vt in cerebro animalis fiat, in iecore naturalis, & in testibus generans. Fernelius autem, vt tres sunt facultates, tria facultatem principia, & totidem canales à principiis exorti; sic & tria esse facultatū vehicula opinatur, spiritum scilicet naturalem, vitalem, & animalem. A Fernelio in eo tantū dissentit Valleriola, quod naturalem spiritum in iecore genitum, spiritus nomen vix mereri dicat, quia crassior est & vaporosior: quasi vero de nominibus, non de rebus ipsis esset contentio. Gorræus itidem tria influentis spiritus genera statuens, naturalem spiritum omnium actionum naturæ instrumentum, & insiti spiritus nutrimentum, & vitalis spiritus materiam esse asserit. Ac tandem Argenterius (vt B fuit semper rerum nouarum studiosissimus) nouum de spiritibus dogma constituens, vnicum dumtaxat spiritum influentem admittit, qui nec vitalis, nec animalis, nec naturalis vocari debeat, si his nominibus diuersam illius formā naturamque exprimere velimus; posse tamen hæc nomina vnico illi spiritui accōmodari, ad significandum multiplicem vsum, quem variis actionibus obeundis præbet. Vitalis enim appellatur, quando vitalibus functionibus inseruit; animalis, quando animalibus famulatur; naturalis vero, quando naturæ actionibus ministrat: quam Argenterii sententiam Iouberto quoque placuisse video. Sed longum esset singula curiosius persequi.

Lib. de medi. cordi. cap. 1.

Lib. 4. de nat. par. med. c. 10.

Lib. 1. loc. cō. cap. 16.

Lib. 16. def. medi.

Com. in art. med. pag. 188.

Annot. in cap. 1. lib. 1. de fac. nat.

Illud solum hoc loco explicandum restat, statuenda ne sit & quarta in nobis facultas, ab animali, vitali, & naturali prorsus distincta, cuius principium sint testes, è quibus in vniuersum corpus dimanet. Aristoteles quidem nullam facul- C tatem testibus tribuisse videtur, sed eum dumtaxat vsum, vt vasorum seminalium complicationem conseruent, eorundemque tensionem efficiant non secus ac pondera quæ telis appēduntur: vtpote qui pēsiles sint. Et inter medicos Herophilus (vt Galenus refert) ad seminis quidem generationem testes non multum conferre arbitratus est. Galenus tamen vim seminis prolifici generatricem testibus insitam esse verissime credidit, sumpto ab iis argumento quæ frequenti obseruatione sunt cognita. Videtur autē hæc vis ad vasa saltem spermatica influere, in quibus imperfectum, neque exquisite concoctum gignitur semen, quemadmodum in venis mesaraicis imperfectus rudisque sanguis. Porro cum Galenus (vt supra dictum est) inter eas partes quæ facultatum principia sunt, testes perpetuo enumerarit; facultatem aliquam ex testibus in vniuersum corpus diffundi necesse est. Hanc putant aliqui facultatem esse generatricem; D falso tamen, cum hæc soli semini insit. Quod si qua vis generatrix in partibus corporis reperiatur, ea profecto ex testibus non influit, sed ex paterno semine relicta est, ex quo partes ipsæ generationem obtinuerunt. Alii hanc facultatem proprio nomine carere dicunt; eam tamen esse quæ in maribus masculini ac robusti habitus; in fœminis vero fœminei ac imbecilli est caussa: quæ videtur etiā fuisse Galeni sententia. Influit itaq. ex testibus facultas, nō secus ac ex cerebro, corde, & iecore; influit, inquam, alteratio totius substantiæ ex testibus in vniuersū corpus; cuius quanta sit vis, insignis ea, & admiratione digna quæ testibus exsectis vniuerso corpori contingit mutatio, aperte declarat. Refrigerantur enim toto corporis habitu, & depiles non tantum mento, sed vniuersa etiam cute redduntur qui testes amiserunt; ipsisque non secus ac senibus totius corporis robur euanescit; neque amplius venæ sunt ipsis latæ, neque arteriæ ve-

Lib. 1. de gener. ani. cap. 4. & lib. 5. cap. 8.

Lib. 1. de semi. cap. 15.

Lib. 1. de semi cap. 16.

hemēter pulsantes. Vox prætcrea ipsis exilis efficitur, coloris flos perit, nullisque veneris stimulis infestantur: quæ sane dilucide monstrant, testes in animalibus & caliditatem, & robur vniuerso corpori impertiri. A

Ceterum quamuis ex testibus facultatem influere concedamus, nullum tamē in ipsis spiritum gigni credimus. Nam quod Vallesius scribit, spiritū quendam naturalem ex vitali in testibus generari, qui & viuat, & generandi vim insitam habeat, fictitium videtur. Solum namque semen generāt testes, quod quia plurimum habet substantiæ igneæ & aëree, & vitalem spiritum plurimum in se continet, maxime spirituosum apparet. Quoniam vero spiritus iste semini insitus, instrumentum est facultatis formatricis, propterea merito Galenus motus principium in prima animalis formatione ipsum esse dixit; humorem autem (id est humidam seminis substantiam) generationis potius materiam.

Lib. 2. contro. cap. 17.

Lib. 1. de semi. cap. 5.

Lib. 14. de vsu part. cap. 3.

Quæ cum ita sint, liceat nobis posthac, non tres, sed quattuor facultates constituere, quæ ex suis principiis, iecore, corde, cerebro, & testibus, in vniuersum corpus diffundantur. Nihilominus tamen vere quoque dictum est, tres esse facultates quæ animalium vitam gubernant, animalem, vitalem, & naturalem; quoniam quæ à testibus influit ad vitā necessaria non est, sed ad generis potius propagationem. Quo nomine testes cordi, visceri nobilissimo, præstare videntur; cum cor viuendi tantum, testes vero bene viuendi sint principium. Quanto autem bene viuere melius est quam solum viuere; tāto testes corde sunt in animalibus præstantiores. B

Hæc de facultatum nostrum corpus gubernantium numero, essentia, sedibus, influxu, actionibusque in vniuersum præfati, ad peculiarem de facultatibus naturalibus disputationem hoc opere institutam, cum Galeno iam aggrediamur.



CLAVDII

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE FACVLTATIBVS NATVRALIBVS

LIBER PRIMVS.

THOMA LINACRO ANGLO INTERPRETE.

CAPVT. I.

A CVM & sensus, & voluntarius motus, propria animalium sint, auctio & nutritio plantis etiam communia; fuerint non immerito priora duo animæ; posteriora naturæ ipsius opera.

Quo facilius explicet huius operis institutum, statim initio docet Galenus, quot sint in vniuersum actionum genera, vt hinc quoque intelligantur facultatum differentiæ. Actionum omnium duo genera statuit, alterum quidem actionum animæ, qualis est sensus, & motus voluntarius; alterum vero actionum naturæ, qualis est auctio, & nutritio. Inter actiones animæ non meminit imaginationis, ratiocinationis, & memoriæ, quæ actiones principes sunt; quoniam satis ipsi
B fuit, vnius aut alterius actionis exemplo vti. Vsus est autem exemplo potius sensus & motus, quam actionum principum, quoniam hæ obscuræ magis sunt & occultæ, illæ vero multo euidentiores. Quod sane præstat veterum philosophorum exēplo, qui ex motu & sensu animæ essentiam potissimum explicarūt; animatum enim (vt inquit Aristoteles) sensu & motu videtur maxime ab inanimato differre. Siquidem qui animam dixerunt esse id quod maxime primoque mouet, (vt Democritus, Leucippus, Anaxagoras, & Pythagorici) ipsius essentiā explicarunt ex motu. Neq. ab horum sententia recessit Thales, qui magnetem animatum esse asseruit, quia mouet, trahitq. ferrum. Empedocles tamen & Plato cum animæ cognitionem potius expenderent, ex sensu potius quam ex motu animam definierunt. Qui vero animam numerum esse se ipsum mouētem dixerunt, & sensus & motus videntur rationem habuisse. Porro quod sensus &
C voluntarius motus actiones animæ sint, ex eo nunc confirmat Galenus, quod actiones sint animalium propriæ: quamuis de vtroq. merito dubitari possit. Plato namque plantis etiam communem voluit esse sensum; cuius sententiam probat itidē Galenus, qui eiusmodi sensum plantis insitū, interpretatur esse sensum rei familiaris & alienæ; cuius beneficio cognoscunt plātæ, quid sibi familiare, alienūve sit, vt hoc respuāt, illud vero amplectantur. Eiusdem sensus ope dolorem & voluptatem, aut saltem pathemata quæ his proportione respondeant, in

Lib. 1. de ani. cap. 2.

In Timæo. Lib. de subst. fac. nat.

plantis fieri, concedit; & plantas, quod sensu prǽditæ sint, animalia à Platone A merito vocari censet. Negant tamen pleriq. sensum rei familiaris & alienæ plantis inesse, cum citra alicuius sensus opē quod ipsis familiare est, trahi, quod alienum, expelli posit; hoc quidem præstante facultate expultrice, illud vero attractrice. Addunt præterea, solam linguā in animalibus ex Galeni sentētia rei familiaris & alienæ sensu præditam esse, ob exquisitissimum quo pollet sensum, quem per duo insignia neruorum paria (tertium & septimū) accipit ex cerebro: oportuisse vero hunc eundem rei familiaris & alienæ sensum omnibus corporis partibus inesse, si modo plantis sit cōmunis, vt Plato & Galenus voluerunt. Hos autem grauissimos auctores sensus nomine abusos, facultatum naturaliū præstantiam, summumq. in agendo artificium indicasse, atq. hoc nomine excusari posse affirmant. Ceterum hæc meo iudicio minime cum iis cōsentiunt quæ a Galeno scribuntur, commendat enim maxime Platonem, quod præter vulgatam philosophorum opinionem, sensum plantis tribuerit. Et quid quæso obstat, quo minus & plantis, & omnibus animaliū particulis rei familiaris & alienæ sensus cōgenitus esse posit? An illud fortasse, quod sola in animalibus lingua eiusmodi sensu dicatur esse prædita. Atqui is linguæ sensus, gustus est, proindeq. animæ actio; cuius beneficio rerum similitudinem ac dissimilitudinem ex saporibus lingua dignoscit, ne forte rebus noxiis ac venenatis animalia vescerentur. At sensus quem plantis omnibusq. partibus cum Platone & Galeno tribuimus, sensus quidam est viuentibus omnibus congenitus, cuius ope quid sibi familiare, alienumve sit, naturæ instinctu discernunt. Cur igitur, inquies, sensum dixit hoc loco esse animalium proprium? Duplex potest esse responsio. In primis namq. absurdum censeri non debet, si sensum hîc animalibus proprium, alibi vero plantis etiam communem esse dixerit. Siquidem hæc docendi ratio veteribus philosophis olim maxime familiaris fuit, vt diuersa interdum de eodem argumento traderent, habita ratione lectorum, vel auditorum. Quo pacto cū plerisq. in locis sola animalia animata esse docuisset Plato; in Timæo tamen (in quo naturalē contemplationem paucissimis, iisdemq; doctissimis auditoribus tradebat) non dubitauit à vulgari philosophorum opinione recedens, lapidibus, testis, & omnibus quæ in mundo sunt corporibus, animam etiam impertiri: sentiens scilicet, mundi animam, quam ante ipsum Timæus introduxerat, per omnia corpora extensam esse. Quod sane dogma cum ex Timæi libro de anima mundi (qui nunc etiam exstat) desumpsisset, & alia pleraq. ad rerum naturam pertinētia ab eodem didicisset, non Socrati (vt in aliis) sed Timæo potius primum locū concedit in dialogo de natura, quasi primum eorum dogmatum auctorem, Timæū agnoscat. Sed neq. Aristoteles, neq. alii philosophi ab hoc docēdi genere ab D horruerunt, qui quæ communia omnibus futura sperabant, in exotericis; quæ vero paucis selectisq. auditoribus volebant esse cognita, in acroamaticis docere consueuerunt. Si ergo Platoni & Aristoteli de eadem re non semper eadem scribere licuit, idem nostro Galeno quidni licebit? Adde, quod sensus ille quem plātis tribuit cum Platone, diuersi generis ab eo est, quem hîc animalium proprium statuit; is namq. actio animæ est, veluti visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus; ille vero viuentibus omnibus est congenitus. Merito autem dicitur sensus animalium proprius, quia soli animali conuenit, & omni. Quamuis enim animalia quædam aliquibus sensibus careant, omnibus tamen communis est tactus, qui propriam animalis essentiam constituit; cum animal sit substantia corporea, animata, sentiens. De motu quoque non minus dubitari potest, sitne animalium proprius, quemadmodum & sensus. Nam licet vo-

A cet voluntarium motum (de quo nunc agimus) solis animalibus conuenire constet, non tamen certum est, an omnibus conueniat. Præbent vero dubitandi occasionem animalcula quædam, quæ scopulis affixa viuunt plantarum ritu, Zoophyta proinde appellata; quæ quidem voluntario motu destituta esse creduntur, præsertim cum musculis careant, propriis motus instrumentis. Quod si aliquando expandi conspiciantur, veluti cum alimento fruuntur, & rursus in se ipsa contrahi, cum rem noxiam (veluti piscatorum manus) fugiunt; eiusmodi motum naturalem esse aiunt, non voluntarium: qualis in ventriculo, vtero, cæterisq. naturæ instrumentis reperiri solet. Mihi tamen probabilius videtur (vt visum quoq. est Fernelio) motum illum esse voluntarium, imperfectissimum tamen, quemadmodum & Zoophyta ipsa sunt in animalium genere imperfectissima. Lib. 5. de nat. par. med. cap. 2 Quippe licet musculis carere videantur, partes tamē habent proportione
B & vsu ipsis respondentes; quemadmodum & partem habent, quæ sensus principium in ipsis sit, & proportione ac vsu respondeat cerebro. Atq. id visus est sensisse Galenus, cum lib. 11. de vsu part. scribat, motum etiam esse ex animalium substantia. Cap. 18. Et Aristoteles lib. 3. de anima, vbi docet, in animalibus imperfectis, quibus sensus tactus tantummodo inest, principium motus esse imaginationem & Cap. 9. cupiditatem, quæ in his animalibus indefinite reperiuntur, vt etiam indeterminate mouentur. Qui locus cur de Zoophytis intelligi non possit, non equidem video. Fateor tamen, eodem libro Aristotelem quibusdam animalibus motum negasse; sed de solo motu progressiuo locum intelligere oportet. Cum igitur voluntarius motus, non minus quam sensus, & soli, & omni animali conueniat, erit profecto vterq. animalium proprius: vnde recte colligit sensum & motum voluntarium esse animæ actiones. Nam si actiones sunt animalium propriæ, fiunt
C necessario ab aliquo principio quod sit animalibus proprium, & quo animalia distinguantur à plantis: at eiusmodi principium anima est. Similiter quoq. probat, auctionem & nutritionem esse actiones naturæ, quia sunt animalibus & plā tis communes, vt monstrat experientia. Si namque communes sunt, fiunt necessario ab eo principio quod animalibus & plantis commune; tale autem principium natura est; ergo auctio & nutritio sunt actiones naturæ. Et quamuis plures sint naturæ actiones, solius auctionis & nutritionis meminit, quod videantur ceteris manifestiores.

Quod si quis plantis quoq. animam impertiat, atq. alteram ab altera separans, hanc naturalem, illam sentientem appellet; diuersa quidem quam nos minime dicit, dictione tamen vtitur non perinde consueta. Nos vero claritatem maximam esse dictionis virtutem persuasi, atq. eam nulla perinde re atq. inusitatis nominibus viciari; prout vulgus hominum consueuit ita nominantes, animal quidem ab anima simul & natura gubernari dicimus; stirpes à sola natura; tum auctionem & nutritionem naturæ esse opera, animæ nequaquam.

D

Falsum videri posit quod supra dictum est, auctionem scilicet & nutritionem esse actiones naturæ, non animæ. Nam cum actiones sint animalibus & plā tis communes, plantis vero ex Platone, Aristotele, & ipsomet Galeno sit quoque insita anima; erunt haud dubie non solum naturæ, sed animæ etiam actiones. Hāc itaq. obiectioē dissoluit, dicēs, plantis quidē animā vere tribui posse,

dummodo ipsam ab ea distinguamus, quę est animalium propria. Quod sane ab A
Aristotele, aliisque philosophis factum esse obseruamus, qui plantarum animã, naturalem, vegetantem, aut altricem; eam vero quæ animalium est propria, sentientem appellarunt. Et merito quidem, quoniam hæc sensus & voluntarii motus principiũ est, illa vero auctionis & nutritionis. Hîc tamen clarioris doctrinæ gratia, vulgatamque (vt ipse ait) loquendi consuetudinem sequutus, plantis animam denegat, ab anima naturam distinguens; amplexus nimirum Stoicorum dogma, qui eam quæ plantas dispensat, non animam, sed naturam appellandam censuerunt. Et quamuis naturam & animam spiritum quendam esse dicerent, spiritum tamen naturæ humidiorem & frigidiorem, animæ vero calidiorem & sicciorem statuerunt. Si igitur animam cum Peripateticis plantis tribuamus, auctio & nutritio animæ actiones vere d.i possunt. Si vero cum Stoicis (vt fecit Galenus hoc loco) naturam ab anima di..nguamus, verissime dictum est, auctionem & nutritionem esse naturæ B
actiones, non animæ. Verissime itidem nunc scribit, à duobus principiis gubernari anim..a, anima scilicet & natura; stirpes vero à sola natura. Hæ namque cum terra, .. affixæ sunt, veluti copiosi nutrimẽti promptuario, perpetuo fruãtur; neque se..., neque motu indigent, sed solis facultatibus naturalibus contentæ viuunt; ..rum beneficio familiare nutrimentum attrahunt, retinẽt, con..quunt, & assi..ant, inutiliaque excrementa expellunt. Animalibus vero, vtpote ...æ terræ a... non sint, nõ sola natura, verum etiã anima necessaria fuit, propter ...sum sc...t & motũ, quibus ad sui conseruationem indigebãt. Sensu quidem, vt ...tri...ti defectum aliquando cognoscerent, quæ cognitio indigentiæ sensus dici ...t, soliusque ventriculi, potissimumque ipsius orificii, est propria. Quippe cum ...oris partes plantarum ritu ex venis à caua prognatis C
alimentum assidue hau...es nutriantur, cauam rursus ex iecoris venis attrahere necesse est, hasque ...rum ex iis quæ ad portas feruntur, atque has tandem ex ventriculo & inte...s. Cum vero nulla amplius supersit pars, ex qua ventriculus attrahere possit; ...quũ est, vt partibus superioribus violenter trahentibus, ventriculi orificium ...ellatur. Vt igitur molestam hanc diuulsionem sentiret, indiguit sensu, eoque ...quisitissimo, quem accipit ex cerebro per neruos sextæ coniugationis, vt d...nte ventriculi orificio, cognoscerent animalia sibi nutrimentum deficere. ...d præter sensum fuit quoque necessarius motus, vt cum primum alimenti def...um sentirent animalia, ad quærenda nutrimenta mouerentur. Porro cum ani...lium vita tribus facultatibus dispensetur, naturali, vitali, & animali, triaque...nt distincta harum facultatum principia, iecur, cor, & cerebrum; putarit nõ in...erito quispiam, à tertio quodã prin D
cipio (quod à natura & anima prorsus dis...ctum sit) animalia gubernari. Dicendum tamen, facultatem vitalem sub n..ura comprehendi, cum sit reuera naturalis, ipsiusque actio præcipua, nẽpe sa...uinis arterialis & vitalis spiritus generatio, non minus sit ad nutriendas partes ..cessaria, quam eius facultatis actio quæ proprie naturalis dicitur. Quod indica...it Galenus lib. 1. de mot. musculi. dicens, musculum propter neruos fieri instru...ntum animale, propter venas autem & arterias naturale: quia motus qui à ve..is & arteriis procedunt, naturales sunt, & voluntatis expertes. Neque vero f...ultas ista vitalis, quod reuera naturalis sit, plantis inesse debuit; nam quanto ..erfectiora sunt animalia plantis, tanto maiori naturæ apparatu ad sui nutritio..em indigent. Quo factũ est, vt duplex ipsis nutrimentũ natura præparauerit, & ..plex nutrimenti principium

Lib. 6. de plac. cap. 3.
Lib. quod ani. mor. cap. 4.
Lib. 4. de vsu par. cap. 7.
Cap. 1.

A cipium, iecur scilicet & cor. Siquidē venali sanguine solida & humida partium substantia resarcitur, sanguine vero arteriali & vitali spiritu instauratur priuatim substantia spirituosa; quæ copiosa in animalibus est, cum plurimum habeāt calidi innati. At plantis, vtpote quæ innati caloris minimum habent, nullū peculiare innati calidi nutrimentum necessarium fuit. Propterea Galenus lib. de fœt. format. verissime dixit, fœtum genito iecore viuere vt plantam, genito vero corde vt animal iam administrari. Cap. 3. Quamuis locus ille difficultate nō careat, cum dixerit, genito corde viuere fœtum vt hiatulas, buccinas, & ostreas; quæ tamen cum animalia sint imperfecta, corde videntur carere. Ex iis tamen quæ subiunxit, facile intelligitur, fœtum genito corde, nullo adhuc, aut saltem minimo pulsu indigere; sibi namque soli in fœtu ipso pulsat cor, cum & arterialem sanguinem, & vitalem spiritum, per arterias vmbilicales ex matre fœtus accipiat. Merito ergo dicetur fœtus genito corde viuere vt animalia imperfecta, B quia quemadmodum hæc aut nullo, aut minimo pulsu indigent, ita & fœtus genito corde.

Et in hoc quidem opere inquiremus, a quibus facultatibus auctio, nutritioq. & si quod aliud naturæ opus est, proueniant.

Quamuis duplex sit actionum genus, naturæ, & animæ, de solis actionibus & facultatibus naturalibus hoc opere agere instituit, vt docet inscriptio. Et licet vitalis facultas reuera sit naturalis, vt antea diximus; potissimum tamen de his facultatibus, & actionibus agit, quę vere ac proprie naturales dicuntur, quæque à vitalibus & animalibus sunt distinctæ, de quibus in præfatione multa diximus.

CAP. II.

C

ERVM prius distinguamus, explicemusque oportet de qua re singula quibus in hoc opere vtemur, nomina dicantur: fiet enim eo pacto, vt naturalium operum doctrina vna cum ipsis nominum interpretationibus protinus tradatur. Ergo cum corpus aliquod ab iis sub quibus ante fuit, in nullo est immutatum, quiescere id dicimus; quod si in aliquo ab his recessit, secundum illud id moueri. Itaque cum multis modis corpus a statu in quo erat, recedat; multis etiam modis moueri dicetur. Nam siquis D *ex albo niger, aut ex nigro fiat albus, is mouetur in colore. Et si quid prius dulce postea fiat austerum, vel contra ex austero dulce; id quoque in sapore moueri dicitur. Ambo autem genera, tum hæc, tum vero quæ prius sunt dicta, in qualitate moueri dicentur. Nec ea modo quæ in colore & sapore mutantur, moueri dicimus; sed etiam siquid ex calidiore fit frigidius, aut ex frigidiore calidius, id quoque moueri affirmamus. Non minus sane, et si quid ex sicco fiat humidum, aut ex humido siccum. Commune autem his omnibus nomen alteratio est, vnum id quoque motus genus. Alterum genus in corporibus his est, quæ situm mutant, atque ex alio loco in alium cedere dicuntur; huic generi latio nomen est. Atque hi quidem duo motus, simplices et primi sunt; auctio vero et diminutio, ex his*

compositi; illa, cum ex minore maius fit; hæc, cum ex maiore minus: propria scilicet vtrobiq. seruata forma. Alii ab his motus sunt generatio et corruptio; illa quidem ad substantiam productio; hæc illi cōtraria. Omnibus his motibus cōmunis est prioris status immutatio, sicut e diuerso quietibus prioris status conseruatio. A

Antequam aggrediatur disputationem de facultatibus naturalibus, explicat primum hoc capite notiones eorum nominū, quibus frequenter hoc opere vtendum erat; ne postea cogatur de rebus ipsis iam disputans, ad nomina explicanda digredi. Hæc autem nomina sunt motus, opus, actio, & facultas. Notionem motus explicat primo loco, quia omnes fere actiones naturæ, motus quidā sunt. Et quoniam motus & quies cōtraria sunt, vt habitus & priuatio, simul quoq. explicat notionem quietis. Cum autem rerum notiones (vt didicimus ex Aristotele) eædem sint apud omnes, etiam si propter linguarum diuersitatē variis nominibus exprimantur; ex communi loquendi consuetudine docet, quietem appellari prioris status conseruationem, motum vero prioris status immutationē. Id tamen de ea quæ sensu percipi posit mutatione intelligere oportet, nam si præ exiguitate sensum effugiat, quiescere potius quam moueri corpus dicetur; proindeq. merito Galenus eos reprehendit, qui dogma ἀειπαθείας introduxerant. Quod si motus prioris status est immutatio, quot modis corpus à priori statu mutari potest, totidem esse motus differentias necesse est. Diuersi autem mutationis modi ex diuersitate eorum ad quæ fieri potest mutatio, pendere videntur; ex quibus recte colligit Aristoteles quattuor species motus, ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & locum: quamuis interdum sex statuerit, motū scilicet ad substantiam, & motum ad quantitatem, in suas species diuidens. Galenus tamen hoc loco idem prorsus sentiens cum Aristotele, motum diuidit in simplicem & compositum. Simplex motus duplex est, ad qualitatem, qui alteratio dicitur aut cōmutatio; & ad locum, qui latio appellatur. Rursus alteratio vel fit in primis qualitatibus, vt calore, frigore, humiditate, aut siccitate; vel in secundis, vt coloribus, odoribus, saporibus, & qualitatibus secundis tactilibus. Sed præter has quæ in manifestis qualitatibus fiunt alterationes, aliæ quædam sunt, quas Galenus aliiq. medici totius substantiæ alterationes vocare solent, quod alterationes sint totius temperamenti; quales illæ sunt, quas à cerebro, corde, iecore, ac testibus influere diximus. Latio itidem multiplex videtur esse, cū sursum, deorsum; antrorsum, retrorsum; dextrorsum, sinistrorsum; & in orbē fieri posit. Ex his duobus simplicibus motibus, alteratione & latione, duo alii compositi nascuntur, motus scilicet ad substantiam, & ad quantitatem. Motus ad substantiam duplex est; generatio scilicet, quæ est nouæ substāriæ productio; & corruptio, quæ est prioris substantiæ amisio. Similiter & motus ad quantitatē est duplex, accretio & decretio; in hac corpus ex maiore fit minus; in illa vero contra ex minore maius. Quomodo autem hæc genera motuum a se inuicem distinguantur, ab Aristotele explicatum optime est. Dicuntur vero ortus & interitus, accretio & decretio, motus compositi, quia ex simplicibus motibus alterū, aut etiam vtrumq. adiunctum perpetuo habent. Nihil enim sine præcedente alteratione aut gigni, aut interire potest. Immo similarium partium generatio, alteratio quædam est; & partes organicæ sine latione gigni nequeunt. Accretio præterea cum fiat in trinam dimensionem, lationem habet adiunctam, corpore scilicet

[Margin, beside "Et quoniam motus & quies": B]

[Margin notes: Lib. 1. de sanit. tu. cap. 5. — Lib. 3. Physic. cap. 1. (C) — D — Lib. 1. de ort. & inter.]

A licet quod augetur, maiorem quam antea locum occupante. Sed & auctionem plures alterationes præcedunt, vt concoctio, & nutritio, quæ totius substantiæ alterationes sunt. Porro vt decretio accretioni est cõtraria, ita & contrariæ mutationes ipsam comitantur. Nam & minorem locum occupat corpus quod decrescit, & vehementẽ patitur alterationẽ; quæ vel ætatis decursu fit, vt in extrema senectute; vel morbi cuiuspiam vi, vt marasmo, & febribus colliquantibus.

Porro quod cibi in sanguinem versi, ad visus, gustus, tactusq. iudicium demutentur, id quidem concedunt sophistæ; quod autem ita reuera sit, nõ assentiuntur. Quippe sunt ex his, qui omnia id genus nostrorũ sensuũ, alias scilicet aliter affectorum, deceptiones esse, elusionesq. existiment; nec ipsam quæ subiicitur substãtiam, quidquam ex iis quibus denominata est, admittere. Alii vero esse quidem B *in ipsa natura qualitates assentiuntur, ceterum immutabiles has esse inalterabilesq. in omne æuum; quæ autem alterationes in ea apparent, has secretione ac concretione accidere aiunt, inter quos est Anaxagoras. Ergo si ad hos refellendos digrediar, plus operæ in accessorio quam in proposito sumam. Etenim si ignorant quæ de ea alteratione quæ per totam fit substantiã, Aristoteli ac Chrysippo sunt prodita, hortandi sunt vt eorum scripta reuoluant; sin ea noscentes, sua spõte pro melioribus deteriora sequuntur, nostra plane friuola existimabunt. Quod autem & Hippocrates, qui Aristotelẽ ætate præcessit, ita sicut Aristoteles cẽsuit,* C *alibi nobis indicatum est. Primus enim is omnium tum medicorum, tum vero philosophorum, quorum vtiq. fama ad nos peruenit, demonstrare tentauit, quattuor esse omnes quæ mutuo in se agerent qualitates; a quibus quæ genitum* interitumq. agnoscunt, omnia gignantur, ac perimantur. Quin etiam misceri eas mutuo totas per totas, primus omnium (quorum fama ad nos percrebuit) Hippocrates nouit; principiaq. demonstrationum quas Aristeteles postea pertractauit, scripta apud eum priorem inuenias. Vtrum autem sicuti qualitates, ita etiam substãtias ipsas, totas per totas misceri sit putãdum, veluti postea Zeno Cittiëus asseruit; id quidem hoc libro disquirendum non puto cum solam alterationem quæ per totã fit substantiam, ad ea quæ nunc mihi sunt proposita, non ignorari postulem. Ne* D *quis ossis, nerui, carnis, & reliquorum cuiusq. partes in pane contineri, veluti in quibusdam disseminatis in eo vasis, autumet; ac postea in corpore segregatas, singulas se ad sibi simile conferre genus. Quamquam certe videtur vniuersus panis ante segregationem fieri sanguis; cum si quis bono temporis spatio nullum alium cibum assumpserit, nihilo secius sanguinem in venis contentum habuerit. Atque hoc liquido eorum qui immutabilia elementa statuunt, opinionem refellit; æque nimirum vt oleum, quod in lucernæ flammã totũ absumitur; & ligna quæ paullo post fiunt ignis. Verum disputare contra hos recusaueram, sed quia quod propositum est exemplum ad Medicinæ materiam spectat, quo etiam ad institutam disputationem est vtendum, idcirco de eo hactenus egi.*

* γένεσιν

Repre-

Reprehendit hîc obiter veteres quosdam philosophos (quos merito sophistas vocat) qui alterationes omnes, tam eas quæ in manifestis qualitatibus fiūt, quam eas quæ totius substantiæ sunt, prorsus negarunt. In manifestis quidē qualitatibus alterationes negarunt, qui nullas reuera qualitates corporibus inesse, sed eas quæ apparent mutationes, nostrorum sensuum hallucinationes esse existimarunt. Hos sentiunt Syluius & Ioubertus fuisse Scepticos, nescio tamen an omnino recte. Quomodo enim nullas corporibus qualitates inesse affirmassent Sceptici, quibus nihil certi asserere, sed de rebus omnibus dubitare tantum licebat? Non ergo Scepticorum fuit hoc dogma, sed eorum potius qui atomos putarunt esse corporum elementa; quorum princeps fuit Democritus. Is namque atomos omnis qualitatis expertes statuebat, sensilesque concretorum corporum qualitates ex indiuiduorum illorum corpusculorum cōuentu, per solam ad nos qui sentimus collationem, gigni asserebat. Nihil itaque natura calidum, aut frigidum; album, aut nigrum; dulce, aut amarum esse affirmabat; sed tantum νόμῳ, id est lege, ex nostra scilicet existimatione. Totius vero substantiæ alterationes illi potissimum è medio sustulerūt, qui minimas rerum particulas corporum elementa statuerunt, quorum princeps fuit Anaxagoras. Quamuis enim hi qualitates concesserint, eas tamen inalterabiles, prorsusque immutabiles esse opinati sunt; & quas totius substantiæ alterationes nos dicimus, partium potius quæ antea latebant, segregationes esse voluerunt. Falsas horum philosophorum opiniones refellere non instituit in præsentia; tum quia nimis longum esset singula persequi; cum potissimum quia quæ pertinent ad totius substantiæ alterationes, & recte à Chrysippo tradita, & ab Aristotele optime sunt demonstrata. Sumpsit autem Aristoteles suarum demonstrationum principia à nostro Hippocrate, qui philosophorum omnium ac medicorum primus, primas quattuor qualitates (à quibus ipse prima elementa vocauit calidum, frigidum, humidum, & siccum) in se mutuo agere, & à se inuicem pati, & per se totas misceri, vel potius temperari demonstrauit. Immo & ipse omnium primus, nomine κράσεως, vel (vt ipse Ionice dixit) κρήσιος, id est temperamenti, est vsus; quia & omnium primus prima elementa per se tota κεράννυσθαι, id est temperari docuit. Quæ sane Hippocratis dogmata Peripatetici omnes simul & Stoici amplexi sunt, in eo tantum inter se dissidentes, quod Peripatetici solas elementorū qualitates, Stoici vero præter qualitates, substantias etiam elementorum per se totas temperari crediderint. Quid autem sit de hac re sentiendum, alibi à nobis explicatum iam est. Quoniam vero sententia Anaxagoræ de similarium particularum segregatione, huic disputationi de facultatibus & actionibus naturæ omnino aduersatur; non potuit se continere Galenus, quin aliquid in eum diceret. Probat ergo ex iis quæ experientia sunt cognita, neque in pane, neque in oleo, neque in ligno, rerum omnium particulas delitescere, posteaq. segregari. Si quis enim solo pane per dies aliquot vescatur, satis multum sanguinem in vasis colliget; quod tamen fieri non potuisset, si sanguinis, carnis, nerui, ossis, & ceterarum rerum particulæ continerentur in pane. Præterea & totum oleum in lucernæ flammam absumi, & totum fere lignum in ignem conuerti experimur; ergo neque in ligno, neque in oleo contineri possunt rerum omnium particulæ.

A B C D

Lib. 1. de ele. cap. 2.

Lib. de ort. & inter.

Lib. de nat. hom. sent. 12.

Lib. de natu. hom. com. 2.

Ergo missa sicut promisi contra istos disputatione, iis qui ea discere expetunt quæ veteres tradiderunt, (idque ex iis quæ nos de illis seorsum meditati sumus) omnem

A *omnem deinceps sermonẽ faciemus; ſcilicet ea quæ ab initio propoſuimus, quot, & quæ naturæ ſint facultates; tum quod opus edere ſingulæ earum ſint natæ, inquirentes. Porro opus appello quod iam factum atque completum per earum actionem eſt; velut ſanguinem, carnem, neruum. Actionem vero, ipſum actiuum motum. Cauſſam vero à qua hæc procedit, facultatem. Nam quoniam vbi cibus ſanguis fit, paſſiuus quidem cibi, actiuus vero ipſius venæ fit motus; itidem in transferendis artubus, mouet quidem muſculus, mouentur autem oſſa; venarum & muſculorum motum; actionem nomino; cibi vero & oſſium, ſymptoma [ſiue acceſſorium] ac paſſionem; illi enim alterantur; hæc feruntur. Et actionẽ quidem licet opus quoddam naturæ appelles, ceu concoctionem, digeſtionem, & [ſi*
B *ita loqui liceat] ſanguificationem. Non tamen contra licet opus actionem omnino voces, ſiquidem caro naturæ opus eſt, non tamen eſt actio. Patetq. alterum eorum nominum bifariam dici, alterum non item.*

Ad inſtitutum reuerſus, reliquorum trium nominum, operis ſcilicet, actionis, & facultatis notiones explicat. Opus inquit appellari quod factum iam eſt, & completum per actionem. Veluti ſanguis iecoris opus eſt, cum ex propria ipſius actione relinquatur: & caro, neruus, & quæuis alia corpori pars, opus naturæ dicitur, quia facultatis generatricis actione gignitur. Actio autem vocatur motus actiuus, quem aliquando ait eſſe eũ qui ex ſe proficiſcitur; aliquando vero vocat efficientis motum. Quare paſſiuus motus, quem pathos, ſiue pathema appellat, vel erit motus rei quæ afficitur, vel qui ex alio in aliud proficiſcitur. Lib. 6. de Hip. & Plato. decr. cap. 1.
C Videnturque actio & paſſio ratione potius quam reipſa diſtingui, nam quæ à re incidente in re inciſa inciſio fit; incidentis quidẽ actio, inciſæ vero paſſio eſt, ſiue affectio. In idem fere recidit quod alibi docuit de vtroque motu, actiuum vocans qui à ſe editur, paſſiuum vero, qui ab alio quopiam extrinſecus poſito excitatur. Fateor tamen (quod & annotatum eſt à Galeno) aliter interdũ vſurpari actionis & paſſionis nomen; ita vt actio dicatur, non omnis motus qui à ſe editur, ſed ille tantum qui ſecundum naturam eſt; & paſſio quoque vocetur, nõ tantum motus ille qui fit ab alio in aliud, ſed etiam motus qui à ſe editur, dummodo præter naturam ſit: quamuis toto hoc opere in priori ſignificatione proprie vſurpetur. Porro quod de actiuo paſſiuoque motu dixerat, confirmat duobus exemplis. Inprimis enim quando cibus in ſanguinem mutatur, ipſius quidẽ Lib. de differ. ſympt. cap. 1. Lib. 1. metho. med. cap. 6. Lib. 6. de Hip. & Plat. dec. cap. 1.
D cibi motus paſſiuus eſt, quia aliunde prouenit, nempe à vena; venæ autem motus actiuus eſt, quoniam editur à ſeipſa. Illud eſt in hoc exemplo difficile, quod venis tribuerit facultatem gignendi ſanguinem, quæ tamen potius iecoris carni inſita eſſe creditur. Quid tamen de hac re ſentiendum ſit, libro ſequẽti explicabimus. Præterea quando artus transferuntur, muſculorum quidẽ motus actiuus eſt, quia à nulla alia parte mouentur, etiamſi ad eiuſmodi motum facultate aliunde influente indigeant; at oſſium motus (vt inquit Galenus) ſymptoma eſt, & pathema, quoniam oſſa à muſculis trahuntur. Et quoniam de nominibus agimus, non abs re fuerit nouam ſymptomatis ſignificationem, quæ ex hoc loco aperte colligitur, obſeruare. Docuit namque alibi, ſymptoma generatim quidem mihi omne ſignificare quod nobis præter naturam accidere poteſt; ſpeciatim vero, id quod ſequitur morbum. At neutra ſignificatio huic loco accommodari Lib. de differ. ſymp. cap. 1.

poteſt

potest, cum ciborum alteratio, & ossium motus, neque præter naturam fiant, A neque morbum sequantur. Dicendum igitur necessario, symptoma hoc loco idem significare quod accidens, siue illud secundum naturam corpori accidat, siue præter naturam. Quamuis enim si proprie loquendum sit, quod in corporibus sanis naturalē constitutionē sequitur, συμβεβηκὸς Græcis, Latinis accidens dicatur; quod autem affectum præter naturam sequitur in ægris, vocetur symptoma, vt colligitur ex Galeno; interdum tamē symptomatis nomine comprehenditur, quidquid corporis affectum sequitur, siue præter naturam sit, siue etiā secundum naturam. Quam symptomatis significationem, & lib. de differ. sympt. subobscure innuere videtur, nam posteaquam docuit, symptoma proprie id esse quod sequitur morbum, hæc subiungit. Atqui licebit ea tibi pro arbitrio mutare, modo obserues quod dictum est, vt res ipsæ permaneant. Vt exempli caussa si nolueris vocare symptoma, sed epigenima; vt symptoma sit omne id quod animanti vtcumque acciderit; epigenima vero, non omne, sed id dūtaxat quod B morbos sequitur. Eandem significauit in arti. medic. cum temperati corporis signa ex duobus capitibus desumi scribit; ex iis scilicet quæ secundum essentiæ rationem insunt; & ex iis quæ ex necessitate cōsequuntur operationibus, & symptomatibus, quæ proprie accidentia vocantur. Explicat tandem notionem facultatis, dicens, facultatem appellari caussam à qua procedit actio; de qua caussa sequenti capite agemus. Et quamuis is sit horum nominum vsus, obseruat tamen, nomen operis latius interdum patere, ita vt non solum quod ex actione relinquitur, verum etiam actionem ipsam significet. Quo pacto sensum & voluntarium motum, animæ opera; auctionem vero & nutritionem, opera esse naturæ superiori capite dixerat. Quamobrem actiones omnes dici possunt opera, non tamen contra; nam quæ ex actionibus relinquuntur opera, (vt sanguis & caro) actiones dici nequaquam possunt. C

[Margin: Lib. 1. metho. med. cap. 9. — Cap. 1. — Cap. 8.]

CAP. III.

C mihi quidem tam vena, quam reliquarum particularum singulæ, ob certam quandam temperiem quam ex quattuor qualitatibus sunt nactæ, hoc vel illo modo agere videntur.

Explicata facultatis notione, ipsius essentiam inquirens, duo docet hoc capite. Docet primum singulas corporis partes ob certam quattuor qualitatū temperiem suas actiones exercere. Vnde constat, temperamentum non solum naturalium (vt quidam sentiunt) sed omnium in vniuersum actionum caussam esse. Propterea que merito & alibi dixit, propriam cuiusque particulæ actionem ab aliarum actionibus tantum differre, quantum ipsa particula ab aliis differt; differre vero proprii temperamenti ratione. Quo fit, vt tamdiu partium actiones incolumes permaneant, quamdiu illæsa permanserit propria earundē temperies: & tunc primum partium actiones lædantur, cum primum intemperie laborauerint: hæc namque cuiuscumque imbecillitatis est caussa, vt Galenus testatur. Quomodo vero actionum omnium caussa statuatur temperamentū, cum formæ potius substantiali actiones omnes acceptæ referri debeant; alibi à nobis explicatum iam est: quemadmodum etiam illud quod ex hoc Galeni loco necessario colligitur, actiones scilicet totius substantiæ à temperamento qualitatum D

[Margin: Lib. 7. metho. med. cap. 3. — Lib. de differ. mor. cap. 5. — Lib. de nat. hō. com. 2. & lib. 1. de temp. cap. 1.]

A situm proficisci, non autem à fictitio temperamento substantiarum.

Sunt tamen non pauci viri non incelebres, nec Philosophi modo, sed etiam Medici, qui calido et frigido actionem tribuunt, siccum et humidum pro patientibus his subiiciunt. Ac primus quidem Aristoteles particulariũ omnium caussas referre ad hæc principia est aggressus; sequutaque eum postmodum schola Stoicorum est. Quamquam his quidem, vtpote qui elementorum ipsorum mutuã mutationem ad fusionem et densationem referant; consentaneum erat, calidum et frigidum actiua principia statuere; Aristoteli non item, sed cũ quattuor qualitatibus ad elementorum generationem sit vsus, satius erat omnes particulares caussas in has reducere. Cur igitur in libris de generatione et corruptione quattuor
B *vtitur, in meteorologicis, et problematis, et aliubi tantum duabus? Nam si quis in animalibus et stirpibus calidum et frigidum magis agere, siccum vero et humidum pati dixerit; fortasse etiam Hippocratem subscriptorem habuerit. Sin pari modo in omnibus, non arbitror id concedet non modo Hippocrates, sed nec Aristoteles: modo eorum quæ in libris de generatione et corruptione, non simpliciter ac nude, sed cum demonstratione nos docuit, meminisse velit. Verum de his in opere de temperamentis, quantum medicis sit ex vsu, disquisiuimus.*

Quod quattuor qualitatum temperies caussa sit actionum, falsum fortasse videri possit; cum ab omnibus philosophis pariter ac medicis concessum sit, ex
C qualitatibus primis duas esse agentes, calidum scilicet & frigidum; duas verò patientes, nempe siccum & humidum. Pendet huius obiectionis solutio ex illius quæstionis explicatione, sintne agentes quattuor primæ qualitates, an aliæ potius agentes sint, aliæ patientes. Videtur autẽ Aristoteles contraria de hac re scripsisse, nam lib. 4. meteoro. calidum & frigidum agere, humidum vero & siccum pati, non simpliciter ac nude pronunciauit, sed inductione, & ex rerum ipsarum natura optime confirmauit. Eandem sententiam (vtpote quæ suis dogmatis maxime sit consentanea) amplexi sunt Stoici; qui sane cum mutuam elementorum in se inuicem transmutationem ad fusionem densationemque retulerint, calidum & frigidum agentia principia merito statuerunt, quod fusio à calido, densatio vero à frigido fiat. At idẽ Aristoteles lib. de ort. & inter. quattuor primas qualitates agentes simul & patientes constituit, cum elementorum Cap. 1. & 4.
D mistorumque omnium ortum & interitum ad ipsas referat. Galenus hoc loco vtrumque ab Aristotele vere dictum fuisse docet, omnes enim qualitates primæ, tam in simplicibus corporibus, quam in compositis, simul agunt & patiuntur. Quippe cum aër mutatur in ignem, necessario concedendum est, siccitatem ignis in aëris humiditatem agere. Neque negari potest, quin in prima animalis formatione siccitas ignea excedentem principiorũ nostræ generationis humiditatem absumat. Quod autem calidum & frigidum agentes, humidum vero & siccum patientes qualitates ab Aristotele dicantur, id interpretatur Galenus in solis viuentibus intelligendum esse. Quamuis enim in his, vt in reliquis etiam mistis, primæ quattuor qualitates in se mutuo agant, & à se inuicem patiantur, omnesque naturæ actiones quarum beneficio viuunt, quattuor qualitatum tẽperamento debeantur; nihilominus tamen calidum & frigidum dicuntur agere, quia

re, quia calidum innatum præcipuum est & idoneum naturæ instrumentum ad A
suas actiones exercendas. At calidum innatum simplex calidum non est, sed frigido potius temperatum; quo nomine frigidum licet per se nullius actionis naturæ idoneum sit instrumentum, in viuentibus agere dicitur. In iisdē vero siccum & humidum dicuntur pati, quia dum generatio & concoctio ab innato calido perficiuntur, siccũ miscetur humido: quo fit, vt quæ concoquuntur, & crassiora & calidiora euadant, quemadmodum recte ab Aristotele est proditum.

Lib. 4. meteo. cap. 2.

Ceterum potentia ea facultasve in venis, quam sanguificam appellant, atque etiam alia quæuis facultas, in relatione ad aliquid intelligitur; primum enim actionis ipsius potentia est caussa; deinde etiam operis ex accidenti quodam. At vero si caussa ad aliquid est, (est enim vnius eius quod ab ea fit, reliquorum nullius) planum est, potentiam quoque in relatione ad aliquid dici. B

Ad explicandam facultatis essentiam reuersus, docet secundo, facultatem in relatione ad aliquid semper intelligi. Nam caussa ad aliquid dicitur, at facultas (vt superiori capite dictũ est) caussa est actionis, ergo & facultas ad aliquid dicetur. Dicitur autem facultas & ad actionem, & ad opus, quoniam vtriusque est caussa; actionis quidem primo, operis vero ex accidenti. Cumq. Ex accidenti ex aduerso opponat ei quod est Primo; certum est Ex accidenti idem significare quod secundario, vel alio medio, vt ipsemet Galenus alibi interpretatur. Ad actionem itaque primo dicitur facultas, quia per se, & nullo alio medio actionis est caussa; ad opus vero dicitur ex accidenti, quoniã secundario, aut alio medio (media scilicet actione) caussa est operis: cum opus dicatur quod ex actione relinquitur. Colligunt pleriq. ex iis quæ de facultatis essentia hactenus dicta sunt, facultatem reipsa non distingui à temperamento. Nam si facultas dicitur caussa actionis, & vnaquæque corporis pars ob certam quãdam quattuor qualitatum temperiem suam actionem exercet, facultatem sane & temperamentum vnam eandemque rem esse necesse est. Id quod significauit etiam Galenus lib. 1. de simp. med. fac. calidum, frigidum, siccum, & humidum, effectricum facultatum essentias esse scribens, tum in aliis omnibus, tum in medicamentis. Et lib. 1. de præsag. ex pul. Facultatis, inquit, singularum partium essentia in singularum illarum commodo temperamento posita est; nam tum demum suum quæque munus obit strenue, vbi sit temperatissima; cõtra male fungitur, si intemperata sit; atque hactenus male, quatenus sit intẽperata. Sola autem ratione facultatem à temperamento distinguunt, quod scilicet temperamentum res absoluta sit, facultas vero ad aliquid dicatur. Vnde colligunt, facultatem aliud esse nihil quã temperamentum, quatenus ad actionem refertur. Quorum sententiæ videtur quoque fauere Galenus lib. Quod animi mores, vbi philosophos quosdam reprehendens, ad hũc modum scribit. Perinde enim mihi potestates isti in aliquo inesse putare videntur, atque res aliqua substantiam inhabitans, sicut & nos ędes incolimus; singulorum autem quæ fiant, effectricem quandam esse, quæ ad aliquod referri intelligatur, ignorãt. Huic vero caussæ, tamquam alicui certæ rei, priuatim atque per se appellatio quædam indita est; in quadam autem à seipsa ad genitum relatione geniti potestas consistit. Quocirca & tot potestatibus substantiam, quot actionibus prẹditam esse dicimus. Hæc Galenus. Ceterum rerum naturas meo iudicio confundunt, qui facultatem cum tẽperamento confundũt.

Lib. de differ. sympt. cap. 1.

C

Cap. 1.

Cap. 4.

D

Cap. 2.

Cum

A Cum enim facultas simplex qualitas sit, tēperamentū vero qualitas cōposita; ac rursus facultas in categoria qualitatis, tēperamentū vero in nulla categoria cōtineatur; quomodo facultas idem cū temperamento esse possit, non video. At primæ qualitates effectricum qualitatum essentiæ merito dicuntur, quia facultates ex qualitatum temperie, ceu fonte quodam, manāt, etiamsi ab ipsa distinguātur. Libro vero Quod ani. mor. philosophos eos reprehendit, qui facultates sic in re aliqua inesse putarunt, vt nos ædes incolimus; nō quod facultates reipsa distinctas esse voluerint, vt nos à domo distinguimur; sed potius quod facultates putarint ab iis quorum sunt facultates, separabiles esse, quemadmodū nos a domo. Multo adhuc absurdior est de essentia facultatis Argenterii sententia, qui nullas in rebus facultates videtur admittere, quæ diuersarum actionū sint caussæ; sed solam vniuscuiusque rei formam actionum caussam statuit, eamque varias actiones edere ob variam dumtaxat instrumentorū cōditionē; proindeq. Com. in art. med. pag. 177.

B facultates nihil aliud esse asserit, quā illas instrumentorū aptitudines. Atqui si ob diuersam tantū instrumentorū conditionem diuersæ actiones edūtur à forma, quomodo forma ossis, carnis, & reliquarū partiū similariū varias actiones exercet? Quænā sunt in osse, aliis ve partibus similaribus varia instrumēta, quorum beneficio attractio, retentio, concoctio, expulsio, & nutritio fiant? Dicet fortasse, diuersas qualitates diuersarum actionum instrumenta esse posse, vt calorem attractionis, & retentionis siccitatem. Laudo (si ita responder) hominis ingenium. Sed cum frigiditas nullius actionis instrumentum esse possit, a tribus reliquis qualitatibus tres dumtaxat actiones prouenire necesse erit. Quod si qualitas vna plurium actionum instrumentum esse potest (vt calor attractionis, concoctionis, & nutritionis) diuersæ profecto actiones nō semper fient ob di-

C uersitatem instrumentorū. Quin & in simplicibus medicamentis quæ plures actiones edere sunt nata, idipsum liquido apparet, veluti in aloë, quę bilē purgat, stomachū roborat, cruenta vulnera glutinat, plana ad cicatricē perducit, & palpebrarū humiditates resiccat. Omniū optime facultatis essentiā inter recētiores explicauit Fernelius, qui licet rhetorice magis quā physice de hac re interdum disserat, & Galeni de hac re sententiā non satis apte aliquando interpretetur; tandem tamen verissime sentit, facultatē esse proprietatē, id est propriā intimamque qualitatem caussæ efficientis. Ita vt quod ars parta est artifici, id naturæ sit facultas ac vis; nisi quod hæc ingenita est, illa vsu & exercitatione cōparatur. Neque vero aliud de facultatis essentia, etiamsi plerumque de ea dubitare sit visus, sensit vnquam Galenus. Scribit namque interdum, facultatem esse proprietatem quādam temperamenti, interdum vero eiusdem qualitatem. Porro per temperamenti proprietatem nihil aliud intelligere oportet, quam Lib. 5. de nat. par. med. cap. 2. Lib. 2. de abdi. rer. cau. cap. 5. Lib. de plenit. cap. 3. Lib. 2. de præs. ex pul. cap. 8.

D propriam intimamq. qualitatem, quæ temperamenti est soboles, quam etiam vocat temperamenti qualitatem, etiamsi alias qualitatem in temperamento excedentem hoc nomine intelligat. Perspicuum autem est, facultatem vnam esse ex quattuor illis formis, ex quibus constituta est categoria qualitatis, & ab Aristotele, aliisque philosophis naturalem vim appellari. Hinc intelliges eos toto errare cœlo, qui temere contendunt, Galenū interdum voluisse facultatem esse relationem, quam habet caussa efficiens ad hunc, illumve effectum; interdū vero rem ipsam potius, quæ præcipua est actionū caussa, qualis est forma, aut temperamentum: vtrumq. enim falso adscribunt Galeno. Dixit quidē & hîc, & alibi, facultatē ad aliquid dici, ad actionē scilicet & opus; relationē tamen esse nullibi dixit. Immo si facultas ad aliquid dicitur, relatio esse nō potest, neq. enim Argenterius, com. in art. med. pag. 176. & Peramatus, lib. de ani. fac. c. 1.

idē sunt relatio & id quod refertur. Dixit itidē sæpissime, facultatē esse caussam actionū; facultatē tamen, formā aut tēperamentū esse nullibi asseruit. Cur ergo, dicet quispiam, si facultas à temperamento distinguitur, & facultatem, & quattuor qualitatum tēperiem, actionum caussam antea statuit? Pendet sane huius rei explicatio ex sequenti oratione, quæ ad hunc modum habet. A

Ac quod agentis caussæ substantiam ignoramus, facultatem eam, siue potentiam appellamus; in venis quidem potentiam quandam sanguinis factricē dicentes; similiter & in ventriculo concoctricem; in corde pulsificam; ac in singulis reliquarum particularum, propriam quandam eius quam edunt actionis.

Is locus explicat superiorem dubitationē, cur scilicet facultas dicatur actionū caussa, cum vnaquæq. corporis pars hoc, vel illo modo agat ob certā quandā temperiē, quā ex quattuor qualitatibus est nacta. Inquit ergo, facultatē siue potentiam, actionū caussam appellari, quia agētis caussæ substantiā ignoramus. Vnde constat, facultatē (si vere loquēdū sit) non esse caussam actionū effectricē, B agit namq. quod facultatibus ad agendū est præditum; cuius substantia cū plerūq. ignoretur, cogimur, facultatē ipsam actionū caussā statuere. Sic igitur actiones animæ, vt imaginatio, ratiocinatio, memoria, licet ab anima ipsa, tāquam principio ac caussa proficiscantur; ab eiusdē tamen animæ facultatibus fieri potius dixit Galenus, quia (vt ipsemet fatetur) qualis sit animæ substantia prorsus ignorauit. Similiter quoq. in scāmonio, ceterisq. purgantibus medicamētis facultatē quandā concedimus, quæ caussa sit purgationis; quoniā propriā ignoramus eorū medicamentorū substantiā, quæ vera est ac legitima eius attractionis caussa. Substantia nāq. illa est, quæ dū per se agit, eorū quæ ab ipsa ex sua natura fieri possunt, facultates habere dicitur. Huc itidē pertinet, quod agēs de caussa pulsus effectrice, scribit lib. 1. de cau. pul. Hanc, inquit, caussam quæ pulsus molitur, quæcumq. illa sit, licet nos eius fugiat essentia, quod facultatē habeat pulsus efficiendi, facultatem illā vocauimus, vt quamlibet puto aliā facultatē, à facultate faciēdi cuius habet facultatē, solemus nominare: alicuius enim est facultas, & eius notio est relationi subiecta. Itaque quādo essentia ipsius nobis incognita est, hoc appellamus eam nomine. Est tamē illud hoc loco adhuc difficile, quomodo scilicet dicatur ignorari caussæ agentis substantia, cum antea docuerit, quattuor qualitatum tēperiem in singulis corporis partibus esse actionū caussam. Cognoscimus sane caussam agentem esse temperamētum; propria tamen temperamenti essentia nobis prorsus incognita est, cum propriam elementorū constitutionem in singulis corporibus ignoremus; nesciamusque, qua seruata inter sese proportione elementorum substantiæ misceantur; qua itidem proportione qualitates quæ his substantiis insunt, sibi inuicem temperentur. Quoniam ergo certam elementorum cōstitutionem, quæ actionum principium est, ignoramus; vt aliquam actionum caussam effectricem assignemus, facultatem actionum caussam esse dicimus. Quæ sane cum efficiens caussa non sit, sed caussa tantum sine qua non; neque simpliciter, neque proprie caussa appellari potest. D

Lib. de subst. fac. nat.

Cap. 2.

CAP. IIII.

TAQVE si certa ratione & via, quot, & quæ facultates sint, inuenturi sumus; incipiendum nobis ab ipsis operibus est; singula namque opera ab aliqua procedunt actione, hanc vero omnino aliqua præcedit caussa.

Faculta-

A Facultatum naturalium numerum iam inquirit, proposita primũ methodo, qua ipsas inuestigare oportet. Docet autem incipiendum esse ab operibus naturæ, vtpote quæ sint obiecta sensibus, proindeque actionibus & facultatibus multo notiora. Inuentis operibus ad actiones progrediendum esse monet, quia cum opus dicatur quod ex actione relinquitur, quot fuerint opera, & totidem actiones esse necesse est. Tandem vero ex actionum numero numerum facultatum colligendum esse præcipit, quia cum facultas caussa actionum effectrix statuta sit, quot fuerint actiones specie distinctę, tot erũt necessario facultates, quæ earum actionum sint caussæ. Hac quidem methodo facultatum naturalium numerus certissime inuenitur, earumque potissimum quæ principes vocantur; reliquarum vero quæ ministræ dicũtur, quemadmodum etiam vitalium, & animalium, ex solis actionibus cognoscitur, cum plerumque nullum relinquãt opus.
B Quare merito Aristoteles facultatum numerum colligit ex obiectis. Lib. 2. de ani. cap. 4.

Ergo naturæ opera, dum adhuc in vtero gestatur ac fingitur animal, omnes sũt corporis particulæ. Edito vero in lucem, commune in omnibus naturæ opus est earum ad perfectam magnitudinem perductio. Postea vero, etiam vt omnes (quantum fieri potest) perdurent, molitio. Actiones quæ tribus his operibus respondent, necessario tres sunt, vna scilicet cuique; generatio, auctio, nutritio.

Tria esse in vniuersum à primo hominis conceptu ad exitũ vsq. vitæ naturæ opera, dilucide mõstrat experientia. Primũ quidẽ naturæ opus est ipse qui gignitur fœtus, vel omnes fœtus particulę. Alterũ est eiusdẽ fœtus iã geniti, in lucẽq. iam editi, ad perfectam magnitudinem perductio; quæ ad summum vsque ætatis vigorem durare solet. Tertium vero est, omnium corporis partium à summo
C vigore ad supremum vitæ diem conseruatio. His tribus operibus tres naturæ actiones respondent, ex quibus illa relinquuntur; generatio scilicet, auctio, & nutritio. Generationis enim beneficio fœtus qui antea non erat, producitur, ex suisque particulis conflatur; qui deinde beneficio auctionis iustam magnitudinem assequitur; ac tandem nutritionis ope toto vitæ tempore perdurat, ac conseruatur. Quod si tres sunt actiones natutæ, totidẽ quoq. erũt naturæ facultates, generatrix scilicet, auctrix, & nutrix; quæ principes facultates sunt, & dicũtur.

Verũ generatio, simplex quædam actio naturæ non est, sed ex alteratione formationeque composita. Vt enim os fiat, item neruus, vena, & reliquarum quælibet; alteratã esse oportet subiectã, vnde animal fit, substãtiam. Vt vero cõgruentem figuram, & posituram, & cauitates quasdã, & vel enata, vel adnata, aliaq.
D *id genus habeat; effingi eam oportet quæ alteratur materiam: quam vtiq. animalis materiam appellans (veluti nauis ligna, & imaginis ceram) minime errabis.*

Generatio (quæ prima est naturæ actio princeps) duplex merito statuitur, alteratio scilicet & formatio; quoniã duo ex generatione relinquũtur opera, nẽpe partes similares, veluti os, caro, neruus, vena; & partes organicæ, vt iecur, pes, manus. Et quãuis neruus & vena partes sint reuera organicæ, cũ ex similaribus cõstent; recẽsentur tamen hocloco inter partes similares, quia inter instrumẽta minimũ sunt cõposita, obscureq. ipsorũ compositio deprehẽditur: quod cõmune est instrumẽtis primi ordinis, vt dicemus accuratius lib. de diff. morb. Generan-

tur itaque partes similares alteratione, propterea quod subiectam generationi materiam qualitatibus primis in se inuicem agentibus, per se totam alterari oporteat, vt os, caro, membrana, ac reliquæ partes similares ex ea gigni possint. Partes vero organicæ generantur potius formatione, quæ formationẽ proprie dictam, numerum, magnitudinem, & compositionem cõplectitur; quemadmodum proprie dicta formatio figuram, cauitates, & superficiem; compositio vero situm & connexũ. Quod si generatio duplex est, duplicẽ quoq. statuere oportet facultatẽ generatricem, alteratricẽ scilicet & formatricẽ. Ac alteratrix quidem eã qualitatum temperiẽ subiectæ materiæ impertitur, quę ad singularũ partiũ similarium constitutionem est necessaria: formatrix vero subiectam materiam ita fingit ac format, vt singulorum instrumentorum natura exposcit. A

Lib. de differ. morb.

Auctio vero solidarum animalis partium (quarum esse formationem iam diximus) augmentum, ampliatioque in longum, latum, & profundum est. B

Altera naturæ actio princeps auctio est, siue accretio, quam inquit augmentum esse, siue ampliationem partium solidarum in longum, latum, & profundũ. Et merito quidem ampliatio dicitur, cum ad maiorem quantitatem sit motus, quemadmodum ad minorem decretio. Cum autem dixerit, auctionẽ ampliationem esse partiũ solidarũ; colligunt nonnulli, partes carnosas vere non augeri: male tamen, vt postea dicemus. Sed cur non dixt, auctionẽ quoq. naturæ actionẽ esse compositam, cũ motus compositus sit ex alteratione & latione, non secus ac generatio? An quia aliud est motum esse compositum, aliud vero esse compositam naturæ actionem? Dicitur itaque generatio composita actio naturæ, nõ quod sit motus cõpositus, sed quod in duas species diuidatur, alterationem scilicet & formationem. Auctio vero quamuis compositus motus sit nõ secus ac generatio, non dicitur tamen naturæ actio composita, quia cum vnicum relinquat opus, plures species noncontinet. C

Nutritio autem eisdem partibus appositio quædam est, sed sine ampliatione.

Tertia naturæ actio princeps nutritio est, quam inquit appositionem quandam esse sine ampliatione. Vera quidem nutritionis ratio (vt ipsemet docebit) in assimilatione posita est, hanc autẽ præcedunt agglutinatio & appositio; proindeq. potius per assimilationem definiri debet nutritio, quam per appositionem, aut agglutinationẽ. Sed vt tria hæc in nutritione necessario reperiri ostẽdat, nutritionem nunc appositionem, nunc agglutinationem, nunc vero assimilationem appellat. Dixit autem nutritionem esse appositionem sine ampliatione, vt eam ab auctione distingueret, quæ ampliatio partium est in trinam dimensionem. Dixit quoque in nutritione eisdem partibus appositionẽ fieri, quas antea dixerat augeri. Quare cum auctio partium sit solidarum, earundem quoque erit nutritio. Miror ergo, cur qui superius colligebant solas partes spermaticas vere augeri, hinc quoque non colligant, solas partes spermaticas nutriri. Atqui vt id colligi non potest, ita nec illud. D

CAP. V.

Ergo primũ de generatione agamus, quã scilicet ex alteratione & formatione constare diximus. Proiecto in vterum semine, siue etiã in terram, (nihil enim refert) statis quibusdã tẽporibus multæ conflãtur partes eius quæ gignitur substãtiæ, humiditate, siccitate, calore, frigore, ceterisq. omnibus quæ hæc sequũtur qualitatibus, inter se differẽtes

Quæ

A *Quæ autem hæc sequantur, is qui omnino quid de generatione & corruptione est philosophatus, minime ignorat. Quippe primum & maxime quæ hæc sequuntur, tangibiles vocatæ qualitates sunt; post has vero, quæ gustus, odoratus, & visus sunt propriæ. Ac duritia quidem & mollities, et lentitia et friabilitas, et leuitas et grauitas, densitas et raritas, et asperitas et lenitas, et crassitudo et tenuitas, tangibiles differentiæ sunt; de quibus omnibus Aristoteles cōmodissime disseruit: odoratus enim, visus, et gustus differentias ipse profecto non ignoras. Quocirca si primas et elementares alterationis facultates requiris, hæ sunt, humiditas, siccitas, caliditas, et frigiditas.*

B De principibus naturæ actionibus accuratissime nunc disputat, à generatione rursus exorsus. Cumque hæc duplex sit, alteratio & formatio, agit primum de alteratione, qua partes similares (vt antea diximus) generantur. Generari autem non possunt, nisi materia generationi subiecta bifariam alteretur, in qualitatibus scilicet manifestis, & tota sui substantia. Rursus quæ in qualitatibus manifestis alteratio fit, duplex esse potest, in qualitatibus scilicet primis, aut secūdis quæ primas sequuntur; veluti coloribus, odoribus, saporibus, & qualitatibus tactilibus, quarum plures differentias enumerat Aristotelem sequutus. Sonos autem inter qualitates secundas non recensuit, propter caussam alibi iam à nobis explicatam. Quod si alteratio fit in qualitatibus primis & secundis, putarit fortasse quispiam, tot esse facultates alteratrices manifestas, quot sunt omnes eiusmodi qualitates. Res tamen nō ita habet, quattuor enim dumtaxat sunt C primæ, atque elementares facultates alteratrices, caliditas scilicet, frigiditas, humiditas, & siccitas. Quippe cum secūdæ qualitates ex se nihil agere, nihilque pati possint, solæque primæ qualitates alteratrices sint, effectrices, & constitutrices corporum; quattuor tantum merito statuuntur facultates alteratrices. Porro manifestæ quæ à primis qualitatibus alterationes fiunt, veræ generationes non sunt, sed ad veram tantum generationem disponunt, præparantq. materiam. Neq. enim excalfacta solum, refrigerata, humectata, aut exsiccata materia, partes similares gigni possunt; sed alterationes alias totius substantiæ necessario postulant, vt mox dicemus.

Lib. 2. de ort. & inter. cap. 2.

In præfat. lib. de nat. hom.

Si vero eas quæ ex his inter se mistis nascuntur; tot sane omni in animali erunt, quot fuerint in eo sensibilia elementa. Porro sensibilia appellantur elementa, quæcumque similares corporis sunt partes. Has autem non methodo vlla, sed D *ex dissectionibus contemplās, oculorū inspectione noscas oportet. Ergo os, chartilaginem, neruum, membranam, ligamentum, venam, omnia denique id genus, in prima generatione animalis, natura creat; vsa (vt generatim dicam) generatrice alteratriceque potentia; particulatim vero excalfactoria, refrigeratoria, humectatoria, et siccatoria; tum quæ ex harum mistura fiunt, veluti ossifica, chartilaginifica, neruifica, membranifica: claritatis enim gratia his quoque nominibus vtendum. Est sane huius generis et quæ propria iecinoris est caro, nec minus quæ lienis, et renum, et pulmonis, et cordis. Iam cerebri ipsius proprium corpus, ventriculique, et gulæ, et intestinorum, et vteri; sensibile*

elementum est, præterea similare, simplex, ac compositionis expers. Si namque ex singulis eorum instrumentorum venas, neruos, & arterias exemeris, reliquum corpus, quatenus sensu animaduerti licet, simplex, elementareq. est. Ceterum siqua eiusmodi organorum ex geminis constant tunicis, quæ dissimiles inter se sint, vtraque tamen simplex; horum ipsæ tunicæ elementa sunt, veluti ventris, gulæ, intestinorum, et arteriarum. Atque in vtraque tunica sua quædam alteratrix vis est, quæ ex menstruo matris sanguine eam particulam generauit. Itaque alteratrices facultates in omni animalis genere tot membratim erunt, quot habet in se elementares particulas. Sed et actiones proprias cuique membratim particulæ necesse est esse, quemadmodum et vsus: veluti meatuum eorum, qui a renibus ad vesicam pertinent, qui οὐρητῆρες, *id est vrinarii nominātur. Hi namque nec arteriæ sunt, quia nec pulsant, nec ex duabus tunicis constant; nec venæ, quia nec sanguinem in se continent, nec similem omnino venæ habent tunicam. At a neruis quidem plus discrepant quam a iam dictis. Quid igitur sunt dicat aliquis? quasi vero necesse sit omnem corporis particulam, vel arteriam, vel venam, vel neruum esse, vel ex his componi; non autem (sicut modo dictum est) vnicuique particulatim organo suam esse substantiam. Quippe tum ambæ vesicæ (tam ea quæ vrinam, quam quæ flauam excipit bilem) non modo a ceteris omnibus, sed etiam inter se differunt. Tum meatus qui tanquam gulæ quædam a bilis vesica exorti, in iecur inseruntur, omnino nec arteriis, nec venis, nec neruis sunt similes. Verum de his plenius tum alibi, tum in iis quæ de dissectione secundum Hippocratem sunt scripta, diximus.*

Præter quattuor primas ac elementares facultates alteratrices, plures aliæ sunt particulares, quæ ex illis per se totas temperatis nascuntur. Atq. hæ quidem non euidentes ac manifestas, sed occultas latentesque alterationes efficiūt, quarum beneficio subiecta materia ita mutatur, vt in os, chartilaginē, ceterasq. partes similares omnino degeneret. Est namq. harum facultatū proprium munus, vnicuiq. materiæ portiunculæ (ex qua pars vnaquęq. similaris gignēda est) eā qualitatum tēperiē tribuere, quæ ad cuiusq. partis generationē sit necessaria. Quo fit, vt quæ ab his facultatibus alterationes proueniunt, veræ generationes dicantur, ac sint; quod singulæ partes similares singula sint opera naturæ, ex singulis alterationibus relicta. Quare verissime nūc docet, tot esse facultates alteratrices particulares, quot fuerint in animali sensibilia elemēta. Vocat autem elementa sensibilia partes ipsas similares, quæ quidem partium organicarum sunt elementa sensus tantum iudicio; cum vera elementa sint ignis, aēr, aqua, & terra, ex quibus & partes ipsæ similares componuntur. Qui ergo quot qualesq. sint partes similares cognouerit, is quoque harum facultatum numerū inueniet; cum vnicuique parti sua alteratio, suaque facultas necessario respondeat. At similarium partium numerus ex corporum dissectionibus certissime cognoscitur, & ex hoc loco vtcumque colligitur, cum omnes fere partes similares (si fibras & pinguedinem excipias) hîc recensuerit; nempe os, chartilaginem, neruum, membranam, ligamentum, venam, carnem, tunicam. Et quamuis membrana plerumque cum tunica confundi soleat, nunc tamen

A tamen videtur eo nomine distinxisse, quod membrana sit alterius partis inuolucrum ac tegumentum, quales sunt cerebri menynges, pleura, & peritonæum; tunica vero propria sit partis substantia, siue simplex ea sit, vt in venis, vtero, & vtraque vesica; siue sit duplex, vt in arteriis, ventriculo, intestinis, & œsophago siue gula. De partibus autem similaribus duo nunc obiter docet. Primũ quidem id est, quod scilicet in tunica (idem de aliis partibus similaribus intellige) sua quædam alteratrix vis sit, quæ ex menstruo matris sanguine eam particulam generauit. Qui sane locus difficultate non caret, quomodo enim alteratrix vis quæ tunicam generauit, quæque semini (efficienti generationis principio) insita fuerat, in ipsamet tunica iam genita reperiri potest? Plerique Ioubertum sequuti locum sic explicant, vt vis ea alteratrix quæ in tunica remanet, eadem sit
B cum vi alteratrice, quæ ex menstruo matris sanguine eam particulam generauit, diuersum tamen nomen nunc habeat. Nam quæ tunicam generauit facultas, alteratrix generatrix dicitur, cum tunicam efficiat quæ antea non erat; quæ vero in tunica reperitur, dicitur alteratrix nutrix, cum tantum resarciat deperditam tunicæ substantiam. Huic explicationi illud quoque non parum videtur fauere, quod nutrix facultas alteratrix sit non secus ac generatrix; nam & alteratio, auctore Galeno, generationis & nutritionis est genus. Ceterum cum facultas alteratrix generatrix eadem esse non possit cum alteratrice nutrice, eiusmodi explicationem probare minime possum. Quippe cum facultates ex actionibus distinguantur, quamuis generatrix & nutrix genere conueniant, specie tamen tantum inter se differunt, quantum nouæ substantiæ productio à nutrimenti assimilatione distinguitur. Reiectis itaque his sophismatis, verissimum
C simul ac facillimum sensum huic loco tribuentes, nihil aliud Galenum voluisse sentimus, quam facultatem generatricem alteratricem quæ in prima animalis formatione tunicam generauit, post formatum animal in ipsamet tunica iam genita remanere; nam (vt postea dicemus) generatrix facultas in omnibus corporis partibus ex semine relinquitur. Iam vero & illud videtur difficile, quod ex menstruo matris sanguine tunicam generari dixerit, quam tamen (vt reliquas partes solidas) ex semine potius gigni constat. Scripsit quidem alibi Galenus, omnes corporis partes ex sanguine fieri; quia licet partes spermaticæ ex semine potius gignantur, vere tamen dici possunt ex sanguine fieri, quoniam semen ex sanguine ortum habet. Hîc tamen locũ habere non potest huiusmodi explicatio, neque enim ex sanguine tunicam fieri dixit, sed ex menstruo matris sanguine, qui masculini seminis materia esse nequit. Aut igitur dicendum est, partes spermaticas ex menstruo matris sanguine gigni, quia con-
D ceptum semen & nutrimentum & incrementum ex menstruo sanguine accipit; aut quia non ex solo semine fiunt, sed etiam ex sanguine; quemadmodum partes carnosæ non ex solo sanguine, verum etiam ex semine. Sed quoniam sanguis materiale potius est nostræ generationis principium, quemadmodum semen principium potius efficiens; propterea merito omnes corporis partes ex sanguine menstruo gigni vere dicentur. Docet secundo partium similariũ singulas, & proprias actiones, & proprios vsus habere. Cũ vero actiones propriæ aut instrumentorũ sint, aut partiũ similariũ; de propriis instrumẽtorũ actionibus locus iste intelligi non potest, quod propria cuiusq. instrumẽti actio vni potissimũ parti similari debeatur, vt visio humori crystallino, & iecoris carni sãguinis generatio. De propriis ergo actionibus partium similarium locum intellige, nam quamuis attractio, retentio, concoctio, expulsio, & nutritio, actiones sint

Cap. 7. huius lib.

Lib. de nat. hom. com. 26.

partibusomnibus similaribus communes; habent tamē singulæ proprias actiones,vt os osifici nutrimenti attractionem, eiusdem retentionem,concoctionē, assimilationem, & propriorum excrementorum expulsionem. Idē de aliis partibus similaribus dicendum. Sed cur si de propriis partium similarium actionibus agit,rem confirmat exemplo vreterum, qui partes sunt instrumentariæ? An quia vreterum nomine propriam ipsorum substantiam potissimū intelligit, simplicem scilicet ex qua constant tunicam,quæ pars similaris est? An potius quia licet vreteres partes sint reuera instrumētariæ, inter partes similares recensentur, non secus ac nerui & venæ; quoniam cum instrumenta sint primi ordinis, ipsorum cōpositio obscure deprehendi potest? Quod attinet ad vsus omni difficultate caret, nulla enim corporis pars est, quæ vsum aliquem non præbeat. Immo & quæ veræ partes non sunt,vt pili,& vngues, & excrementa quoq. (vt vtraque bilis) non exiguum vsum præbere solent. Est autem partium vsus duplex,ante, & post actionem. Vsus post actionē, vtilitas ea est,quam ex propriis actionibus partes ipsæ percipiunt:vsus vero ante actionē, est aptitudo quædam, quam suis instrumentis partes præbent ad agendum. Hunc autem vel suo temperamento præbent, vt iecori propria caro;vel iis quæ temperamentū sequuntur,vt ossa sua duritie;vel iis quæ partibus ipsis accidunt,nempe formatione,numero,magnitudine,& compositione:ex quibus propria singulorum instrumentorum natura perficitur. Ergo(vt ad rem redeamus) cum singulæ partes similares singula sint naturæ opera ex facultatum actionibus relicta, quot sunt partes similares in vnoquoque animali, tot erunt necessario facultates generatrices, totiusque substantiæ alteratrices, quæ quidem à partibus gignēdis appellationem vtcumque accipiunt. Alia namque dicitur facultas ossifica, quæ scilicet os efficere potest;alia carnifica;alia membranifica,&c.

Lib. 17. de vsu. part. cap. 1.

Lib. 1. de vsu part. cap. 9.

A B C

Ceterum alteratrices naturæ facultates quæ particulares sunt omnes, tunicarum,et ventriculi,et intestinorum, et vteri substantiam, qualis est effecerunt. Compagem vero, formamque tum harum ipsarum, tum eorum quæ in has se inserunt plexum,tum intestinorum a ventriculo exortum,et internæ eorum cauitatis speciem, aliaque eiusmodi,altera nimirum virtus effinxit, quā formatricem appellamus. Eandemque artificiosam esse dicimus,immo verius optimā et summam artem,quæ omnia alicuius gratia moliatur; sic vt nihil aut otiosum sit,aut superuacaneum, aut denique ita se habens,vt possit aliter melius se habere. Verum hoc in opere de particularum vsu euidenti demonstratione firmabimus. D

Altera facultas generatrix quæ partes generat instrumentarias, formatrix dicitur. Et quoniam partium organicarum natura ex iis perficitur quæ partibus similaribus accidere antea diximus;vis hæc formatrix circa hæc necessario versabitur. Hæc itaque facultas est, quæ singulis partibus similaribus sua instrumēta componentibus, conuenierem idoneamq. figuram tribuit; quæ partes quasdam solidas,alias vero cauas efficit;quæ partes alias exasperat, alias contra læues creat: in quibus posita est exacta instrumentorum formatio. Hæc itidem in singulis instrumentis iustum partium componentium numerum definit;debitam magnitudinem præscribit; summoq. artificio partes inter se ita componit, vt & naturalem situm,& firmum inter sese connexum consequantur. Atque (vt vno verbo dicam) hæc sola facultas est, quæ omnia quotquot sunt instrumenta, ita

A ta, ita exacte fabricatur, vt nihil in ipsis otiosum, nihil superuacaneum aut deficiens, aut quod melius habere possit, inueniatur: id quod abunde à Galeno demonstratum est insigni illo, peneque diuino opere de partium vsu.

Hæc docet hoc capite de facultate generatrice, de qua tamen disserendum nobis est accuratius, atque in primis de formatricis essentia. Quamuis enim inter facultates naturales ipsam in præsentia enumerarit, alibi tamen aut dubitat, aut aliter sentit. Libro quidem primo de temper. dubitat manifeste, an quattuor elementorũ temperiẽ comitetur, an diuiniorem aliquam superne originẽ habeat. Et lib. de fœt. form. formatricis essentiam se omnino ignorare ingenue fatetur, peritosque philosophos hortatur, vt si quid de ea inuenerint, secum sine inuidia communicẽt. Dubitat nãque, an caussa fœtuum formatrix Deus sit; an potius aliqua anima à Deo diuersa; & an anima suum sibi corpus formet; an B potius alia sit anima quæ vnumquodque membrum creat, alia vero quæ ad volũtarias actiones incitat. Irridetque proinde philosophos, qui de mũdi rerumque omnium generatione disputantes, suorum corporum constitutionẽ ignorant. Tandem vero expressis verbis indicat, facultatem formatricem mere naturalem non esse, ad hunc modum scribens. Nam cum summam in fœtuum fabrica & sapientiam & potentiam videam, non possum existimare, eam quæ in semine est animam (ab Aristotele vegetalem, concupiscibilẽ à Platone, à Stoi-
» cis ne animam quidem prorsus, sed naturâ appellatam) fœtum ipsum formare;
» cum non modo sapiens non sit, sed omni prorsus ratione carere videatur. Idem
» sentit lib. 2. de tẽp. dum rationi consonum esse ait, primas quattuor qualitates Cap. vlt.
» organa esse, formatorem alium. Et lib. 17. de vsu part. Platonem sequutus, vi- Cap. 1.
» detur mundi animam formationis caussam statuere. Sed & diuinam formatri-
C cis originem significat vtcumque hoc loco, dum optimam summamque artem ipsam appellat. Neque vero rationes desunt, quibus formatricem vim non esse temperamenti sobolem demonstrari potest. Nam vt singulæ qualitates primæ alterationes manifestas efficiunt, dum calfaciunt, refrigerant, humectant, aut exsiccant; ita & qualitates quattuor simul temperatæ efficiunt necessario totius substantiæ alterationes: atqui formatio actio est ab alteratione omnino distincta; ergo formatio totius temperamenti actio esse non potest. Adhæc si formatio temperamenti esset soboles, optimam temperiem formatio optima sequeretur, & contra. Atqui nonnullos videas aut toto corpore, aut aliqua saltẽ corporis parte recte temperatos, in quibus viciata formatio deprehenditur. Exemplo sit Vlysses, qui Achille quidem prudentior fuit, tametsi neque illo, neque Nireo formosior. Et Aesopus, qui omnium suæ ætatis hominum defor-
D missimus est habitus; valgus, incuruus, acuto capite, collo depresso, pressis naribus, prominentibus labiis ac ventre; atque (vt vno verbo dicam) toto corpore monstrosus; quem tamen constat, cum prudentissimus esset, optimam habuisse cerebri temperiem. Nouimus & alios non mediocriter intẽperatos, qui corporis forma plurimum excellerent; nam & mulieres pulcherrimæ, fatuæ interdum esse solent & imprudentes. Merito itaque optima corporis constitutio ab optimo habitu hoc nomine distinguitur, quod in optima corporis temperie optimus habitus consistat; optima vero constitutio præter temperiem, optimam quoque partium formationem exposcat. Proindeque veteres philosophos ac medicos reprehendit Galenus, qui ex partium magnitudine & figura (quæ ad formationem spectant) totius corporis, aut saltem earundem partium temperiem colligebant. Est igitur formatrix facultas diuinioris cuiusdam ori-

[Margin notes: Cap. vlt. (beside "Libro quidem primo de temper."); Cap. vlt. (beside "Et lib. de fœt. form."); Lib. 2. de tẽp. cap. vlt. (beside "Proindeque veteres philosophos")]

ginis supra elementa, ipsorumque qualitates, quibus tamen, ceu instrumentis A idoneis vtitur. Recensetur vero inter facultates naturales, habita ratione operum naturalium, quæ ex ipsius actione relinquuntur; quales sunt partes instrumentariæ.

Lib. 5. de nat. par. med. cap. 3. Porro quot sunt partes instrumentariæ in nobis formandæ, totidem statuẽdas esse formatrices facultates, sentit Fernelius; ita vt quod de facultate alteratrice Galenus hoc capite docuit, id ipse ad formatricem transferendum esse velit. Ceterum cum formatrix hæc vis diuinam originem habeat, his legibus non adstringitur; sed vna cum sit ac simplex, partes omnes organicas exactissime format.

Quoniam vero duo sunt nostræ generationis principia, semen & sanguis; inquiramus rursus, an alteri dumtaxat, an vtriq. facultas generatrix sit insita. Nam quamuis semen à philosophis omnibus ac medicis principium generationis efficiens dicatur, sanguis vero principium (vt vocant) materiale; merito tamẽ du- B bitari solet, an sanguis vim quoq. efficiendi habeat, & an semen materiam quoque gignendis partibus præbeat. Aristoteles solam generandi vim semini tribuit, cum generationis principia statuat marem & fœminam; & marẽ quidem, tamquam motus generationisque initium; fœminam vero, vt initium materiæ. Et rursus fœminam inquit, non ita vt marem ad generationẽ conferre; sed marem principium motus; fœminam materiam præstare: quamuis aliquando sui oblitus, ossa & neruos in prima constitutione ex seminis excremẽto gigni scripserit. Hinc facile intelligitur philosophorum quorundã error, qui fœminam solam materiam, marem materiam & formam fœtui conferre putant. Sed neq. Aristotelis sententia constare potest. Cum enim in coitu masculinum semen in C fœminæ vterum immitatur; aut ex vtero effluere, aut in flatus dissolutum euanescere, aut inibi retineri dicendum est. Crediderunt nonnulli (ex eorum etiã numero qui se Aristotelicos, Peripateticosque iactabant) cum primum semen maris in vterum proiectum est, motionis principium sanguini menstruo præbere, forasque statim effluere: quorum opinio ex iis quæ experiẽtia comprobata sunt, facile refutatur. Ex brutorum namque coitu tunc temporis conceptum sequi compertum est, quando masculinum semen à fœmina retinetur. Id ipsum testari possunt mulieres, quæ rem ipsam paullo attentius considerarint; nã quibus virile excidit semen, numquam cõcipiunt; quæ vero intus ipsum seruauerint, & se concepisse dicent, & motionẽ quandam in vtero sentient, quæ contractionis sensum inferat: hinc enim natum est conceptionis nomen. Hæc considerans Aristoteles, semen quidem ex vtero non effluere, sed in flatus sensim D paulatimque dissolui credidit: quam sententiã pluribus rationibus optime refellit Galenus. Quippe si in spiritũ dissoluitur semen, oportebit profecto, à multa spiritus copia distentum vterum, in tumorem statim attolli, & propter distentionem dolere. Atqui nec dolet, nec in tumorem attollitur, sed contrahitur potius in seipsum citra doloris sensum. Præterea quo tempore huiusmodi flatus per vteri ceruicem foras erumperet, aliquem sui sensum necessario excitaret; qualem scilicet ventriculi & intestinorum flatus excitare solent, dum foras excernuntur. Cum igitur neque foras effluat maris semen, neq. in spiritus dissoluatur; reliquum est vt cum Galeno asseramus, & retineri in vtero, & non solum generationis opificem esse, verum etiam gignendo fœtui materiam exhibere. Alioqui enim inartificiosa esset natura, vtpote quæ in actione omnium prima ac præstantissima (qualis est animalis generatio) frustra aliquid temereq. ageret; ad

Lib. 1. de gene. anim. cap. 2.

Cap. vlt.

Lib. 3. de gene. anim. cap. 1.

Lib. 2. de gene. anim. cap. 3.
Lib. 1. de semi. cap. 4.

A ret; ad neruorum scilicet, venarum, arteriarum, reliquarumque solidarum partium formationem, ineptam materiam eligens, idonea prorsus neglecta. Quorsum enim neglecto semine lento, crasso, & candido, proindeque ad partium solidarum maxime idoneo, sanguinem rubrum, humidum, ac fluxilem eliget? Dicet fortasse pro Aristotele quispiam, rem esse naturæ facillimam, humorem lentum, album, & crassum ex sanguine gignere, vt idonea suppetat materia solidis partibus gignendis. Atqui frustra natura in hoc opere laborabit, dum sanguinem conatur talem efficere, quale habebat ab initio semen. Sed & mistæ speciei animalia quæ ex congressu animalium diuersæ speciei nascuntur, idipsum aperte demonstrant. Experimur enim eiusmodi animalia, vtriusq. parentis speciem referre; accedere tamen magis ad speciem matris quam patris. Cum autem (vt alibi diximus) huius similitudinis caussa, sit principium potius materiale quam efficiens; semen quoque gignendo fœtui materiam præbere necesse est, alioqui
B eiusmodi animalia speciem patris referre non possent.

Lib. de nat. hom. com. 10.

Hoc itaque ad hunc modum statuto, illud rursus inuestigemus oportet, insitne toti semini vis generatrix, an solis quibusdam partibus, aliis solã materiam exhibentibus. Videtur Aristoteles efficiendi vim soli spiritui concessisse, quem ipse vocat semen principii animalis; cuius naturam elemento stellarum proportione respondere, & in spumoso seminis corpore contineri affirmat. Reliquum vero seminis quod humidius est & aquosius, quodque genituræ corpus ipse appellat, in flatum dissolui, euanescereque arbitratur. Medicorum quoque plerique ne concedere cogantur idem agere in seipsum, (quod etiam formidarunt Aristoteles & Athenæus) soli spiritui generandi vim tribuunt, quem tamen non omnino eundem omnes statuunt. Nam qui semen principium dumtaxat
C efficiens esse sentiunt cum Aristotele, genituræ corpus in spiritum mutari affirmant, quem formatorem, & complantatum ipsi appellant, cui soli generandi vim inditam esse credunt. Qui vero sentiunt cum Galeno semen materiam quoque præbere, rem ita distinguunt; vt seminis substantia humidior ac crassior solam materiam exhibeat; substantia autem spirituosa solã obtineat generandi facultatem. Atqui ne sic quidem effugere poterunt quominus spiritum illum complantatum, formatorem, aut generantem, materiã quoque partibus præbere concedant. Vnde enim quæso, fœtus ipsius partes spirituosam ex qua constãt substantiam commodius accipere possunt? Huc accedit, quod nullus sit in semine spiritus generãs, aut formator, sed solus vitalis, vt antea dictum est. Præstat igitur cum Galeno sentire, in quacumque seminis particula generandi vim reperiri, eandemque simul esse gignendi fœtus materiã;
D neque separatim alibi esse quod mouet, alibi quod mouetur, vt in plantarum seminibus experimur. Cum autem duplex sit facultas generatrix, alteratrix scilicet & formatrix; hæc quidem cum simplex sit, & diuinioris originis, per totam seminis substantiam diffunditur; illa vero cum multiplex sit, partim toti semini, partim variis seminis partibus inest. Siquidem alteratrices facultates elementares ac primæ vniuerso semini, particulares vero diuersis seminis partibus insunt. Neque enim quæ seminis portio facultatem habet ossificã, reliquas facultates (vt carnificam, aut membranificam) habere potest.

Lib. 2. de gene. ani. cap. 3.

Auicenna lib. 9. de animal. & Argenterius cõ. in art. med. pag. 141. Fernelius lib. 7. de nat. par. med. cap. 4. & Vallesius lib. 2. controu. cap. 9. & 17. & Peramatus lib. de semi. In præfat. Lib. 2. de semi. cap. 5.

Hinc liquido patet, quid de illa quæstione sentire oporteat, sit animatum semen, necne. Quamuis enim alii actu, alii potestate tantum semen animatum esse dixerint; peccant tamen vtrique parum accurate rẽ distinguentes. Nam quod in propriis conceptaculis (vasis scilicet seminariis, testibus, & glandulosis parastatibus)

ſtatibus) ſeruatur ſemen, dummodo integrum, incorruptumque ſeruetur; A
id quidem actu animatum non eſt, ſed tantũ poteſtate. Non enim nutritur, aut viuit, cum ex genere excrementorum potius ſit, quam ex partium numero; ſed aptitudinem habet, vt actu animatum fiat. Fit autem actu animatum, cum primum ab vtero attractum, conceptumque fuerit; tunc enim vegetãtis animæ fit particeps, quamuis ſentiẽtem & rationalem poteſtate dumtaxat habeat. Cum autem anima vegetans generationis, nutritionis, & auctionis principium ſit; conceptum ſemen menſtruum ſanguinem ipſius beneficio ad ſe trahit, eoq. attracto nutritur, & augetur, totiuſque generationis opifex tãdem efficitur. Nam
Lib. 2. de fac nat. cap. 3. (vt inquit Galenus) quod ſemen prius erat, id cum primum gignit, & format animal, natura quædam fit. Semen vero quod ex propriis cõceptaculis effuſum, in vtero non retinetur, id ne poteſtate quidem animatũ dici poteſt; amiſit namq. B
quam antea habebat aptitudinem, vt actu animatum fieret. Ex his recentiorũ quorundam error deprehenditur, qui ſemini nondum concepto vegetantem animam falſo concedunt; cuius facultates otioſas eſſe aiunt, donec competẽtem materiam in quam agat, ſit nactum.

Porro quæcumque hactenus de ſemine diximus, de prolifico illo ſemine intelligere oportet, quod in ſolis teſtibus, vel (ſi ita placet) in vaſis etiam ſpermaticis gignitur, indeq. per vaſa deferẽtia ad paraſtates glanduloſos ſenſim transmittitur, vt coitus tempore foras excernatur. Eſt namque præter id in ſingulis corporis partibus ſolidis alterum ſemen, proprium, atque vltimum ipſarum nutrimentum, quod neque viuere, neque vim generatricem habere poteſt.

Lib. de genit. & lib. de aere a quis & locis. Lib. 1. de gene. anim. cap. 1. Lib. 1. de ſemi. cap. 15.

Atqui prolificum illud ſemen ex vniuerſo corpore non effluit, vt falſo opinatus eſt Hippocrates; cuius ſententiã philoſophorũ ac medicorum quam plurimi olim amplexi ſunt; quorum opinionem optime refutauit Ariſtoteles, eorũdumque rationes, (multum alioqui probabiles) doctiſſime diſſoluit. In eo tamẽ grauiſſime peccauit, quod vim gignendi ſemen teſtibus denegarit, ſoliſq. vaſis ſeminariis conceſſerit: quam ſententiam firmiſſimis rationibus Galenus refellit. Incipit itaque in vaſis ſpermaticis gigni ſemen, quemadmodum in venis meſaraicis ſanguis; perficitur tamen, exactiſſimeque concoquitur in teſtibus, quemadmodum lac in mãmis. Materia vero gignendo ſemini idonea vterque C
ſanguis eſt vna cum vitali ſpiritu, quæ per vaſa ſpermatica ad teſtes tranſmittũtur. Non enim ex principibus partibus gignendi ſeminis materia ad teſtes mittitur, vt voluit Auicenna; neque ſeminis vires ex vniuerſo corpore vna cũ ſpiritibus confluunt, vt finxit Fernelius. Sed ſolum venalem ſanguinem ex iecore, ex corde vero arterialem vna cum vitali ſpiritu accipiunt teſtes; qui ſemini à ſe genito vim eam ac poteſtatem impertiuntur, quæ tum demum in actũ profertur, cum ſemen ab vtero conceptum fuerit. D

Fen. 20. lib. 3. tract. 1. cap. 3. Lib. 7. de nat. par. med. c. 4.

Lib. de nat. in ſan. & lib. de genit. Lib. 1. de gene. ani. cap. vlt. Lib. 4. de genera. anim. cap. 1. Lib. 2. de ſemi. cap. 1.

Quæcumque tamen de maſculino ſemine hactenus diximus, ad fœmininum quoque transferre oportet. Hippocrates enim, ab vtroque parente ſemen in coitu in vterum emitti veriſſime ſenſit, Ariſtoteles vero leuiſsimis rationibus adductus, ſemen in fœminis gigni negauit; quamuis alicubi ſui oblitus, ſemen fœminæ materiam tantum præbere ſcripſerit. Galenus tamen aduerſus Ariſtotelem & Athenæũ firmiſſimis rationibus demonſtrat, & in fœminis gigni ſemen, & inter coëundum expelli. Siquidem & teſtes, & vaſa ſpermatica, & vaſa ſemen deferentia; in fœminis non ſecus ac in maribus reperiri, & ſemine referta aliquando inueniri, ex anatome didicimus. Per inſomnia quoque non raro mulieres non ſecus ac viri, ſemen cum voluptate profundentes, polluuntur.

Et in

A Et in concubitu muliebris seminis excretionem animaduertere licet, quam prænoscens mulier, & retardare, & accelerare solet. Adhæc quæ vterinis affectibus infestantur, semine excreto plerumq. liberantur, vtpote quæ ex eodem retento male afficerentur. Adfert huic rei testimonium viduæ illius historia, quam scribit Galenus; quæ cum præter alia mala neruorum quoque distentione vexaretur, ab his omnibus malis tandem liberari visa est, cum primum crassum plurimumque semen cum labore voluptateq. excreuit, veluti per coitum vsu venit. Lib.2.de semi. cap.1. & lib.6. de loc. affect. cap.5.

Hoc itaque semel constituto quod fœminæ semen gignant, nihil profecto prohibet, quo minus fœmininum semen, & vt principium efficiens, & vt materiale ad generationem conueniat, non secus ac masculinum. In eo tantũ discrimen est, quod in masculino, vtpote multo, crasso, lento, exquisiteque concocto, vis generatrix potentior vigeat; in fœminino vero, quod paucum est, frigidum, serosum, ac minus elaboratum, sit multo imbecillior. B Quin & triplicem vsum fœminæ semen præbet, si Galeno credimus; vt scilicet fœminas ad coitum excitet; vt allantoides membrana ex ipso generetur; & tandem vt sit masculini seminis alimentum. Nescio tamen an tertius iste vsus vere concedi possit. Nam si fœmineum semen nutrimentum est masculini, quomodo dictum est ab eodẽ Galeno, semen fœminæ suam substantiam ac facultatem, potius quam maris augere & confirmare? Quomodo rursus viuet, generandique vim obtinebit, si in masculini seminis nutritionem absumitur? Satius ergo fuerit cum Hippocrate & eodem Galeno sentire, fœmininũ semen masculino ita misceri, vt ex vtroq. misto & temperato veluti vnum efficiatur, quod in vnum eundemque motum conspiret. Neq. enim fieri posset vt in vnius animalis generationem vtrumque semen conueniret, si diuerso discrepantique motu ageretur. C Quod vero fœminino semini concedenda sit necessario vis generatrix, ex iis quæ de altero nostræ generationis principio nunc subiiciemus, perspicuum fiet. Lib.2.de semi. cap.4. & lib. 14. de vsu par. cap.11. Lib.2.de semi. cap.2. Lib. de nat. infan. & lib. de genit. lib.14. de vsu par. cap.7.

Porro alterum generationis principium sanguis menstruus est, quem in mulieribus ob temperamenti frigiditatem redundare, singulisque mensibus per vterum secũdum naturam excerni, & vsu postulante nouem plerumque mensibus retineri, omnes vno ore fatentur. Dubitant tamen plerique, an sanguis mẽstruus solam materiam gignendo fœtui præbeat, an habeat simul vim aliquam efficiendi. Negant Aristoteles & Athenæus vim efficiendi sanguini inesse; id tamen concedit Galenus, & ratione petita ex filiorum similitudine cum parentibus recte confirmat. Quippe cum filii (quod ad partium formam pertinet) patri potius quam matri sint similes, concedendum est necessario, huius similitudinis caussam esse principium generationis efficiens. D At nisi vis efficiendi sanguini menstruo inesset, (quem solũ ex Aristotelis sententia mulier suppeditat) filii numquam essent similes matri: quod experientiæ aduersatur. Hæc sane Galeni ratio vim habet maximam aduersus Aristotelem; nobis tamen qui semen in fœminis gigni concedimus, dicere haud dubie licebit, filiorum similitudinẽ cum matribus, in semine potius quam in menstruo sanguine vim efficiẽdi ostendere. Sed vrget adhuc Galenus, nam cum masculinum semen fœminino sit lõge superius; numquam filii similes essent matri, nisi & sanguis vim efficiendi haberet. Tunc enim filios matri similes esse sentit, quando maternũ semen (quod ad robur etiam & firmitatem confert) vim & facultatem menstrui sibi adiungit; quæ nouem mensium spatio assidens, tanto inualescit ac superat, quanto in primo congressu à maris semine superabatur. Acutissime quidem simul ac doctissime dicta Lib.2.de semi. cap.2.

fime dicta hæc sunt à Galeno, nescio tamen an omnino recte. Cum enim filiorum cum parentibus similitudo principio formanti debeatur, sanguis vero menstruus (vt statim dicemus) destituatur omnino vi formatrice; vix (vt verũ fatear) intelligere possum, quomodo sanguinis vis fœminino adiũcta semini, eius similitudinis caussa esse possit. Quare id potius fieri crediderim, quia licet masculinum semen sit plerumque potentius, potest aliquando efficiẽdi vis in fœminino excellere. Quid enim vetat, quominus pars aliqua fœtus ex maiori fœminini seminis portione formetur, in qua efficiendi vis magis præpolleat, quam in minima portione seminis masculini, quæ ad eiusdem partis formationem concurrit; præsertim cum facultas formatrix diuinioris originis sit, neque elementorum temperiem sequatur? Neque vero omnem efficiẽdi vim sanguini menstruo proinde adimimus, solas tamen elementares, ac primas facultates alteratrices ipsi concedimus; calfactoriam scilicet, refrigeratoriam, humectatoriam, & exsiccatoriam. Alteratrices vero particulares facultates ipsi inesse nequeunt, quemadmodum nec vis formatrix, cum altricis, siue vegetantis animæ sit expers. A B

Habent itaque ambo generationis nostræ primordia vim efficiendi; & materiã simul exhibent, cũ eo tamen discrimine, quod semen agendi potentia excellat, sanguis vero materiam potius præbeat. Vnde factum est, vt aliquando Galenus semen artificem esse dicat, Phidiæ proportione respondẽtem; sanguinem vero, materiam ceræ vice artifici subiectam. Et alibi quoque sanguinem inquit esse ceu aptam quandam, concinnamq. materiem, opifici ad quiduis sequacem; semen vero opificis rationem obtinere.

Lib. 2. de fac. natur. cap. 3. Lib. 1. de sanita. cap. 1.

Ex his duobus principiis omnes fœtus partes generationem sortiuntur, quarum propterea duplex genus statuitur, aliæ namque dicuntur sanguineæ, aliæ vero spermaticæ, siue exangues. Ac vocantur quidem sanguineæ, non quod ex sanguine solo, sed quod ex eo potissimum constent; quemadmodum spermaticæ, quod constent potissimum ex semine. Non enim placet eorum opinio, qui ex solo semine partes spermaticas gigni arbitrantur; cum dictum sit alibi, carnosam partium spermaticarum substantiam ex sanguine potissimum ortum habere. C

Lib. 2. de tẽp. cap. 5.

Porro quo ordine generatrix facultas in formando fœtu progrediatur, difficillime explicari potest. Libro quidem primo de semine totam fœtus formationem in quattuor tempora partitur Galenus. Primum illud est, in quo semen conceptum speciem adhuc formamque seminis retinet, non tamen amplius σπέρμα, sed potius γονή, id est genitura, ab Hippocrate appellatur: qualem se cõspexisse testatur, sexto à conceptu die ab ancilla excretam. Alterum tempus est, quando conceptum semen sanguine repletum iam est, iecurque, cor, & cebrum, indistinctam quidem adhuc & informem, alicuius tamen momenti coagulationem, & magnitudinem præ se ferũt: quo tempore κύημα, id est cõceptus, dicitur ab Hippocrate. Tertium sequitur tempus, cum tria illa principia videri exquisite iam possunt, reliquorum autem omnium membrorũ descriptio quędam ac quasi delineatio apparet; quo tempore dicitur ἔμβρυον. Vltimum tẽpus est, cum brachia & crura distincta, absolutaque cernũtur, & moueri incipit quod in vtero habetur: quod non amplius ἔμβρυον sed παιδίον potius id est puerum, seu infantem solet Hippocrates vocare. Quod autem in vtero quattuor istis tẽporibus gestatur, τὸ κυόμενον Græcis, Latinis interpretibus fœtus communi appellatione nominatur: exstatq. Galeni liber περὶ κυομένων διαπλάσεως, id est de fœtuum D

Cap. 9.

Lib. de nat. infant.

A fœtuum formatione. Horum vero quattuor temporum in fœtuum formatione distinctionem, tum ex abortibus, tum ex dissectionibus, longa obseruatione cognosci potuisse credibile est. At lib. de fœt. format. hæc eadem quattuor tēpora statuens, in eo à seipso dissentit, quod iecur, cor, & cerebrum, diuersis temporibus gigni credat. Quippe cum fœtus viuat primum vt planta, deinde vt animal imperfectum, tandemque vt animal perfectum; probabilius multo esse sentit, primo formationis tempore gigni iecur, secundo cor, tertio cerebrum, quarto vero motioni inseruientia membra (quæ postrema formata sunt) corroborari. Non tamen possunt huiusmodi tempora certo dierum aut mensium numero definiri, neque enim expressæ formationis, aut motionis, aut absolutionis, aut etiam egressus in lucem, vnus est præfinitus terminus. Plerumque tamē rem ita se habere compertum est, vt ab Hippocrate, aliisq. grauissimis scriptoribus est proditum. Mares enim triginta plerumque diebus tria illa principia, B iecur, cor, & cerebrum, distincta habere solēt; fœminæ vero duobus & quadraginta. Mares præterea in vniuersum tertio mense, fœminæ autem quarto moueri incipiunt. Sunt qui (vt Galenum ab inconstantia excusent) rem ita explicent, vt iecoris, cerebri, & cordis formatio diuersis temporibus incipiat, simul tamen perficiatur; cum iecur corde propter arterias, & propter neruos cerebro etiam indigeat. Mihi tamen probabilius videtur, tria hæc principia simul formari. Cum enim facultas generatrix per vniuersum semen sit diffusa, cur in eam seminis & sanguinis portiunculam quæ gignendi iecoris materia est, per initia solum aget, circa materiā vero gignendi cordis & cerebri nihil prorsus agens iacebit otiosa? Quare quattuor illorū temporum distinctio, ex partium potius perfectione quam earundem generatione petenda erit; ita vt quamuis simul C generentur, aliæ tamen citius, aliæ tardius perficiantur. *Cap. 3.*

Verum nequid eorum quæ ad facultatem generatricem pertinent, intactum relinquamus, illud tantum hoc loco explicandum restat, insita ne illa sit soli semini, an potius post formatum animal in partibus corporis remaneat. Neque hîc diutius nobis immorandum erit, cū sit fere apud omnes in confesso, in partibus ipsis relinqui. Nam vlcera caua recens genita carne quotidie replentur; & exiguæ venæ in eisdem renasci sunt visæ; & in pueris septimo mense dentes plerumque nascuntur, hisq. decidentibus noui anno septimo prodeunt. Quamuis verius multo quis dixerit, eiusmodi dentes denuo non gigni, sed in prima animalis formatione genitos, intra gingiuarum alueolos delitescere, donec vsu postulante foras prosiliant. Immo qui infantibus nascuntur dentes, veri dentes non sunt, sed dentium potius epiphyses, quibus decidentibus, anno septimo ve-D ri dentes in lucem proferuntur. Quare certius multo generatricem vim in maxillis ex semine relictam dentes illi molares ostendere possunt, quos genuinos appellant; hi namque & adolescentibus, & iuuenibus, & senibus interdum nasci consueuerunt; neque rationi consonum videtur, in prima formatione genitos, tanto annorum spatio delituisse. Quin & Galenus generatricem vim post formatum animal in partibus manere, aperte significauit hoc capite. Quid enim aliud innuit, cum dixit, in vtraque tunica suam quandam alteratricem vim esse, quæ ex menstruo matris sanguine eam particulam generauit? Neque aliud profecto voluit lib. 1. de semi. vbi postquam docuit partes spermaticas semel de- *Cap. 11.*
» perditas, vel numquam, vel raro regigni posse, hęc scribit, Quamquam efficiens
» ipsius seminis caussa perfectis animalibus inest, nam neque deseruit animal, ne-
» que suarum facultatum quas insitas habet, oblita est natura; quippe quas cum

non

non aliunde adquisiuerit; sed ex semine habuerit, admittere nullo modo potest. A

Cur igitur partes spermaticæ semel deperditæ iterum gigni nequeũt, remanente (vt dictũ est) facultate generatrice? Huius rei caussam ad generatricis facultatis defectum in partibus spermaticis quidam retulerunt, quorum opinio nulla ratione constare potest. Neq. enim aliqua est ratio, cur in partibus carnosis potiusquam in spermaticis facultas generatrix manere debeat; præsertim cum ea facultas ex semine sit relicta, ex quo partes spermaticæ potissimum gignuntur. Alii probabilius sentiunt ob materiæ inopiã id fieri, quia licet facultas adsit, ea tamen otiosa est deficiente semine, ex quo partes spermaticas gigni oportet: quæ itidem videtur fuisse sententia Galeni. Ceterum cum partes spermaticæ semine nutriantur, magis probanda est eiusdem Galeni sententia, qui culpa facultatis simul & materiæ partes spermaticas regenerari nõ posse verissime docuit. Culpa quidem facultatis, nõ quod vis generatrix in partibus spermaticis deficiat, sed quod hæc sit imbecillior, quã postulet nouæ solidæq. partis generatio. Siquidem vt noua pars generetur, facultatem validã esse oportet, quę possit ex sanguine in semen prius mutato partem spermaticam gignere, antequam ex eo sanguine caro fiat. Id autem præ imbecillitate præstare nõ potest quæ in partibus remansit facultas, quod tamen in prima animalis formatione facile præstat valida seminis facultas, iuuantibus quoque vteri conceptaculis. Culpa vero materiæ, non quod omnino deficiat semen, sed quod parcius sit quam vt ad promptam partis spermaticæ generationem satis esse queat. Vnde fit vt ipsam præoccupet carnis generatio, quæ ex sanguine leuem alterationem adepto, ac veluti concreto, promptissime gignitur. Quod si contigerit, (contingit autem rarissime) facultatem validam esse, & semen satis abundans; nihil profecto prohibet, quominus pars aliqua spermatica instauretur. Vidit enim Galenus regeneratas in capite venas, & ossa mollia (qualia puerorũ sunt) aliquando coaluisse. Solet autem vbi pars spermatica resarciri nequit, in ipsius locum succedere caro; quæ quia à parte spermatica gignitur, non mollis, aut rubra efficitur, sed alba potius & dura. Atque hæc quidem in osse callus, in cute cicatrix appellatur.

Lib. 1. de semi. cap. 11.

B

Lib. 1. de semi. cap. 13.

C

Lib. 6. metho. med. cap. 5.

CAP. VI.

IAM ad auctricem facultatem cõuersi illud primum admonemus, quod non desit ne hæc quidem iis quæ in vtero gestantur, sicuti neque vis nutrix: sunt tamen eo tempore supradictarum facultatum, alteratricis, & formatricis, hæ veluti ministræ, nec sustinent ipsæ primas partes. Vbi vero perfectam magnitudinem animal est adeptum, toto post quam editum est tempore, vsque ad ætatis vigorem auctrix virtus dominatur. D

De facultate auctrice quattuor docet hoc capite; quo tempore dominetur; quæ facultates ipsi ministrent; quodnam sit proprium ipsius munus; & tandem quomodo in singulis corporis partibus fiat. Nunc itaque primum docet, facultatem auctricem dominari à primo animalis ortu ad ætatis vsq. vigorem. Non tamen proinde negat toto vitæ tempore in animali reperiri, nam vt ipse ait, nõ de est fœtibus qui in vtero gestantur, sicuti neque nutrix. Cum primum enim ab vtero conceptum est semen, menstruo sanguine nutritur, eoque nutritum augetur;

A tur;& fœtus ipse ex semine & sanguine genitus, materno sanguine alitur, & indies crescit. Non tamē primas partes eo tēpore sustinēt nutrix & auctrix, sed generatricis potius sunt ministrę, quæ sine illarū ope propriū munus obire nequit. Quoniam ergo toto gestationis tempore propter fœtus generationem expetuntur nutritio & auctio, merito primus locus generatrici conceditur. Fœtu autem in lucem iam edito auctrix facultas dominari dicitur, quia non amplius generationis causa, sed propter seipsam expetitur; cum genitum iam, omnibusq. partibus absolutum animal, optimo naturæ consilio ad summam perfectionem sensim perduci debeat. Durat vero auctricis dominium ad summum vsque ætatis vigorem, post quem omnino cessat totius animalis incrementum. Remanet tamen adhuc in partibus facultas auctrix, alioqui enim nulla corporis pars post vigorem augeretur: augentur autem toto vitæ tempore pinguedo, carnes, & dentes, vt postea dicemus.

B *Auxiliatrices autem & veluti ministræ eius sunt alteratrix & nutrix.*

Quemadmodum generatricis facultatis, dum in vtero gestatur fœtus, ministræ sunt nutrix & auctrix; ita & auctricis ministra est nutrix à primo ortu ad ætatis vsque vigorem, quia augeri partes non possunt, quin prius nutriantur. Quod si auctricis ministra est nutrix, quæ huic ministrant, illi haud dubie famulabuntur. Propterea dixit alteratricem quoq. ministram esse auctricis, cum sit ex earum numero quæ inseruiunt nutrici.

At quid igitur ipsius auctricis facultatis est proprium? nempe in omnem partem proferre quæ iam nata genitaue sunt. Vocantur autem sic solidæ corporis C *particulæ, arteriæ, venæ, nerui, ossa, chartilagines, membranæ, ligamenta, deniq. tunicæ omnes. Has particulas, elementares, similares, & simplices paullo supra nominauimus.*

Proprium facultatis auctricis munus est, quæ iam genita sunt in omnē partem (id est in omnem dimensionem) proferre, ac dilatare. Vnde intelligitur discrimen inter generationem & auctionem; gignitur enim quod antea non erat; augetur quod genitum iam est, & propriam formam seruat. Cum autem ait sic vocari solidas corporis particulas, videtur innuere solas partes solidas augeri; quemadmodum etiam capite quarto, vbi dixerat auctionem esse solidarum partium augmentum & ampliationem, in longum, latum, & profundum. His persuasi nonnulli, partes carnosas negarunt vere augeri, cum partes tantum D spermaticæ solidæ dicantur, ac sint. Huc accedit, quod auctionis certus sit terminus, ad summum scilicet vigorem; partes vero carnosæ toto vitæ spatio augeri possint & imminui. Vnde etiam colligit Ioubertus, carnē & adipē non esse veras corporis partes, quasi de ratione partium sit, vt certum habeant terminum incrementi. Atqui cum caro & adeps viuant, & nutriantur, erunt haud dubie veræ corporis partes; proptereaq. non minus vere augebuntur quā partes spermaticę. Quare potius crediderim, partes solidas vocari à Gal. eas omnes quæ veræ partes sunt. Nā vt partes spermaticæ carnosis collatæ, solidæ proprie dicūtur; ita & partes carnosæ spirituū & humorū collatione, solidæ dici possunt. Quo etiam pacto dixerat capite quarto, auctionem augmentum ampliationé-

Annot. in cap. 5. & 7. lib. 1. de fac. nat.

que eſſe partium ſolidarum, quarum etiam eſt formatio. Quippe cũ partes carnoſæ, non ſecus ac ſpermaticæ, propriam formationem obtineant; ipſarum ampliato in trinam dimenſionem erit ſimiliter accretio. Et rurſus agens ibidem de nutritione dixit, nutritionem eſſe iiſdem partibus appoſitionem quandam ſine ampliatione: quibus verbis ſignificat, in nutritione appoſitionem fieri partibus ſolidis. At ſi partium ſolidarum nomine ſolas ſpermaticas intellexiſſet, concedendũ eſſet, ſolas partes ſpermaticas nutriri. Sed & ex iis quæ hoc capite ſcribit, idem ſatis euidenter colligitur. Ait namque, propriũ eſſe facultatis auctricis, quæ iam nata, genitaue ſunt, in omnem partem proferre; at partes carnoſæ genitæ iam ſunt, quemadmodum & ſpermaticę. Et quamuis partium ſpermaticarum exemplo ſit vſus, monſtrant tamen quæ poſtea ſubiungit, partes omnes ſub ſolidis comprehendi; cum partes ipſas ſolidas, elementares, ſimilares, ac ſimplices nominari ſcribat: quæ ſane appellationes non minus carnoſis, quã ſpermaticis partibus conueniunt. Præterea auctionis propria ratio, quæ eſt dilatatio in trinam dimenſionem, non magis ineſt partibus ſpermaticis quã carnoſis, neque enim hæ augentur vt pili & vngues. Neque de ratione veræ auctionis eſt, vt partes quæ augentur certum habeant incrementi terminum; ſed tantum vt in omnem dimenſionem dilatẽtur, ſeruata continuitate, vt poſtea docebit. Idque ex eo confirmari poteſt, quod non omnes partes ſpermaticæ certum habeant terminum incrementi; cum dentes, auctore Galeno, toto vitæ tempore augeri poſſint, vt quod perpetua attritione deperditur, perpetuo quoq. inſtauretur. Experimur enim, dente quopiam deficiente, alterum qui illi oppoſitus erat, vſque adeo interdum creſcere, vt extra reliquorum dentium ſeriem promineat. Nihilominus tamen quoniã ex partibus potius ſpermaticis quam carnoſis totius corporis incrementum expenditur, certum in animalibus incrementi terminum vere conſtituimus. Indiget vero corporis incremẽtum humiditate, cuius beneficio ſolidæ partes ad eiuſmodi motum ſequaces reddantur. Quare merito dictum eſt à Galeno, corporis incrementum eo vſque progredi, donec oſſa firmum robur adepta fuerint. Et alibi quoque dixit, ceſſare corporis incrementum, cum peruentum fuerit ad ἀκμὴν, oſsibus nimirum ipſis ob ſiccitatem non vltra ſequacibus. Id tamen videtur difficile, cum pueros augeri ob ſeruemus, quantumuis morbi cuiuſpiam vehementia, aut diuturnitate fuerint exſiccati. Atqui rem diſtinguere oportet, creſcunt enim pueri, quamdiu in illis ſeruatur natiua oſſium, aliarumque partium ſpermaticarum humiditas; quod ſane fiet, ſi abſumpta dumtaxat ſint caro & adeps. Semel vero abſumpta natiua partium vere ſolidarum humiditate, vt in maraſmo facto contingit, non amplius augetur corpus. Immo qui ſic afficiuntur, licet pueri ſint vel adoleſcentes, redduntur ſenibus omnino ſimiles.

A (beside the first line); B (beside "nes ſub ſolidis comprehendi"); C (beside "promineat"); D (beside "ua partium vere ſolidarum")

Marginal notes: Lib. 5. de cõp. med. ſec. loc. cap. 8. — Lib. de opt. corp. cõ. c. vlt. — Lib. 1. de ſani. tu. cap. 2.

Ad quem autem modum omnes particulæ extendantur, proferanturque, ipſe narrabo, ſed exemplo quodam claritatis gratia prius propoſito. Solent pueri acceptas ſuum veſicas ſpiritu implere, ac iuxta ignem ſuper cineres ſic eas confricare, vt incaleſcant, nec tamen lædantur. Eſtq. is luſus in Ionia, & in aliis gentibus non paucis, perfrequens. Accinunt vero inter fricandũ verſus quoſdam, numeroſo & cantu, & rythmo, ſuntq. ea omnia verba adhortatio veſicæ ad incrementum. Vbi vero illis abunde videtur extenſa, rurſus inflant,

ac magis

A *ac magis distendunt, & iterũ fricant; idq. subinde factitant, quoad ampliata vesica satis augmenti accepisse videatur. Ceterum in hoc puerorum opere quãtum interna vesicæ capacitas est adaucta, tantum necesse est corpus eius in tenuius sit redactum. Quod si tenuitatem hanc sarcire pueri possent, vtiq. perinde ac natura, ex parua magnam vesicam efficerent. Nunc vero id opus consequi his nõ licet, nec duci id in imitationem vlli iam perfectorum hominum quoquo pacto fas est, nedum pueris; id enim solius naturæ proprium munus est. Ita cõstat arbitror, iis quæ augentur necessariam esse nutritionem; quippe si extendantur eiusmodi corpora, non tamen reficiantur, speciem quandam falsam augmenti præbuerint, verum augmentum adepta non fuerint. Quinimo distendi in omnem partem ea*
B *tantũ possunt quæ per naturã ipsam sunt adaucta; quæ enim a nobis sunt extensa corpora, sicut vna dimensione id patiuntur, ita reliquis imminuũtur. Neq. enim est inuenire quidquam, quod continuitate sua seruata, minimeque diuulsa, extẽdi in tres dimensiones poßit. Solius igitur naturæ opus est, corpus quod continuitatẽ suam, & speciem quã prius habuit, vniuersam seruet, in omnem partẽ extẽdere. Atq. ea res auctio est, quæ sine nutrimento affluẽte adhærenteq. fieri nequit.*

Quo facilius accretionis modum explicet in singulis corporis partibus, vtitur primũ exemplo quodam, ex quo discrimen colligit inter artem & naturam. Exemplum autem est lusus cuiusdam, qui pueris familiaris erat in Ionia. Solebant enim suum vesicas spiritu implere, & iuxta ignem supra cineres fricare, eo scilicet consilio, vt vesicas maiores capacioresq. redderẽt. Solent & nostri pue-
C ri similiter ludere, minus accurate tamen; neque enim cantilenis semper vtuntur, quibus vesicas ad incrementum hortentur, vt faciebant Iones, neque semper vesicas fricant ad ignem; sed sola pedum attritione plerumque vtuntur, cumque inter ludendum vicisse iudicant, qui suis aut bouis vesicam ampliorẽ reddiderit. Hanc postea solent his fasciolis diligenter inuoluere, quæ ex pannorum lateribus rescinduntur; vt magnam scilicet construant pilam, quam possint ludentes pugno percutere. Hæc quidem vesicarum extensio vera accretio dici non potest, quia in omnem dimensionem non fit, sed in longitndinem solam. Cum enim proprium ipsarum corpus ex violento attritionis motu tenuius euadat, tantum abest vt crescat altitudo, quin potius imminuatur insigniter; vnde etiam fit, vt ipsarum cauitas amplior reddatur. Hinc colligit discrimen inter naturam & artem, nam quamuis vtraque possit corpora extendere, sola tamen
D natura in omnem dimensionem extendit, ars numquam. Siquidem vera accretio nutritione indiget, quæ solius naturæ est opus. Quo fit, vt quæ vitæ sunt expertia, etiam si quandam incrementi speciem præ se ferant, veram auctionem suscipere non possint; tantum enim crescere videntur, aut sola rarefactione, vt aqua quæ mutatur in aërem; aut noua partium additione, vt metalla, & in nostris corporibus cuticula (ἐπιδερμίδα Græci vocant) pili, & extremi vngues. Extremos dixi, quia vnguium radices & viuunt, & sentiunt, & vere augentur. Qua distinctione seruata facillime Galeni loca explicabis, quæ interse pugnantia visa sunt Argenterio reprehendendi studiosissimo. Aliquãdo enim capillorum & vnguium nullam gubernationem, sed solam generationem esse dixit; aliquando vero neruum, arteriam, & venam in vnguium radices porrigi asseruit, vnde sensum, vitam, & alimentum, sicut aliæ partes, accipiant.

Com. in art. medi. fol. 198. In art. med. cap. 9. Lib. de a nat. admin. c. vlt.

Lib. 2. contro. cap. 5.

cipiant. Sed hoc recte annotauit Vallesius. Ex iis autem quæ hactenus docuerat tandem concludit, solius naturæ opus esse, corpus quod suam cõtinuitatem & speciem seruet, in omnem partem extendere. Quibus verbis conditiones quattuor exprimit, quæ reperiuntur necessario in corporibus quæ vere augentur; debent enim in omnem partem extẽdi, nutriri, continuitatem suam seruare, & propriam speciem retinere. Quod nutriri debeant, & in trinam dimensionem dilatari, antea dictum est; quod autem substantiæ continuitatem seruent, ex eo intelligitur, quod quę humore replentur, aut spiritu, non dicantur augeri, etiãsi & nutriri, & in omnem partem extendi videantur; quia scilicet propriam continuitatem amittunt. Neque enim virile pudendum quando erigitur, neq. partes quando in tumorem attollũtur, dicentur vere augeri, cum hæ superfluo humore, illud vero solo spiritu repleatur, Sed & eandem speciẽ siue formam seruari necesse est, cum accretio & decretio eo nomine distinguãtur ab ortu & interitu, quod in his eadem forma non maneat, in illis vero maneat perpetuo eadem. Quod si formæ nomine (quam Galenus vocauit ἰδέαν) figuram intelligas, & sic quoque verum erit, in corpore quod augetur eandem seruari formam; quoniam corporis quod augetur in trinam dimensionem extẽsio, pro eiusdem corporis ratione perpetuo fit, & seruata dimẽsionum proportione, vt recte obseruauit Peramatus. Porro quæ de facultate auctrice hactenus docuit Galenus, cum iis quæ ab Aristotele sunt tradita, omnino consentiunt. A B

Lib. de ani. fac. cap. 8.
Lib. 1. de ort. & inter. cap. 5.

CAP. VII.

VO magis de ipsa nutritione quæ reliqua est et tertia propositorum ab initio, videtur agendi locus. Quod enim in nutrimenti affluit specie, cum id corporis eius quod nutritur omni parti affigitur; actio ipsa nutritio est, caussa vero eius ipsa facultas. Et alteratio quidem hîc quoque ipsius actionis genus est, non tamen talis, qualis erat in generatione. Ibi namque quod os non erat postea factũ est os; in nutritione vero ei quod iam factum est, id quod affluit efficitur simile. Ita non immerito alterationem illam nominamus generationem, hanc, assimilationem.* C

* Græce additur θρεπτικὴ, id est nutrix.

Inter facultates naturæ principes postremũ locũ obtinet nutrix, non tẽpore, sed dignitate. Nã si tẽporis habenda sit ratio, omniũ prima iure censebitur, cũ semen in vtero conceptum, nutriri prius & augeri debeat, vt ex eo fœtus formetur. Sed quoniã tũc nutrix nõ secus ac auctrix generatrici ministrat, & puero in lucem edito, ad summũ ætatis vigorẽ famulatur auctrici; postremũ dignitatis gradum merito hoc nomine sortitur. A summo autem vigore ad exitum vitæ primas obtinere dicitur, quod nulli facultati amplius inseruiat, sed alias ipsa potius habeat ministras & auxiliatrices. Propriam nutricis actionem inquit esse, omni parti corporis quod nutritur nutrimentum affigere; nã Græcam dictionem προσπλάσεσθαι interpretatur Linacer affigi, id est agglutinari. Ioubertus tamen potius vertit transmutari ac conformari, quoniam cum propria nutritionis ratio in assimilatione sit posita, propria nutricis actio merito dicetur particularis quædam conformatio, vel transmutatio nutrimenti in rem nutritam. Nihil tamen obstat, quo minus nutritio dici possit nutrimenti agglutinatio, quemadmodum capite quarto dicta est nutrimenti appositio; quamuis vera nutritionis ratio in assimilatione sit posita. Docet præterea alterationem genus esse nutritionis & generationis, quod intelligendum D

A est de alteratione totius substantiæ. Nam & in generatione & in nutritione totam substantiam alterari necesse est, & nouam formam adquiri; in generatione quidem in eo quod gignitur; in nutritione vero in eo quod nutrit. Quo sane nomine & nutritio dici posset generatio quædam, cum id quod antea sanguis erat, caro efficiatur, aut os, aut aliud quidpiam. Merito tamen distinctæ alterationis species statuuntur generatio & nutritio, quoniam generatione fiunt partes quę antea non erant; nutritione vero nulla pars fit, sed tantum substantia quædam, partibus iam genitis omnino similis: quod recte ab Aristotele obseruatum etiã est. Vnde nata est hæc nominum varietas, vt quæ alteratio nouã corporis partem creat, generatio; quæ vero partium substantiam instaurat, nutritio dicatur. Lib. 2. de ani. cap. 4.

CAP. VIII.

QVONIAM autem de tribus naturæ facultatibus abunde diximus, videturque animal nullam aliam requirere, habens nimirum B *quemadmodũ & augeatur, & absoluatur, & plurimũ duret; videbitur abunde iam disputatio hæc suos numeros habere, omnesque naturæ facultates explicasse. Verum si quis rursum reputet, nullam hanc animalis partium adhuc attigisse, ventriculi dico, intestinorum, iecinoris, & aliorum eiusmodi, nec harum facultates exposuisse; velut proœmium tantum vtilioris doctrinæ propositum esse putabit: quippe rei summa sic habet. Generatio, auctio, & nutritio, prima naturæ operum, ac veluti capita sunt; itaque etiam effectrices harũ facultates primæ, principesq. tres sunt. Desiderant tamen (vt iã dictum* C *est) tum ipsarum inter se, tum aliarum ministeriũ. Ac quæ quidẽ generatrix auctrixq. desiderent, dictum iã est; quæ autẽ nutrix facultas requirat, nũc dicetur.*

Nihil quod difficile sit, aut obseruatione dignum, continet hoc caput; in quo tantum docet, quæ de tribus naturæ principibus facultatibus, generatrice, auctrice, & nutrice, hactenus tradita sunt, esse veluti proœmium quoddam vtilioris doctrinæ, quæ circa particularia versatur. Hæc namque priuatim docet, quot, qualesque facultates singulis naturæ instrumẽtis insint, & quas functiones edere singulæ sint natæ; quæ sane cognitio & ad sanitatis tutelam, & ad curationem morborum multo vtilior censetur. In naturæ autem instrumentis eas potissimũ facultates inquirere oportet, quæ nutrici ministrant, vt tota hęc de facultatibus naturalibus disputatio perfecta sit, & suis numeris absoluta. Nam vt generatrici subseruiunt auctrix & nutrix, & sola nutrix auctrici; ita & nutrix suas habet D ministras & auxiliatrices, de quibus agendum est. Cogimur tamen (quoniã de facultatibus principibus hactenus egimus) breuiter hoc loco explicare, sintne generatrix, auctrix, & nutrix, facultates specie distinctæ; an potius vna sit eadẽque facultas, quæ variis istis donata nominibus, animal diuersis temporibus gignat, augeat, ac nutriat. Sentit Vallesius eandem facultatem generare, augere, & nutrire; generationemq. & auctionem esse tantum vlteriores quosdam motus facultatis nutricis. Generatricem à nutrice non distingui probat, quia eisdẽ actionibus particularibus cõplentur; cũ vtraq. hæc actio fiat conuersione alimẽti in substantiã rei quæ alitur. Sed hæc ratio tãtum ostendit, nutricẽ ministrare generatrici, cũ fieri non possit vt partes generẽtur, quin prius semen nutriatur. Præstat igitur huiusmodi facultates distinctas cũ Gal. statuere, qui generationẽ & nutritionem dixit capite superiori diuersas esse alterationis species. Quam- Lib. 2. contro. cap. 19. & 20.

nis enim nutritio videatur esse quædam generatio, quia tamen quod per nutritionem gignitur corporis pars non est, sed partis iam genitæ substantia; merito nutrix distinguetur à generatrice. Id quod & harũ facultatũ actiones certissime ostendunt, nam propria generatricis actio est nouæ partis productio; nutricis vero nutrimenti assimilatio. Probat præterea Vallesius facultatem auctricẽ non distingui à nutrice robusta, quia harum facultatum actiones specie non differunt, sed sola ratione maioris & minoris. Nam (vt ipse ait) cum tantum reparatur ex alimento confecto quantum quotidiana exolutione perierat, corpus nutritur; cum plus, augetur. Præterea plus, aut minus, aut tantundem reparari, fit ex maiori, vel minori, vel æquali eiusdem facultatis robore; at facultas auctrix plus alimenti reparat, ergo non distinguitur à nutrice robusta. Sunt tamen & hæ rationes inefficacissimæ, quamuis enim fieri non possit auctio, quin plus nutrimenti assimiletur; propria tamen auctricis actio non est plus alimenti reparare, sed potius solidas corporis partes in omnem dimensionem extendere, vt ante dictum est. Neque itidem propria actio nutricis est tantundem alimenti reparare, sed nutrimentum potius partibus nutriẽdis assimilare, siue plus, siue minus, siue æquale ei quod effluxit, assimiletur. Est itaque accretionis comes inseparabilis vberior ipsa nutritio, vt recte sensit Auicenna; nam si corpus augetur, plus alimenti ipsi accedit; & si plus alimenti assimilatur, auctio necessario fit. Quamuis non me lateat aliter sentire Fernelium, qui & accretionem cũ parciori nutritione, & vberiorem nutritionem citra corporis incrementum reperiri posse affirmat. Pueri namque qui ex febribus, aut longis aliis morbis extenuati sunt, euidenter crescunt; & qui summum ætatis vigorem prætergressi iam sunt, quantumuis cibo saginentur, incrementum capere nequeunt. Quæ sane rationes cum plurimam probabilitatem præ se ferant, doctissimorum medicorum non paucos in Fernelii sententiam traxerunt. Mihi tamen nullo pacto citra vberiorem nutritionem videtur fieri posse accretio; alioqui non omnes particulæ corporis quod augetur, fruerentur alimento, quod est absurdum. Quamobrem in pueris extenuatis & crescentibus vberiorem quoque nutritionem concederem, non in adipe & carne, quibus absumptis vniuersum corpus gracile est redditum; sed in partibus spermaticis, quarum ratione corpus augeri dicitur. In iis vero qui vltra vigorem ætatis progressi iam sunt, corpus non crescit, etiamsi liberaliori vtantur cibo; quia partes spermaticæ neque aluntur vberius, neque possunt amplius ob siccitatis excessum in omnem dimensionem extendi. Augentur tamen in his caro & adeps, quæ copiosiore nutrimento fruuntur; quibus auctis vniuersus corporis habitus crassior euadit, etiamsi totum corpus non crescat, nisi (vt vulgo dici solet) in latum. Sed iam alias Vallesii rationes expendamus. Quãdo, inquit, facultas nutrix est imbecilla, corpus decrescit; ergo quando robusta est nutrix, corpus augetur; auctrix igitur facultas à nutrice robusta non distinguetur; aut si distinguitur, statuenda erit facultas altera imminutrix auctrici contraria. Verum hæc ratio non minus est inefficax, cum solum ostendat auctricem nutricis robore indigere. Quod autem ait, auctricem à nutrice non distingui, quia iisdem vtuntur ministris, nempe attractrice, retentrice, concoctrice, & expultrice; omnino verum non est. Sunt enim quattuor illæ nutricis ministræ, auctricis vero tantum ex accidenti; quatenus scilicet ministrant nutrici, quæ auctrici inseruit. Quæ cum ita sint, miror profecto, cur suo auctori adeo placuerit hæc opinio, vt eã vulgarem non esse, sed solis doctioribus atq. ingeniosioribus proponendã esse censuerit; cum

Margin notes: Fen. 1. lib. 1. doct. 6. cap. 2. — Lib. 5. de nat. par. med. cap. 3.

Section letters in the right margin: A, B, C, D.

A cum tamen neque ingenii, neque eruditionis multum contineat. Nos igitur Aristotelis Galenique methodũ sequuti, ex tribus diuersis naturæ operibus tres diuersas actiones, ex his vero tres principes naturæ facultates specie distinctas colligamus, generatricem, auctricem, & nutricem.

CAP. IX.

IDEOR enim monstraturus, tum instrumenta ipsa quæ ad naturalem nutrimenti molitionem comparata sunt, tum eorum facultates propter hanc esse conditas. Nam cum actio huius facultatis assimilatio sit, nec fieri possit vt assimilentur mutenturque inter se vlla, nisi societatem aliquam cognationemque in qualitatibus habeant; idcirco primum quidem nec quoduis animal quocumque cibo nutriri potest; deinde
B *nec quibus nutriri potest, his vtique protinus. Atq. huius necessitatis caussa pluribus alterationis nutrimenti instrumentis cuique animali est opus. Siquidem vt flauum rubrum fiat, & rubrum flauum, vna & simplice alteratione est opus; vt vero album nigrum reddatur, vel nigrum album, omnes quæ in medio horũ sunt alterationes requiruntur. Ita quod mollissimum est non potest vno statim impetu durum fieri; nec quod durissimum illico mollissimum. Pari modo nec quod grauissime olet odoratissimum, nec contra quod odoratissimũ est grauissime fieri olẽs extemplo potest. Quo pacto igitur ex sanguine os fiet, nisi is prius & crassetur plurimum, & dealbetur? Aut quomodo ex pane gignetur sanguis, nisi & paulatim deponat albedinem, & sensim accipiat ruborem? Quippe caro ex sanguine*
C *non magno negotio fit, si enim eatenus naturæ opera crassescat, vt constantem substantiam habeat, nec etiam sit fluidus; prima & recens concreta caro iã existet. At vero vt sanguis os fiat, longo huic tempore, multo etiam opere, ac mutatione est opus. Quod autem & pani, & multo magis lactucæ, & betæ, et similibus, quo sanguis ex his fiat, permulta alteratio requiratur, satis id quoque patere arbitror. Atque hæc quidem vna caussa est, cur multa sint ad alterationem nutrimenti instituta organa.*

Vt inuenire possit facultates naturales nutricis ministras, demonstrat primũ hoc capite, plura in corporibus animalium instrumenta nutritionis gratia necessaria fuisse. Horũm autem in vniuersum tria sunt genera, instrumenta scilicet
D alterationis siue concoctionis, instrumenta excrementis dicata, & instrumenta distributionis. Fuisse inprimis necessaria instrumẽta alterationis, ex nutritionis essentia, & propria alimentorum natura recte confirmat. Nutritionis essentiam non in appositione alimenti, vt capite quarto; neque in agglutinatione, vt capite septimo; sed in assimilatione nutrimenti cũ re quę nutritur, verissime nunc collocat, vt capitibus etiam sequentibus. Immo si rem ipsam altius contemplemur, neque nutritio dici potest nutrimenti assimilatio, sed (vt ita dicam) idemtitas potius alimenti cum re quæ alitur. Siquidem nutrimentum per concoctionem partibus nutriendis fit simile, per nutritionem vero fit potius idem. Proindeque merito nutritionem inquit aliquando Galenus esse Lib. 4. Simp.
vacuati repletionem; at quod è corporibus vacuatum est, partium substantia cap. 10.

 est;

est; ergo quod vacuatum replet, in partium substantiam mutari necesse est. Nu- A
Cap. 3. trimentorum naturam accuratissime explicauit lib. 3. de temper. nunc autem tantum docet, nutrimẽta omnia cum iis quæ nutrienda sunt, societatem, cognationemque aliquam in qualitatibus habere. Quæ sane qualitatum cognatio duplex esse potest, altera in qualitatibus manifestis, altera vero in tota qualitatum constitutione. Manifestis quidem qualitatibus calida nutrimenta corporibus calidis cognata sunt, & frigida frigidis; tota vero constitutione qualitatum nutrimenta omnia nutriendis corporibus similia esse necessario debent. Hinc fit, vt non quocumque cibo animal quodcumque nutriri possit, nam cum diuersa maxime sit diuersorum animalium natura, fieri nulla ratione potest, vt idẽ nutrimentum cum omnibus animalibus substantiæ cognationem obtineat. Neque aliunde accidit, vt quæ alicui animali familiaria sunt nutrimenta, alteri fortasse sint noxia venena; veratro namque aluntur coturnices, & sturni cicuta, quorum vtrumque homini est venenum. Ceterum quamuis nutrimenta omnia cum iis B quæ nutriuntur totius substantiæ similitudinem necessario habeant, nutrire tamen non possunt, quin prius alterata atque concocta, partibus nutriendis omnino similia reddantur: ita tamen, vt quæ nostræ naturæ magis familiaria sunt, minori; quæ vero minus familiaria, maiori alteratione indigeant, vt exemplo
Cap. 3. vini recte Galenus explicauit lib. 3. de temper. Id quod & in reliquis mutationibus, quæ in coloribus, odoribus, saporibus, & qualitatibus tactilibus fiunt, videre est. Siquidem vicini colores, vt flauus & ruber, mutantur facile in se inuicem; contrarii vero difficillime, vt albus & niger. Idem de aliis qualitatibus intellige. Eadem ergo ratione de nutrimentis sentiendum, siue interna hæc fuerint, siue externa. Internum quidem, omnibusque partibus commune nutrimentum sanguis est, qui vt in carnem mutetur, leuem alterationem exposcit, cum aliud nihil videatur esse caro quam sanguis quidam crassior redditus. At vero C vt sanguis os fiat, (à cuius natura plurimum recedit) & maior, & magis diuturna necessaria est alteratio. Sed & in externis alimentis quibus quotidie vescimur, id multo euidentius apparet. Panis enim quia purum sincerũque nutrimentum est, facilius in sanguinem conuertitur, difficilius vero lactuca & beta; vtpote quę nutrimenta sint medicamentosa, minusque proinde nobis familiaria. Ex his tãdem concludit necessaria nobis fuisse instrumenta alterationis, siue concoctionis. Nam si nutritio nutrimenti assimilatio est; nutrimentum vero quantumuis familiare sit, assimilari non potest quin prius alteretur; ergo necessaria sunt aliqua instrumenta, quæ huiusmodi alterationibus præsint. Hac eadem ratione vsus est lib. 1. de sani. tu. cap. 3.

Altera autem est excrementorum natura. Sicut enim herbis nutriri plane non possumus, tametsi pecudes his nutriantur; ita radicula quidem nutrimur, verum non ita vt carne. Hanc enim totam natura nostra propemodum vincit, mutatque, & alterat, ac sanguinem salubrem ex ea creat; in radicula vero quod quidem conueniens est, & transmutari potest, (quamquam ægre plane, nec sine plurima concoctione) omnino id minimũ est, sed tota paullo minus excrementosa est; & pertransit quidem concoctionis instrumenta, ceterum exiguus ex ea in venas assumitur sanguis, nec is in totum vtilis. Quare alteram rursum secretionem, eorum scilicet quæ in venis sunt excremẽtorum, desiderauit natura. Quibus D
etiam

A *etiam aliis opus erat viis, per quas ducerentur ad exitum, quo ſcilicet ſalubribus ſuccis minime officerent. Præterea quibus reciperentur veluti receptaculis quibuſdam; in quibus poſtquam ſatis magna collecta vis eſſet, mox excernerentur. Ergo hoc ſecundum particularum in corpore genus quod nutrimenti excrementis ſit deſtinatum, inuenimus.*

Probat ſecundo ex nutrimentorum natura ſuperius explicata, alterum quoddam inſtrumentorum genus ob nutritionem fuiſſe neceſſarium, eorum ſcilicet quæ excrementis ſunt deſtinata. Quippe quæ nos minime nutrire poſſunt, ea profecto nullam ſubſtantiæ ſimilitudinem nobiſcum habent, quales ſunt herbe; quæ quidem pecudibus optimum ſunt pabulum, etiamſi homines non nutriant. Vnde perſpicuum eſt ab herbis diſtingui olera, quibus haud dubie homines nutriuntur. Quæ vero nobis nutrimentum præbent, quamuis ſimilia ſint & familiaria, habent tamen neceſſario partes diſsimiles, alia quidẽ plures, alia vero
B pauciores. Quæ pura ſinceraque ſunt nutrimenta, ſubſtantiã ſimilem plurimam obtinent, diſsimilem paucisſimam; veluti caro, quæ tota fere proinde concoquitur, & in ſalubrem ſanguinem conuertitur. At quæ minus familiaria ſunt, (vt radicula) ægre concoquuntur, & paucus ex his gignitur ſanguis, iſque excremẽtitius. Cum igitur nutrimẽtis omnibus id ſit cõmune, vt partes habeant excrementitias, & partibus nutriendis ineptas; oportebat profecto, ab vtili ſubſtantia eas ſeparari, ac tandem extra corpus excerni, vt corporis partes feliciſsime nutrirentur. Ex quibus recte conficitur, neceſſaria eſse in animalium corporibus inſtrumenta aliqua, quæ toti huic operi præſint. Statuit autem hoc loco, & lib. 1. de ſani. tuen. quattuor horum inſtrumentorum differentias, quædam Cap. 21.
C enim excrementa ſeparant, alia deducunt, alia veluti receptacula quædam colligunt, alia tandem foras expellunt. Quod tamen ita accipiendum non eſt, vt ad ſingulorum excrementorum vacuationem, omnia ſimul conueniãt neceſſario, ſed quod aliquando conuenire poſsint, vt poſtea dicemus.

Eſt & aliud tertium genus pro bonis ſuccis vndique per totum corpus deferendis inſtitutum; eſtque id veluti viæ quædam numeroſæ, per totum corpus ſectæ. Vnus namque omnibus cibis introitus per os eſt, at non vnum eſt quod nutritur, ſed plurima, ac plurimum inter ſe diſtantia. Ergo admirationi eſſe cuiquam non debebit inſtrumentorum numerus, quæ nutritionis gratia natura condidit; alia namque idoneum cuique particulæ nutrimentum alterando præparãt;
D *alia ſeparant excrementa; alia tranſmittunt; alia ſuſcipiunt; alia expellunt; alia ſalubrium ſuccorum in omnem partem ferendorum ſunt viæ.*

Præter inſtrumenta concoctionis, & ea quæ excrementis dicata ſunt, neceſſaria itidem eſſe inſtrumenta diſtributionis ex eo oſtendit, quod vnus ſit omnibus cibis introitus per os, partes vero nutriendæ & plurimæ ſint, & plurimũ inter ſe diſtantes. Dum vnum eſse cibis omnibus introitum per os aſserit, nutriẽtium clyſterum vſum non negat; ſed naturalem dumtaxat aſsumendorum ciborum modum proponit. Nam quamuis quæ per ſedem iniiciũtur nutrire poſsint, vt alibi diximus; naturæ tamen lege nutrimenta per os aſsumuntur, cuius meatus ad capiendos cibos factus eſt à natura, quemadmodum ſedis meatus ad excernenda alui excrementa. Si ergo cibi quibus nutrimur, aſsumuntur per os;

partes vero nutriendæ & à ventriculo (in quem ingesti descendunt cibi) & à se ipsis plurimum distant;negari non potest, quin necessaria fuerint instrumenta, quæ vtile (id est concoctum & ab inutilibus excrementis expurgatum) nutrimẽtũ ad singulas corporis partes deducant. Quæ sane eundem corpori vsum præbere videntur, quẽ reipublicæ præbere solent qui vel expurgatũ triticum, vel farinam, vel coctos etiam panes, ex publicis ciuitatis locis in priuatas domus deferunt. Ex quibus satis constat, triplici instrumentorum genere indiguisse naturam gratia nutritionis, instrumentis scilicet concoctionis, excrementorum, & distributionis.

* ἀυτῶν.

*Quare si vniuersas naturæ facultates intelligere velis, singula iam dictorum organorum tibi sunt consideranda. Principium vero doctrinæ eorũ * tum ea naturæ opera quæ propinqua fini habentur, tum particulæ, particularumque facultates sunt.* B

In tribus illis instrumentorum generibus quæ nutritionis gratia creata esse diximus, naturæ facultates nutricis ministras inquirendas potissimũ esse docet, cum earũ facultatũ actiones in illis maxime elucescant. Inuenietur autẽ methodo resolutionis, cognito scilicet fine, & inuentis iis quæ sunt necessaria ad finẽ. Id namq. significant verba illa Galeni, Principiũ vero doctrinæ eorum, tum ea naturæ opera quæ propinqua fini habentur, tum particulæ, particularumque facultates sunt. Aduerte tamen, Græcam dictionẽ ἀυτῶν, quam retulit Linacer ad instrumenta, referendam esse potius ad facultates; cum facultatem doctrinã tradat hoc loco, non autem doctrinam instrumentorum. Perficitur itaq. facultatum nutrici ministrantium doctrina ex fine, naturæ operibus fini propinquis, particulis ipsis, particularumque facultatibus. Ac finis quidem nutritio est; naturæ autem opera propinqua fini interpretantur plerique nutrimẽti appositionem esse, & agglutinationem, & assimilationem: quorum sententiam non probo. Non enim nutritioni propinquum opus dici potest assimilatio, quæ à nutritione distincta non est; appositio vero & agglutinatio (præterquãquod ad nutritionem quoque referantur, quæ & appositio, & agglutinatio nutrimenti aliquando dicitur) neque actiones, neque opera vere dici possunt. Quamobrem per naturę opera propinqua fini eas potius naturæ actiones intelligi velim, quæ necessarium vsum præbent nutritioni; quales sunt alimenti concoctio, eiusdem distributio, & excrementorum secretio. His vero cognitis incitamur statim ad cognoscendas particulas, ad cognoscenda inquam instrumenta quæ eiusmodi actiones exercent. Porro quæ sint concoctionis instrumenta, quæ excrementorum, quæ itidem distributionis, ex propriis eorundem facultatibus & vsibus certo intelligimus. Quippe cum ex communi omnium hominum consensu ventriculus sit ingestorum ciborum promptuarium, erit haud dubie concoctionis instrumentum; quemadmodum etiam iecur, quod sanguinis officina vere appellatur. Sed & cor ad idem instrumentorum genus referri potest, cum sanguinem arterialem & vitalem spiritum concoctione gignat, non secus ac iecur sanguinem, & ventriculus chylum. Porro excrementis destinata instrumenta, varia sunt, vt intestina crassa, vesica bilis, lien, renes, vreteres, & vesica lotii. Instrumenta vero distributionis tria potissimum recẽsentur, tenuia intestina, venæ, & arteriæ. Ex horum itaque omnium cognitione pendet facultatum nutrici inseruientium inuentio; quas demonstraturus est esse quattuor, attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem.

C

D

CAP.

CAP. X.

A *TAQVE denuo nobis ad memoriam reuocandus is finis est, cuius caussa tot ac tales particulas natura instituit. Et nomē quidem rei, ceu ante diximus, nutritio est; ratio vero eius nominis est, ad id quod nutritur eius quod nutrit aßimilatio. Porro hæc vt fiat, agglunatio siue adhærentia præcedat oportet; sicut etiam vt illa fiat, appositio. Postquam enim succus is qui omnem animalis particulam nutriturus est, a vasis excidit; in totam eam primum dispergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demum aßimilatur.*

Nutritio cuius gratia tot tantaq. instrumenta natura condidit, assimilatio est B nutrimenti cũ eo quod nutritur; ipsam tamen necessario præcedũt eiusdem nutrimenti appositio & agglutinatio. Quippe cum partes nutriendæ solidæ sint, sanguis vero qui nutriturus est, humidus sit ac fluxilis; nisi concoctionis beneficio affigatur primum & agglutinetur, nullo vnquã pacto asimilabitur. Iã vero si hinc inde difflueret sanguis, neque partibus ipsis appositus seruaretur, nulla ratione agglutinari posset: apponitur autem, quãdo attractus retinetur. Ex quibus recte Galenus colligit modum quo singulæ corporis partes nutriũtur, qui huiusmodi est. Succus is qui omnem animalis particulam nutriturus est (id est sanguis vnicuique parti familiaris) ex vasis (quæ scilicet singulis partibus sunt propria) inprimis excidit; non quidem suo impetu, sed à partibus nutriendis attractus. Vbi vero semel exciderit, roris ritu partibus inspergitur, mox apponi- C tur, deinde agglutinatur, ac demum agente facultate nutrice asimilatur. Vnde constat, propriam nutritionis rationem neque in appositione, neque in agglutitione nutrimenti positam esse, sed in sola asimilatione. Videat ergo Ioubertus, quam vere asimilationem statuat nutritionis finem, cum asimilatio distincta nõ sit à nutritione. Videat itidem Peramatus, quomodo appositionem, agglutinationem, & asimilationem, in vnam actionem incidere, conspirareque asserat; ita vt nutricis facultatis actio vna sit, quæ ab alimenti appositione, per agglutinationem, ad exactam asimilationẽ progrediatur. Nam sola nutrimẽti asimilatio, propria est nutricis actio; appositio vero & agglutinatio nutritionẽ quidẽ præcedunt, non tamẽ aut nutricis, aut alterius facultatis actiones sunt, vt postea dicemus. Porro ex iis quæ de nutritionis modo docuit in præsentia Galenus, videtur collegisse Auicenna quattuor illas humiditates, quas ipse à quat- D tuor humoribus distinguens, secundas appellauit. Primam inquit esse sanguinẽ contentum in exilibus venis & arteriis; quam quia proprio nomine caret, innominatam vocat. Alteram vocat rorem, proprium scilicet nutrimentum extra vasa effusum, ipsisque partibus roris ritu inspersum. Nutrimentum vero quod non solum partibus appositum est, sed etiam agglutinatum, tertiam humiditatem constituit, quam proinde gluten appellat; quemadmodum & cambium vocat quartam humiditatem, quam inquit esse nutrimentum iam asimilatũ. Vtilius tamen multo Galenus in singulis partibus solidis quattuor humiditates enumerat, sanguinem scilicet in propriis vasis contentum, rorem, carnem & adipem, & humidum innatum.

Annot. in cap. 11. lib. 1. de fac. nat.

Lib. de animæ fac. cap. 7.

Fẽ. 1. lib. 1. doct. 4, cap. 1.

Lib. 7. metho. meden. cap. 6.

Porro differre inter se aßimilationem atque adhærentiam, docet vtiligo illa quam Græci λεύκην dicunt; sicuti etiam adiunctionis atque agglutinationis differen-

differentiam prodit genus illud hydropis quod ἀνασάρκα vocant. Non enim af- A
fluentis humoris inopia (veluti quæ Græce ἀτροφίαι dicuntur & tabes) eiusmodi
hydropis generatio prouenit; videtur enim tum caro his humida, madensque es-
se, tum solidarum quæque partium similiter affecta. Verum affluentis nutrimē-
ti appositio quædam fit, quod tamen propterea quod aquosius adhuc est, nec ad
succum sufficienter redactum, nec lentitiam, glutinisque consistentiam (quæ na-
turalis caloris ope prouenit) adeptum, adhærentiam consequi non valet; defluē-
te nimirum ac delabente, ob tenuis & crudi humoris exuberantiam, a solidis cor-
poris particulis nutrimēto. In vtiligine autem quæ λεύκη dicitur, adhærētia qui-
dem nutrimenti facta cernitur, non tamen assimilatio. Patetque obiter, id quod B
paullo supra proposuimus recte esse dictum, debere fieri primum quidem apposi-
tionem, mox agglutinationem, deinde ei quod nutriendum est, assimilationem.

Quod nutrimenti assimilatio, agglutinatio, & appositio, à se inuicem distin-
guantur, ex duobus affectibus (in quibus nutritionis noxa reperitur) optime
confirmat, leuce scilicet & anasarca. Leucen statuit hoc loco interpres vitiligi-
nis speciem, quasi leuce a vitiligine alba nequaquam distinguatur. Fallitur ta-
men, quia quamuis vterque affectus coloris ad album mutati vicium sit in cute;
leuce tamen grauior est affectus, qui cutem altius mutat, simulq. cum cute car-
nem, ita vt pili albi quoque præter naturam reddantur; in vitiligine autem al-
ba solius cutis color albus efficitur, quemadmodum in nigra niger. Adde, quod
vitiligo quæ in albam & nigram diuiditur, Græcis proprio nomine ἄλφος dica-
tur. Anasarca tertia est hydropis species, in qua vniuersus corporis habitus tu- C
met; quo nomine à duabus aliis hydropis differentiis distinguitur, in quibus so-
lus venter in tumorem attollitur; à flatu quidem in tympanite; in ascite vero ab
aquoso humore. Sed de his in pathologicis accuratius. Probat itaque primum,
agglutinationem nutrimenti ab eiusdem appositione differre, exemplo anasar-
cæ, in qua nutrimentum partibus apponitur, non tamen agglutinatur. Appo-
ni quidem, constat ex discrimine inter anasarcam & atrophiã; in hac enim quia
nullum fere alimentum apponitur, exsiccantur partes, & graciliores efficiuntur;
in illa vero humidæ & veluti madentes tanguntur, quod citra nutrimenti ap-
positionem fieri nequit. Non autem agglutinari, tactus ipse iudicat, qui carnes
laxas & veluti fluidas persentit. Cum enim is qui in hoc affectu partibus appo-
nitur sanguis, aquosior sit & tenuior; nullam fere ab imbecillo calore consisten-
tiam, nullumque lentorem accipere potest, cuius beneficio agglutinetur: de- D
fluente nimirum ob tenuis crudique humoris copiam nutrimento. Hunc locum
ab iis obseruatum velim, qui ascitem anasarca perniciosiorem esse contendunt,
quod in hac cruda gignatur pituita, in illo vero potius aqua; cum tamen hîc af-
firmet Galenus, nutrimentum in anasarca aquosius etiam esse. Probat præterea
assimilationē differre ab agglutinatione, exemplo leuces, in qua quidem cum
affecta caro, nō laxa ac diffluens vt in anasarca, sed solida potius tãgatur; nutri-
mentum partibus agglutinari concedendum est. Non tamen assimilari, pro-
pria ægrotantis carnis species declarat, quæ quidem simpliciter caro non est,
sed cum adiectione caro alba; vtpote quæ ex pituitoso nutrimento gigna-
tur.

Ac pro-

A *Ac proprie quidem nutrimentum est quod nutrit. Quod vero veluti nutriens est, nondum tamen nutriuit; cuiusmodi scilicet est quod agglutinatur, vel quod apponitur; id proprie nutrimentum non est, sed æquiuoce. Quod autem in venis est, atque hoc etiam magis quod in ventriculo est, id tamquam nutriturũ aliquando sit, si probe cõcoctum fuerit, nutrimentum appellatur. Ad hunc modum edulia quoque nutrimenta vocamus, non vtiq. quod iam animal nutriant, neque talia sint qualia sunt quæ nutriunt; sed quod nutritura sint si probe sint concocta. » Id namque est quod ab Hippocrate dicitur, Nutrimentum quod » nutrit, nutrimentum quod veluti nutrimentum est, nutrimentum quod nutritu- » rum est. Siquidem quod iam assimilatur, nutrimentum appellauit; quod vero ta-* B *le est quale illud, nempe appositum, agglutinatumve genus, veluti nutrimentum; reliquum omne, siue id in venis continetur, seu in ventre, futurum nutrimẽtum.*

Quamuis nutrimentum apponi, agglutinari, & assimilari dicatur; proprie tamen nutrimentum dicitur quod reuera iam nutrit; improprie vero quod nondum nutrit, sed vt nutriat est idoneum. Quare nutrimentum proprie tantum dicetur quod assimilatur, quod autem agglutinatur vel apponitur, veluti nutrimentum; hoc namque si agglutinetur & assimiletur, nutriet; illud vero, si assimiletur. Sed & sanguis qui in vasis continetur, magis improprie nutrimentũ dicitur, quia vt actu nutriat, apponi, agglutinari, & assimilari debet. Et magis adhuc improprie chylus, aut cibus in ventriculo contentus, quoniam præter di- C ctas alterationes, in sanguinem prius mutari desiderat. Ac tandem externi cibi (vt panis, aut poma) omnium maxime improprie nutrimenta appellantur, quoniam ad ea quæ dicta sunt, ventriculi etiam concoctionem exposcunt. Quo fit, vt quæ apposita adhuc non sunt, neque nutrimenta, neque veluti nutrimẽta, sed futura potius nutrimenta vocentur. Quod ex Hippocrate confirmat, qui triplex nutrimentum statuit, nutrimentum scilicet, veluti nutrimentum, & futurum nutrimentum; nutrimentum vocans quod assimilatur; veluti nutrimẽtum, quod agglutinatur, aut apponitur; futurum vero nutrimentum, quod in venis continetur, aut ventriculo, vt alibi explicatum iam est. Possumus quoq. nutrimentum sic diuidere, vt partim sit actu, partim potestate. Actu nutrimentũ est quod assimilatur; potestate vero, vel est potestate propinqua, vel remota; vtraque autem vel magis, vel minus propinqua est, aut remota. Ac quod aggluti- D natur quidem, nutrimentum est potestate magis propinqua; minus autem propinqua, quod apponitur. At sanguis qui continetur in vasis, nutrimentum est potestate minus remota; magis autem remota cibus qui est in ventriculo; magis adhuc remota externa alimenta. Immo & communia rerum elementa, & materiam primam, nutrimenta dici posse concessit Galenus, potestate remotissima.

Lib. de alim.

Lib. 3. de tẽp. cap. 4.

Lib. 3. de temp. cap. 1.

CAP. XI.

AC quod necesse sit nutritionem esse assimilationem nutrientis ei quod nutritur, clare liquet. Ceterum non esse assimilationẽ veram, sed tantum apparentem, dicunt ii qui nec artificiosam naturam existimant, nec animalis habere prouidentiam, nec denique vllas

propriàs

proprias obtinere facultates, quibus scilicet vsa, alia trahat, alia teneat, alia demutet, alia expellat. Fuereque tum in Medicina, tum in Philosophia, eorum hominum qui aliquid de natura prodiderunt, quique saltem quod dixêre intelligerent, & sequelam eorum quæ proposuerunt, non modo intuerentur, sed etiã seruarent, duæ sectæ. Siquidem qui ne id quidem intellexerunt, sed quidquid in buccã venit deblatterarũt, nec in alterutra sectarum perstitere; horum ne meminisse quidem conueniat. Quænam igitur sunt duæ illæ sectæ, & quæ in his propositorum sequela? Nempe altera sectarum substantiam eam quæ generationi & internecioni est subiecta, totam tum vnitam esse, tum alterari posse proponit; altera immutabilem, inalterabilemque, & in tenuia dissectam, tum vacuitatibus quibusdam interceptam statuit. Igitur qui saltem consequentiã aliquam ex propositis in secunda secta intelligunt, hi nec naturæ, nec animæ propriam vllã substantiam, facultatemve arbitrantur; sed has primorum illorum corporum (quæ & impatibilia, & simplicia proponunt) certo quodam congressu fieri. Iuxta vero priorem sectam posterior corporibus natura non est, sed multo etiam prior & antiquior. Proinde his auctoribus animalium & stirpium corpora hæc fabricat, prædita scilicet facultatibus, quarum aliis ea quæ sibi conueniant & trahit, & aßimilat; aliis quæ aliena sunt expellit. Eadem aliis quibusdam facultatibus generando omnia, tum artificiose ea effingit ac format, tũ iis quæ generauit prospicit. Vna quidem qua sobolem diligit, eidemque prouidet; alia per quam quæ eiusdem sunt generis complectitur, eisdemq. communicat. At alterius sectæ sententia nec horum quidquam natura poßidet, nec vlla perceptio animæ ab initio est insita; nec consequentiæ, nec pugnantiæ; nec diuisionis, nec compositionis; nec iusti, nec iniusti; nec turpis, nec honesti; sed ex sensu & per sensum, omnia quæ fieri videntur, in nobis facta esse dicunt, ac imaginationibus quibusdam memoriisque animal gubernari. Aliqui vero ex his dicto prodiderunt, nullam esse in anima qua ratiocinetur facultatem, immo sensuum affectibus duci nos pecorum ritu, nec posse renuere, respuereve quidquam. Iisdem videlicet auctoribus, fortitudo, prudentia, temperantia, & continentia, nugæ sunt meræ; nec amamus inter nos, aut prolem; nec Diis vlla nostri est cura. Iidem auguria, insomnia, portenta, omnemque Astrologiam contemnunt, de quibus ipsi alio opere seorsum plenius egimus, Asclepiadis medici dogmata æstimantes. Porro licet qui volet libros illos euoluat; nunc autem considerandum est, tamquã duabus propositis viis, vtra nobis præstet insistere. Hippocrates namque priore earum institit, quæ vnitam esse substantiam, atque alterari proponit; præterea conspirabile & confluxile totum corpus esse; naturamque omnia artificiose ac iuste peragere, facultatibus scilicet præditam, quibus singulæ particulæ conuenientem sibi succum ad se trahãt, attractum vero coalescere, accrescereq. omnibus sui partibus faciant, demum-

A *demumque aßimilent. Quod autem interea non peruicêre, quodque omnimodam alterationem, ac cum nutriendo similitudinem recipere non potuit; id alia rursus vi, nempe secretoria, reiiciant.*

Cognito fine, nempe nutritione (de qua accuratißime disputauit) inquirit iuxta præscriptam methodum naturæ opera propinqua fini, quæ sunt nutrimẽti concoctio, eiusdem distributio, & excremẽtorum secretio. Dum vero in variis instrumentis illas naturæ actiones, ipsarumque caussas demonstrat, magnum & difficile cum his philosophis ac medicis certamen aggreditur, qui ab Hippocratis secta (firmißima alioqui & constantissima) recedentes, omnes naturæ facultates prorsus negarunt; atque earum quæ in animalibus exercentur actionũ, improbabiles caussas reddiderunt. Cuius rei occasione duas medicorum sectas B omnium maxime insignes hoc capite proponit, alteram Hippocratis, alteram vero Asclepiadis. Sunt autem vtriusque sectæ dogmata inter se omnino contraria; ita tamen, vt Hippocratis dogmata verissima sint, rationique maxime consentanea; Asclepiadis autem falsa, cum rationeque ac sensibus pugnantia. Quæ tanta dogmatum varietas non aliunde ortum habuit, quam ex diuersitate primorum elementorum quæ ab vtraque secta statuuntur. De absurdis autem Asclepiadis dogmatis nihil hoc loco dicemus, quoniã quæ ad elemẽta pertinent, lib. de nat. homi. refutauimus; reliqua vero à nostro instituto sunt aliena, prꝫter vnum illud quod naturales omnes facultates è medio tollit, quod toto hoc opere diligentissime refelletur.

C CAP. XII.

PORRO intelligi licet quam recta veraque Hippocratis dogmata sint, non ex eo tantum quod qui diuersa ponunt, diuersa quoque ac dissentientia ponunt ab iis quæ euidenter apparent; verũ etiam ex eorum quæ membratim in naturali speculatione quærũtur, tum ceteris omnibus, tum vero iis quæ in animalibus habentur actionibus. Qui enim attractricem conuenientis qualitatis vim nulli inesse particulæ volunt, hi sæpe iis quæ euidenter apparent contraria dicere coguntur. Quemadmodum Asclepiadi medico de renibus contigit, quos non solum Hippocrates, Diocles, Erasistratus, Praxagoras, aliorumve optimus quisque, secernere a sanguine vrinas D crediderunt, verum etiam coqui fere omnes norunt; cum quotidie eorum non tantum situm contemplentur, sed etiam meatus qui ab vtroque procedunt, & vrinarii sunt dicti, in vesicam se inserentes: nimirum ex ipsa compositione companeque, tum vsum eorum, tum vim colligentes. Iam etiam priores ipsis coquis omnes homines, qui subinde difficulter meiunt, aut etiam suppressam vrinam omnino habent, vbi circa lumbos dolent, ac arenosa meiunt, nephriticos seipsos nominãt. Verum Asclepiades, arbitror, ab iis qui sic sunt affecti emictum calculum nõ vidit; nec quod medio inter renes & vesicam loco præceßit quidam acutus dolor transeunte per vrinarios meatus calculo, intellexit; sed, nec quod emicto eo protinus tum dolor tum vrinæ suppreßio desierunt.

Adin-

Ad institutum accedens inquirit caussas operum naturæ quæ nutritioni sunt propinqua, à secretione excrementorum exorsus, qualis potissimum est vrinæ secretio,& vtriusque bilis. Secretionis vrinæ propria instrumenta esse renes, Hippocratis, Dioclis, Erasistrati, & Praxagoræ testimonio primum confirmat; deinde vero ex situ & formatione renū,atq. vreterum. Siquidem renum vterq. iuxta vertebrarum latera humiliori septi transuersi sedi incumbit,qua id decimæ,vndecimę,& duodecimæ costæ obducitur;ita tamē,vt ren dexter superiori sua parte humillimam iecoris portionē contingat; sinister vero lieni aliqua ex parte substernatur. Inseruntur autem in singulos renes bina vasa, eaque insignia,quæ vocant emulgentia;arteria scilicet & vena,quæ ex vena caua & arteria magna ortum habent. Iam vero & vrinarii meatus ex secūdo renum sinu explantati,ac peritonæo super lumborum musculos supertensi, deorsum ad vesicā prorepunt,quæ velut cisterna quædam vrinam in se recipit. Hæc sane prædictarum partiū formatio, sanguinem in vena caua & arteria magna contentum a seroso excremento expurgari aperte docet: renibus scilicet per vasa emulgentia serosam humiditatem secernentibus,eandemq. postea per vreteres ad vesicam transmittentibus. Idem quoque ex communi omnium hominum loquendi cōsuetudine constat, qui eos nephriticos (quasi renibus male habentes dixeris) appellant,qui cum circa lumbos doleant, aut vrinæ suppressione laborant, aut arenosa meiunt. Nam qui circa lumbos sentitur dolor, renes esse affectos declarat; atque is sane vna cum vrinæ difficultate vel suppressione cessare solet, cum primum acuto inter renes & vesicam præcedente dolore, calculus mingitur. Indicat namque acutus iste qui præcessit dolor, ex renis sinu euulsum calculum, per vrinarium meatum transiisse. Vreteres namq. cum satis exquisito sensu sint prædití, acute dolent; in renibus vero ob sensum obtusiorem dolor fit potius grauis, siue obstruantur, siue phlegmone laborent, siue calculum in propriis sinibus contineāt. Quamuis & acerbus dolor (vt alicubi testatur Galenus) accidere posit, si in propria renum carne genitus sit calculus. A B C

Lib.6.epide. part.1.com.6.

Ergo quemadmodum vrinam in vesicam oratione sua ducat, operæpretium est audire; atque hominis sapientiam suspicere, qui relictis tam latis ac manifeste apparentibus viis, obscuras, angustas, nec vllo prorsus sensu perceptas proposuit. Vult namque, eum qui bibitur humorem in halitus resolui, atque in vesicam transmitti; inibi vero denuo concretos, priorem deinde recipere formam, fierique ex halitibus plane humorem. Perinde vtique de vesica ac de spongia quapiam, aut lana ratiocinatus, non corpore plane denso, & quod humorem non transmittat. Cum duas tunicas validissimas habeat, per quas si transmitti halitus dicemus, quî fit, quod septum transuersum & peritonæum non pertranseunt; ac tum abdomen, tum pectus totum aqua non implent? At crassius est, inquiet, humorisque tenacius peritonæum inuolucrum quam vesica; eoq. id halitus non transmittit, vesica vero transmittit, ac recipit. Verum si ipse vesicam dissecuisset, fortasse non ignoraret, exteriorem vesicæ tunicam eandem cum peritonæo naturam habere, vtpote ab eo ortam; internam vero quæ ipsius vesicæ est propria, plusquam duplo eam crassitudine superare. Verum fortasse nec crassitudo tunicarum, D

A *rum, nec tenuitas, sed ipsa vesicæ positio ferendorũ in eã halituũ est caussa. Immo vero si per reliqua corporis omnia credibile esset huc ferri, certe situs ipse vesicæ satis esset qui id prohiberet. Quippe cũ vesica in imo sit sita, halitus autem naturaliter ferantur in sublime; ita longe prius his implerẽtur pectus & pulmo, quam ad vesicã peruenirent. Tametsi quid situs & vesicæ, & peritonæi, & pectoris memini? cum halitus si & ventriculi & intestinorum tunicas sunt egressi, aut in spatiũ quod inter eas & peritonæũ intercedit, colligentur, atq. inibi in humorem vertentur, veluti ipsis hydropibus eo loci plurimum aquæ aceruatur; aut prorsus per omnia quæcumq. contingunt, recta ferri debebunt, nec vsquam sisti. Verũ si hoc quis proponat, vtiq. non peritonæo solũ, sed etiã abdomine ipso traie-* B *cto, aut in circumfusum nobis aërẽ dissipabũtur, aut omnino sub cute colligẽtur.*

Ne facultatem aliquam naturalem cogeretur concedere Asclepiades, hoc commentum imaginatus est de collectione vrinæ in vesica. Totum eum qui bibitur humorẽ, in halitus dissolui voluit, atque in vesicam transmitti, ibique cõcrescentes pristinam naturam induere, & in aquam rursus conuerti. Hãc Asclepiadis sententiam refellit tribus rationibus, quarũ prima desumpta est ex propria vesicæ substantia, quæ crassa est & densa. Nam quæ crassa densaq. substantia constãt, suscipiẽdis vaporibus sunt prorsus inepta. Aut si hæc vapores admittunt, eosdem facilius admittent quæ aut tenuiori, aut molliori substantia sunt prædita, qualia sunt peritonæum, & septum transuersum; hoc namque cũ musculosum sit, vesica est mollius; illud vero licet mẽbranosum, vesica est tenuius. C Constat nãq. vesica duplici tunica, quarũ externa eandem habet cũ peritonæo naturã; interna vero quæ vesicæ est propria, plusquã duplo est crassior. Ex quibus efficitur, vapores ex aqua epota exhalãtes, in cauitate abdominis & pectoris concrescere potius debuisse quã in vesica; aut si in illa non cõcrescũt, neq. in hac posse concrescere, cũ eo penetrare nequeant. Altera ratio desumpta est ex situ vesicæ, & vaporũ natura, hi nãq. suapte natura feruntur in sublime, illa vero cum in imo ventre locata sit, suscipiendis ex ventriculo vaporibus idonea nõ est. Immo facilius multo quam vesica, sursum ascendentes vapores exciperẽt pectus & pulmo; proptereaq. & thoracis cauitas magis quã vesica aqua impleretur. Tertia ratio petita est ex crassa ac densa vẽtriculi & intestinorum substantia, quã si pertranseunt halitus ex bibito humore exhalantes, permeabunt quoq. peritonæum, aut inter id & intestina colligentur. Si colligãtur, inibi concrescẽtes, atq. in humorẽ conuersi, totũq. illud spatium replẽtes, hydropem gi- D gnent. Si peritonæũ permeent, permeabũt quoque vniuersum abdomen, vnde è duobus alterũ necessario sequetur. Aut enim in ambientẽ aërem dissipabũtur, aut saltem sub cute propter ipsius crassitiem ac densitatem colligentur. Ex quibus necessario colligitur, falsam esse & omnino fictitiam Asclepiadis de vrinæ in vesica collectione sententiam.

Sed & his contradicere Asclepiadis qui nunc sunt sectatores, conãtur, tametsi ab omnibus semper irrisi, quicumque in eos de his ligantes inciderunt. Adeo indelebile malum est, eluique non potens, ista circa sectas ambitio, ac scabie, quauis ad sanandum rebellius. Etenim huius temporis sophistarum quidam, cum in aliis, tum in captioso disputandi genere admodum excercitatus, ac immdicendo (siquis alius) acer; cum mecum de his disceptaret, tantum abfuit vt

eorũ quæ diximus aliquo deterreretur, vt admirari se diceret, me ea quæ liquido appar ẽt, inanibus rationibus euertere conari. Quotidie enim clare cerni, vesicas omnes, si quis aëre, aqua ve impleat, deinde ligatis earũ collis vndiq. premat, nulla ex parte quidquã remittere, sed prorsus totũ in se continere. Quãquam si essent a renibus in has sensiles & ampli meatus, omnino aiebat, quod sicuti per hos humor introiit, ita prementibus nobis exiret. Atq. hæc similiaque cũ volubiliter ac clara voce dixisset, exiliens subito discessit, nobis quasi nihil quod vel probabile esset respõdere habentibus, ibi relictis. Adeo qui sectis eiusmodi sunt addicti, nõ solũ nihil norũt recti, sed ne discere quidem dignãtur. Cũ enim audienda his caussa esset, propter quã ingredi per vrinarios meatus in vesicã aliquid potest, rursum exire per eandem viam non potest, atque artis nomine suspicienda natura; hi nec discere volunt, & hoc amplius mala verba dicunt, frustra tum alia multa, tum vero renes ab ea conditos affirmantes. A B

Disputationẽ narrat cũ Asclepiadis sectatoribus habitã, ac potissimũ cum sophista quodã, qui vrinã per vrinarios meatus ad vesicam descendere negabat; quod vesica cõpressa, ad eosdẽ vrina remitti nequeat. Nam si vesicã ab animali exemptã, vinculo excepta ipsius ceruice, solo aëre aut etiam aqua impleueris, violenterq. cõpresseris; nihil omnino remitti experieris, sed totũ intra vesicam cõtineri. Soluitur hæc ratio ex admirabili vreterũ in vesicã insertione, quã ignorauit sophista, suæ rationis solutionẽ minime exspectãs. Nã oblique in vesicã inserũtur vrinarii meatus, introq. ad laxiorẽ vsq. sinũ obliqui ac prælõgi pertinẽtes, velut membranã quandã efficiunt, quæ ab excremẽtorũ quidẽ intro irrumpentiũ impetu euertitur, ac patefit; reliquo vero tẽpore cõcidit, ac contrahitur; atq. ita meatui firmũ efficitur operculũ, vt non solũ humoribus, verumetiã flatibus, reditus omnis sit interclusus. Quin & ars ipsa huiusmodi naturę artificium non raro imitatur, nam qui magnas pilas construunt, quæ aëre solo repleri solent; foramen ita obliquum in ipsis efficiunt, vt aër semel ingressus intra pilæ sæpe violenterque percussæ, & agitatæ, cauitatem diutissime retineatur. C

Sũt & qui se præsentibus ostendi vrinarios meatus a renibus descendere, atq. in vesicã se inserere cum sustinuissent; ausi tamen sunt alii, quod hi quoq. frustra sint conditi, dicere; alii quod quidã ex seminalibus sint meatibus, ideoq. in collum eius, non in corpus esse insertos. Nos igitur indicato qui vere seminis meatus sunt, eos infra vrinarios in collũ se inserere, tunc saltẽ (si non prius) a falsa eos persuasione abducẽdos putauimus, atq. ad cõtrariã statim perducẽdos. Illi vero hic quoque cõtradicere sũt ausi nihil esse miri dicẽtes, in illis ceu magis angustis diutius subsistere semẽ, in iis vero qui a renibus descẽdunt, vtpote abũde amplis, celeriter effluere. Nos igitur de cetero coacti sumus in animali adhuc viuo liquido in vesicã per ipsos vrinarios meatus transfluentem vrinam indicare, vix sic quoque garrulitatem eorum coërcendam sperantes. Porro ostensionis modus est huiusmodi. Diuidi debet id peritonæi quod ante vrinarios meatus habetur; deinde hi laqueis singuli excipi; mox super deligatura data animal di- D

mitti;

A *mitti, neq. enim amplius meiet; post hæc religari deligatura externa, ac vesica inanis ostẽdi, vrinarii vero meatus referti, distẽtiq. ac periclitãtes rũpi; mox eorum vinculis detractis, vesica lotio clare impleri; post hæc priusquã animal meiat, vinculũ iniiciendũ eius pudendo est; tũ vero trudẽda vndiq. eius vesica, non enim poterit per vrinarios meatus ad ipsius renes quidquã reuerti. Quo manifestũ fit, nõ solũ in mortuo animali prohiberi lotiũ ex vesica in vrinarios meatus rursum redire, sed etiã in viuo. His perspectis, permittendũ iã animali meiere, soluto scilicet quo pudendũ eius exceptum est vinculo. Post hæc vinculum alteri meatuum iniiciendum, alter vero in vesicam confluere sinendus. Tum aliquo interposito spatio monstrãdum iã, quemadmodũ alter qui vinctus est, ea parte quæ ad renes spectat, plenus distẽtusq. appareat; alter vero qui solutus est, & laxus sit, & vesicã* B *impleuerit. Post hæc vero præcidẽdus est primũ is qui plenus est, ostendendũque, quemadmodũ eiaculetur ex eo lotiũ, nõ aliter quã ex incidẽda vena sanguis; dein alter præcidẽdus; & mox ambobus præcisis, animal extrinsecus deligandũ. Post vbi satis esse visũ est, deligatura soluẽda, inuenietur enim vesica vacua; quæ vero media capacitas est inter peritonæũ & intestina, tota lotio plena, veluti si aqua intercute laboraret animal. Hæc igitur siquis ipse per se explorare in animali velit, magnopere mihi videtur Asclepiadis temeritatẽ dãnaturus. Quod si caussã intelligat, quamobrẽ nihil ex vesica in vrinarios meatus refluat, vel ex eo mihi naturæ esse prouidentiã, artẽq. in animalibus credet. Atque Hippocrates quidẽ* C *omniũ quos nouimus medicorũ philosophorũq. primus, (vtqui primus naturæ opera norit) hãc semper tũ admiratur, tũ prædicat; quã & iustã nominat, & solã animalibus ad omnia sufficere dicit, ipsamq. per se sine doctore quæ opus sunt agere. Talis autẽ cũ sit, statim eã facultates habere proposuit; vnã, qua sibi cõuenieẽs attrahat; alterã, qua alienũ a se segreget; ipsã præterea tũ nutrire animalia, tũ augere. Iã morbos quoq. finire, iudicareq. existimat, ideoq. in corporibus nostris vnũ cõspiratũ, confluxũq. esse, ac omnia inter se mutuo affici. Asclepiade vero auctore, nihil ex alterius affectu patitur, omni substãtia naturaliter diuisa, atq. in elemẽta quæ cohærere non possunt, & nugatorias moles concisa. Quare necesse est,* D *tũ mille alia cõtraria iis quæ manifeste apparẽt protulerit, tũ facultates naturæ, & qua conueniẽtia trahat, & qua aliena separet, ignorarit. Et in sanguificatione quidẽ, ac alimenti distributione, quandã frigidam garrulitatẽ excogitauit; ad excremẽtorum vero expurgationẽ cũ nihil prorsus quod adferre posset haberet, non dubitauit iis quæ sensui apparent cõtradicere. In vrinæ quidem separatione, tum renes, tum vrinarios meatus functione sua priuans, ac incertos quosdam inuisibilesq. meatus in vesicam statuẽs. Hoc scilicet erat magnum ac præclarum, repudiatis iis quæ cernantur, fidem adhibere incertis, & quæ cerni non possunt.*

Perspicua est tota hæc oratio. Proponit namque inprimis Asclepiadis sectatorum errores, qui ex anatomes ignoratione eo insanię deuenere, vt alii frustra meatus vrinarios conditos fuisse, alii vero vasa potius spermatica esse affirma-

rint. Quamobrem ex viui animalis dissectione optime demonstrat, vrinam ex renibus per vreteres ad vesicam descendere, indeque per pudendum foras excerni. Tandem vero in naturæ laudes prorumpit cum Hippocrate, cuius plura dogmata, verissima illa quidem ac constantissima, in mediũ proponit, vt Asclepiadis & ipsius sectatorum ignorantia facilius detegatur. Quæ sane ita dilucide scribuntur à Galeno, vt maiori explicatione non indigeant. A

At in flaua bili etiam maius quiddam licentiusq. est ausus, gigni namq. eam in ipsis bilis conceptaculis, non autem secerni, ait. At quomodo igitur iis qui regio morbo laborant, ambo simul incidunt, vt & egestiones in his nihil habeant bilis, & corpus totum bili sit refertum? Quo loco rursus nugari cogitur, similiter ac in iis quæ de vrinis sunt dicta. Nugatur sane non secus & de bili atra, spleneque, scilicet nec quid ab Hippocrate sit dictum intelligens, & contradicere iis quæ ignorat, dementi insanoque ore aggreditur. Quid igitur sibi ex placitis id genus ad curationes tandem lucri fecit? Nempe quod nec nephritim, nec morbum regium, nec melancholicum sanare potest. B

Non solum errauit Asclepiades in vrinæ secretione, sed etiam in secretione vtriusque bilis. Voluit namque, bilem non secerni à sanguine, sed in ipsismet bilis conceptaculis generari. Per conceptacula vero non oportet bilis meatus qui per propriam iecoris carnem dispersi sunt, intelligere, sed vesicam potius quæ iecori subest; ita enim efficacior erit ratio ex iis quæ in morbo regio obseruantur, desumpta, qua refellit Galenus hanc Asclepiadis sententiã. Obseruantur autẽ hæc duo in morbo regio, vt totius cutis color flauus sit, & alui excrementa sint albicantia: ex quibus necessario colligitur, bilem in morbo regio non descendere ad intestina, sed in vniuersum corporis habitum diffundi. Est itaque hæc Galeni ratio, si bilis in conceptaculis gigneretur, non possent hæc duo regio morbo laborantibus simul incidere, vt egestiones nihil habeant bilis, & corpus totũ bili sit refertũ; atqui experimur, morbo regio laborãtibus duo illa accidere; ergo bilis nõ gignitur in cõceptaculis. Porro vt vera sit huius rationis propositio, necessaro statuẽdum est, morbum regiũ fieri ex obstructione meatus bilis qui in iecore est. Fiet namque tũc temporis, vt bilis (quæ in vesica gignitur ex sententia Asclepiadis) sursum ferri prohibita, libere descendat ad intestina: quibus ita habentibus, neque bilis in corporis habitum diffunderetur, neque alui excrementa albicarent. Si vero ex iecoris inflammatione, aut scirrho, vel bestiæ cuiuspiam venenatæ morsu morbus regius nascatur, necessarium non est alui excrementa albicare. Sed cupiens Ioubertus patrocinari Asclepiadi, hanc Galeni rationem eludẽs, docet fieri posse, vt duo illa in morbo regio appareant, etiamsi bilem in vesica gigni cum Asclepiade concesserimus. Nam si solus ille qui ad duodenum producitur meatus obstruatur, bilis descendere prohibita ad iecur remeabit, atque in vniuersum corpus necessario diffundetur. Ego tamen vix persuaderi possum, vt credam meatum qui inseritur in ecphysin, in ictero obstrui; tũ quod amplior sit quam vt facile obstrui possit; cum potissimum, quod sola bilis eo feratur, quæ nisi crassissima sit, obstructionem parere nequit. Fit ergo potius icterus obstructo altero meatu qui distribuitur in iecur, nam ex iecoris obstructione arquaticos fieri, & viscere medicamentis in id efficacibus prius adaperto affectũ curari, ipsemet Gal. alibi dixit. C D

Lib. 4. apho. com. 62. & lib. 5. de loc. affect. cap. 7.

Com. 26.

Docebit

A Docebit quoque sequenti capite, se ictericorum non paucos, post curatum qui in iecinore erat affectum, vnica purgatione à morbo liberasse. Obstructo igitur in morbo regio iecoris meatu, neque ad vesicam, neque ad ecphysin ferretur bilis, sed tota fere in habitum corporis diffunderetur: quorum neutrum fieri posset, si bilis in vesica gigneretur. Tunc enim obstructo iecoris meatu, tota bilis ad intestina descenderet, cuius ne minima quidem portio ascẽderet ad iecur. Vnde satis patet, firmissima ratione Asclepiadis sententiã refutasse Galenum, nulliusque momenti esse Iouberti patrocinium. Reprehendit tandem Asclepiadẽ, quod secretionis succi melancholici caussam etiam ignorarit, quam Hippocrates aliique veteres medici verissime dixerunt esse facultatem lienis attractricẽ. An vero humorem melancholicum in liene, vt in vesica bilem, gigni voluerit Asclepiades; an potius lienem frustra vt renes in animalibus factum fuisse crediderit, neque Galenus dixit, neque diuinare nos possumus.
B

CAP. XIII.

IAM in quo omnes homines consentiunt, nedum Hippocrates, alia medicamentorum purgare flauam bilem, alia nigram, alia pituitã, alia tenue & aquosum excrementum; ne id quidem concedit: immò a pharmacis ipsis vacuatorum quodque tale fieri dicit, veluti ab exceptoribus bilis meatibus bilem. Nec quidquam intersit egregio Asclepiade auctore, medicamentum quod aquam, an quod bilem ducat, aqua intercute laborãtibus exhibere; quippe omnia pari modo vacuare, liquareque corpus, ac quod liquatum est, vt tale videatur, cum prius tale non esset, efficere. Num igitur insanire putandus est, aut prorsus operum artis expers esse? Nam quis non nouit,
C *si arquato laboranti morbo medicamentum dederis quod pituitã ducat, ne quattuor quidem id cyathos educturum; ad eundem modum, si quod eorum quæ purgant aquam. At medicamẽto quod bilem trahit plurimum quidem vacuatur bilis, totum vero corpus purum sic purgatis efficitur. Nos enim non paucos, post curatum qui in iecinore erat affectum, vnica purgatione a morbo vindicauimus; cum si quis medicamento quod pituitam ducit, purgauerit, nihil profecerit. Atque hæc non solum Hippocrates ita fieri sentit, sed etiam omnes qui sola nituntur experientia, consentiunt: omnibus deniq. quibus curæ sunt artis opera, idem placet præter Asclepiadem. Quippe prodere se elementa quæ statuit, si veritati*
D *in talibus consentiret, existimauit. Omnino enim si inuentum sit medicamentum aliquod, quod hunc vel illum succum solum trahat, periculum esse, ne ratio vincat, in quoque corpore vim esse aliquam conuenientis sibi qualitatis attractricem. Itaque cnicum, coccum cnidium, & hipophaës, haudquaquam ex corpore trahere, sed facere pituitam ait; florem æris vero, & squamam æris, & ipsum æs vstum, & chamædryn, & chamæleonta, corpus in aquam resoluere: hydropasque ab his iuuari, non vtique purgatos sed vacuatos, cum si non vacuentur, vna increscat affectus. Quippe si aquosum qui in corpore est humorem non vacuat, sed primum ipsum gignit, morbum fouet. Atqui etiam*

ſcammonia præterquã quod bilem, Aſclepiade auctore, ex arquatorum corpore non purget, & bonum ſanguinem in bilem, colliquando corpus, vertat, ac tanta mala faciat, affectumque ipſum adaugeat; attamen multis videtur prodeſſe. Sane inquit, prodeſt quidem, ſed ſola vacuationis ratione. Atqui ſiquis pharmacũ quod pituitam trahat, his dederit, minime iuuabũtur. Hoc adeo eſt manifeſtum, vt ne iis quidem qui ſolam experientiam profitentur ſit ignotum: quãquam his viris illud pro ſapientiæ placito habetur, quod nulli omnino rationi ſit credẽdum, ſed iis tantum quæ liquido apparent. Ergo illi quidem ſapiunt, Aſclepiades delirat, qui ipſis quidem ſenſibus habendam fidẽ prohibet, vbi quæ his apparent, ea quæ ille proponit, manifeſte euertunt: quamquam longe ſatius eſſet, minime iis quæ euidenter apparent repugnare, immo illis rem totam tribuere. Num igitur hæc ſola cum Aſclepiadis placitis manifeſte pugnant? An illa quoque, quod vtique æſtate plus bilis iiſdem medicamentis vacuetur; hyeme vero pituitæ? Item iuueni plus bilis, ſeni vero pituitæ? Videtur enim vnumquodque eam quæ eſt trahere, non autem eam quæ non eſt creare. Siquidem ſiquis velit adoleſcenti cuipiam qui gracilis ſit & calidus, quique neque in otio vixit, nec in ciborum ſatietate, dare æſtatis tempore medicamentum quod pituitam ducat; is minimum eius ſucci, nec ſine multa violentia ducet; hominem vero grauiſsime læſerit. Contra ſi quod bilem detrahat exhibuerit; & multum vacuabit; & homini nihil nocuerit. An igitur adhuc non credimus, medicamentum quodque conueniẽtem ſibi ſuccũ attrahere? Dicent fortaſſe qui Aſclepiadem ſectãtur, immo (quid fortaſſe dixi?) omnino ſe non credere dicent, ne ſcilicet prodant quæ ſibi ſunt cariſsima. A B C

Vt oſtendat excrementorum ſecretionem à facultate attractrice potiſſimum fieri, probat primum hoc capite, attractricẽ vim in pluribus rebus externis reperiri; veluti in purgantibus medicamentis, magnete, medicamentis ſurculos euellentibus, venena educentibus, & tritico. Agit primum de medicamentis purgantibus, falſamque Aſclepiadis ſententiam refellit, qui quidẽ quamuis cõcederet, alia eſſe medicamenta purgantia bilem, alia pituitam, alia ſuccum melancholicum, alia vero aquam; eam tamen humorum purgationem fieri negauit trahentibus medicamentis humores familiares, vt viſum eſt Hippocrati; ſed colliquato potius ſanguine, atque in eum qui vacuatur humorem, vi medicamenti conuerſo. Abſurdam hanc Aſclepiadis ſententiam hîc & alibi tribus potiſsimum rationibus refutat. Inprimis enim ſi non attrahuntur, ſed gignũtur potius humores à medicamẽtis purgantibus, parum profecto retulerit, in hoc vel illo affectu, hoc vel illo medicamento purgante vti; quod tamen in curandis morbis maxime eſt abſurdum. Nam ſi homini regio morbo laboranti medicamentum exhibueris ducens bilem, & vacuatio effatu digna ſequetur, & affectus ipſe ſanabitur; potiſsimum vero, ſi (vt ſe feciſſe ſcribit Galenus) poſt curatum qui in iecore erat affectum, purgatio præſcribatur. Is autem iecoris affectus obſtructio eſt, quam diximus ſuperiori capite regii morbi frequentiſsimam eſſe cauſſam, in eoque bilis meatu conſiſtere, qui iecur ingreditur, vt ex hoc loco aperte colligitur. Præcipit namque ante purgationem curandum eſſe iecoris affectum, D

Lib. de nat. homi. com. 26. & lib. 2. de elem. cap. 3. & lib. de fac. med. purg. cap. 2.

A fectum, id est referandam esse aperientium vsu iecoris obstructionem. Eadem prorsus ratione si aqua intercute (id est hydrope ascite) laboranti medicamentũ dederis purgans aquam, & copiosa sequetur euacuatio, & ventris tumor minuetur. Respondebat tamen Asclepiades, eorum medicamentorum vsum vtilem esse, non quod hunc, aut illum humorem attrahant, sed communi dumtaxat vacuationis ratione, quia scilicet nisi vacuetur æger, vna increscit affectus. Hanc responsionem bifariam refellit. Primum quidem, quia cum eiusmodi medicamenta non vacuent humores qui ante in corpore redundabant, sed eos qui vacuantur gignant; ipsorum vsus aut semper noxius, aut saltem nũquam vtilis esset. Præterea in ictero non minus prodesset medicamentum purgans pituitam quam bilem; & in ascite perinde esset vtile medicamentum purgans bilẽ ac pi-
B tuitam: immo in idem recideret, medicamento purgante vti, aut sanguinẽ mittere; quo nihil absurdius. Altera ratio hæc est, si qui vacuantur humores à medicamentis gignuntur, non erit maior ratio, cur ab eodẽ medicamento plurima bilis æstate vacuetur, paucissima vero hyeme; & plurima hyeme pituita, æstate vero minima excernatur, exhibito medicamẽto ducente pituitã. Vnde constat, pro diuersis anni tẽporibus humores in corpore abũdare, neq. à purgãtibus medicamẽtis gigni. Similis huic est & tertia ratio, nã si à medicamẽtis gignerẽtur humores, exhibito medicamento purgante bilẽ aut pituitã, æqualẽ oporteret bilis aut pituitæ vacuationẽ fieri, in iuuene & sene: atqui multa in iuuene vacuatur bilis, pituita paucissima; in sene vero cõtra: ergo pro diuersis ætatibus redũdabãt in corpore qui vacuantur humores, neq. proinde vacuãtur, quod ab assũptis medicamentis gignãtur. Hæc quidem ad refellendam Asclepiadis senten-
C tiam satis esse putauit Galenus, quæ tamen iuniores quosdam qui nostris temporibus surrexerunt Asclepiades, conuincere non potuerunt. Gulielmum Puteanum dico & Laurẽtium Ioubertum, qui nõ secus ac Asclepiades ille senior, fidem sensibus abrogantes, vim succorum sibi familiarium attractricem purgãtibus medicamentis negarunt. Multis namque rationibus aduersus Galenum probat Puteanus, humores à medicamentis trahi non posse totius substantiæ similitudine. Inprimis enim quæ trahunt similitudine substãtiæ, quæ propinqua sunt attrahere dumtaxat possunt; quo nomine (vt auctor est Galenus) distinguũtur ab iis quæ fuga vacui attrahunt, hęc namque & cominus & eminus attrahere solent. At purgantia medicamenta ex alto attrahunt humores, ergo non attrahũt similitudine substantiæ. Deinde si medicamenta purgantia similitudine substantiæ attraherent, haberent quoq. similitudinem substantiæ cum corpore
D quod purgatur, aut saltem cum aliquibus partibus, velùti cũ liene quæ succum melancholicum purgant; quoniam quæ vni tertio sunt similia, ea & interse similia esse necesse est. Atqui absurdum videtur concedere, medicamenta purgantia substantiæ similitudinem habere cum partibus corporis, quia medicamẽtorum omnium natura maxime hominibus est contraria. Et priuatim medicamenta purgantia habent interdum naturam deleteriam, tantũ abest vt habeant familiarem. Præterea cum similitudo relatio quædam sit, neque attractionis, neq. alterius cuiuspiã actionis caussa esse potest. Ad hæc si medicamenta purgãt familiaritate substantiæ, quo magis familiaria fuerint, eo purgabunt valentius; quod tamẽ falsum esse experimur. Siquidẽ ex longa consuetudine, aut frequẽti vsu magis familiaria reddi solent, tunc vero aut nihil prorsus, aut certe minimum purgant. Iã vero ex sententia Galeni nihil est quod propter solam attrahendi actionem trahat, sed vt re attracta fruatur; at succis attractis qui extra

Lib. 1. de purg. med. cap. ii. Lib. 3. de fac. nat. cap. vii.

Lib. 2. de rat. vict. in morb. acut. com. 12.

Lib. 3. de fac. nat. cap. 1.

corpus euacuantur, frui non possunt medicamenta. Postremo (vt alias rationes minus probabiles silentio inuoluam) si substantiæ familiaritate attraherent medicamenta purgantia, numquam sequeretur ὑπερκάθαρσις, id est purgatio immodica, in qua certum est humores quoque vacuari qui assumpto medicamento familiares non sunt. His rationibus persuasus Puteanus, neglecta Galeni sententia, alioqui verissima, opinatur potius, purgantia medicamenta suo calore & acrimonia, vna cum fœdo, incoctilique nidore, humorum attractionem moliri. Ea vero bilem purgare inquit, quæ minus calida, minus acria, minusque nidorosa sunt; quoniam bilis (vtpote quæ calida sit, tenuis, ac mobilis) minori agitatione ac vehementia attrahitur. Quæ autem purgant humorẽ melancholicum, ea vehementer calida & acria esse asserit; cũ hæc sola possint crassum terreumque humorem comminuere, segregare, & attrahere. Quæ si amaritudinem adiunctam habuerint, purgandæ pituitæ idonea esse affirmat: quemadmodum purgandæ aquæ, quæ & calore, & acrimonia omnium sunt vehementissima; cum non solum ex vasis, sed ex ventris etiam cauitate serosas humiditates sint attractura. Verum hæc Puteani opinio ex iis quæ dicta sunt in Asclepiadem, facile conuellitur. Nam si propter maiorem vel minorem caliditatem & acrimoniam, varii humores à variis medicamentis purgantur; fiet necessario, vt quæ medicamenta purgant pituitam, eadem quoque purgent bilem; & quæ aquam purgant, reliquos etiam purgent humores, cum sint omnino acerrima & calidissima. Atqui falsum id esse monstrat experientia. Nam si iuueni icterico dederis æstate medicamentum purgans pituitam, minime educetur bilis; quæ tamen cum tenuis sit & mobilis, a calidiori acriorique medicamento facilius trahi debuisset; præsertim cum æstate, & in iuuene icterico plurima necessario abundet. Similiter quoque si melancholico cuipiam medicamentum exhibueris purgans aquam, minimum succi melancholici vacuari experieris; cum tamen à medicamẽto acerrimo ac calidissimo plurimum vacuari debuisset. Sed forsan facilius est Puteani opinionẽ refellere, quam ipsius rationes dissoluere; quas tamen, ne parum exercitatis imponant, diluere tentabimus. Inter ea igitur quæ fuga vacui, & quæ similitudine substantiæ attrahunt, id discriminis esse cõcedimus, quod hæc cominus dumtaxat, illa eminus etiam attrahere possint: si vtraque scilicet inter se conferantur. Nam quæ attrahunt similitudine substantiæ, quia minus è longinquo trahunt quã quæ trahunt consequtione ad id quod vacuatur, cominus attrahere dicuntur; quamuis & ex locis distantibus possint aliquando attrahere. Siquidem purgantia medicamenta, pro valentiori aut imbecilliori facultate, vel ex partibus propinquis solum, vel etiam ex lõge distantibus familiares attrahunt humores. Clementiora namque vix ieiunum attingunt, vt aloë; valentiora ex magnis etiam vasis purgant, vt scammonium; quæ vero vehementissima sunt, (vt veratrum) ex partibus longinquis attrahere possunt. Neque absurdum est, medicamentum purgans cum aliqua corporis parte aliquam habere substantiæ similitudinem; etiamsi naturam habeat nobis cõtrariam, & interdum quoque deleteriam. Rursus neq. substantiæ similitudo caussa est attractionis in purgantibus medicamẽtis, vt ipse putat; sed facultas potius familiarium succorum attractrix, vt constat ex hoc loco. Vnde pendet eius problematis explicatio, qui scilicet fiat, vt cum medicamenta & humores parem inter sese substantiæ similitudinem habeant, humores trahantur potius quã trahant; medicamenta vero trahant potius quam trahantur. Id enim fieri censemus, quoniam humores vi attractrice carent; quæ tamen purgantibus omnibus

Lib. 2. de med. purg. cap. 10.

Cap. 12.

A B C D

A bus medicamentis est indita. Atque id significat Galenus, cum scribit, etiamsi attrahentia & attracta parem inter se habeant substantiæ similitudinem; hæc quidem attrahi, quia imbecilliora sunt; illa vero, quod efficaciora valentioraq. sint, potius attrahere: dicuntur namque valentiora, quia vi attractrice sunt prædita. Quamuis & altero nomine purgantia medicamenta humoribus valentiora dicantur, quod scilicet humoribus sint calidiora, est enim calor attractionis etiam caussa. Quo fit, vt purgantia omnia medicamēta, & vi qua pollent attractrice, & suo calore humores attrahant; calida enim vt sint id genus omnia, necesse est. Et inter medicamenta eundem purgantia humorem, ea valentius purgabunt, quæ fuerint calidiora: quoniam, vt inquit Galenus, inter ea quæ essentiis similia sunt, quod calidius est, id potentius attrahit; vtpote quod similitudini auxiliarium adiunxerit calorem. Siquidem cum ipsum duabus caussis attrahat, superabit id quod vna dumtaxat trahit. Verum quamuis præcipua huius purgationis caussa vis sit medicamentorum attractrix, à Galeno tamen aliisque medicis substantiæ aut qualitatis similitudine fieri dicitur, quia medicamenta purgantia vim tantum habent succorum sibi similium attractricem. Iam vero ex frequenti vsu, diuturnaque consuetudine nequaquam redduntur purgantia medicamenta humoribus magis familiaria, sed potius ventriculo; quo fit, vt interdum deuicta concoquantur. Immo licet efficerentur humoribus magis familiaria, non proinde valentius traherent, quia attractionis caussa non est (vt ante diximus) similitudo substantiæ, sed facultas attractrix. Postremo male colligit, nūquam futuras purgationes immodicas. Quamuis enim humor medicamento familiaris totius substantiæ similitudine primum attrahatur; reliqui tamen qui vacuantur humores, aut non attrahuntur, aut attrahuntur solo calore: excernūtur tamen ob triplicem caussam alibi à nobis explicatā. Relicto igitur Puteano cum tertio Asclepiade, dissertissimo illo quidem, verum tamen nouarū studiosissimo iam agamus; qui præter eas quas ex Puteano transcribit rationes, alias quasdam adiungit, quibus aduersus Hippocratem & Galenum ostendere nititur, à purgantibus medicamentis humores non attrahi similitudine substantiæ. Si in medicamentis, inquit, naturarū conformitas attractionem facit, quæcumq. maiori vi purgabunt, ea magis familiaria censebuntur. At contra fit, nam quæ magis familiaria sunt, imbecillius purgant, & plerumque à corporibus vincuntur; quæ vero minus familiaria, vinci non possunt, & purgant vehementius. Soluitur tamē hæc ratio facillime ex iis quæ in Puteanum diximus. Non enim substantię similitudo, aut naturarū (vt ipse loquitur) conformitas purgationis caussa statuenda est, sed facultas attractrix purgantibus medicamentis insita. Quare D quæ maiori vi purgabunt medicamenta, non erunt magis familiaria, sed aut valentiore attrahendi facultate pollebunt, aut saltem erunt calidiora. Rursus inquit, si purgantia medicamenta humoribus quos purgant similia sunt, nullum inter hæc & alimenta discrimen erit, cum alimenta succis quibus nutrimur sint similia. Est tamen & hæc ratio inefficax, quoniam alimenta nullam habent cum pituita, aut vtraque bile, substantiæ similitudinem, sed forsan cum solo sanguine, omnibus corporis partibus familiari; cum quibus & alimenta totius substātiæ similitudinem dicuntur habere. At purgantia medicamenta cū pituita, aut alterutra bile similitudinem habent, & vim quoque humorum sibi familiarium attractricem. Addit tertio, si à medicamētis traherentur humores, eo ferri deberent vbi medicamenta continentur. At sæpe obseruatum est, à pilulis in ventriculo contentis (vtpote quæ vomitu integræ tandem reiectæ fuerint) effatu

Lib. 3. de simp. med. fac. c. 25.

Lib. 5. de simp. med. fac. c. 17.

B

Lib. de nat. homi. com. 29.

C

Parad. 9. dec. 2.

dignam per inferna subsequutam fuisse purgationem. Et haustæ non raro potiones paullo post euomuntur, neque propterea irrita esse solet purgatio, sed copiosa sequitur deiectio. Huc accedit, quod medicamenta aliqua vmbilico admota, per secessum purgare experiamur; quale est vnguentum illud, quod ex Alexandro refert Mesue. Ego quidem libenter concesserim, eo ferri attractos humores, vbi sunt medicamenta attrahentia; ibi tamen diutius non quiescere, cum ab irritata natura per conuenientes regiones expellantur. Vnde fit, vt medicamento manēte adhuc in ventriculo purgatio per inferna sequatur, quia attractus humor ex ventriculi fundo ad intestina depellitur. Quod si catapotiis fere integris, aut potionibus vomitu reiectis, purgatio per secessum aliquando contingat; credendum haud dubie est, aliquam medicamenti in actum iam reuocati portionem purgationi quidem initium dedisse, quæ tamen irritata semel facultate vasorum expultrice vlterius processerit. Neque vero mirari oportet, B si à medicamentis vmbilico admotis humores purgentur; vtpote qui medicamentorum vi ad ventrem attracti, ad extimam cutim transferri nequeant, cum via pateat nulla, per quam extrorsum ferantur; sed per vasorum potius quæ ad ventrem pertingunt ora, ad amplas intestinorum cauitates depellantur. Nō igitur tanti momenti erant propositæ rationes, vt quempiā cogerent à vera Hippocratis & Galeni sentētia recedere. Ioubertus vero vt nouæ opinionis auctor celebretur, purgationes substantiæ similitudine fieri negat; & purgantia medicamenta humoribus qui purgantur maxime dissimilia esse affirmat. Ita vt totius substantiæ dissimilitudine ἀντιπαθείαν efficiente, illi qui educuntur humores, à medicamento fugentur, atq. abigantur; fugati vero, à facultate vasorū expultrice (quā ipse statuit præcipuam purgationis caussam) ad eas partes propellantur, quæ suscipiendis excrementis sunt à natura dicatæ; vnde tandē aut vomitu, aut C alui deiectione excernantur. Atqui si à medicamentis fugantur humores, quomodo quæso, ad medicamenta ferūtur, neque ipsorum conspectum auersantur? Nonne feruntur quotidie ad ventriculum, in quo medicamenta purgantia proprie sic dicta dum vires suas exerunt, continentur? Nonne quæ in capite habentur excrementa, feruntur ad nares, aut ad oris cauitatem descendunt, si in hac colluantur, aut dentibus mandātur apophlegmatisma, in illas vero errhina infundantur? Quid multa? nonne & vterus per propriam ceruicem purgari solet, immissis pessis quæ purgandi vim habeant? Quamuis enim horum medicamentorum pleraque calfaciendo dumtaxat vacuationes prouocent, sunt tamen nō-

Lib.5.de simp. med.fac.c.20. nulla (si Galeno credimus) eiusdem omnino generis cū medicamentis proprie purgantibus. Quod si fugati humores vomitu aut deiectione vacuantur, quia (vt ipse fingit) ad ventriculum & intestina à vasis expelluntur; quid obstat; quo D minus per renes & vesicam expurgentur, cum expultrix vasorum facultas eo impetum facere facillime possit? Et rursus quid prohibet, quo minus humores à medicamento fugati, & in vena caua, arteriaq. magna contenti per vasa emulgentia ad renes ferri possint, & per vrinas expurgari? Aut quid fugatos humores cogit, amplissimis relictis vasis, ad angustissima iecoris vasa remeare, indeq. rursus in medicamenti conspectum venire? Illud præterea opinionis absurditatem aperte ostendit, quod molestissimæ semper essent purgationes propter contrarios medicamenti & naturæ motus; cum vi medicamenti à ventriculo & primis venis ad superna vasa humores confugiant, quos rursus vasa ad ventriculum & intestina repellant. Nullam vero esse purgantium medicamentorū cum purgandis humoribus substantię dissimilitudinem, aut contrarietatem, sed affinitatem potius, & quandam cognationem; ex propria ipsorum substantia, colore, aliis-

A re, aliisque qualitatibus certissime deprehendes. Sicuti enim magnes ferro est similis, vtpote qui ad ferri naturam prope accedat, atque in ferri metallis inueniatur: ita, exempli caussa, cnicum similitudinem cũ pituita habere ex ipsius colore coniicies. Quo pacto dictum est à Galeno, pituitosa esse quæcumque pituitam attrahunt medicamenta. Hæc qui attentius considerarit, facile intelliget, quam inconstans absurdaque sit Puteani & Iouberti opinio de purgantibus medicamentis, & quam tuta rationique & experientiæ consentanea sententia Hippocratis & Galeni. Concessa namque in purgantibus medicamentis facultate familiarium succorum attractrice, vacuationem commodissime fieri necesse est, trahente scilicet medicamento, & expellente natura noxios humores. Lib. 3. de simp. med. fac. c. 25.

Nos igitur rursus ad aliam garrulitatem conuertamur, neque enim nos sinũt B *sophistæ dignas sermone dubitationes (quanquam plurimæ sunt) aggredi; sed in soluendis iis quæ proponunt sophismatis, tempus nostrum terere cogunt. Quæ igitur est illa celebris & cantata garrulitas? Nempe de lapide illo qui ferrum attrahit, hic enim fortassis illorum animos credere subiget, attractrices conuenientium qualitatum facultates in quoque esse corpore. Ac Epicurus quidem quamuis similibus Asclepiadi elementis ad physiologiam sit vsus, tamen concedit a magnete lapide ferrum pertrahi, atque a succino festucas; tentatque eius effectus caussam reddere. Quippe atomos, siue indiuidua corpuscula, quæ a lapide, & quæ a ferro defluunt, figuris inter se conuenire dicit, ita vt facile sese* C *complectantur. Hæc igitur cum in vtraque lapidis ferrique concreta impingunt, deinde in medium resiliunt, obiter inter se connecti, ac ferrum vna trahere. Ac quod ea quidem quæ ad caussæ redditionem proponit, incredibilia sunt, liquido patet; attractum tamen plane fatetur. Atque ad eundem modum in animalium corpore tum digestionem in partes, tum excrementorum secretionem, tum medicamẽtorum effectum fieri ait. Asclepiades vero tum caussam prædictam parum probabilem suspicatus, tum vero nullam aliam probabilem facultatẽ ex iis quæ proposuit elementis inueniens, impudenter eo confugit, vt nihil ab vllo trahi dixerit. Cum debuisset potius, si neque iis quæ Epicurus asseruit erat contentus, neque alia dicere meliora potuit, suis hypothesibus renuntiare, ac naturam arti-* D *ficiosam dicere: præterea rerum substantiam tum sibi semper vnitam, tum a suis ipsius partibus mutuo inter se agentibus patientibusque alteratam. Si namque hæc sic proposuisset, nihil difficile fuisset, artificiosam illam naturam fateri facultates habere, quibus conuenientia ad se trahat, aliena a se repellat. Neque enim profecto aliud illi erat artifici esse, & animalis seruatrici, & morborum finitrici, ac decretrici, quã vt quod conueniens est appeteret, ac seruaret, & quod alienum est separaret. Verum Asclepiades hic quoque sicut consequentiam ex principiis iis quæ proposuit, non est oblitus; ita pugnantiam cum iis quæ manifeste apparent, nihil est veritus. Sed in eo omnibus refragatur, non medicis modo,*

verum

verum etiam reliquis hominibus, quod omne in morbis naturæ decretum; & decretorium item, & naturam pro animalis salute in vniuersum quidquam moliri negat; vbique quod consequens est tueri vult, quod manifeste apparet subuertere: contra plane quam Epicurus. Hic enim quod apparet semper recipiēs, caussam deinde eius frigidam reddit. Parua namque illa corpuscula quæ a magnete lapide resiliunt, cum aliis similibus ferri corpusculis complicari, deinde per eum qui scilicet nusquam apparet complexum, tam grauem substantiam attrahere, haud scio vt credi a quoquam possit. Quippe si id concedamus, certe illud, quod pendenti ferro alia si admoueas, ea quoque appenduntur, eandem caussam non recipit. Nam quid dicemus? An scilicet particularum quæ a lapide defluunt, quasdam vbi ferro occursant, resilire, atque has esse per quas ferrū pendere cōtingat; quasdam ipsum ferrum ingressas, per vacuos meatus ocyssime transire; deinde in proximum ferrum impingere, neque illud ingredi posse, tametsi prius ferrum sint ingressæ; sed rursum ad prius resilientes, alios atque alios efficere complexus prioribus similes? Hic namque manifeste vanitas caussæ proditur. Siquidem vidimus ferreos stilos quinque continenter sibi appensos, quorū primus partem lapidis tetigit, per illā scilicet diffusa in reliquos lapidis vi. Nec est quod dicas, si infimæ stili parti alterū appendas, hærere hunc & pendere; si alii cuiuis parti earum quæ a lateribus sunt admoueas, non hærere: quippe cum vndique diffundatur lapidis vis, si tantum contingat ex aliqua parte primum stilum, atq. ex hoc in totum secundum subito confluat, sicut ex illo rursus in tertium totum. Quod si exiguum mihi magnetem in domo quapiam pendere intelligas, deinde hunc vndique multa exigua ferri corpuscula tangere, atque hæc rursus alia, & illa itidem tertia, itaque vlterius procedatur; omnia profecto ferrea corpuscula iis quæ a lapide defluunt corpusculis impleri debebunt; fereque digeretur exiguus ille lapillus, dum in defluuia soluitur. Iam si nullum eum attingat ferrum, etiam in ipsum aëra dissipabitur, potissimum si is calidus est. Sane quidem inquit, nam admodum parua ea intelligi oportebit, ita vt minimorum horum corporum quæ ferūtur in aëre, eorum aliqua decies millesima pars sint. Et tam grauia ferri pondera per tam exigua suspendi, dicere audetis? Si enim singula eorū sunt tanquam vna ex decies millesimis partibus corpusculorū eorum quæ in aëre volitant; quantus quæso, censendus est finis eorum qui in vncum formatur, quo scilicet inter se complicantur? Omnino enim is minimū est totius corpusculi; deinde exiguum exiguo, motum moto complicatum, non statim resilit. Iam alia quoque quædam omnino contra ipsa, partim inferne, partim superne; partim ante, partim retro; partim a dextris, partim a sinistris erumpentia, concutiunt, turbantque, nec manere permittunt. Quinetiam intelligi oportebit, singula illorum exiguorum corporum multos vncos fines necessario habere; quippe per vnum inter se co-

A *se copulantur;per alterum vero, id est eum qui supra habetur, lapidi hærent;per eum qui infra est, ferro. Nam si superne quidem pēdeat a lapide,inferne autem cum ferro non copuletur,nihil efficitur. Quare eius quod supra habetur, superna pars pendere debet a lapide; eius vero quod infra est infernæ parti,coniungi debet ferrum. Cum vero & a lateribus inter se sint complicata,omnino hîc quoque vncos possident. Iam mihi ante omnia illius recordaberis,quemadmodum exigua cum sint, tot tantaque ex se habeant enata. Illud vero etiam magis meminisse debebis,exigua hæc ridiculaque corpuscula (si modo secundum ferrum coniungetur cum primo,& tertium cum secundo,& cum illo quartum) simul transitu-*
B *ra esse exiguos prioris stili meatus,simul a secundo stilo resultura ; tametsi cum priore is per omnia similis sit naturæ. Neque enim talis hypothesis non audacula est, sed si fatendum verum est,longe prioribus inuerecundior;vt quinque stilorum similium qui mutuo ex se deinceps pendeant, per primi exiguos meatus defluuia lapidis facile transeant, a secundo resiliāt,nec per huius meatus pari modo prompte transeant. Atque vtroque modo incommodum accidit, si namque resiliunt,quo pacto in tertium celeriter transeunt? Si autem non resiliunt,quo pacto suspenditur secundum a primo, cum ipsemet tractus caussam non aliam quam resultum faciat? Sed quod dixi,in garrulitatem necesse est incidat,quisquis cum his viris disputat. Quare breui compendio summa complexus,transire ab his vo-*
C *lo;siquis enim Asclepiadis scripta diligenter lectitet, tum consequentiam talium dogmatum a principiis positis clare agnoscet,tum vero cum iis quæ apparent pugnam. Atque Epicurus quidem apparentia tueri volens, dū ambit ea cum principiis suis consentire ostendere,inconcinna dicit. Asclepiades consequentiam ex principiis seruat, de apparentibus nihil curat. Quisquis igitur propositorum ab istis incommoda refellere studet;si cum Asclepiade disputat, pugnæ cum apparentibus eum submoneat; si cum Epicuro, eius cum principiis suis dissonantiæ. Aliæ fere sectæ,quæ scilicet similibus nituntur principiis,prorsus interciderunt; hæ solæ durant non ignobiles:quamquam Asclepiadis dogma Menodotus Empiricus ineuitabiliter refellit,tum eam quæ est cum apparentibus,tū eam quæ cum*
D *aliis a se dictis repugnantiam illi obiiciens. Rursum Epicuri placita Asclepiades, consequentiæ ipse ex principiis semper insistens,quæ illi parum fuisse curæ videtur. Atqui hodie sunt homines,qui priusquā vel has sectas,vel alias his meliores didicerint,deinde longo tempore examinauerint, ac quod in singulis earū verum sit, aut falsum,iudicauerint; alii se medicos, alii philosophos nominant, cum tamen nihil sciant. Quo vtique minus est mirum, si ab his falsa cum veris pari pretio cēsentur. Quippe quali quisque præceptori primū inciderit,talis euasit,nihil præstolatus ab alio etiam didicisse. Alii vero ex his etiamsi in plures inciderint: adeo tamen sunt hebeti & tardo ingenio, vt ne senes quidem rationis*

consequentiam etiam intelligant. Hos porro olim iam ad illiberales artes abie- A
gaui. Verum hæc quorsum euasura sint, ipsi Dii viderint.

In magnete & succino elucescit quoque maxime facultas attractrix, ab hoc
namque paleas, nisi oleo sint perfusæ, ab illo vero (nisi allio afficetur, aut adsit
adamas) ferrum attrahi compertum est. Asclepiades tamen vt sua seruet prin-
cipia, attractionem fieri negat, iis quæ euidenter apparent manifeste contradi-
cens. Asclepiade vero antiquior Epicurus ne sensibus fidem detrahat, attra-
ctionem quidem concedit, sed ineptam eius caussam assignat. Quippe ne vim
aliquam similium attractricem concedat, attractionem omnem in vniuersum
refert ad resultum, mutuumque vncarum atomorum complexum, quæ ex re at-
trahente, & re attracta, perpetuo diffluunt. Hanc itaque absurdam de caussa
attractionis Epicuri sententiam, pluribus rationibus hoc loco refellit; quas ita B
dilucide proponit, vt solam lectoris diligentiam postulare videantur.

Nos tametsi refugerimus disputare contra eos qui in ipsis statim principiis
falluntur; tamen quoniam ipsa rerum consequentia coacti sumus contra eos a-
liquid dicere, hoc quoque iis quæ dicta sunt adiectum volui: nō ea modo quæ pur-
gant medicamenta, proprias sibi qualitates attrahere, sed etiam quæ surculos
euellunt, & telorum cuspides, quæ præalte nonnumquam in carne sunt infixæ.
Iam vero quæcumq. vel serpentum venena, vel quæ telis sunt illita, educunt, hæc
quoque eandem quam magnes lapis, facultatem ostendunt. Sane ipse aliquando
noui, infixum iuuenis pedi surculum, qui hominis digitos violenter vellentis mi- C
nime sequebatur, eundem medicamento imposito celeriter, & sine offensa euul-
sum. Quamquam contra hoc quoque quidam instant, dicentes post solutam par-
ticulæ phlegmonem vltro exire surculum, quamuis a nullo alio vellatur. Verum
hi primum illud ignorare videntur, quod phlegmones medicamenta diuersa sunt
ab iis quæ sic infixa eruant: quamquam si liberatis a phlegmone particulis emit-
terentur quæ in his essent præter naturam, ea quæ phlegmonem soluunt, protinus
trahendi illa vim haberent. Deinde (quod vtique magis mirere) nec illud nouis-
se, quod non solum alia surculos, alia venenum trahendi facultatem habeāt; sed
etiam eorum quæ venena trahunt, alia venenum viperæ, alia marinæ pastinacæ,
alia alterius cuiuspiam trahant; liquidoque videre liceat super ipsis medicamen- D
tis venena iacentia. Quo loco rursus Epicuri erga rerum euidentiam vt vere-
cundiam laudare, sic caussæ rationem quam assignat, damnare licet. Quem
namque surculum nos digitis euellere nequimus, hunc exiguis illis ramentis ex-
trahi, quo pacto putare non sit absurdissimum?

Eandem vim attractricem non minus luculenter quam superiora, ostendunt
medicamenta quæ infixa euellere, & venena extrahere possunt: sunt enim am-
Lib. 5. de sim. bo ex attrahentium genere. Est autem duplex in vniuersum attrahentium me-
med. fac. c. 17. dicamentorum genus, quædam enim attrahunt calore, alia vero similitudine
substantiæ ob insitam attrahendi vim. Quæ calore trahunt, & partium tenuium
sunt,

ſunt,& proprie ſimpliciterque Græcis ἐπισπαστικά, Latinis attrahentia vocātur;
A ſiue talia ſint ex propria ſui natura, quemadmodum thapſia; ſiue calorem
ex putredine contraxerint*, vt fermentum. Quæ vero attrahunt ſimilitu-
dine ſubſtantiæ, multiplicia ſunt; nam & purgantia proprie dicta (de qui-
bus antea diximus)& quæ infixa euellunt, & quæ venena educunt (de quibus
nunc agit)huius ſunt generis.Quamquam illa ex accidenti tantū ſurculos euel-
lere nonnulli crediderint, quod ſcilicet phlegmonē ex infixis ortam ſoluant;
caro vero quę fuerat in tumorem ſublata,ſoluta phlegmone in ſeipſam cōcidat.
Quare quæ infixa ſunt à medicamentis attrahi negant; ſed ea ſoluta phlegmo-
ne vltro exire contendunt. Horum ſententiam optime nunc Galenus ex eo re-
fellit,quod quæcumque phlegmonem ſoluūt, eadem quoque & ſurculos euel-
lerent;quod eſt manifeſte falſum.Ioubertus tamen neque trahi ab his medicā- Par. 1.
B mentis ſurculos,neque ſponte exire ſentit; ſed à natura foras propelli incipiē-
te ſcilicet carnis generatione,vlcereque ab his medicamentis ſiccato. Atqui ſi
res ita haberet,quæcumque vlcus ſiccare poſſunt medicamenta,eadem quoque
euellendi ſurculos vim obtinerent;quod eſt abſurdum.Non igitur ſoluta ab his
medicamentis phlegmone,quæ infixa ſunt ſponte ſequuntur; neque ſiccato ab
iiſdem vlcere, à facultate expultrice foras propelluntur;ſed vt recte Galenus
ſentit,ab impoſitis medicamentis attrahuntur. Quam enim,quæſo, aliam vali-
dæ horum medicamentorum actionis cauſſam inuenias, quæ non ſolum infixos
aculeos,ſed & telorum etiam cuſpides, quas digitis euellere nequeas, facile
ac ſine offenſa extrahunt?Huius autem generis ſunt anagallis, ariſtolochia ro-
tunda,calami pragmitis radix,& alia ſimilia.Porro quæ medicamenta partibus
admota venenum educunt,licet calore ſubtilium partium attrahere poſſint,at-
C trahunt interdum totius ſubſtantiæ ſimilitudine venenum ſibi familiare. Siqui-
dem ſcorpio tritus,& parti à ſe demorſæ impoſitus;& mus araneus ſimiliter cō-
tuſus;& vipera attrita & impoſita, proprium virus extrahere creduntur. Quo-
niam vero huiuſmodi medicamenta venenis medentur,cōmuni alexiteriorum, Lib. 5. de ſim.
ſiue alexipharmacorum nomine continētur. Alexipharmaca namque partim med. fac. c. 3.
alterant,corrumpuntque noxia venena; partim euacuant:vtrumque autē præ-
ſtare poſſunt vel qualitate manifeſta, vel tota ſubſtantia.

*Numquid iam nobis perſuaſum eſt,rebus quibuſque vim quādam ineſſe, qua
conuenientem ſibi qualitatem attrahant; atque hanc huic magis ineſſe,huic mi-
nus? An tritici quoque exemplum legentibus proponemus? Videbuntur enim a-
gricolis quoque in rebus naturalibus rudiores, ii qui nihil vſquam trahi ab vllo
cōcedunt. Quippe ipſe cum primum rem geſtam audirem, admiratus ſum,volui-*
D *que ipſe rem oculorum fide experiri. Vbi experimentum reſpondit, cum cauſſam
requirerem longo tempore per omnes ſectas, nullā aliam inuenire potui, quæ vel
probabilitatem aliquam præ ſe ferret, immo omnes plane ridiculas & improba-
tas, præter eam quæ trahendi facultatem proponit. Res autem quæ geſta eſt,
erat eiuſmodi. Agricolæ noſtri in Aſia cum triticum ex agro in oppidum in carris
comportant; vbi ſuffurari aliquid volunt,nec tamē deprehendi; fictilia quædam
aqua impleta in medium triticum condunt. Id ergo humorem in ſe per fictilia
trahens,tum molem ſibi, tum pondus adiicit;quod tamen non facile ab intuenti-
bus*

bus aduertitur, nisi quis ante admonitus curiosius rem æstimat. Quamquã sane A
si in sole præcalido vas idem deponere velis; quamminimum erit quod diebus singulis absumptum cernes: adeo etiam quam vehemens calor solis, triticum trahendi ad se vicini humoris maiorem vim habet. Ergo nugæ meræ fuerint, siquis hoc loco abitionem in aëris circundati nobis tenuitatem, caussam rei putet; potissimumque vbi is admodum incaluit. Quippe qui tametsi quam triticum multo est tenuior, ne decimam quidem partem accipit humoris, qui in illud est absumptus.

Tritici tandem exemplo facultatem attractricem demonstrat, hoc namque ad se aquam attrahere certum est. Quod recte confirmat historia latrunculorũ, qui fictilia vasa aqua plena in tritici aceruum reponentes, triticum summa cum industria furari solent; furto non facile deprehenso, quod ab humore imbibito & moles, & pondus tritico adiiciatur. Cuius sane euentus nulla alia præter at- B
tractionem probabilis caussa reddi potest. Neque enim constare posset, quod diceret fortasse quispiam, inaniri scilicet fictilia, non quod à tritico trahatur aqua, sed quod à solis calore in halitus dissoluatur. Nam si feruentissimo soli eadem vasa fuerint exposita, minimum erit quod absumetur; ita vt ne decimam quidem partem attingat eius quod absumitur à tritico. Idem quoque & nos ex mole & pondere quod triticum inde contrahit, confirmare possumus; quemadmodum etiam ex eo, quod si noctu, aut etiam interdiu in vmbra eiusmodi fictilia in tritici aceruum recondantur, sensim quoque absumpto humore inaniri obseruemus. Forsan tamen Iouberti ratio cuipiam placuerit, qui quidem humorem inania vasorum spatia permeãtem, siccitatis ratione à tritico excipi affirmat, attrahi tamen negat. Atqui tantam hoc pacto aquam triticum dumtaxat C
ebiberet, quanta ex fictilium lateribus sponte resudaret: at quæ à tritico absumitur, ea quæ exsudat copiosior esse solet. Maiorem præterea aquæ copiam quę tritico ficciora sunt & rariora, necessario absumerent: quod tamen experientiæ aduersatur. Quæ cum ita sint, liquido patet, tritico non secus ac alexipharmacis venenum educentibus, medicamentis infixa euellentibus, succino, magneti, purgantibusque pharmacis, insitam esse vim similium attractricem.

Annot. in c. 14. lib. 1. de fac. nat.

CAP. XIIII.

ERVM cum abunde garrulati sumus, neque id nostra sponte, sed iuxta prouerbium cum insanis insanire coacti; rursum ad vrinæ secretionem reuertamur. Vbi Asclepiadis nugas dissimulemus, D
ac cum iis quibus percolari vrinam per renes persuasum est, quisnam eius sit operis modus, considerationem ineamus. Prorsus enim aut per seipsam fertur ad renes vrina, id scilicet melius rata, non aliter quam nos cũ ad forum abimus; aut si hoc fieri non potest, alia quæpiam ferendæ eius inuenienda est caussa. Quænam igitur est ea? nisi enim sicut Hippocrates censuit, renibus eiusmodi qualitatis trahendæ vim quandam dederis, nullam aliam inuenies. Quod namque vel hos eam trahere oporteat, vel venas eam mittere, si scilicet non per se feratur, cuique patet. Verum si venæ contractæ circumplexæque eam protrudunt, vtique non illam modo, sed etiam omnem qui in ipsis continetur

sangui-

A *sanguine, simul cum ea in renes compellent. Quod si id fieri non potest sicut monstrabimus, reliquum est vt renes trahant. At cur non potest id fieri? nempe quia renum situs ei rei repugnat. Non enim sic cauæ subiecti sunt venæ, quemadmodum cerebri excrementis meatus in naso & palato, ipsis colatoriis similes, sunt subditi; sed vtrinq. illi sunt annexi. Iã si ad eũ quem colatoria modum, quidquid tenuius planeque serosum est, id prompte transmittunt, quod crassum est, id retinent; vtique omnem sanguinem qui in caua est vena, conueniet in eos meare: ita vtique sicut in vimineum quod torculari subiicitur, totum coniicitur vinum. Iam conglaciati lactis exemplum, id quod paro dicere, clare indicat. Quippe id totum cum est in quallos coniectum, non totum percolatur; sed quantum eius est quam*

B *amplitudo meatuum qualli tenuius, id pronum transfluit, ac serum vocatur; reliquum quod crassum est, & caseus fiet, cum non transmittant qualli meatus, deorsum non fertur. Ergo si ad eum modum percolandum per renes est sanguinis serum, vtique totum sanguinem ad eos peruenire oportebit; ac non partem eius sane, partem non. At quomodo igitur se habet quod ex dissectionibus apparet? Nempe venæ cauæ pars altera sursum ad cor ascendit; reliqua super spinam incedit, per totam eam ad crura vsque porrecta. Itaque altera eius pars ne prope quidem renes accedit; altera prope quidem accedit, non tamen in*

C *ipsos inseritur. Oportebat vero, siquidem per renes ceu colatoria expurgandus erat, vt totus in eos sanguis ferretur; deinde deorsum quidem transiret quod tenue est; supra detineretur quod crassum est. Nunc aliter res habet, quippe cauæ venæ renes a lateribus vtrinque adhærent. Minime igitur illa mittente colatorii more percolant, nullam scilicet ipsi opem conferentes; sed trahunt videlicet, hoc enim superest. Quanam igitur ratione trahunt? Si quemadmodum Epicurus omnem tractum obiri autumat, per resilientes amplectentesque atomos, satius reuera sit, ne trahere quidem eos omnino dicere: cum si sic trahant, longe magis ridicula futura sit ratio si examinata sit, quã quæ paullo supra de magnete est memorata. Non igitur sic trahunt, immo quemadmodum Hippocrates voluit. Dicetur autem id clarius in disputationis*

D *progressu; nunc enim id docere non institui, sed illud potius, quod nec aliam separationis vrinæ (cum a renum tractu discesseris) caussam assignare licet; nec tamen tractum ita fieri quemadmodum hi putant, qui nullam naturæ propriam facultatem concedunt. Quippe hoc concesso, quod in iis quæ natura gubernãtur, omnino quædam tractrix facultas sit; meras nugas dixerit, quisquis de digestione in corpus aliud dicere conatur.*

Demõstrata in rebus externis vi attractrice, ad vrinæ secretionẽ (de qua sermo instituturus fuerat) reuertitur, eamq. à facultate renũ attractrice fieri, probat nunc tandẽ hac ratione. Quidquid loco mouetur, aut à seipso, aut ab alio mo-

uetur; atqui vrina dũ fertur ad renes, loco mouetur; ergo aut à seipsa mouetur, aut ab alio. A se quidẽ vrina moueri nõ potest, quia neq. volũtarie, neq. ob insitã grauitatẽ ferri potest ad renes: ergo ab alio mouetur. Rursus quidquid ab alio mouetur, aut pellitur, aut attrahitur; vrina autẽ ab alio ad renes pelli nõ potest; ergo necessario attrahitur. Propositio certissima est, assũptio vero probatione indiget, quia dicere posset quispiam, vrinam à venis compressis propulsam ferri ad renes, ceu colatoria quædam, serosis excrementis suscipiendis percolandisq. à natura præparata. Probat itaq. primũ ex situ renũ, vrinam ad renes mitti non posse venarũ compressione; quia renes venæ cauæ subiecti non sunt, sed sunt illi vtrinq. annexi. Oportuisset vero subiectos esse, quo facilius possent serosum excrementũ à caua propulsum suscipere; non secus ac nasi & palati meatus cerebro (cuius excrementa suscipiunt) subiiciuntur. Præterea si in renibus ita percolatur vrina, vt quod in sanguine tenuius est per renũ sinus transmittatur, retineatur autem quod est crassius; totum sanguinẽ qui in caua continetur, ad renes transmitti oporteret, Quemadmodum etiam in viminecum quod torculari subiicitur, totum vinũ conicitur; & totũ lac in quallos, vt percolatum serum à caseo separetur. Atqui non totũ sanguinem ad renes ferri venæ cauæ distributio apertissime monstrat. Hæc namque ex iecoris gibba ortum habens, in duos insignes diuiditur ramos, quorum alter sursum ad cor protenditur; alter super spinam incedens deorsum fertur, ex quo venæ emulgentes quæ inserũtur in renes, ortum habent. Vnde patet, eum dumtaxat sanguinẽ ad renes peruenire posse, qui in inferiori cauæ ramo continetur; immo neq. hunc totum, sed quantum emulgentes venæ capere possunt. Cum igitur ex his efficiatur, venarum compressione vrinam ad renes nequaquam propelli, concedendum necessario est, à renibus trahi. Porro huius attractionis caussa aut est vncarũ atomorum complexus cum Epicuro; aut consequutio ad id quod vacuatur, vt visus est sentire Erasistratus; aut attractrix quædam facultas renibus insita. Epicuri opinionem de atomorum complexu superiori capite refutauit; Erasistrati vero de consequutione ad id quod vacuatur sententiam capite sequenti refellet; reliquum igitur est, vt eius attractionis caussam attractricem facultatem cum Hippocrate statuamus.

CAP. XV.

PORRO Erasistratus nescio quomodo contra alias quasdam opiniones quæ a publica consuetudine sunt alienæ, longa oratione disseruit, Hippocraticã vero omnino sic præteriit, vt ne vel sola mentione dignam putaret. Quod tamen fecit in iis quæ de transglutiẽdo prodidit, in his enim hactenus meminit, vt vocabulum tractionis dumtaxat nominaret, ad hunc modum scribens, Tractio ventriculi nulla esse videtur. De digestione vero verba faciens, ne vel syllaba tenus Hippocraticæ opinionis meminit. Quamquam si vel hoc tantum scripsisset, quod Hippocrates dum dixit, Carnes e ventre introrsus, extrorsusque tractrices sunt, fallitur; neque enim ex ventriculo, neq. introrsus, neq. extrorsus trahere queunt: vtique nobis satisfecisset. Si vero & quod illud male dixit, cum oris vteri imbecillitatem culpans, inquit, Non enim valet eius os semen attrahere; aut si aliud eiusmodi scribere Erasistratus dignum

A *dignum censuisset; tum certe & nos illi respondentes diceremus, Quid ita nos rhetorice sine demonstratione, ô Erasistrate, transcurris? Dic aliquod dogmatis vicium, quo vel tibi veterem opinionem iure refellenti credamus; vel te hãc minime intelligentem ab errore reuocemus. Quamquã quid rhetorice dixi? non enim cum rhetorum aliqui quæ maxime soluere non valent, his risu elusis ne contradicere quidem tentãt, hoc nos iam rhetorice dicere esse putamus. Quippe probabili quapiam ratione agere, id est rhetorice quid moliri; sine ratione autẽ, scurrile, haud quaquam rhetoricum. Neque igitur rhetorice, neque dialectice Erasistratus vbi ipse de transglutiendo egit, Hippocratem refutauit. Quid igitur ait, Nullus igitur ventriculi tractus videtur esse. Inuicem igitur a nobis eandem rationẽ testium loco audiat,*

B *Contractio igitur stomachi nulla videtur esse. At quomodo non videtur, dicet fortasse sectatorum eius quispiam? Cum namque supernis eius partibus contractis, laxẽtur semper eius partes infernæ, quomodo non est contractionis indicium? Rursum igitur nos & quomodo, inquiemus, non apparet ventriculi tractus? Quod enim infernis eius partibus laxatis, supernæ contrahuntur, quomodo non est tractus indicium? Quod si aliquando resipiscat, atque euidentem hanc apparentiam intelligat nihilo magis alterius opinionum quam alterius esse argumentum, sed ambarum commune; ita iam ostendemus illi rectam inueniendæ veritatis viam. Ceterum de ventriculo mox. Sane nutrimenti digestio consequutionẽ*

C *ad id quod vacuatur nihil desiderat, modo cõcessa semel sit tractrix facultas in renibus: quã tametsi reuera esse, liquido cõstat Erasistratũ non ignorasse, nec meminit tamen eius; nec contra eam dixit; nec omnino indicauit quã haberet de vrinæ secretione sententiã. Alioqui, quid ita cũ statim in initio sermonum vniuersaliũ prædixisset, de naturalibus scilicet functionibus se dictururũ, primũ quænã hæ sint; quemadmodũq. fiãt; & quibus locis: de vrinæ quidẽ separatione, quod ea per renes fieret, affirmauit; quemadmodũ autem fiat, omisit. Frustra itaq. nos tum de concoctione docuit quemadmodũ fiat, tũ de biliosi excrementi secretione tẽpus nostrum conterit: satis enim fuisset, hic quoque partes per quas fiat, dicere; quemadmodum autem fiat, omittere.*

D *Verum potuit de illis non solum per quæ instrumenta, sed etiam ad quem modum fiant, dicere; æque reor ac de nutrimenti digestione. Non enim id modo dicere satis habuit, quod ea per venas fiat, sed etiam qua ratione fiat narrauit, nempe consequutione ad id quod vacuatur. De vrinæ vero separatione, quod vtique per renes fiat, id quidem scribit, qua vero ratione non docet: neque enim arbitror dicere licuit, ea quæ est ad id quod vacuatur consequutione. Quippe eo pacto nemo vnquam ex retinenda vrina (quam ἰσχουρίαν Græci vocant) moreretur; nequeunte scilicet vnquam maiore copia influere, quam esset vacuatum. Si enim præter vnam ad id quod vacuatur consequentiam, quæ continuitatem confluxus mode-*

retur, alia nulla caussa sit adiecta; numquam fiet vt plus confluat quam sit vacuatum. Sed nec aliam vllam probabilem adiicere caussam potuit, sicuti in nutrimenti digestione adiecit expressionem ventriculi. Verum ea caussa in sanguine qui in caua continetur, apparet vana; non distantiæ modo longitudine remissa, sed etiam quod cor ipsum quod illi superiacet, quotiescumque dilatatur vehementer, ex ea non parum sanguinis rapiat. Ergo sola, & omni commentorum ope destituta relinquitur in partibus venæ cauæ inferioribus ad id quod vacuatur consequutio; amissa scilicet eius probabilitate, tum propter eos qui ex retinenda vrina intereunt; tum nihilominus propter renum situm. Si namque omnis ad eos ferretur sanguis, merito quis omnem eum purgari diceret. Nunc vero cum non totus ad eos feratur, sed tanta eius portio, quantam eæ venæ recipiunt quæ ad renes pertingunt; is solus expurgabitur, ac quod serosum eius & tenue est, id per renes, ceu per colatoria quædam, transibit; quod sanguineum & crassum est, in venis remanens, impedimento erit ei quod a tergo confluit. Quare recurrat is prius ad cauam venam est necesse, atque ita vacuæ fiant venæ quæ ad renes tendunt; quæ secundo etiam non adferent ad cor impurum sanguinem, quippe occupante eas priore, aditus nullus relinquitur. Quænam igitur nobis vis erit, quæ retro a renibus purum sanguinem abducet? Quæ rursus facultas exceptum hunc ad infernam cauæ partem descendere iubebit? Quæ alteri qui superne aduenit, priusquam ad renes abeat, ne deorsum feratur imperabit? Hæc igitur omnia cum Erasistratus videret dubitationum plena, atque vnam solam quæ in omnibus satisfaceret opinionem inueniret, eam nimirum quæ tractum profitetur; nec dubitare volens, nec ea dicere quæ ab Hippocrate sunt dicta, satius esse duxit, de modo secretionis sibi dissimulandum esse. Ceterum si ille dissimulauit, at nos minime dissimulabimus: scimus enim fieri non posse, vt qui Hippocratis opinionem præterit, deinde aliud quidpiam de renum actione dicit, non omnino sit ridendus. Itaque Erasistratus quidem dissimulauit, Asclepiades mentitus est; haud aliter profecto quam serui, qui priore vita garruli, sæpe multa crimina sua insigni versutia declinarunt; tandem in furto ipso deprehensi, omnique excusatione destituti, alter eorum cui plus est verecundiæ, velut attonitus tacet, alter cui impudentiæ plus est, sub pallio quod quæritur condit, iuratque se numquam id vidisse. Sic namque Asclepiades versutiæ commentis destitutus, nec illud de abitione in tenuem aërem garrire hoc loco habens, sed nec quod a renibus ipsis gignatur id excrementum, quemadmodum a meatibus in iecinore ipsa bilis; (cum fieri non posset, si hæc diceret, vt non maximum deberet ludibrium) & iurat, & mentitur aperte, negans vrinam ad renes venire, sed halitus vice statim ex cauæ venæ partibus in vesicam colligi. Atque hi quidem attoniti seruorum ritu qui in ipso furto sunt deprehensi, alter eorum silet, alter impudenter mentitur.

Disputa-

A Disputaturus cum Erasistrato de secretione vrinæ, duplici nomine ipsum re-
prehendit. Primum quidem, quia cum in sermonibus suis vniuersalibus agens
ex instituto de naturæ actionibus, absurdas aliorum sententias refutasset; sentē-
tiæ Hippocraticæ quæ vim attractricem plurium naturæ actionum caussam sta-
tuit, ne meminerit quidem: quasi eam ne mentione quidem dignam esse exi-
stimaret. Immo vix mentionem fecisse videtur nominis attractionis, quo tamen
vtcumque vsus est agens de nutrimenti deglutitione; affirmans scilicet legisla-
toris ritu, nullam esse in deglutitione ventriculi tractionem. Porro quod attra-
ctionem concesserit Hippocrates, ex duobus locis confirmat, quorum alter le-
gitur lib. 6. epid. part. 6. sent. 1. vbi ita scribit, Carnes ex ventre attractrices, &
extrinsecus; alter vero legitur lib. de aëre, aquis, & locis, c. 10. & lib. de morb.
muli. vbi culpans vteri imbecillitatem, inquit, Non enim valet ipsius os semen
B attrahere. Reprehendit secundo Erasistratum, quod quæ pollicitus fuerat ne-
quaquam præstiterit. Cum enim pollicitus fuisset, se explicaturum, quot quales-
que essent naturæ functiones, à quibus instrumentis fierent, & qua ratione harū
singulæ exercerentur; id quidē in plerisq. naturæ actionibus, veluti in deglu-
titione, nutrimenti concoctione, eiusdem in vniuersum corpus digestione, &
bilis secretione, optime præstitit; in vrinæ autem secretione nequaquam. De ea
namque id tantū docuit quod in renibus fiat, caussam vero a qua fit, prorsus dis-
simulauit. Quid autem de reliquis naturæ actionibus senserit Erasistratus, libris
sequentibus explicabitur; ex quibus etiam intelligentur facilius, quæ de trans-
glutitione & nutrimenti distributione aduersus eum hoc loco scripta sunt. Nūc
vero de sola vrinæ secretione agendū, cuius caussam male Erasistratus reticuit.
Sed quoniam fortasse à quibus caussis nutrimenti distributionem fieri voluit,
C ab iisdem & vrinæ secretionem fieri opinatus est; propterea firmissimis ratio-
nibus nunc probat, neque consequutione ad id quod vacuatur, neque venarum
compressione vrinæ secretionem fieri posse. Si namque fieret consequutione
ad id quod vacuatur, nemo vnquā ex ἰσχουρίᾳ, id est vrinæ suppressione, mo-
reretur; cum ex sanguine nihil posset ad renes ferri, priusquam quod in eis an-
tea erat, excerneretur; neque enim fieri potest, vt plus cōfluat quam sit vacua-
tum. Porro quod venarum compressione fieri nequeat vrinæ secretio, tribus
rationibus confirmat. Duas quidem priores superiori capite iam explicauimus,
quarum altera desumpta est ex situ renum, qui venæ cauæ subiecti non sunt, sed
ad latera positi; altera vero ex distributione venæ cauæ, quæ aperte ostendit,
non posse vniuersum sanguinem ad renes ferri. Sed & tertia ratio quam nunc
adiungit, ex abundanti probat, neque sanguinem eum qui in vasis emulgenti-
D bus continetur, recte à sero expurgari posse, si venarum compressione fertur
ad renes. Nam postquam eiusmodi sanguis semel fuerit expurgatus, sero scili-
cet per renes, ceu colatoria quædā, transfuso; id quod in sanguine crassius fue-
rit, in vasis emulgentibus necessario remanebit; idque impedimento erit, quo
minus qui à tergo confluit sanguis apte expurgari possit, nisi illud prius ad cauā
venam recurrat. Vnde fiet, vt qui vim attractricem negant, plures alias faculta-
tes cogantur concedere; vnam, quæ expurgatum iam sanguinem ad venā ca-
uam ex renibus retrahat; alteram, quæ ad infernam venæ cauæ partem sangui-
nem hunc descendere iubeat; & tandem tertiam, quæ sanguini ad partem venæ
cauæ supernam peruenienti, priusquam ad renes abeat, ne deorsum feratur im-
peret. Quæ sane cum absurdissima sint, non posse vrinam venarum cōpressione
secerni, aperte ostendunt.

CAP. XVI.

IVNIORVM vero quicumque ſcilicet nominibus horum ſe A
venditant, Eraſiſtratios & Aſclepiadios ſe appellātes; hi nō ſecus
ac inducti in comœdiis ab optimo Menandro ſerui, Daci quidam
Getæque, qui nullum operæpretiū ſe feciſſe putāt, niſi ter herū fe-
fellerint; ſic per multū otiū impudentia meditati ſunt cōmenta: alii, quo Aſclepia
des nuſquā arguatur mentitus, alii, quo male enuntient quæ Eraſiſtratus probe
tacuit. Sed de Aſclepiadis ſectatoribus ſatis. Eraſiſtratii vero conantes dicere
quemadmodū renes vrinā percolent; omnia faciunt, omnia patiūtur, omnimodiq.
fiunt, dum cauſſam aliquā probabilem quæritant, quæ tractū non deſideret. Er-
go qui ab Eraſiſtrati ætate non procul fuere, partes quæ ſupra renes ſunt, pu-
rum accipere ſanguinē aiunt; aquoſum vero eo quod graue ſit, degrauare, ac peſ- B
ſum fluere; hîc autem in renibus percolatum (vbi redditus eſt vtilis) iis quæ infra
renes ſunt partibus mitti. Et ad tempus quidem placebat hæc opinio, & florebat,
veraque exiſtimata eſt; procedente autem tempore ipſis quoq. Eraſiſtratiis ſu-
ſpecta eſt viſa, demumq. ab ea deſciuerunt. Siquidem duo hæc quæ nec vlli ſunt
conceſſa, nec demonſtrari poſſunt, poſtulare videbantur. Vnū, quod grauitas ſe-
roſi humoris primū in caua facta ſit vena; ceu vero ab initio non fuerit, quando
a vētriculo in iecur ferebatur. Cur igitur non ſtatim in illis locis infra defluxit?
Quomodo autē rationabiliter ab aliquo dici poſſe videbitur, aquoſum humorem C
ad nutrimenti in corpus digeſtionē conferre, ſi modo ita eſt grauis? Alterū abſur-
dū eſt, quod licet totus deorſum ferri cōcedatur, nec adhuc eſſe in alio loco quam
caua vena; difficile dictu eſt, niſi potius eiuſmodi quod dici non poſſit, quemad-
modum futurum ſit, vt in renes decidat. Cū nec in infernis venæ partibus hi ſint
poſiti, ſed a lateribus; nec inſerta in eos caua ſit, ſed ſolum proceſſum quendam
in vtrumque emittat, quemadmodum in alias omnes partes.

Secretionis vrinæ cauſſam male ab Eraſiſtrato prætermiſſam, addere tenta-
tarunt ipſius ſectatores, in quos agit hoc vltimo capite. Triplex autem fuit ſe-
ctatorū Eraſiſtrati de vrinæ ſecretione opinio. Prima quidē omnium antiquiſſi-
ma, ab hiſq. inuenta qui non longe ab Eraſiſtrati ætate fuerunt, partes quæ ſunt
ſupra renes, purū ſanguinē accipere ſtatuit: quia quidquid ſanguinis ſeroſum eſt D
atq. aquoſum, ob inſitā grauitatē fertur ad renes, vbi ſanguis percolato ſero vti-
lis redditus, ad partes quæ infra renes ſunt, mittitur. Hāc opinionē tribus ratio-
nibus refellit. Inprimis enim ſi ſeroſus humor ob inſitā grauitatem è vena caua
deorſū fertur ad renes; debuiſſet multo antea deorſū ferri, quādo ſcilicet à ven-
triculo ferebatur ad iecur. Habebat enim tūc tēporis eandē grauitatē, aut cōce-
dendū eſſet eā ſibi in vena caua cōparaſſe; quod eſt abſurdū. Cū itaq. ob grauita
tē à vētriculo ad inteſtina minime defluxerit, neq. etiā à vena caua deorſum ob
grauitatē feretur ad renes. Deinde ſi ſeroſus humor reliquo nutrimēto grauior
eſſet, nō poſſet eſſe nutrimēti vehiculū. Atqui vehiculū eſt chyli, qui ex vētricu
lo & inteſtinis per venas meſaraicas diſtribuitur ad iecur. Vehiculum itidem
ſanguinis eſt, qui ex anguſtiſſimis iecoris vaſis in vniuerſum corpus digeritur.

Poſtremo

A Postremo si ob insitam grauitatem ad renes serum descenderet, renes venæ cauæ subiici, & hanc in renes inseri oportuisset: quorum vtrumque est falsum. Adiacent enim renes venæ cauæ vtrinque, neque in renes caua inseritur, sed vasa dumtaxat emulgentia.

Quænam igitur huic cum damnata est, successit opinio? Sane vt mihi videtur, multo stolidior priore; viguit tamen aliquando & ipsa. Aiunt enim, si effundatur in terrā oleum aquæ mixtum, diuersa vtrumque via iturum, fluxurumq. hāc ista, illud altera. Minime igitur mirum esse, si aquosus humor in renes fluat, sanguineus per cauam deorsum feratur. Ergo damnata quoque & hæc opinio B *est. Cur enim cum ex caua innumeræ oriantur venæ, in reliquas quidem omnes sanguis, humor autem serosus in eas quæ ad renes tendunt, conuertitur? Hoc scilicet ipsum quod in quæstione est, non dixerunt; sed vbi rem factam narrarunt, putant se caussam reddidisse.*

Superiori opinioni ab eiusdem Erasistrati sectatoribus explosæ, altera quędam absurdior multo, multoque ineptior successit. Affirmarunt namque alii, mirum non esse, si serosus humor solus feratur ad renes, sanguis vero per venam cauam permeet; cum id ipsum rebus etiam externis accidere experiamur. Nam si oleum aquæ mistum in terram effundatur, hac oleum, illac vero aqua fluere conspicietur. Hanc opinionem reprehendit, quoniam ipsius auctores rei tantum euentum enarrant, euentus autem caussam (de qua dubitatur) nullam red- C dunt. Nam quod vrina feratur ad renes, omnes quidem concedimus; quomodo autem feratur, inquirimus. Atqui satis non erat rem similitudine explicasse, aut diuersam sanguinis & seri naturam (vt aquæ & olei) secretionis caussam statuisse: adhuc enim ipsis explicandū erat, cur cum ex caua quā plurimæ oriantur venæ, ad solas emulgentes serum, ad reliquas omnes sanguis conuertatur.

Rursus igitur (tertium Seruatori) omnium pessimam iam dicamus, & quæ a Lyco Macedone inuenta est: viguit autem propter nouitatis gratiam. Ergo Lycus hic, veluti oraculum quoddam ex adyto loquens, renum nutritionis excrementum esse vrinam inquit. At quod totum id quod bibimus vrina sit, nisi quid cum aluo exiit, aut in sudorem, aut per inuisibilem perspiratum abiit, osten- D *dit plane eius quod quotidie meiimus copia. Hyeme autem maxime id intelligere licet in iis qui in otio degunt, & vino ampliter indulgent; potissimum si vinum tenue ac penetrabile sit: meiūt enim hi celeriter, tantū paullo minus quantū bibūt. Quod vero & Erasistratus idē sensit, facile intelligunt qui primū eius vniuersaliū præceptorum librū perlegunt. Quare quod Lycus ait, nec videtur verū, nec Erasistrati opinioni consentiens. Albo igitur iuxta prouerbiū coruo est similis, qui nec cum coruis versari potest propter colorem, nec cum columbis propter magnitudinem. Verum non idcirco est prætereundus, fortasse enim dicit mirum aliquid, quod nec maiorum quisquam nouit. Ergo quod omnes quæ nutriuntur particulæ, excrementum aliquod creent, vtique non negamus.*

Quod autem soli renes tantilla corpora, quattuor interim totos, vel etiam plures habeant excrementi congios; id nec confessum est, nec rationi consentiens. Quippe cuiusque maiorum quam renes sunt viscerum, plus esse excrementi est necesse. Verbi gratia pulmonum (si modo visceris magnitudini ad portionem respondebit) sane multiplex erit respectu eius quod in renibus fit. Quare totum quidem pectus implebitur, animal autem illico extinguetur. Quod si etiam æquale quis dicat in singulis aliarum partium gigni excrementum, per quas quæso vesicas excernitur? Si namque renes in his qui vino prolixe indulgent, tres interim, quattuorve excrementi congios faciunt; certe aliorum viscerum multo plures erunt; dolioque maximo opus erit, quod omnium excremēta capiat. Quamquam sæpenumero quantum potauit quis, totum id paullo minus minxit, tāquam quod bibitur id totum ad renes feratur. Apparet igitur tertius eorum qui nobis imponere pararunt, minime quod vult efficere, sed statim deprehendi; ac quod in dubio inter initia fuit, id tum Erasistrato, tum ceteris omnibus, cum ab Hippocrate discesseris, adhuc in dubio manere. Longius hoc loco mea sponte sum moratus, certo sciens, neminem esse alium, qui de renum opere quidquam habeat quod dicat; sed vel coquis necessario imperitiores esse, qui per renes colari vrinam non fatentur, & qui fatentur, nullam posse aliam secretionis caussam præter tractum reddere. At vero si vrinarum motus ad consequutionem quæ est ad id quod vacuatur non agitur; clarum est, quod nec sanguinis, nec bilis; aut si illarum, etiam huius; omnia enim ipso quoque Erasistrato auctore, necesse est eodem modo ferri. Sane dicetur de illis fusius sequenti libro.

Viguit tandē tertia quædā opinio, cuius auctor fuit Lycus Macedo, Quinti discipulus, aduersus quē exstat Galeni liber ita inscriptus, Quod nihil ab Hippocrate peccatum sit in eo aphorismo, Qui crescunt plurimum habent calidi innati. Voluit autem Lycus, vrinam esse excremētum nutritionis renum; quam sententiam refutat Galenus duabus rationibus. Prior ratio hæc est, vrinæ materia est id potissimum quod bibimus, ergo vrina non est excrementum nutritionis renum. Antecedens confirmat, quia eius quod mingimus quotidie copia, proportione respondet ei quod quotidie bibimus; nisi quid cum alui excrementis prodeat, aut per sudorem, vel insensilem transpiratum abeat. Atque id ita accidere experimur, potissimum hyeme, in qua cum ob cutis constipationem nulli sudores profluāt, copiosior vrina reddi solet; quemadmodum etiam in his qui in otio degunt, in quibus neque per sudores, neq. per insensilem transpiratum, serosi humoris aliquid quod effatu dignum sit, excernitur. Porro in his qui vino indulgent, quod mingitur copiosum quoque esse solet; præsertim si vinum tenue fuerit, quod ad ciendam vrinam est idoneum. Altera ratio est, si renes (qui ad maiora viscera, veluti lienem, pulmonem, & iecur collati, exiguæ partes sunt) tantam excrementi copiam, quantam quotidie per vrinam reddimus, colligerent; multo profecto maiorem in his partibus colligi oporteret, quæ renibus sunt maiores. Quare si ad excipiendum renum excrementum vesica satis ampla creata est à natura; plures sanæ vesicæ, vel dolium fortasse aliquod

A quod ad recipienda reliquarum partium internarum excrementa esset necessarium. Alioqui plura sane ex tanta collecti excrementi copia passim sequerentur incommoda; veluti ab excrementis pulmonis totius pectoris repletio, & subita strangulatio. Ioubertus tamen (cui familiare est explosas veterum sententias suscitare) hanc Lyci sententiam probat, hancque Galeni rationem ita dissoluit. Quamuis inquit, renes, aliis partibus minores sint, maiorem tamen serosi excrementi copiam ex propria nutritione relinquunt; quoniam cum seroso sanguine delectentur, cui non multum inest eius quod nutrire valet; plurimum eius sanguinis trahere coguntur, vt côuenientiorem ex eo portionem eligant, sibique assimilent. Quod itidem vẽtriculo accidere ait, ex cuius nutritione copiosum excrementum relinquitur, totus scilicet qui superest chylus. Verum non animaduertit Ioubertus diuersam multũ esse renum & vẽtriculi rationem. Annot. in cap. vlt. lib. 1 de fac. nat. & parad. 6. dec. 2.

B Ventriculus enim concoctionis organum est, cômunem toti corpori vsum præbens; qui quamuis sibi soli nutrimenta côcoquat, nulla habita aliarum partium ratione; optimo tamen naturæ consilio factum est, vt multo plus concoquat quam sit sibi nutriẽdo necessarium, ne reliquis partibus nutrimentum deficiat. Eadem ratio & iecoris est, à quo plus sanguinis concoquitur, quam propria sui nutritio postulet. At renes concoctionis organa non sunt, tantumque propterea concoquunt, quantum sibi nutriendis sit satis: non enim quod ex ipsorum nutritione relinquitur, alendo corpori vtile esse potest. Cum igitur Epicuri, Asclepiadis, Erasistrati, & sectatorum vtriusque, de vrinæ secretione sententia optime hactenus sit refutata; reliquum est, vt cum Hippocrate & Galeno vrinam secerni asseramus, renibus serosum sanguinem attrahentibus, serosoque humore in renum sinibus percolato.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE FACVLTATIBVS NATVRALIBVS LIBER SECVNDVS.

THOMA LINACRO ANGLO INTERPRETE.

CAP. I.

T quod necesse quidem sit non Erasistrato modo, sed etiam A *omnibus qui de vrinæ secretione dicturi aliquid sunt quod ad rem pertinet, fateri vim quampiam in renibus esse, quæ eiusmodi qualitatem qualis in vrina percipitur, ad se trahere sit habilis, id superiori monstrauimus libro: illud quoque commonefacientes, non esse diuersam rationem qua vrinæ per renes ferantur in vesicam, & qua sanguis in omnes animalis partes, nec etiã qua flaua secernatur bilis. Quippe si monstratum sit, in vno aliquo organo tra-* B *ctricem haberi vim; nullum negotium est, eam ad reliqua transferre. Neque enim renibus natura talem facultatem cõtulit, vasis iis quæ biliosum humorem trahunt, eandem negauit; nec rursus his quidem tribuit, reliquis autem omnibus ademit. Quo magis mirandum videtur, si id verum est, Erasistratum tam falsa de digerendo alimento protulisse, vt ne Asclepiadem quidẽ latuerit. Quamquam illud verissimum putat, si quid ex venis effluat, duorum alterum sequi; aut vacuum locum extemplo fore; aut quod continuum est affluxurum esse, abeuntisq.* C *locum implere. Asclepiades vero non e duobus alterum, sed e tribus vnum sequi oportere in vacuandis vasis asserit; vel vacuum locum simul vniuersum fore; vel quod continuum est sequuturum; vel vas ipsum esse contrahendum. In calamis enim & tubulis iis qui in aquam dimittuntur, recte vereque dici, quod aëre qui in horum cauis continetur abeunte, aut vacuus locus extemplo vniuersus sit futurus; aut quod continens est sequuturum. In venis non ita, cum poßit earum tunica in seipsam sidere, eoque in cauitatem suam internam se recipere. Atque ita*

A *ita quidem falsa est de successione ad id quod vacuatur Erasistrati non me hercle demonstratio, sed hypothesis. Quæ alioqui si vera esset, etiā superuacua esset; cū & venter a se exprimere in venas possit, veluti ipsemet proponit; & venæ id quod continent amplexu suo constringere, ac propellere. Nam præter alia incōmoda, ne sanguinis quidem redundantia in corpore colligi vlla posset, si vna successione ad id quod vacuatur digestio perficeretur. Ac si ventris quidem expressio resoluta languensque in progressu redditur, nec potest ad totū pertingere corpus, eoque aliam quampiam rationem requirit, qua sanguis in omnem vsque partem feratur; necessario quidem adinuenta est etiam ad id quod vacuatur successio; redundantia tamen in iis quæ post hepar sunt partibus, nulla erit; aut certe si*
B *quā erit, circa cor & pulmonem erit. Vnicum enim id ex iis quæ post iecur habētur, in dextrum suum sinum alimentum trahit, deinde per arterialem venam ad pulmonem transmittit: reliquorum enim nullum, nec Erasistrato ipsi, nutriri ex corde placet, propter eas quæ super vasis crescunt membranas. Sin autem quo redundantiam non tollamus, expressionis quæ a ventre fit tenorem, vsque in omnem partem seruabimus; nusquam etiamnum successionem ad id quod vacuatur requiremus; potissimum si venarum eius quod continent amplexum etiam approbamus: quod vtique Erasistrato quoque ipsi placet. Ergo rursus quamuis nolit, admonendus de renibus est, dicendūque, nulla re eos manifestius refelli, qui tra-*
C *ctum partium repudiāt. Nemo enim aut probabile aliquid dixit, aut sicut prius monstrauimus, vllo pacto aliam secretionis vrinæ caussam inuenire potuit. Sed necesse est, vel insanos videri, si halitus vice vrinam ferri in vesicam dixerimus; vel impudētes, si successionis ad id quod vacuatur meminerimus: vt quæ in sanguine plane sit ratio ridicula, in vrina & talis quæ esse non possit, & prorsus insulsa.*

Tres alias naturæ functiones diligēter hoc libro Gal. persequitur, nutrimēti scilicet distributionē, flauæ bilis secretionē, & generationē humorū. De his toto fere hoc libro disputationem instituit cū Erasistrato, cuius opinionem accuratissime refellit, quo facilius ac certius earum functionum caussæ intelligantur.
D Neque mirari oportet; si Erasistratum toties reprehendat, quoniā (vt ipsemet alibi fatetur) opus hoc de facultatibus naturalibus, eorum omnium quæ in vniuersalibus sermonibus de functionibus naturalibus ab Erasistrato scripta fuerant, iudicium continet. Hoc autem capite de nutrimenti digestione (ἀνάδοσιν Græci vocant) primum agit; quam à duobus caussis fieri voluit Erasistratus, vētriculi scilicet & venarū compressione, & consequtione ad id quod vacuatur. Hanc vero posteriorē caussam adiunxit, quoniam in caui cuiusque corporis vacuatione alterum è duobus necessario sequi opinatus est; aut concedendum esse vacuum, aut quod continuum est protinus sequuturum. Cum igitur sanguine ad partes distributo inaniantur venæ, aut concedēdus est in ipsis locus vacuus, aut quod continuum est sequetur. At vacuū (vt ab omnibus philosophis recte proditum est) in rerum natura dari non potest, ergo vt inanitæ venæ repleantur, sequetur Lib. de lib. prop. i. cap. 7.

quetur

quatur necessario sanguis, eritque proinde consequutio ad id quod vacuatur A distributionis nutrimenti caussa. Hanc Erasistrati opinionem falsam esse ex eo ostendit, quod falso fundamento innitatur. Neque enim verum est, cauo quocumque corpore vacuato, alterum è duobus sequi necessario, sed vt recte sensit Asclepiades, vnum è tribus. Nam si quæ vacuantur, corpora dura sint, vt calami; aut vacuum dari, aut sequi quod est continuum necesse est. Si vero omnino dura non sint, tertium quiddã sequi potest, nẽpe vt concidãt in seipsa. Cum autem ex hoc genere venæ sint, poterunt vtiq. ipsarũ tunicæ in se concidere, neq. attracto corpore cõtinuo, neque vacuo loco relicto. Rursus frustra Erasistratus duplicem digestionis nutrimẽti caussam statuit, cum vnica satis esse posit, veluti ventriculi & venarum compressio. Nam vt compresso ventriculo nutrimentum propelli potest ad venas, ita & compressis venis sanguis propelli potest ad omnes corporis partes, etiamsi nulla fiat ad id quod vacuatur consequutio. Similiter & nos dicere possumus, solam consequutionem ad id quod vacuatur B satis esse posse ad nutrimenti digestionem. Si namque inanitæ venæ (ne scilicet detur vacuum) continuo corpore repleri debent, quænam erit compressionis necessitas? Quod si consequutionẽ ad id quod vacuatur propterea addidit Erasistratus, quia ventriculi compressio nutrimentum ad partes distantes propellere nequit; in his tantum partibus addere debuisset, ad quas peruenire nõ posset ventriculi compressio; quales potissimum sunt partes iecore superiores. Atqui in his partibus consequutionem ad id quod vacuatur distributionis alimenti caussam esse non posse ex eo confirmat, quod numquam in his partibus plethora fieret; cũ in consequutione ad id quod vacuatur, quod sequitur æquale sit ei quod vacuatum est; in plethora vero quod influit copiosius esse oporteat. Quod si demus plethorã fieri posse, in solo corde & pulmone fieret. In corde C quidem, quia quo tempore dilatatur, venalem sanguinem per venam cauã quæ dextrum ipsius ventriculum ingreditur, ex iecore trahit. In pulmone vero, quia solus is ex corde nutritur. Dicitur autem ex corde nutriri, non quod nutriatur sanguine arteriali, sed quod ex dextro cordis ventriculo venalem sanguinem multis iam vitalibus spiritibus permistum, per venam arterialem accipiat. At in reliquarum partiũ nulla fieri posset plethora, quia neque dilatantur vt cor, neque ex corde nutriuntur vt pulmo. Qui vero cordis dilatatione attrahitur sanguis, partim mittitur ad pulmonem, partim in sinistrum ventriculum transfunditur, vt arterialis sanguinis gignendi sit materia. Neque enim à corde semel attractus potest ex dextro ventriculo ad cauam remeare, quod ipsius orificium ab his membranulis quas anatomici valuulas appellant, occludatur. Siquidem valuularum vsus is est, ne quæ semel cordis sinus ingressa est substantia, ex eisdem egredi, neve quæ semel à corde est expulsa, ad ipsius ventriculos remeare posit. Quo factum est, vt pro diuerso vasorum vsu diuersum quoque situm valuulæ obtinuerint; quædam enim intus foras spectant, vt in arteria magna, & vena arteriali; aliæ contra foris intro, vt in arteria venali, & vena caua. Sunt autem omnes cordis valuulæ vndecim, ternæ scilicet in singulis vasis; præterquam in arteria venali, in qua duæ tantum reperiuntur. Non enim oportebat, huius vasis orificium, attracto iam aëre ex pulmone, omnino occludi, vt expurgandis à corde fuliginibus aditus vtcumque pateret. Cum itaque sanguis cordis dilatatione attractus, ad venam cauam regredi nequeat, ipsius orificio à tribus (vt dictum est) valuulis occluso; fieri profecto non potest vt reliquæ partes (solo excepto pulmone) eo sanguine nutriãtur. Vnde recte colligitur, reliquis

Lib. 6. de vsu part. cap. 14.

D

partibus

A partibus plethoram accidere non posse, si fiat nutrimenti distributio consequutione ad id quod vacuatur. Atqui experimur sæpisime, eiusmodi etiam partibus plethoram accidere, ergo consequutio ad id quod vacuatur non potest esse caussa distributionis nutrimenti, vt voluit Erasistratus.

CAP. II.

C vnus quidem eorum qui tractum auersantur, error hic est; alter, qui in flauæ bilis secretione committitur. Neq. enim illic transeunte sanguine per flauæ bilis vasorum ora, exacta secretio biliosi excrementi erit. At nec secernatur, inquiunt, sed vna cũ sanguine per totum corpus feratur. Atqui, ô viri scilicet prudentisimi, Erasistratus ipse naturam animalibus prospicere, artificiosamque esse proposuit; idem etiam bi- B *liosum humorem inutilem animalibus omnino esse asseruit. Nõ cohærent autem ambo hæc inter se. Nam quomodo quæso videatur animali prospicere, si tam noxium succum vna cum sanguine ascendere in corpus permittat? Verum hæc parua sunt, in quo autem maxime hîc clarisimeque peccent, id nunc dicam. Si enim propterea quod sanguis crasior est, bilis magis tenuis, ac venarum ora magis lata, bilis vasorum magis angusta sunt; nec aliam ob caussam bilis angustioribus vasis osculisque se inserit, sanguis latioribus; manifestum est, aquosum hoc serosumque excremẽtum tanto prius influxurum in bilis vasa quam bilem, quãto id bili est tenuius.* C *Quo pacto igitur non influit? Nẽpe quod scilicet crasior est vrina quã bilis: quippe id affirmare ausus est quidã nostri tẽporis Erasistrati sectator, videlicet a sensuũ ipsorũ euidentia recedens, quibus in bili & sanguine fidẽ adhibuit. Siue enim quod bilis quã sanguis magis est fluxilis, idcirco magis tenuis est censenda; siue quod pãnum, linteũve, aut aliud quod percolet, ea facilius pertrãsit, sicut hac rursus excrementũ serosum; his vtq. indiciis bilis crasior quã serosum excrementum fuerit. Rursus enim ne hîc quidẽ ratio apparet vlla, quæ bilem demonstret seroso excremento esse magis tenuem. Verum vbi quis impudens est, deiectusque concertatorem complectitur, ac deiectum se negati; is luctæ imperitis similis erit, qui cum a luctæ peritis sunt prostrati, supinique iacent, tantum absunt vt se deiectos fateantur, vt etiam a ceruicibus eorũ pendeant, a qui-* D *bus sunt prostrati, nec eos absolui sinant, vincere se interim autumantes.*

De flauæ bilis secretione (quæ ex genere etiam est actionum naturæ) ita obscure disseruit Erasistratus, vt ne ipsius quidem sectatores (vt ex capite quincto constabit) quid ipse voluerit, intellexerint. Alii namque bilem ex ipsius sententia à sanguine nequaquam secerni existimarunt; alii vero, secerni quidem, non tamen quod ab aliqua parte trahatur, sed quod sit sanguine tenuior. Quippe cum in iecore præter venas & arterias reperiantur etiam qui bilem excipiunt meatus; sanguinem quidem per venas (vtpote latiores) ferri; bilem vero quod sit sanguine tenuior, angustioribus eorum meatuum osculis excipi affirmarunt. Vtramque hanc sententiam nunc refellit: priorem quidẽ ex duobus Erasistrati decretis

decretis, quorum altero naturam artificiosam esse, animalibusque prospicere, A altero vero biliosum humorem noxium esse animalibus, verissime asseruit. At si non secernitur bilis, sed fertur (vt illi volunt) vna cum sanguine; aut dicendum est, biliosum humorem non esse animalibus noxium, aut inartificiosam esse naturam: quorum vtrumque Erasistrato aduersatur. Posteriorem vero refutat hac firmissima ratione, Si bilis quia tenuior sanguine est, angustos illos meatus ingreditur; serosa humiditas quæ tenuior est bile, eiusmodi meatus facilius quam bilis ingrederetur, ibique secerneretur à sanguine. Atqui serosa humiditas licet bile tenuior sit, neque in iecore secernitur, neque angustos illos meatus ingreditur; ergo neque bilis secernetur, quod sanguine sit tenuior. Huius rationis vim expendens quidam ex Erasistrati sectatoribus, impudenter concessit, vrinam crassiorem esse bile; cuius opinio ex communi corporis tenuis notione optime refellitur. Nam ea solent tenuiora dici, quæ magis fluxilia sunt, vel quæ B linteum, aut aliquid aliud simile facilius permeant. Quod tamen de humidis corporibus intelligere oportet, reliqua enim eo tenuiora esse censentur, auctore Galeno, quo facilius in minutissimas partes diuiduntur: quo pacto ignis flamma & aër dicuntur esse partium tenuium. Atqui vrina (vt monstrat experientia) & magis fluxilis est, & facilius quam bilis linteum permeat; ergo vrina tenuior est bile. Quæ cum ita sint, nescio profecto quomodo constare posit, quod lib. 6. de anato. administ. ad hunc modum scribit, agens de instrumentis excremẽtorum secretioni dicatis, Ex his instrumentis, alia quod subtile & leue in eo ,, habetur, expurgant; alia quod terrestre & graue est; alia quod inter hæc duo ,, consistit, aquosum serosumque. Si igitur serosum excrementum medio consistit ,, loco inter excrementum tenue, nempe bilem, & excrementum crassum, nempe C humorem melancholicum; erit haud dubie humore melancholico tenuius, & crassius ipsa bile. Iure ergo miretur quispiam, quo pacto hæc Galeni loca inter manifeste pugnantia non reposuerint Lacuna & Vallesius. Nisi forsan quis dixerit, nequaquam ibi considerari propriam vrinę & vtriusque bilis substantiam, siue consistentiam, sed expendi potius propriam ipsorum naturam ac rationem, quatenus excrementa sunt. Ita vt quamuis vrina tenuior sit bile, dicatur tamen medium inter vtramque bilem locum obtinere, quod medii cuiusdam excrementi rationem habeat. Cum enim bilis tenue sit iecoris, aut secundæ concoctionis excrementum, succus autem melancholicus excrementum crassum; merito dicetur vrina medio loco consistere, quia neque tenue est eius concoctionis excrementum, neque itidem crassum, Nam quod ab extremis ex æquo distat, medium vere dici potest, vt de corpore neutro docuit Gal. Porro quod vrina neque tenue sit, neque crassum, iecoris, aut secundæ concoctionis excrementum, satis aperte significat Galenus, dum venarum & arteriarum ecxrementum esse affirmat: quamuis interdum inter iecoris excrementa ipsam recensuerit, vt alibi dicemus. D

Lib. 1. de simp. med. fac. c. 22.

Cap. 2.

In art. med. cap. 6

Lib. 1. de fac. nat. cap. 9. & lib. 1. de sani. tu. cap. 12.

CAP. III.

RGO nugæ maximæ sunt omnis exiguorum meatuum ad naturales functiones hypotesis. Nisi enim a natura facultas quædam naturalis vnicuique instrumento statim ab initio sit tributa, durare animalia non poterunt, non modo tantum annorũ, sed nec paucissimorum dierum numerum. Quippe si nullius ea curæ mandemus, arteque & prouiden-

A *prouidentia destituamus, ac solius materiæ momentis gubernari velimus, nulla vsquam potentia vel trahente quod sibi est commodum, vel amoliente quod est alienum, vel alterante, agglutinanteq. quod se est nutriturum; nescio quo pacto non ridiculi futuri simus, si de naturalibus actionibus disputemus, multoq. magis, si de actionibus animalibus, totaq. vita. Siquidē neq. viuere, neq durare vel animaliū, vel breuissimo tēpore, fas erit, si tot in se particulas, tamq. dissidentes sortitum, nulla facultate vtatur, nec quæ conueniēs trahat, nec quæ alienū secernat, nec quæ id quod nutriat alteret. Atqui si præditi his sumus, vtique exiguis magnisve qui ex hypothesi minime demōstrata sint accepti meatibus, præterea idoneo quodam situ, ad bilis & vrinæ separationem haud quaquam indigemus. In* B *quo vno sapere Erasistratus videtur, quod omnes corporis particulas bene dispositas, formatasque a natura putat. Verum si sibi ipsi constare artificiosam appellanti naturā volet, vt quæ ab initio statim omnes animalis particulas probe disposuerit, ac finxerit, post id vero opus, quo nihil deesset, etiā in lucem cum facultatibus quibusdā protulerit, sine quibus viuere non possit, tum vero paulatim etiam ad iustam vsque magnitudinem auxerit; haud scio, quo pacto naturales actiones meatuum magnitudini aut paruitati, vllisve tam ridiculis hypothesibus possit permittere.*

Digreditur duobus hisce capitibus ab instituta cum Erasistrato disputatione C de secretione bilis, & nutrimenti distributione. Antequam enim has naturæ actiones à facultate attractrice fieri demonstret, facultatum naturalium necessitatem primum ostendit, ex duobus potissimum absurdis, quæ illis è medio sublatis necessario sequuntur. Vnum est, quod animalia ne paucissimorū quidem dierum numero viuere ac durare possent; tum quia omni prouidentia, omniq. facultate destituta, solius materiæ momentis gubernarentur; tum etiam quia nutriri non possent. Postulat namque nutritio, vt singulæ animalis partes (quæ & multæ sunt, & à se inuicem plurimum distantes) nutrimentum ad se trahant, retineant, concoquant, & assimilent, eaque quæ noxia sunt, expellant: quæ certe omnia facultatum naturalium sunt opera. Alterum absurdum est, quod frustra de naturalibus actionibus disputaremus, multoque magis de actionibus animalibus, totaque vita: fierent namque omnes istæ actiones fortuito, & absque D aliquo naturæ artificio, à caussis scilicet incertis & inconstantibus. Vitam hoc loco appellat, aut vitales actiones, aut animalis gubernationē à triplici actionum genere: neque enim aliud est, teste Galeno, vitam seruare, quam tres illas facultates, naturalem, vitalem, & animalem, aut harum trium facultatū actiones tueri. Sed & sibi ipsi contradixisse Erasistratum docet, quia cum naturam artificiosam esse vere asseruisset, omnes naturæ functiones ad incertas ridiculasque caussas postea retulit; veluti bilis secretionem ad meatuum angustiam. Lib. 9. methō. med. cap. 10.

Quippe natura illa quæ particulas effingit, & sensim adauget, omnino per eas totas est extensa; vt quæ totas eas per totas, non tantum extrinsecus fingat, nutriat, atque augeat. Praxiteles namque, aut Phidias, aut alius quispiam statuarius, foris tantum materiam ornabant, qua scilicet parte licebat eam attingere;

gere; internam eius partem illaboratam, otiosam, artisque immunem, ac neglectã reliquerunt, ut quibus in eam descendere, ingredique, ac omnes materiæ partes tangere, minime licuerit. Natura non ita, sed ossis partem quamlibet os efficit, & carnis carnem, & adipis adipem, & in aliarum singulis ad portionem facit. Nulla enim pars est, quæ ab illa non tangatur, aut operam eius, cultumve effugiat. A

Quo facilius colligat necessarias esse facultates naturales, duplex proponit discrimen inter artem & naturam. Primum discrimen est, quod natura totam materiam per se totam alteret, ac fingat, ita ut nulla materiæ portio, etiam minima, naturæ cultum ac vim effugere possit; ars vero eam quam tractat materiam, extrinsecus tantum tangat, atque immutet. Phidiæ namque, Praxiteli, & Policleto (summis alioqui statuariis) foris dumtaxat materiam ornare licuit, ac perpolire, intus autem illaboratam prorsus reliquerunt. Natura vero dum animal format, subiectam materiam ita immutat, ut quælibet pars ossis, carnis, aut adipis, os, caro, aut adeps efficiatur. Adipem hic inter partes similares recenseri obserua, quemadmodũ & in præfatione libri de hominis natura; ut hinc intelligas, veram esse corporis partem. Sed & id colligetur certius ex sequenti contextu. B

Immo Phidias ex cera efficere ebur, aurumve non potuit, sed nec ex auro ceram; siquidem horum quodque manens id quod a primo erat, foris tantum speciem figuramque artis adeptum, perfecta fit statua. Natura nullius materiæ veterem formam seruat, quippe ita sanguis essent cunctæ animalis particulæ; is scilicet qui a matre confluit ad [maris] semen, una, uniusque formæ materia, ceræ vice artifici subiecta, Nulla vero animalis partium pro ea ratione ex hac, rubra humidave efficitur; siquidem os, chartilago, arteria, vena, neruus, adeps, glandula, membrana, medulla, exanguia quidem sunt, ex sanguine tamen facta. C

Alterum hoc est naturæ & artis discrimen. Ars enim veterem materiæ formam perpetuo seruat, formam scilicet substantialem; nam figuram formamque externam mutare potest. Veluti statuarius ligno, auro, aut ceræ, nouam figuram formationemque tribuit, dum ligneam, auream, aut ceream statuam fingit; ligni tamen, auri, aut ceræ veterem propriamque formam nequaquam immutat: neque enim ex ligno aurum, aut ceram unquam efficiet. Hoc tamen Chymistis non placet, qui ex hydrargiro, aut (si Diis placet) ex ferri etiam fæce mõtes aureos se facturos pollicentur; cum tamen ipsorum plerique dum insatiabili auri fame vexati, diuites breui fieri volunt, ad summam egestatem redigũtur. At natura in plerisque actionibus nullius materiæ veterem formam seruat, sed ipsam potius alterans per se totam, variis modis transmutat. Id quod facile intelligitur ex prima statim animalis generatione, cuius materia est sanguis maternus, qui confluit ad semen: sic enim Græce legitur, non autem ad maris semen, ut sæpius hoc capite male vertit Linacer, Aristotelis sententiã sequutus, qui in solis maribus semen concessit. In prima igitur animalis generatione veterem formam non retinet maternus sanguis, alioqui enim sanguis essent omnes animalis particulæ: unde constat, non tantum partes carnosas, sed etiam spermaticas ex sanguine fieri. Atqui nulla animalis pars (ut inquit Galenus) D

pro

A pro ea ratione, ex hac materia, rubra humidave efficitur. Quibus verbis non negat partes aliquas ex sanguine fieri rubras & humidas, carnes enim & humidæ sunt & rubræ; sed solum significat, nullam animalis particulam rubram fieri aut humidam pro sanguinis ratione; neque enim carnes perinde ac sanguis rubræ sunt aut humidæ. Quod certius adhuc intelligitur ex Græca dictione, quæ sic habet, γίνεται δ' ἐξ αὐτῆς οὐδὲν τῶν τοῦ ζώου μορίων, οὔτ' ἐρυθρὸν οὕτως, οὐθ' ὑγρόν. Idem quoque colligitur ex iis quæ statim subiungit. Siquidem, inquit, os, chartilago, arteria, vena, neruus, adeps, glandula, membrana, medulla, exanguia ,, quidem sunt, ex sanguine tamen facta. Exangues enim dicuntur omnes istæ ,, partes, non quod spermaticæ sint, (adeps namque pars spermatica non est) ,, sed quod sanguinis speciem non amplius retineant, quamuis ex sanguine sint genitæ. Rursus hîc adipem inter corporis partes enumerat, & sequenti contextu B affirmat, fieri à natura vt reliquas partes. Quare non immerito veram esse corporis partem alibi docuimus. Cum autem & medullæ meminerit, spinæ potius quam ossium medullam intelligit, cum hæc pars corporis non sit, sed proprium dumtaxat ossium nutrimentum. Quamuis enim nomen medullæ simpliciter dictæ ossium medullam plerumq. significet; aliquando tamen spinalem significare potest, vt lib.2. de temp. annotauimus. Porro quod ait, sanguinem esse generationis materiam, semen vero opificis rationem habere, paullo post apertius indicabit.

Lib.2. de temp. cap. 5.

Quo autem alterante, quove conglaciante, cogenteque, aut quo formante, rogarem mihi responderet ipse Erasistratus; prorsus enim vel naturam diceret, vel [maris] semen: vtroq. nimirum idem dicens, sed diuersis notionibus interpretans. Quod namque semen prius erat, id cum primum & gignit, & format animal, natura quædam C *fit. Tanquam enim Phidias ante habuit facultates artis quam materiam attigit, vsus autem ipsis est in materia; (omnis enim facultas, si competens desit materia, otiosa est) ita [maris] semen facultates quidem in seipso possedit, actionem vero non didicit a materia, sed circa hanc obiuit. Iam si copioso semen obruatur sanguine, corrumpetur; sin sanguinem omnino desideret, cum otiosum sit, natura esse non poterit. Itaque quo nec corrumpatur, & natura pro semine fiat, exiguum illi sanguinis affluat necesse est. Immo vero id exiguum dicendum non est, sed quod seminis modo sit iustum. Quis igitur est, qui affluentis sanguinis quantitatem moderatur? Quis vetat, quominus iusto plus confluat? Quis facit, ne minus quam satis sit, affluat? Quem hîc tertium qui animalis generationi præsit, quæremus, quiq. conuenientem semini sanguinem sub-* D *ministrabit? Quid dixisset Erasistratus, si viuens talia rogatus fuisset? Nempe semen ipsum, id enim est artifex Phidiæ ad portionem respondens, sanguis vero ceræ rationem habet. Non igitur conuenit, vt cera sibi ipsi mensuram inueniat, sed Phidias; trahet porro artifex tantum ad se sanguinis, quanti indiget. Verum hic aduertere debemus ac videre, ne semini imprudentes rationem quandam intellectumque tribuamus; quippe qua ratione nec semen id, nec etiam naturam fecerimus, sed iam animal. Atqui si tueri vtrumq. debebimus, & quod mediocre trahit, & citra intellectum; vtiq. quemadmodum magneti lapidi trahendi ferri, sic semini trahendi sanguinis facultatem inesse dicemus: atq. hîc rursus quemadmodum sæpe ante coacti sumus,*

in semine trahendi vim quandam inesse, fateri. At quid erat semen? principium animalis efficiens, materiale namque menstruus est sanguis. An igitur, cum ipsum principium (quo scilicet faciat aliquid eorum quæ molitur) prima hac vtatur functione, expers esse conuenientis ad eam facultatis potest? Quî igitur factū est, quod eam Erasistratus non norit, si scilicet ea prima est seminis actio, vt cōpetentem sibi sanguinem trahat? Competēs vero fuerit, qui tenuis adeo halituosusque est, vt cum in omnem seminis partem veluti ros sit attractus, nusquam sui speciem repræsentet. Sic namque fiet, vt & facile eū vincat semen, & celeriter assimilet, & sibi nutrimentum faciat. Mox arbitror secundo attrahet, & tertio, quo scilicet molem sibi magnitudinemque iustam ex nutritione adiiciat. Atqui iam alteratrix inuenta vis est, quæ nec ipsa prodita Erasistrato est. Tertia vero formatrix apparebit, cuius ope semen primum veluti concretum quiddam tenue, membranam illam sibi induit, quam Hippocrates sexta die cum fœtu Musurgo [mulieri] ouorum tunicæ similem, excidisse ait. Post hoc vero, reliqua etiam quæcumque scilicet in libello de infantis natura ab eo sunt scripta, fingit. A B

Ex duplici illo discrimine inter artem & naturam, recte nunc colligit, in prima statim animalis generatione concedendas esse necessario facultates naturales. Si namque generationi subiecta materia per se totam alteratur, & varias recipit formas, aliquam esse eius alterationis & transmutationis caussam necesse est. Hæc autem caussa ipsi etiam Erasistrato nulla alia esse potest, quam natura, aut semen: perinde enim est naturam aut semen dicere, quoniam (vt Galenus ait) quod semen prius erat, id cum primum & gignit, & format animal, natura quædam fit. Fit autem natura, quoniam naturæ actiones iam exercet, vt pote quod actu animatum iam sit, cum tamen antea potestate tantum animam haberet. Atqui si natura, aut semen materiam alterat, & transmutat; facultatibus quibusdam necessario indiget, quarum ope hæc præstare posit. Quemadmodum enim artifex facultates artis comparat, priusquam materiam attingat; ita & semen quod generationis est opifex, facultatibus quibusdam præditum esse oportet, quibus sanguinem maternum (qui generationis materia dicitur) & alterare posit, & in varias particulas transmutare. Et licet facultates omnes naturales, tam principes, quam ministræ, in semine reperiantur; nunc tamen tres saltem in semine concedendas esse demonstrat, vtpote quæ in ipso potissimum elucescant; attractricem scilicet, alteratricem, & formatricem. Attractricem ex eo ostendit, quod quemadmodum vnusquisque artifex iustam materiæ quantitatem sibi moderatur; ita & semen ad gignendum fœtum iusta indigeat sanguinis mole. Nam si sanguis omnino defecerit, ob materiæ inopiam otiosum prorsus iacebit semen; si vero copiosior affluxerit, materiæ copia obruetur. Atqui cum semen ratione præditum non sit, vtpote quod solam habeat animam vegetantem, solius naturæ beneficio iustā conuenientis sanguinis quātitatē sibi metietur. Id autem præstat facultas seminis attractrix, quæ tantum sanguinis allicit, quantum ad seminis nutritionem, atque incrementū satis esse posit. Eum vero quē semel attraxit sanguinē, sibi sensim assimilare conatur, agente nimirū facultate nutrice, quę & alteratrix est, & alterius alteratricis quā C D

conco-

concoctricem vocant, ministerio vtitur. Tandem formatrix facultas ex admirabili fœtus fabrica aperte intelligitur, quam quidem breuissime hoc loco attingit,& explicat copiosissime lib. de fœt. format. Incipit autem vis hæc formatrix in semine apparere, cum primum ea induitur membrana, quam Græci χορίον, Latini secundas vocant; quam vidit Hippocrates, sexta à conceptu die, internæ crudorum ouorum tunicæ similem, Musurgo excidisse. Cum enim hæc concepisse ex eo merito suspicaretur, quod masculinũ semen in coitu intus remansisset, id vero existimationis caussa ægre ferret; iussit ei Hippocrates, vt frequenter in terram saltaret. Quod cum septies fecisset, genituram tandem cum strepitu excreuit. Sed iure miretur aliquis, abortiendi consilium meretriculæ dedisse Hippocratem, qui in Iureiurando piissime professus fuit, quæ fœtũ perdere possunt se numquam exhibiturum. Sunt qui dicant, Hippocratem in Iureiurãdo pollicitum tãtum fuisse, se numquam prægnãtibus daturum fœtum corrumpens pessum; at lib. de nat. pue. nihil tale dedisse, sed tantum iussisse vt sæpius in terram saliret ancilla. Frigida tamen hæc excusatio est. Nã cum in corrumpendo fœtu crimen commitatur, quid quæso refert, aut pesso in vteri ceruicem immisso, aut bibitis medicamentis, aut violẽto quopiam motu vel ictu abortum prouocare? Addunt præterea, promisisse Hippocratem in Iureiurando, se numquam daturum quæ possint fœtum corrumpere; at quod lib. de nat. puer. frequenti saltu excerni curauit, fœtum non fuisse, sed tantum semen sex diebus conceptum. Sed neque hæc legitima est excusatio, quæ Hippocratem possit à crimine liberare; tum quia in Iureiurando simpliciter professus est, se non daturum mulieri pessum corrumpens, nulla fœtus facta mentione, nullaque adhibita temporum distinctione; cum potissimum, quia crimine non vacat concepti seminis excretionem procurare. Adde, quod (vt diximus libro primo) fœtus communi nomine appelletur, quod à primo statim conceptionis tempore ad partum vsque in vtero gestatur. Errant enim qui conceptum, quem κύημα vocauit Hippocrates, fœtum dici negant: quemadmodum & illi, qui fœtum cum conceptu confundunt: in quo errore versatur potissimum Alphonsus Lupeius. Nullam itaque viam, aut rationem inuenio, qua possit Hippocrates à crimine vendicari: quamuis à contradictione facile liberari possit, si librum de natura pueri ante Iusiurandum scripum fuisse dixerimus; aut eorum alterum Hippocratis non esse. Ac mihi quidem probabilius videtur, Iusiurandum Hippocrati falso adscriptum fuisse, cum Iurisiurandi Hippocratici nullibi (quod sciam) Galenus meminerit, librum vero de natura pueri & hîc, & alibi Hippocratis germanuum agnoscat. Ceterum prætermisso Hippocrate, inhumanum prorsus ac impium est, & à Christiana religione omnino alienum, abortũ ciere. Quod sane cum nemini liceat, à medicorum tamen dignitate atque officio plurimum abhorrere videtur, ne qui ad hominum salutem medicamentis vti solent, iisdem ad perniciem impie abutãtur. Sed in hos omnes Sixti V. Pontif. Max. decreto paucis ab hinc annis animaduersum iam est. Verum ne quidpiam prætereamus, illud quoque in huius mulierculæ historia obseruare oportet, quod Græcam dictionem τῆς μουσουργȣ͂ in sua translatione retinuerit Linacer, putans scilicet, Musurgon nomen esse eius mulieris proprium; propterea namque dixit Musurgo mulieri, cum tamen Græce legatur tantum Musurgo. Gorręus tamẽ potius sentit, τὴν μουσόυργον significare psaltriam, vel fidicinam; quemadmodum etiam Ianus Cornarius, Hippocratis interpres, qui lib. de nat. pu. τὴν μουσόυργον interpretatur cantricem. Sed vt eo reuertamur vnde digressi sumus, excretę ge-

[Margin: A; B; C; D; Lib. de nat. pueri.; In Annotationibus.; Schol. 6. in lib. de nat. pu.]

nituræ ſpecies quam deſcripſit Hippocrates, facultatem formatricem in ſemine reperiri certiſsime oſtendit. Eandē vero apertius multo declarat perfecta totius fœtus compoſitio, ac fabrica, quam eodem illo libro depinxit, & nos libro ſuperiore diligenter explicauimus, cum de generatione diſputaremus. Quomodo vero ſemen dicatur hoc loco principium generationis efficiens, ſanguis vero principium materiale, cū vtrumq. principium & vim efficiendi obtineat, & materiam præbeat, ibidem à nobis dictum eſt. A

Cap. 5.

Verum ſi quæ formantur omnia, ea paruitudine manerent, qua ſunt a principio condita, quæ eſſet eorum vtilitas? Augeri igitur illa conueniet. At quomodo augebuntur? Certe tum in omnem extenſa partem, tum vero nutrita. Quod ſi eorum quæ ſuperiore libro de veſica dixi, quam pueri inflantes confricabāt, memineris; facilius rem & ex iis quæ nunc dicentur, intelliges. Cor igitur ab initio ita mihi paruum eſſe, vt nihil a milii ſemine diſtet, aut (ſi mauis) faba, intellige. Tum illud inueſtiga, nū aliter id effici poſsit magnum, quam ſi in omnem partem extendatur, & per totum ſe nutriatur, ſicuti ſemen ſupra paullo nutriri indicauimus. At nec id nouit Eraſiſtratus, is ſcilicet qui naturæ artem prædicat. Immo ad eum modum augeri animalia putat, quo aut criſeram, aut catenam, aut ſaccum, aut calathum; quorum cuique applicatis ad finem eius aliis, quæ ſimilia ſunt iis ex quibus ab initio eſt conditum, fit appoſitio. At hoc vir inſulſe, nō auctio eſt, ſed generatio. Fiunt enim tamdiu capſa, & ſaccus, & veſtis, & domus, & nauigium, & reliqua id genus omnia, dum congruam ſpeciem cuius cauſſa ab artifice ſunt incepta, conſummatam habeant. Quando igitur augentur? Nempe cum calathus iam perfectus, & fundum, & os, & veluti ventrem, & quæ in medio horum ſunt habens, omnibus his redditur amplior. At qua ratione id fiet, inquiet aliquis? Qua quæſo alia, quam ſi calathus ſubito nobis animal, plantave ſit effectus? Augentur enim ea tantū quæ viuunt. Tu vero fortaſſe putas, domum quæ exædificatur, & calathum & veſtem quæ texuntur, augeri. Sed minime ita eſt, augetur enim id cuius perfecta iam forma eſt; eius autem quod fit, proceſſus ille qui eſt ad formam, non vtique auctio, ſed generatio nominatur. Quippe augetur id quod eſt, gignitur id quod non eſt. B C D

Non ſolum in ſemine, ſed in fœtu etiam genito, atque in lucem edito, facultates aliquas naturales concedendas eſſe probat, potiſsimumque auctricem & nutricem. Auctricem probat ex partium recens genitarum paruitate, cuius occaſione partes ipſæ propriis obeundis actionibus eſſent prorſus ineptæ. Oportet igitur, ſingulas fœtus partes, vt proprias actiones exercere poſsint, in omnem dimenſionē ſenſim dilatari; quod nihil plane aliud eſt quā augeri. Quoniā vero fieri nō poteſt, vt in omnē dimenſionē partes extendātur, ſeruata (vt prius diximus) ſubſtātiæ cōtinuitate, niſi partibus quæ extendūtur, nutrimētū aſsimiletur; præter auctricē cōcedēda quoq. in partibus eſt facultas nutrix. Hinc arrepta occaſione Eraſiſtratū reprehēdit, quod propriā auctionis rationē ignorarit; exiſti-

A existimans scilicet ad eundem modum augeri animalia, quo domus, aut nauigium, aut res aliæ artificiales augeri dicuntur; appositis scilicet denuo ad finē partibus similibus. Errat autem duplici nomine, tum quia auctionem quæ viuētium est propria, rebus etiam vitæ expertibus videtur tribuisse, tum etiam quia auctionem cum generatione temere confundit. Siquidē noua ea similium partium appositio, quæ in domo aut nauigio fit, auctio non est, sed potius generatio; quamdiu enim perfectam formationem assequuta non fuerint, tamdiu fieri, aut generari dicuntur. Ea vero augeri censenda sunt, quæ perfectā iam formam habentia, in trinam dimensionem dilatantur. Quippe cum generatio motus sit ad substantiam, auctio vero ad quantitatem; gigni quidem dicetur quod nondum est; augeri vero quod genitum iam est.

CAP. IIII.

B *IAM hæc parum nouit Erasistratus is, quem scilicet nihil latet, si vera omnino sunt quæ sectatores eius affirmāt, inter Peripateticos philosophos versatū eum dicentes. At quod naturā quidem vt artificem prædicat, hactenus ego quoque Peripateticorum agnosco dogma; reliquorū omnino nihil esse Peripateticum. Siquis enim in Aristotelis & Theophrasti scriptis sit versatus, ceu commentarios ea physiologiæ Hippocraticæ conscripta putabit. Agere scilicet inter se, patique calidum, frigidum, humidum, & siccum. Tum horum maxime actiuum calidū esse, secundo ab hoc loco pollere viribus frigidum, primo Hippocrate dicente, postea vero Aristotele. Iam* C *quæ nutriuntur omnia, quod per tota se nutriantur, & quæ miscentur omnia, quod per tota se misceantur, pari modo quæ alterantur omnia, quod per tota se alterentur; Hippocratica simul Aristotelicaque sunt. Nec minus illa, concoctionem alterationem quandam esse, ac nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur mutationem; sanguificationem vero alterationem esse. His amplius nutritionem & auctionem, ex eo quod corpus in omnem partē extendatur, nutriaturque, fieri. Alterationem vero ipsam calido potissimum perfici; atq. idcirco tum nutritionem, tum concoctionem, tum omnem succi generationem. Iam vero & in excrementis ipsis qualitates a calore innato prouenire. Hæc omnia, atque etiam alia quamplurima, tum de prædictis facultatibus, tum de morborum gene-* D *ratione, tum de remediorum inuentione, Hippocrates omnium post hominum memoriam primus recte dixit, Aristoteles post eum recte est interpretatus. Atq. si hæc omnia Peripateticis placent, sicuti plane placent, nihil vero eorum placeat Erasistrato; quid sibi vult Erasistrati sectatoribus auctoris sui cum philosophis illis conuersatio? Suspiciunt enim eum tamquam Deum, omniaq. ab eo dicta vera esse putant. At si hæc ita sint, longe profecto a veritate aberrare putandi Peripatetici philosophi sunt, quibus nihil omnino eorū quæ Erasistratus est opinatus, placet. Atqui ei consuetudinem cum viris illis, veluti generositatem quādam physiologiæ tribuunt. Rursum igitur sermonem aliter quā modo fecimus, in eum*

conuertemus. Si enim Peripatetici recte sint de physiologia loquuti, nemo erit Erasistrato magis ridiculus; ipsisque eius sectatoribus optionem do, quippe aut priorem sententiam propugnauerint, aut hanc. Asserit prior sententia, nihil recte de natura sensisse Peripateticos; posterior, Erasistratum. Ac meæ quidem partes erunt, pugnantiam duarum sententiarum apponere; illorum, vtra placeat, eligere. Verum illud numquam committent, vt ab Erasistrato laudãdo se retrahant, ergo de Peripateticis philosophis sileant. Cum enim de animaliũ ortu interituq. permulta placita naturalia sint, itemq. de sanitate & morbis, horũq. curatione; vnum modo inuenietur, in quo viris illis cum Erasistrato conueniat, naturam alicuius gratia moliri omnia, nihilq. sine caussa: quamquã etiam hoc ipsum verbis dumtaxat tenus, re enim Erasistratus millies id destruit. Quippe frustra splen, frustra omentum, frustra arteriæ quæ inseruntur in renes, (quamquam hæ omnium quæ a magna arteria oriuntur, sint prope maximæ) frustra mille alia Erasistrati saltem sententia sint condita. Quæ quidem si prorsus ignorat, coquo paullo est in dissectionibus peritior; si sciẽs non dicit eorũ vsum, putat plane frustra ea lienis exemplo esse facta. Quamquam quid hæc persequor, quæ operis de particularum vsu (quod opus seorsum scripturi sumus) magis sint propria? Ergo rursus eundem resumamus sermonem, paucisque in Erasistrati æmulos appositis, ea quæ reliqua sunt prosequamur. Videntur hi mihi nullum ex Aristotelis scriptis legisse, sed ab aliis audiuisse, eum in naturæ contemplatione magnum virum fuisse; tum Stoicos vestigiis phisiologiæ eius insistere; deinde vnum ex vulgatis placitis inueniẽtes illi cum Erasistrato commune, fingere fuisse quandam Erasistrato cum illis viris consuetudinem. Ceterum quod Erasistratus expers omnino sit Aristotelicæ physiologiæ, declarat prædictorum iam dogmatum catalogus; quæ scilicet primum Hippocratis fuere, secundo Aristotelis, tertio Stoicorum; vno tantum excepto, quod qualitates sint corpora. Fortasse autem Logicæ speculationis gratia versatũ esse cum Peripateticis Erasistratum dicent, parum intelligentes sermones falsos & parum concludẽtes ab his minime esse conscriptos; cum Erasistrati volumina eiusmodi sermonibus scateant.

In Erasistrati sectatores inuehitur, qui ipsum eo nomine maxime cõmendabant, quod cum Peripateticis diu multumque versatus fuisset. Monstrat vero, Erasistratum à Peripateticorum physiologia multum abhorruisse, proposito diuersorum dogmatum catalogo, quæ quidem fuerunt primum Hippocratis, deinde Peripateticorum, ac tandem Stoicorum; vno tantum excepto, quod ex horum sententia qualitates sint corpora. Quod Stoicorum dogma refutauit ex instituto Galenus proprio libro de hac re conscripto, Quod qualitates sint incorporeæ. Inter omnia autem dogmata quæ scribuntur hoc loco, illud solum videtur explicatione aliqua indigere, quo statuitur, qualitates in excrementis ab innato calore prouenire. Quod sane de his qualitatibus intelligere oportet, quæ propriam excrementorum substantiam sequuntur.

Quamuis

A Quamuis enim quæ in nostris corporibus secundum naturam colliguntur excremēta (vt stercus & vrina) non dicantur proprie concoqui quemadmodum nutrimenta, sed quod sint concoctionis indicia; negari tamen nō potest, quin caloris concoquentis beneficio propriam substantiā, & quæ hanc sequuntur qualitates, sibi compararint. Fœtorem tamen eorundē excrementorum ab innato calore prouenire credendum non est, cum sequatur potius ex diuturna mora corruptionem. Ex tam variis quæ hîc enumerantur Peripateticorum dogmatis, vnicum dumtaxat amplexus est Erasistratus, naturam scilicet artificiosam esse, & frustra nihil agere: quamquam neq. hoc constanter seruauerit, cum & lienem, & alias quasdam partes frustra factas fuisse affirmarit. Vnde constat, tantum abesse vt cū Peripateticis versatus fuerit Erasistratus, vt ab ipsorū potius dogmatis plurimum abhorruerit. Idem quoq in Logicis fecisse deprehenditur. Immo B & Logicam, quam Aristoteles Peripateticorum princeps exactissime docuit, videtur prorsus ignorasse. Erant namque ipsius libri rationibus inefficacibus, & parum concludentibus referti; cum tamen ad Logicum pertineat, rationum momenta expendere, sophisticasque & dialecticas sumptiones à necessariis distinguere.

CAP. V.

RGO miretur fortasse aliquis, ac dubitet, quamobrē Erasistratus tantopere ab Hippocratis dogmate abhorruerit. Ac cur meatus in iecinore qui bilem excipiunt, (de renibus enim abunde hactenus) tractoria vi priuans, appositam posituram, & osculorum causetur angustiam; ac locum quendam communem, in quem deducant venæ quæ a C porta veniunt, sanguinem impurum; accipiant autem priores quidem meatus bilē; postea venæ quæ ad cauam pertinent, purum iam sanguinem. Quippe cum si tractum dixisset, præterquam quod nihil accidisset incommodi, ab aliis sexcentis dubitationibus fuisset liber. Cū nunc pugna sit Erasistrati sectatoribus non parua, neque id cum aliis modo, verumetiam ipsis inter ipsos; nequeuntibus scilicet " interpretari verba illa in primo vniuersalium sermonum, quibus ait, Adapertis " autem in idē aliis duobus vasis, tum iis quæ ad bilis receptaculū, tum iis quæ ad " cauā venam tendunt; accidit, subeuntes ex ventriculo alimenti partes eas quæ " vtrisq. osculis sunt accommodæ, in vtraque transferri vasa; atq. alias earum ad " bilis receptaculum ferri; alias ad venā cauam transmitti. Illud enim Adapertis D in idem, quod in principio dictionis est positum, quo pacto sit intelligendū, difficile dictu est. Aut enim ita in idem, vt venæ eius quæ in cauo iecinoris est fini, copulentur alii duo fines, tum eius quæ est in gibbo, tum bilis ipsius meatus. Aut si non ita, locum quendam communem intelligere oportet, qui a tribus vasis sit diuersus, & velut receptaculum quoddam, quod impleatur quidem ab inferiore vena, vacuetur autem in bilis meatus, & in eas quæ a caua defissæ sunt venulas. In vtraq. vero expositione multa sunt incommoda, quæ si omnia dicam, videbor propositi mihi ab initio oblitus, in Erasistratum scribere enarrationem. Ceterum commune ambabus interpretationibus incommodum est, quod totus

sanguis non purgatur. Oporteret enim, in ipsum bilis vas, vbi videlicet percolaretur, incidere; non transire, ac præterfluere celeriter in os maius, digestionis scilicet impetu latum. An igitur his solis difficultatibus implicatus hæret Erasistrati sermo, dum tractoria facultate ad quiduis vti recusat? An vehementissime quidem in his, liquidoque adeo, vt nec puerum lateat? A

Intermissam de bilis secretione & digestione nutrimenti disputationem repetit. Ac quoniam secundo capite sectatorum Erasistrati opiniones refutauerat; quæ de secretione bilis ab ipsomet Erasistrato tradita fuerant libro primo sermonum vniuersalium, hoc capite proponit. Quæ sane ita difficilia erant atq. obscura, vt ne inter ipsius quidem sectatores de legitimo sensu conueniret. Proponit autem duas eius loci explicationes, ambasque ex communi quod sequitur incommodo, refellit. Nam vtcumq. locus ille Erasistrati explicetur, id semper sequetur incommodi, quod non posset totus sanguis abile expurgari; sed ille tantum qui ad meatus bilis deferretur. Quippe cum venæ cauæ fines multo patentiores sint, impurum sanguinem facillime recipient. B

CAP. VI.

VERVM siquis attente consideret, nec eius de nutrimento sermo quem in secundo vniuersalium sermonum scribit, easdem difficultates effugiat. Siquidem vno illo lemmate successionis ad id quod vacuatur concesso, ceu prius ostendimus, conclusit quiddam de venis solum, & qui in his habetur sanguine. Effluente enim per ora earum ac digesto sanguine, cum nec simul vniuersus esse vacuus locus posit, nec venarum quidquam concidere; (id namque erat omissum) necesse erat, vt quod continuum fuit sequeretur, ac vacuati locum impleret. Atq. venæ quidem nobis ita nutriuntur, sanguine scilicet quem in se habent, fruentes. At nerui quomodo nutrientur, neque enim in his sanguis habetur? Nobis namque in promptu est respondere, quod trahendo a venis; sed hoc illi non placet. Quidnam igitur hîc comminiscitur? Nempe neruum venas in se arteriasque habere, veluti catenam ex tribus diuersis natura loris contextam. Ex hac etenim ad disputationem sumpta hypothesi, putauit se tractum posse declinare. Neque enim amplius neruum cum sanguinis in se vas habeat, sanguinis alterius qui extrinsecus ex vicina vera vena confluat, indigere; sed satis illi ad nutrimentum esse vas illud confictum, quod ratio comprehendat. At hîc rursus alia difficultas hominem excipit. Hoc namq. ipsum exiguum vasculum seipsum quidem nutriet, simplicē vero illum qui ipsi adiunctus est neruum, vel arteriam, fieri nequit vt nutriat; nisi his insita quædam trahendi nutrimenti vis subesse cōcedatur. Nam successione ad id quod vacuatur quopacto attrahere alimentum queat simplex ille neruus, ad eum modum quo compositæ venæ? Nempe quia cauitas quædam in illo est, ipso auctore. At ea cauitas spiritu animali plena est, non sanguine. Est autem nobis non in hanc cauitatem

C (margin), D (margin)

A *uitatem inducendum alimentum, sed in vas quod eam contineat; siue id tantummodo nutriri, siue etiam augeri est opus. Ergo qua ratione inducemus? Est enim adeo exiguum simplex illud vas, præterea reliquorum vtrumque, vt si minima acu partem eius aliquam pupugeris, tria simul diuiseris. Itaque sensibilis in eo locus vacuus fieri simul vniuersus non potest; qui vero ratione spectatur, non cogit, cum vacuatur, vt quod continuum est necessario sequatur.*

Quamuis capite primo firmissima ratione ostenderit, nutrimenti distributionem consequutione ad id quod vacuatur fieri non posse; nunc tamen Erasistrati de hac re sententiam accuratius refellit. Nã si consequutione ad id quod vacuatur fieret nutrimenti digestio, solę venæ, reliquarum vero partium nulla sanguine nutriri posset. Quippe cum solæ venæ sanguinem contineant, ipsæ solæ B quando inaniuntur, sanguine repleri poterunt; cum vacuus locus dari non possit, vt dicebat Erasistratus; neque venæ, vt addebat Asclepiades, possint in seipsas concidere. At reliquarum partium nulla sanguinem in se continet, nisi forte cor, quod sane intra proprios ventriculos plurimum sanguinem perpetuo habet. Sed & hunc ex vena caua accipit cor, vt ante diximus. Sed nonne arteriæ sanguinem arterialem continent, quemadmodũ venæ sanguinẽ venalem? Ita sane, Erasistratus tamen (cuius sententiam hoc loco refutat) solum spiritũ continere arbitrabatur; vt constat ex libro Galeni aduersus Erasistratum de hac re conscripto, An sanguis in arteriis natura cõtineatur. Si ergo reliquæ partes sanguinem non continẽt, quomodo sanguine inanientur? Et rursus, si non inaniuntur sanguine, quomodo sanguis consequutione ad id quod vacuatur ad ipsas C distribuetur, vt eo nutriri possint? Hanc sane rationem quæ partibus omnibus communis est, neruis priuatim Galenus accommodat, quos recte monstrat nutriri non posse, si consequutione ad id quod vacuatur fiat sanguinis distributio. Erasistratus tamen vt aliquid dixisse videretur, hanc de nutritione neruorum commentus est rationem. Singulos neruos asseruit, ex tribus partibus, simplicissimis illis quidem, natura tamen maxime diuersis, cõstare; neruulo scilicet simplicissimo & elementari, arteriola, & venula. Hanc solam sanguinem continere, eo tamen non solam ipsam, sed & neruulum, & arteriolam nutriri affirmauit. Sed neque sic potest Erasistratus superioris rationis vim effugere. Nam si sola venula sanguinem continet, sola ipsa poterit inaniri sanguine, & consequutione ad id quod vacuatur nutriri. Neruulus autem & arteriola cum sanguinem non contineant, ad eum modum nutriri non poterunt. Quare aut concedẽdum D est, neruulum ex venula ad sui nutritionem sanguinem attrahere, aut in seipso sanguinem continere. Illud quidem Erasistratus (vtpote qui vim attractricem omnino neget) nequaquam concedet; hoc vero fieri non posse recte probat Galenus. Siquidem licet neruos omnes cauitate præditos cum Erasistrato concedamus; sanguinem tamen nullo adhuc pacto continebunt, cum eiusmodi cauitas animali spiritui, qui ex cerebro ad neruos omnes transmittitur, recipiẽdo, Erasistrato auctore, dicata sit. Sed solos neruos opticos perforatos esse alibi diximus.

Velim porro rursus hoc loco mihi respondeat Erasistratus ipse de elementari illo exiguo neruo, sitne vnus & prorsus continuus, an ex multis & exiguis corpusculis illis, quæ Epicurus, Leucippus, & Democritus proposuerunt, composi-

tus: nam de hoc quoque Erasistrati æmulos dißidere animaduerto. Alii namque vnum eum esse, continuumque putant; alioqui nec simplicem eum nominandum ab eo fuisse dicunt. Alii hunc quoque audent in alia elementaria diuidere. Verum si vnum quiddam continuumque est, quod ex eo per insensilem a medicis dictum perspiratum vacuatur, nullum relinquet in eo locum vacuum; cum ita vnū non fuerit, sed plura, vacuis scilicet locis inter se diuisa. Sin ex multis est conditum, per horti posticum (vt in prouerbio est) ad Asclepiadem discesßimus, quæ cohærere inter sese non possunt elementa statuentes. Ergo rursus artis expertem esse naturam dicamus, cum eiusmodi elementa necessario hoc sequatur. Quare parum erudite mihi videntur Erasistrati æmulorum quidam, ad eiusmodi elemēta simplicium vasorum solutionem redigere; mea enim nihil refert. Secundum vtrosque enim absurda erit nutritionis ratio, cum in simplicibus illis exiguis vasis quæ magnos ac sensibiles neruos conficiunt, non poßit, sententia eorum qui continua ea defendunt, fieri ad id quod vacuatur succeßio; quod & in continuo nihil sit vacuum; ac siquid effluat, partes quæ relinquuntur (veluti in aqua cernitur) inter se coëant, rursumque vnum fiant: ipsæ scilicet digesti locum occupantes. Alterius vero sectæ sententia, etiam absurda erit nutritionis ratio, propterea quod succeßione ad id quod vacuatur illorum elementorum nullum eget. Habet enim ea succeßio in sensibilibus tantum, non etiam in iis quæ ratione spectantur, vim; sicuti ipse Erasistratus manifeste fatetur, vbique non de vacuo id genus quod minutim corporibus aspergitur, se agere testificans, sed de manifesto, & sensibili, & multo, simul collecto, & magno, & euidenti, vel quomodocumque aliter nominare libuerit. Quippe Erasistratus ipse vacuum sensibile quod simul totum sit, ait esse non posse; ego vero cum nominibus abundarem, quæ idem in proposito sermone valerent, etiam reliqua adieci. Non alienum vero videtur, si ipse quoque aliquid, quando huc veni, Erasistrati sectatoribus conferam, horterque, vt cum primum illud & simplex ab Erasistrato vocatum vas in alia soluunt elementaria corpora, ab ea opinione desistant; cum præter id quod nihil promouent, etiam ab Erasistrato dißideant. Ac quod nihil quidem promoueant, liquido est monstratum, neque enim effugere dubitationem quæ de nutritione est proposita, opinio ea potuit. Quod autem nec cum Errasistrato sit consentiens, cum id quod ille primum & simplex nominat, compositum faciat, ac naturæ artem destruat, manifestum id quoque mihi videtur. Si enim in simplicibus his vnitionem quandam substantiæ non relinquemus, sed ad elementa quæ nec coalescere possunt, nec in partes diuidi, descendemus, omnino naturæ artem perimemus: quod vtique omnes faciunt, qui hanc hypothesim pro principio habent, tum medici, tum philosophi. Quippe secunda & posterior animalis partibus secundum hanc hypothesin natura est, non prior: at formare, & condere, non eius est quod secundo fit; sed

eius

A *eius est quod secundo fit, sed eius quod fuit prius. Quare necesse est, statim ex ipso maris semine naturæ facultates, quibus format, auget, nutritque animal, esse præsumere. At corporum quæ nec vna committi, nec diuidi possunt, nullum in se formatricem, auctricem, nutricem, aut in summa artificem facultatem habet: quippe quod impatibile esse, immutabileque, præsumitur. Prædictorum vero sine nutritione, & alteratione, & ea quæ per tota fit mistione (veluti supra indicauimus) nullum consistit. Atque ob hanc necessitatem omnes eiusmodi opinionum sectatores, quo consentanea elementis iis quæ proposuerunt, dicerent; naturam vel nolentes coacti sunt, artificē esse negare. Verū hæc non a nobis Erasistrati sequaces, sed a philosophis discere par erat; quibus scilicet illud maxime placet, omnium rerum elementa primum esse consideranda. Non recte igitur putandus* B *est Erasistratus eo ignorantiæ progressus, vt ne hanc quidem dignoscere posit consequentiam: sed vt simul naturā artificiosam esse proponeret, simul in impatibilia, & quæ nec vna coniungi, nec mutari possint elementa, substantiam cōcerperet. Atqui si in elementis alterationem aliquam, & mutationem, & vnionem, & continuitatem dederit; vnum ei, minime compositum, vas illud quod simplex vocat, erit. Verum simplex vena a seipsa nutrietur, neruus vero & arteria a vena. Sed qualiter quæro, & quemadmodum; hoc enim disceptationis nostræ loco discordiæ Erasistratiorum superius meminimus, monstrauimusque, neutro-* C *rum sententia quemadmodum simplicium illorum vasorum nutritio fiat, constare. Sed nec indicare pugnantiam eorum sumus grauati, præterea Erasistrato honoris aliquid deferre, translato scilicet in meliorem sectam.*

Probat rursus, neruulum illum simplicem consequutione ad id quod vacuatur nutriri non posse. Nam aut vnus est neruulus ille, & prorsus continuus, aut ex atomis compositus. Si continuus vnusq. sit, (vt quidā ex sectatoribus Erasistrati asserebant) quod ex eo per insensilem transpiratum vacuatur, vacuum locum relinquere non potest; tum quia si daretur locus vacuus, non esset corpus continuum, sed in plura necessario diuisum; tum etiam quia quæ relinquuntur partes, eius quod effluit locum occupant, vt in aqua fieri cernitur. Si vero (vt alii volebant) neruulus ille ex atomis sit compositus, quamuis inter atomos D necessario sit vacuum, illud tamen minimum est & insensile. At ipsemet Erasistratus fatebatur, in vacuo sensibili & manifesto successionē ad id quod vacuatur vim tantum habere. Huc accedit, quod qui neruulum illum ex atomis compositum esse asserunt, Erasistrato suo contradicunt, qui eiusmodi neruulum simplicissimum ac elementarem nominauit. Rursusque concessis atomis, multa cōcedenda sunt dogmata, cum Erasistrati dogmatis pugnantia. Qualia potissimū hæc sunt, naturam esse artis expertē; naturā esse posteriorem corporibus; & alia id genus. Ex quibus satis constat, neruulum illum, siue vnus sit & continuus, siue ex atomis compositus, consequutione ad id quod vacuatur nutriri non posse.

Rursus igitur ad eam quæ elementarem illum neruum, vnum, simplicem, & sibi vndique vnitum proponit, disputatio conuersa, quemadmodum nutriendus sit,

sit, consideret: quod namq. hîc inuentũ erit, commune id Hippocratis quoq. sectæ fuerit. Aptius autem mihi quod quæritur disquirendum esse videtur in iis qui ægrotauerunt, & vehementer sunt extenuati. Omnes enim his corporis particulæ & nutrimento defectæ, & graciles esse, tum plurima additione, refectioneque indigere videntur. Ergo etiam neruus hic sensibilis, cuius caussa inceptus sermo est, in his gracilis admodum est redditus, ac nutritione eget. Habet vero in se partes plurimas, tum primos illos & inuisibiles neruos, tum paucas quasdam simplices arterias, itemque venas. Omnes igitur eius quoque elementares nerui extenuati sunt; aut si non illi, vtique nec totus. Itaque etiam sicuti totus, ipsi quoque nutriri postulant. Atqui si nutriri postulant, nec potest illis quidquam conducere ad id quod vacuatur successio, nõ propter iam dictas modo dubitationes, sed etiam propter recens contractam (vt indicabo) gracilitatem; quærẽda nobis alia nutritionis est caussa. At quid igitur caussæ est, cur fieri nequeat, vt successio ad id vacuatur eum qui sic sit affectus nutriat? Nempe quod ea ratio tantum succedere continui necessarium facit, quantum effluit. Hoc vero iis qui commodo sunt corporis habitu, satis ad nutritionem est, vtpote quibus ea quæ apponuntur iis quæ effluunt paria esse oportet. At in iis qui ad vltimum sunt graciles, ac liberaliter refici postulant, nisi multo plus sit quod apponitur quam id quod vacuatur, pristinum restituere habitum numquã poterit. Liquet igitur, quod tanto plus sunt attracturi, quanto etiam pluribus egent. Porro Erasistratus hîc quoque se prius facere quod secundum est, nescio quo pacto non aduertat: propterea enim, inquit, quod multa additio iis qui ægrotarunt, quo reficiantur, fit; idcirco multum etiam ad hanc succedit. At quomodo multa fiat additio, vbi copiosa non præcessit digestio? Quod si nutrimenti per venam transitũ Græce ἀνάδοσιν (id est digestionem, siue distributionem) appellant; translationem autem quæ in singula simplicium illorum & inuisibilium neruorum, arteriarumque fit, non ἀνάδοσιν, sed διάδοσιν, (quasi traditionem, vel porrectionem dicas) veluti nonnulli nominandam censuerunt; postea vero qui per venas agitur transitum, sola fieri successione ad id quod vacuatur dicunt; age, translationem quæ fit in illa quæ sunt ratione spectabilia, nobis interpretẽtur. Quandoquidem quod successionem ad id quod vacuatur asserere esse in his non possunt, ac potissimum in corporibus quæ ad vltimum sunt extenuata, demõstratum iam est. Quæ vero de his verba in secundo vniuersalium sermonum Erasistratus dicat, operæpretium est audiisse.

A B C D

Vltimis & simplicibus quæ tenuia angustaque sunt, ”
appositio ex vicinis contingit vasis; in vacuitates scilicet eorum quæ abierunt, ”
nutrimento a lateribus vasorum attracto, ac translato. ”

Ex hac dictione primum illud A lateribus admitto plane, ac recipio. Neque enim possit simplex neruus, si per os nutrimentum acciperet, id in se totum distribuere, vt qui dicatus spiritui

animali

A *animali ſit: at a latere licet, a ſimplici quæ iuxta ſita eſt vena, alimentum recipiat. Secũdo loco recipio ex Eraſiſtrati verbis, quod deinceps ſubiicitur illi A lateribus. Quid igitur ait? A lateribus vaſorum nutrimẽto attracto. Ergo quod trahatur quidem, nos quoque fatemur; quod autem ſucceſsione ad id quod vacuatur non trahatur, prius eſt demonſtratum.*

Quoniam ſentiebat Eraſiſtratus, elementarem illum neruulum ſimplicem eſſe & ſibi continuum; demonſtrat rurſus Galenus, nutriri ipſum non poſſe ſucceſſione ad id quod vacuatur. Id autem cõfirmat firmiſsima ratione, deſumpta ex iis qui ex diuturno quopiã morbo conualeſcunt; qui quidẽ cum ſint vehementer extenuati, ſenſim renutriti ad priſtinum ſtatũ reuocantur. Si igitur neruulus elementaris qui in his conualeſcentibus, non ſecus ac reliquæ partes, extenuatus eſt, ſucceſsione ad id quod vacuatur nutriretur, numquam poſſet ad B priſtinum ſtatum redire. Quippe vt id fiat, plus ſanguinis affluat neceſſe eſt quã ſit inanitum; at in ea ſucceſsione tantum affluit quantum eſt inanitum. Reſpondebat tamen Eraſiſtratus, multã in iis qui ęgrotarunt ſanguinis ſucceſsionẽ fieri, quia additio multa fit. Quam reſponſionem merito refellit, quoniam id quod poſterius eſt, tamquam primam cauſſam ſtatuit, multam ſcilicet ſanguinis additionem; quam quidem neceſſario præcedere debet multa inanitio. Porro Eraſiſtrati ſectatores hanc Galeni rationem ſic ſoluere tentarunt, vt inter ἀνάδοσιν & διάδοσιν ſtatuendũ ſit diſcrimen ex Eraſiſtrati ſententia. Ανάδοσιν, inquiunt eſſe tranſitum, aut digeſtionem, aut diſtributionem ſanguinis, quæ fit per venas; διάδοσιν vero, ſanguinis translationem, quæ ex venis fit in particulas illas ſimplicisſimas, & elementares, veluti neruulum & arteriolam. Ανάδοσιν itaq. conC ſequutione ad id quod vacuatur fieri aſſerebant; διάδοσιν vero nequaquam. Sed & hos reprehendit, quod diſtributionis ſolius cauſſam reddiderint, tranſlationis vero nullam aſsignarint. Citatis tamen eiuſdem Eraſiſtrati verbis ex libro ſecundo ſermonum vniuerſalium, eiuſmodi translationẽ attractione fieri demonſtrat; eamque Eraſiſtrati ſententiam duplici nomine commẽdat; & quod attractionis meminerit, & quod à lateribus nutrimentum à neruo attrahi dixerit; quorum vtrumque eſt verum. Nam & nutrimentum à neruis attrahitur, non tamẽ ſucceſsione ad id quod vacuatur, vt ipſe voluit; & à neruorum lateribus attrahitur. Quamuis enim nerui omnes ex ipſius ſententia cauitate ſint prędit; eam tamen cauitatem recipiendo animali ſpiritui dicatam eſſe dicebat, quem ex cerebro ad neruos omnes deſcendere putabat.

D CAP. VII.

RGO ad quem modum trahatur, in commune inueſtigemus. Quo porro alio, quam ſicut a magnete lapide ferrum, qui ſcilicet talis qualitatis trahendæ vim habet? At vero ſi diſtributionis principiũ expreſsio ventriculi præſtat, reliquum vero eius proceſſum omnem tum venæ ipſæ contractæ ac propellentes, tum ſingula quæ nutriuntur ad ſe trahentia; ſucceſsionem ad id quod vacuatur repudiantes (quippe quæ hominem qui artificioſam naturam ſtatuit, parum deceat) iam Aſclepiadis obiectionem declinauerimus, quam ſcilicet ſoluere non poteſt. Lemma enim quod ad demonſtratio-

Aliqui legunt non poſſumus, & multo rectius, nam Græce ſic habet μὴ δυνάμενοι γὲ λύειν αὐτήν.

strationem disiunctum sumitur, non vtique ex duobus, sed ex tribus reuera est disiunctum. At siquidem veluti ex duobus eo vtemur, falsum erit aliquid eorum quæ ad demonstrationem sumuntur; si veluti ex tribus, minime claudens ratio erit. A

Refutato Erasistrato, ipsiusque sectatoribus, docet nunc tandem quomodo fiat nutrimenti distributio. Fit autem à duabus facultatibus naturalibus, attractrice & expultrice; hæc namque distributioni initium præbet, illa vero perficit. Fit autem triplex in nobis nutrimenti digestio, vna ex ventriculo & intestinis ad iecur, altera ex iecore ad venam cauam, & tertia ex vena caua ad reliquas partes nutriendas. Digeritur itaque primum concoctum in ventriculo nutrimentum ad tenuia intestina, propellente ventriculo, & in seipsum compresso contractis fibris transuersis: quemadmodum ex tenuibus intestinis ad iecur, ipsomet iecore per venas mesaraicas, veluti per manus quasdam trahente. B Ex iecore rursus sanguis ex chylo genitus in venã cauã transmittitur, tũ propellente iecore, tũ vena caua attrahente; hac nãq. mutua opera fit, vt ex ramis venæ portæ in venę cauæ ramos sanguis trãsfundatur: siue id fiat propter eorũ vasorũ anastomosin, quã multi finxisse potius quã cõspexisse videtur, siue (vt mõstrat accurata dissectio) quod eorum vasorũ tunicæ, alioqui tenuissimæ, variis foraminibus sint pertusæ. Tandem vero vena caua in venas sibi proximas expellente, hisque simul & attrahentibus, & in alias expellentibus, in propria nutriendarum partium vasa sanguis defertur, è quibus partes ipsæ familiarem sanguinem ad se trahunt. Hæc verissima est de nutrimenti per vniuersum corpus distributione Hippocratis Galenique sententia, quæ omnem reprehensionem calumniamque effugit. C Neque enim hanc ratio illa quam primo capite proposuimus, conuellere potest, ex disiuncto duarum, aut etiam trium partium desumpta. Quippe si ex duabus dumtaxat partibus constet cum Erasistrato, falsa erit propositio: quia verum non est, in cuiusuis corporis vacuatione aut vacuum locum concedi debere, aut consequi quod continuum est; cum possit inanitum corpus in seipsum concidere, vt recte dicebat Asclepiades. Si vero disiunctum ex tribus partibus cum Asclepiade constet, vera quidem erit propositio, nihil tamen ratio concludet; sequetur namque quod continuum est, non quidẽ fuga vacui, sed quod à partibus quibusdam expellatur, ab aliis vero trahatur.

CAP. VIII.

TQVE hæc minime ignorasset Erasistratus, si vel per somnium aliquando cum Peripateticis fuisset versatus; æquæ vt nec ea quæ ad generationem succorum pertinent. De quibus cum quod diceret nihil haberet, ne quod mediocriter quidem probabile esset; fallere se putat, dum inutilem prorsus esse id genus contemplationem prætendit. Sed numquid, quæso, quemadmodum quidem cibi concoquantur in ventre, sciuisse est vtile; quemadmodum autem in venis bilis fiat, est superuacuũ? Ac solius vacuationis eius habenda est ratio, generationis eius nulla cura? Ceu non longe facilius sit, prohibere ab initio ne multa gignatur, quam sollicitos & occupatos esse de va- D

A *de vacuanda. Mirũ vero est & illud dubitare hominem, in corpore ne statuenda*
generatio eius sit, an potius in ipsis cibis extrinsecus contineri dicenda. Nam si
id commode dubitatur, cur etiam de sanguine nõ quæremus, habeat ne is in cor-
pore generationem, an in cibis sit aspersus, veluti aiunt qui opinionis de partibus
similaribus sunt auctores? Atqui multo magis ad rem pertinebat illud quæri,
quinam cibi sanguini faciendo maxime consentiant, qui dissentiant; quam qui
ventriculi operi facile cedant, qui aduersentur, & pugnent: quippe horum defe-
ctus ad solam concoctionem, illorum ad sanguinis generationem interest. Non e-
nim paris momenti est, vel sanguinem bonum non gigni, vel nutrimentum in ven-
B *tre probe in chylum non verti. Quo pacto autem non erubescit, cum concoctionis*
frustrationes diuidat, ceu multæ sint, multisq. ex occasionibus incidant; de san-
guinis viciis nec verbo tenus; immo ne syllaba quidem tenus mentionem facere?
Atqui in venis reperitur & crassus, & tenuis sanguis; item aliis corporum ma-
gis ruber, aliis flauior, aliis magis ater, aliis pituitosior. Quod si quis graueolen-
tem eum, idque non vno tantum genere, sed multis plane differentiis (quæ vt ser-
mone explicari non possunt, ita sensu liquido apparent) intelligat; non mediocri-
ter vt arbitror, Erasistratum negligentiæ damnabit, qui tam necessariam ar-
tis contemplationem prætermiserit. Manifestum enim est, eorum quæ de hydro-
C *pe praue sentit, hanc negligentiam fuisse merito caussam. Nam quod venarum*
angustia prohiberi sanguinem vltra per iecur procedere putat, nec alia ratione
vlla hydropem posse fieri, quomodo non extremam prodit eius ignauiam? Iam
quod nec vicio lienis, nec alterius cuiusquam particulæ, sed perpetuo ex iecino-
ris scirrho gigni hydropem existimat, prorsus secordis est hominis, nec quidquam
eorum quæ quotidie fiunt, intelligentis. Siquidem ex diuturnis hæmorroidibus,
vel suppressis, vel immodica profusione hominem ad extremam frigiditatem du-
centibus, non semel aut bis, sed sæpe iam aquam intercutem collectam vidi. Si-
cut mulieribus quoque tum menstruæ purgationis omnimoda cessatio, tum immo-
dica vacuatio (cum scilicet vteri nimio sanguinis profluuio laborarunt) sæpe hy-
D *dropem accersiuerunt. Nonnullis vero earum & qui muliebris vocatur fluxus,*
in hunc terminatus est morbum; * *vt qui ab ilibus* * *incipiunt, alioue quopiam op-* πάθος.
portunorum ad id membrorum, hydropas præteream. Qui ipsi quoque Erasistra- * τῶν κενεώνων.
ti opinionem clare refellunt, verum non adeo luculenter vt qui ex toto corporis
habitu immodice refrigerato oriuntur. Est enim ea prima generandi hydropis
caussa, ex sanguificationis defectu proueniens; simili genere atque ea, quæ ci-
borum concoctionis defectu fit, diarrhœa. Atqui in tali hydropis genere nec aliud
viscus vllum, nec iecur scirrho est affectum.

De succorum generatione quæ naturæ actio est maxime insignis, disputatio-
nem instituit, refellens primum hoc capite quæ ab Erasistrato de ipsa sunt tra-
dita;

A dita; quæ tria potissimum sunt, inutilem scilicet medico esse contemplationem de generatione humorũ; de ipsorumque vacuatione potius quam generatione medicum sollicitum esse debere; ac tandem dubium esse, an bilis actu contineatur in cibis, an in nostris corporibus potius gignatur. Inprimis itaque si inutile medico est, quomodo succi generentur, cognoscere, inutile quoq. fuerit, quomodo cibi in ventriculo concoquãtur, intelligere. Ergo quemadmodũ de succorum generatione nihil dixit Erasistratus, ita de ciborum concoctione nihil dicere debuisset: aut si de hac aliquid dicendum putauit, etiam de illa. Atqui de ciborum concoctione ipse disseruit, contemplationem vero de succorum generatione tamquam inutilem neglexit. Deinde cum satius sit, multoque vtilius, prohibere medicum ne multa ab initio redundet bilis, quam eandem iam redundantem postea vacuare; medicum profecto magis oportet de bilis generatione, quam de eiusdem vacuatione esse sollicitum. Neque maior tandẽ ratio est, cur de bile potius quam sanguine dubitandum sit, contineatur ne actu in B iis qui assumuntur cibis, an gignatur in corporibus: Anaxagoras enim qui similares particulas corporum elementa statuebat, sanguinẽ cibis aspersum esse arbitrabatur. Immo de sanguine potius quam bile id quæri debuisset, vt scilicet distingueremus, qui cibi multum, qui paucum sanguinem creent: quod in victus ratione instituenda maxime est necessarium. Quæ sane distinctio tanto vtilior censenda est, quanto sanguinis generatio ciborum concoctione est præstantior. Quamobrem iusta reprehẽsione dignus est Erasistratus, qui cum de ciborum concoctione, ipsiusque viciis multa dixisset, de generatione sanguinis, & quæ illi accidere possunt viciis, nihil penitus docuit. Atqui plura esse posse sanguificationis vicia, variæ sanguinis differentiæ ex consistentia, odore, coloreque multiplici desumptę, in iis etiam qui sanitate fruuntur, apertissime ostendũt, nedum in ægris. Vnde factum est, vt eorum morborum atque symptomatum caussas ignorarit Erasistratus, quæ fieri solent læsa sanguificatione: cuius C generis est hydrops. Huius namque vnicam dumtaxat caussam primam statuit, nempe iecoris scirrhum, ab hoc vero venarum angustiam fieri voluit, a qua rursus sanguinis transitus impediatur, & tandem fiat hydrops, tenui scilicet, aquosaque sanguinis parte in vniuersum corpus transsumpta, sincero autem sanguine propter crassitiem in caua visceris parte permanente: ita namque Erasistrati de hac re sententiam alibi interpretatur. Bifariam autem hîc decipitur Erasistratus, & quod vnicam nouerit hydropis caussam, & quod impedito sanguinis transitu à iecoris scirrho, hydropem fieri voluerit. Fatemur quidem, à iecoris scirrho fieri aliquando hydropem, in eoque vasorum ora vsque adeo interdum arctari, vt cibus ex fimis iecoris partibus in deuexas transmitti nequeat. Solet D vero talis hydrops, breui (vt testatur Gal.) ægrum interficere cũ alui profluuio. Non tamen fit huiusmodi hydrops impedito ob iecoris scirrhum vasorũ ora cõprimentem sanguinis transitu; sed quod refrigerato iecore sanguinis generatio lædatur. Rursus nec à solo iecoris scirrho hydrops nasci potest, sed in vniuersum ab iis omnibus quæ iecur perfrigerare possunt. Refrigeratur autem vel ex proprio affectu, vel per consensum. Proprio quidem affectu laborat, quando à caussis externis (vt immodico intempestiuoque frigidæ potu) vel à caussis internis, primum refrigeratur. At caussæ internæ vel per se, vel ex accidenti iecur refrigerant. Per se quidem, frigidi humores, pituitosi, aut melancholici; siue hi in iecoris vasis obstructiones pariant, siue in propria iecoris carne scirrhum gignant. Ex accidenti vero, omnes immodicæ vacuationes, potissimumque sanguinis

Lib. 5. de loc. affect. cap. vlt.

Lib. 2. de art. cur. ad Glau. cap. 5.

A guinis: quo fit, vt immodica sanguinis profluuia, per nares, hæmorroides, & vterum, hydropem non raro accersant; quemadmodum & profluuium muliebre appellatum. Porro per consensum afficitur iecur, quando frigida alterius partis intéperies, aut ob vicinum situm, aut ob vasorum continuitatem ipsi cõmunicatur. Quo pacto fieri solet hydrops ex scirrho lienis, vel suppressis mensibus, aut hæmorroidibus; propterea que merito cõsulit Hippocrates, vt in diuturnis hæmorroidibus curandis vna saltem seruetur, ne hydrops cõtingat, aut tabes. Iam vero & ex toto corporis habitu immodice refrigerato incipere potest hydrops, quemadmodum etiam ex ilibus, vt vertit Linacer, Græce ἀπὸ τῶν κενεώνων. Vocantur autem τὰ κενεῶνα, partes ventris inanes, quæ inter extremã thoracis costam & ilium ossa habentur, quæ quidem ieiunum continent, mesenterium, & intestina tenuiora: nam tota ea regio inanis videtur, si cum supernis Aphor.12.lib.6

B infernisque partibus, vtrisque osseis, conferas. Sic vocem eam interpretatur Galenus in Prognosticis, vbi etiã probat Homeri testimonio, easdẽ illas partes inanes, quod flaccidæ sint, (nisi paullo ante cibo ac potu repletus sit venter) vocari λαπάρας. Vnde intelligitur error Linacri, qui partes inanes non distinxit ab ilibus, cum tamen ilia sint imæ ventris partes à lateribus iuxta pubem, quæ Græcis appellantur λαγόνες. Solent vero & partes inanes Hippocrati aliisque medicis vocari hypochondria, vt constat ex lib. 1. prognost. sent. 27. & 28. Incipit ergo aliquando hydrops à partibus inanibus, siue hypochondriis; potissimũq. ieiuno, mensenterio, & tenuibus aliis intestinis; vbi scilicet huiusmodi partes fuerint immodice refrigeratæ, suãq. intemperiem hepati cõmunicauerint. Sed de caussis hydropis in pathologicis agemus accuratius. 2. Prog.com.1.

C *Ceterum vir sapiens Erasistratus, negligens, contemnensq. quæ nec Hippocrates, nec Diocles, nec Praxagoras, nec Philistion, sed nec quæ optimorum philosophorum vllus contempsit, non Plato, non Aristoteles, non Theophrastus, totas actiones præterit, veluti exigua quadam & momentanea artis omissa parte: ne quidem vel contradicẽdum censens, siue recte, siue non recte omnes hi, calido, frigido, sicco, humido, aliis veluti agentibus, aliis veluti patientibus, quæ in corpore animalis sunt, omnia gubernari dicant: quodque calidũ in his tum ad alias actiones, tum vero præcipue ad succorum generationem plurimum valeat. Verũ tot tantisq. non assentiri viris, sed plus se sapere quã illos putare, sine inuidia esto: at nec refutatione, nec mentione tam celebre dogma dignari, id vero immensam*

D *quandam eius prodit superbiam. Tametsi maxime pusillo abiectoque animo est, vbicũq. aliquid refutat; in disceptatione quidẽ de concoquendo, eos qui putrefieri cibos autumant, refutandi occasionẽ ambitiose captans; in ea vero quæ de digerẽdo agit, eos qui propter applicationẽ arteriarũ distribui venarũ sanguinẽ existimant; in ea rursus quæ de respiratione instituitur, eos qui circumtrudi aërem dicunt. Sed nec grauatus est contra eos qui halitus ritu vrinas meare in vesicam contendunt disputare; nec etiam contra eos qui in pulmonem ferri potionem aiunt. Ita cum pessimas quasque opiniones delegerit, delectatur prolixe in refutationibus immorari. De sanguinis vero generatione, quæ tamen ciborum in chylum conuersione nihilo est inferior, nec contra veterum quemquam disputare*

censuit; nec ipse aliam inducere opinionem est ausus; is scilicet, qui in principio vniuersalium sermonum de omni naturali functione, & quemadmodum, & quibus animalis partibus quæque fiat, pollicitus est disserere. An quæso, concoquendi cibi facultate imbecilla, cruditate laborabit animans, eius vero quæ iam concocta in sanguinem vertit, nullus omnino erit affectus, sed hæc sola nobis adamantina est, & impatibilis? An alia quæpiam imbecillitatis eius soboles erit, quam hydrops? Patet igitur liquido, Erasistratum, cum in aliis ne in leuissimas quidem opiniones inuehi sit grauatus, hac vero in re nec refellere priores, nec ipse nouum aliquod in medium adferre sit ausus, dogmatis sui errorem agnouisse. A

B

Alio nomine reprehendit quoque Erasistratum, quod scilicet Hippocratis, Platonis, Aristotelis, aliorumque philosophorum, ac medicorum dogma de generatione humorum (alioqui celeberrimum) ita neglexerit, vt ne ipsius quidem meminerit, tantum abest vt refellerit: cum tamen absurdissimas aliorum opiniones curiosius refutasset, ex quibus quinq. in præsentia enumerat. Prima quidem eorum est, qui ciborum concoctionem quæ in ventriculo fit, putredinem quandam esse existimarunt. Cuius sententiæ primus auctor, vt refert Cel-
In procemio. sus, fuit Plistonicus Praxagoræ discipulus; eandẽ vero visus est amplecti Asclepiades, cuius rationes dissoluemus libro sequenti. Altera opinio eorum est, qui nutrimenti distributionem propter arteriarũ applicationem fieri arbitrati sunt. Non autem constat, quisnam fuerit huius opinionis auctor, & qualis sit arteriarum applicatio, quam isti distributionis caussam statuebant. Quamuis enim aliqua cibi concocti portio (ea scilicet quæ tenuissima est & maxime halituosa) in arterias quæ in ventriculũ, intestinaque finiuntur, distribui possit; non tamen proinde verum erit, ob arteriarum applicationem nutrimenti distributionem fieri, quã à facultate expultrice, & attractrice fieri antea diximus. Ioubertus tamen sic rem interpretatur, vt arteriæ suo perpetuo motu venas sibi vicinas feriant, indeque sanguinem concutiendo protrudant, donec in vniuersum corpus distribuatur. Mihi tamen probabilius videtur, nutrimenti distributionem fieri propter applicationem arteriarum, quoniam arteriæ dum dilatantur, ex venis proximis sanguinẽ attrahunt, quem rursus ex proximis arteriis attrahũt
In Timæo. aliæ, donec ad extremas nutrimentum peruenerit. Tertia opinio fuit Plat. qui in respiratione aërẽ circumtrudi asseruit. Quippe cum attractionẽ negasset Plato, atque ab Hippocratis sententia hoc potissimũ nomine recessisset; aëris circumuolutionem cõmunem respirationis perspirationisq. caussã statuit. A spiritu namq. qui per cutem exhalat, vicinum aërem è propria sede depelli dicebat, mox proximum, rursus alium, donec ad hunc modum intrusus & circumactus aër per os ingrediatur: quo tempore respirationem fieri existimabat. Perspirationem vero, quando spiritus qui egreditur per os, ambientem aërem ita impellit, vt cutis meatus ingredi cogatur. Ita vt veluti rotæ cuiusdam circumuolutionem perpetuo fieri diceret, non quidem per circulum, (vt voluerunt Academici) sed per duos semicirculos, qui contrario motu agantur. Porro quam absurda sit hæc Platonis de respiratione sententia, abunde Ga-
Cap. 8. lenus docuit lib. 8. de Hippoc. & Plat. decret. Sed & idem cum Platone sensit
In fragmento com. in Timęũ Plato. Hestiæus, quem potissimũ refutauerat Erasistratus, vt alicubi testatur Gal. Quarta opinio fuit Asclepiadis, qui vrinam halitus ritu in vesicam transmitti voluit: quam

A quam libro etiam superiore abunde cum Galeno refutauimus. Postremæ opinionis auctorem Platonem fuisse cōstat, qui manifeste scripsit in Timæo potum ferri in pulmones, vt cordis æstus mitigaretur. Plutarchus, qui Galenum paucis annis præcessisse dicitur, Erasistrati argumenta aduersus Platonem proponit, Platonisque caussam aduersus Erasistratum tuetur: quam sane Plutarchi pro Platone defensionem eleganter retulit Aulus Gellius, recitata primum Erasistrati reprehensione. Galenus tamen omnium optime hanc Platonis sententiā examinat, & interpretatur lib. 8. de Hipp. & Plat. decret. Si inquit, totum nos potum in pulmonem deglutire existimat Plato, merito accusandus est; quippe qui apertissimam rem ignoret. Si portionem quandam potus per asperam arteriam transfusam, exsudare ad pulmonem arbitratur, probabile quoddam dicit. Immo id vltimum verum esse putat, & iis quæ fieri quotidie experimur, maxime consentaneum. B Vnusquisque enim potest in seipso huius rei periculum facere, si stans satis multam aquam in os recipiat, deinde vero supinus gutturis orificium sensim aperiat; tunc enim pauxillum quiddam ex ore in id diabi sentiet, quod tussim præ exiguitate irritare nequeat. Præterea si animal quodpiam ad tantam sitim redegeris, vt aquam minio, aut alia quapiam re infectam bibere cogatur, moxque iugulatum dissecueris; codē aquæ colore infectum pulmonem haud dubie inueneris. Quæ profecto fieri non possent, nisi potionis aliquid in pulmonem per asperæ arteriæ tunicam irroratione quadam illaberetur. Quo itidem consilio ad pectoris excrementa facilius educenda præcipere solent medici, vt syrupos, ac eclegmata capite supino ægri sensim deglutiant. Probabilius autem est, sensisse Platonē, potionis aliquid dumtaxat ferri in pul- C monem, cum ex multis eiusdem Timæi locis liquido constet, potus & cibos in ventrem descēdere.

Decade. 7. symposiacōn, proble. 1.

Lib. 17. noct. atti. cap. 11.

Cap. 9.

Nam quid quæso, dicere de sanguine potuit homo, qui naturali calore ad nullum effectum sit vsus? Quid vero de bile flaua, nigraue, aut pituita? Nempe quod fieri potest, vt bilis mista cibis forinsecus adueniat. Ait namque ad hunc modum ipsis verbis, Vtrum vero inter coquendum in ventre alimentum tum gignatur humor, an mistus in exhibitis extrinsecus accedat, id considerasse, ad nullum pertinet Medicinæ vsum. Atqui vir egregie, tum vacuari oportere humorem hunc ex animalis corpore, tum magnopere nocere nisi vacuetur, ipse fateris. Quo pacto igitur cum nihil boni ex eo fieri existimes, inutilem esse ad Me- D *dicinam ais de generatione eius considerationem? Fac namque in cibis contineatur, nec in iecinore exacta eius sit secretio, ambo enim hæc fieri posse existimas. Atqui permultum hoc loco interest, minimam, plurimamve in se bilē contineant qui exhibentur cibi; illi namq. omni periculo vacant, hi vero qui plurimam in se continent, (quoniam non potest tota ea commode in iecinore expurgari) occasio erit tum aliorum affectuum, quos ipse, ô Erasistrate, ex bilis redundantia nasci ais; tum non in postremis morbi regii, quem Græci ἴκτερον vocant. Quo pacto igitur medico nosse maxime necessarium non sit, primum illud, quod extrinsecus in cibis ipsis bilis contineatur; secundo, quod beta, verbi gratia, multam, panis minimam; rursus oleum pluri-*

mam, vinum minimam; reliquaque impari modo inter se bilis portionem singula contineant? Quomodo enim non maxime sit ridiculus, qui sponte sua ea quæ plus bilis in se contineant, potius eligit quam contraria? Quid vero si non continetur bilis in cibis, sed in corpore animaliũ gignitur? Nonne illud quoq. nosse ad rem pertinet, in quo statu corporis amplior eius generatio proueniat, in quo minor? Quippe alterandi mutãdiq. semper in melius viciosos corporũ status facultatẽ habemus; verũ si ignoramus quatenus viciosus sit, & qualiter a legitimo excesserit, quo tandẽ pacto licebit nobis, eũ in meliorẽ vẽdicare? Nõ est igitur vt Erasistratus affirmat, ad medẽdum inutilis ipsa de bilis generatione veritas. Sed & illud non difficile inuẽtu est, nec obscurũ, quod mel non eo quod plurimã in se bilẽ continet, sed quod intra corpus est mutatũ, in hanc alteratur, & vertitur. Quippe amarũ gustantibus esset, si bilẽ in se extra corpus contineret. Præterea omnibus similiter hominibus æqualis ex eo gigneretur bilis copia. Verũ id secus habet, siquidẽ qui iã in flore sunt, potissimũ si calidiore natura sint, ac vitam degãt laboriosam, in his totũ mel vertitur in flauã bilẽ; senibus vero admodũ est accõmodatũ, vtpote quibus non in bilem, sed in sanguinem conuertitur. Erasistratus vero præterquã quod nihil horũ nouit, neq diuisionẽ sermonis sui satis aptã facit, illud æstimasse inquiẽs, nihil ad medẽdũ conferre, in cibisne bilis statim ab initio contineatur, an per concoctionẽ in ventre sit genita. Cũ additũ scilicet aliquid oportuisset de eius & in iecinore, & in venis generatione; quãdo in his instrumentis gigni eã vna cũ sanguine, veteres tũ medici, tum philosophi prodiderunt. Sed qui ab initio statim errarũt, atq. a recta via declinarũt, his non talia modo nugari est necesse, sed etiã eorũ quæ ad artẽ sunt vtilissima, inquisitionẽ omittere. Libens igitur quãdo huc sermonis sum progressus, eos rogẽ qui plurimũ cũ Peripateticis philosophis versatũ hominẽ dicunt, an omnia quæ ab Aristotele dicta, demonstrataq. sunt de corporis nostri ex calido, frigido, humido, & sicco mistura, norit. Tũ calidum in ipsis esse efficacissimũ, & animalia quæ calidiore sunt natura, ea esse omnino sanguine prædita; cõtra quæ natura admodũ sunt frigida, ea prorsus esse exanguia, eo q. per hyemẽ delitescentia, otiosa, & immota mortuorũ ritu iacere. Porro disceptatũ & de colore sanguinis est, non Aristoteli modo, sed etiã Platoni. Nos autẽ sicuti prius etiã testati sumus, haud quaquam quæ ab antiquis cõmode sunt demonstrata, ea dicere in præsentia paramus; vt qui illos, nec sentiendo, nec dicendo superare queamus; sed aut quæ ab illis absque demõstratione tãquam euidentia sunt prodita (quod scilicet aliquos fore adeo peruersos sophistas, qui veritatem in iis quæ ipsi tradidissent, contemnerent, suspicati non sunt) vel etiam ab illis omnino sunt prætermissa, hæc tum inuestigare, tum demonstrare censemus.

Reprehendit tandem Erasistratum, quod cum dixisset dubiũ esse contineaturne bilis in cibis, an potius in vẽtre gignatur; huius rei distinctionem medico prorsus inutilem esse asseruerit. Probat vero, vtilissimum esse medico & maxime ne

A me necessarium, id distinguere. Inprimis enim si demus bilem contineri in cibis, cognoscere medicum oportet, qui cibi plurimũ, qui minimũ bilis habeant; vt hos potius eligat, illos autem fugiat, ex quorũ frequẽti vsu coaceruata bilis multorũ malorũ caussa esse posset. Quod si bilis in corpore gignitur, nõ minus vtile quã necessariũ est distinguere, in quibus corporũ naturis maior, in quibus minor bilis copia gigni debeat, vt has cõseruare, illas vero in meliorẽ statum reuocare liceat. Et quoniã de hac re dubitauit Erasistratus, duabus rationibus ostendit, bilẽ actu non contineri in cibis. Oportuisset enim omnes cibos biliosos amaros gustari, cũ bilis insigniter amara sit, neq. posit ipsius sapor gustũ latere. Atqui cibi ex quorum vsu plurima colligitur bilis, amari plerũq. non sunt, sed potius dulces, vt patet exemplo mellis. Rursus in omnibus ætatibus, & corporũ naturis, ex eodẽ alimento pari quãtitate assumpto, ęqualis bilis copia proueniret. Nã si corporis tẽperies & ætas nihil faciũt ad bilis generationẽ, quãtũ bilis in alimẽto continebitur, tantũdem quoq. in omnibus naturis, atque æta-
B tibus colligetur. Atqui mel in calidioribus naturis, in iuuenibus, & iis qui laboriosam vitã agunt, totũ fere in bilẽ conuertitur; contra in naturis frigidioribus, in senibus, in iis deniq. qui in otio degunt, in sanguinẽ vtilem mutatur. Sed de his plura adhuc dicturus est cap. decimo. Nunc autẽ recte colligit, perperã dubitasse Erasistratũ, an bilis contineatur in cibis, an potius gignatur in vẽtriculo, cũ potius dicere debuisset in iecore & venis; in his nãq. instrumẽtis potiusquam in ventriculo, veteres philosophi ac medici bilẽ gigni voluerunt. Vnde constat, ignorasse Erasistratũ veterũ philosophorum dogmata, alioqui verissima, à Platone potissimũ atq. Aristotele tradita. E quorũ numero nonnulla hîc recenset, quæ pertinent ad innatũ calorẽ, cui tamquã idoneo facultatũ instrumento, na-
C turæ actiones acceptæ referri solent. Quod autẽ ait de sanguinis colore, ad Platonẽ potissimũ referre oportet, qui accurate de ipso disseruit, ita scribẽs, Atq. In Timæo.
„ ob eã caussam per totũ corpus omnibus animalibus alimentorũ liquores ita facile perfluũt; qui cũ recenti concisione exstiterint, à cognatis rebus sumpti, partim à fructibus, partim ab herbis (quæ omnia Deus ob id ipsum vt nobis alimoniã suppeditarẽt, produxit) varios colores ex confusione cõtrahunt. Plurimus tamen in his ruber color diffunditur, à natura incisionis, abstersionisq. ignis in humido procreatus. Vnde eius liquoris qui per corpus permanat, talis specie color qualẽ modo diximus, euadit, quem & sanguinẽ appellamus. Huius itidẽ sententiæ Platonis meminit Galenus lib. 4. de vsu part. & dilucide explicauit Cap. 4.
lib. 8. de Hippoc. & Plat. decret. docens rubrum sanguinis colorẽ fieri ex ignis Cap. 7.
abstersione, id est depositione, impressioneq. igneæ qualitatis, nẽpe caloris. Solet nãq. Plato (quod sane reprehẽsione non caret) ignis nomine innatum calorẽ
D significare; vsq. adeo vt naturæ actiones, quas Hipp. innato colori verissime tribuit, igni tribuisse videatur. Merito vero rubri coloris qui sanguini secundũ naturã inest, auctor esse dicitur calor innatus, quoniã is cõcoctionis est opifex; quę autẽ concoquuntur, & tota sui substãtia, & manifestis qualitatibus parti concoquẽti similia reddãtur necesse est. Cum igitur ab innato iecoris calore sanguis gignatur, iecoris autem caro sit rubra; merito & sanguis ipse ruber efficitur.

CAP. IX.

DE succorũ vero generatione haud scio an aliquis exactius quidquã adferre in mediũ poßit, iis quæ Hippocrates, Aristoteles, Praxagoras, Philotimus, aliiq. veterum non pauci reliquerunt. Demonstratum enim his est, alimentũ dũ in venis ab innato calore alteratur, san

* διὰ τὰς ἀμετρίας *guinem quidē ex mediocri calore fieri, reliquos vero ſuccos ex eodē immodico.** A

Diſputat iam de humorum generatione, ex vera philoſophorum ac medicorum ſententia; explicans ipſorum materiam, cauſſam effectricem, & locum in quo gignuntur. Materia quidem alimentum eſt, non quodcumque, ſed quod in ventriculo iam concoctum, chylus proprie appellatur. Is namque ex ventriculo & inteſtinis ad iecur tranſmiſſus, gignendis humoribus materiā ſupperditat; quamuis proxima non ſit omnium humorum materia, vt poſtea dicemus. Cauſſa efficiens eſt calor innatus, is enim dum chylum immutat, & concoquit, humores ex ipſo gignit. Quamuis ſi vere ac proprie loquendum ſit, innatus calor inſtrumentum ſit dumtaxat generationis humorum, cauſſa vero effectrix ipſa temperies, cum ſingulæ corporis partes ob certam quandam quattuor qualitatum temperiem proprias functiones exerceant. Sed quoniam huius cauſſæ agētis (ſcilicet temperamenti) ſubſtantiam ignoramus, cauſſam actionum effectricem facultatem eſſe aſſerimus. Atqui facultas ac vis quæ humores generat, B ſanguifica dicitur, quæ ſane alteratrix facultas eſt, ſiue concoctrix, non ſecus ac ventriculi facultas chylifica. Nam vt aſſumpta alimenta in ventriculo concocta mutantur in chylum, ita & chylus denuo concoctus in humores degenerat. Cum autem demōſtratum alibi ſit, iecur & ſanguinis & venarum eſſe principium, proindeque dici ſedem facultatis naturalis; neceſſario concedendum eſt, proprium generationis humorum inſtrumentum eſſe iecur, ipſique ſoli inſitam eſſe facultatem ſanguificam. Quoniam vero in vnoquoq. inſtrumento neceſſario reperitur pars aliqua ſimilaris, cui potiſsimum debeatur propria inſtrumenti actio; quænam hæc pars in iecore ſit, merito dubitari poteſt. Et licet ex variis partibus cōſtitutum ſit iecur, de ſola tamen ipſius carne ac venis quæſtio C eſt; de reliquis enim nulla eſt dubitandi occaſio. Galenus firmis rationibus demonſtrat, αἱμάτωσιν, id eſt ſanguificationem, propriæ iecoris carni deberi; tum quia propria vniuſcuiuſque inſtrumenti actio parti propriæ (qualis eſt caro) non autem parti communi (quales ſunt venæ) accepta referri debet; tū etiam quia ſanguis non venis, ſed carni ſimilis efficitur, vt color demōſtrat. Ioubertus tamen qui vim ſanguificam venis tribuit, parti etiam communi propriam inſtrumenti actionem deberi poſſe contendit: vt motum voluntarium neruo, & actionem guſtandi tunicæ quæ vniuerſo ori eſt communis. Neq. ex colore recte colligi putat, à iecoris carne ſanguinem potius gigni quam à venis; quia ruber ille color recens natam ſanguinis formam comitatur, & ex certa materiæ diſpoſitione ortum habet. Ab his enim cauſſis fieri ait, vt reliquorum humorum colores varii appareant, licet ab eodem calore gignantur. Porro quod vis ſanguifica D inſita ſit venis potius quam iecoris carni, & variis Galeni locis confirmat, & philoſophica ratione. Omnis, inquit, alteratio fit per contactum: atqui iecoris caro chylum non tangit, quē tamen continent venæ: ergo ſolæ venæ chylum in ſanguinem mutare poterunt. Atqui animaduertere debuiſſet, contactū eſſe duplicem, corporum ſcilicet, & virtutis; atque hunc ad alterationem eſſe neceſſarium, illum vero minime. Siquidem inferiora hæc corpora illuſtrat, immutatq. ſol ſola vi ac facultate ab ipſo influente: & in animalibus cerebrum & cor ſola vi per neruos atque arterias diffuſa, vniuerſum corpus immutant. Quid igitur mirum, ſi contentum in venis chylum in ſanguinem tranſmutet iecur citra corporeum aliquem contactū? Ceterum neque hunc fortaſſe hîc deſideres, cum venæ portæ & cauæ ramos qui per propriam iecoris carnem diſperguntur, variis foraminibus manifeſte pertuſos videre liceat, non ſolum vt ali-

Lib. 4. de vſu part. cap. 12. & lib. 6. de Hip. & Plat. decre. cap. 8.
Parad. 4. dec. 1.

A vt alimenti distributio commodius fiat, sed etiam vt chylus hepatis carnem contingens, facilius perfectiusque concoquatur. Neque huiusmodi foramina nos fingimus, quæ & nouit olim Galenus, & licet vnicuique in dissectionibus intueri. Neque verum est, propriam instrumenti actionem parti communi deberi posse. Non enim neruo debetur motus voluntarius, vt ipse putat; neque id alicubi voluit Galenus. Nam lib. 1. de mot. musc. (quem locũ falso citat Ioubertus) tantum docuit, musculum proprium esse motus voluntarii instrumentum, ipsique motus principium ex cerebro esse per neruos, ex neruorumque & ligamentorum fibris tendonem componi. Alibi vero primũ motus organum tendonem esse aperte asseruit, qui pars propria musculi est, non communis quemadmodum neruus. Quamuis (si libere loqui liceat) neque tendo esse possit primum voluntarii motus organum; tum quia ex eiusdem Galeni B sententia pars simplex non est, sed ex neruorum ligamentorũq. fibris cõposita; cum potissimum, quia non omnes musculi desinunt in tendonem. Neque igitur neruus qui pars communis est, neque tendo qui pars est composita, sed propria musculi caro primum motus voluntarii organum statui debet; quemadmodum in lingua primum gustãdi organum interna quædam tunica, solius linguæ propria, quæ ex neruis tertiæ coniugationis cerebri efformatur; non extima illa quæ vniuerso ori & faucibus est cõmunis. Iam vero alienum est à ratione, substantiam quæ concoquitur, colorem habere partis concoquentis colori dissimilem. Nã humores (quorum exemplo ipse vtitur) reuera non cõcoquuntur, sed sunt potius cõcocti sanguinis excremẽta: vnde fit, vt pro varia caloris actione, diuersaque materiæ dispositione, varios colores merito sortiantur. Manent itaque C constantes semper ac firmæ Galeni rationes, quibus propriam iecoris carnem primum esse sanguificationis organum, optime demonstrauit. Quoniã vero antequam ad iecur perueniat chylus, mutari iam in sanguinem incipit, cum in venis mesaraicis continetur; non abs re dubitari solet, habeant ne etiam venæ vim aliquam gignendi sanguinem. Sunt qui negent sanguinem gigni in venis mesaraicis, sed in iecore genitum ad ipsas transmitti aiunt, vt intestina, aliæque partes, in quas venæ ipsæ inseruntur, eo nutriantur. Ceterum cum venę mesaraicæ instrumenta sint distributionis alimenti ex ventriculo & intestinis ad iecur, probabilius est, sanguinem qui in ipsis continetur, ex chylo vtcumq. immutato atque concocto gigni, quam ex iecore ad ventriculum & intestina trãsmitti. Id quod ex eius sanguinis forma certo deprehenditur, est namque rudis quidam & inelaboratus sanguis, nondum perfecte confectus, qualis à iecore ad D partes nutriendas distribui solet. Huc accedit, quod ventriculus (vt libro sequẽti dicemus) chylo potius nutriatur quam sanguine. Alii vero sanguinem in venis mesaraicis gigni cõcedunt, non tamen ab aliqua facultate, sed à solo partiũ adiacentium, & ipsarum quoque venarum calore. Sed neque hi probabilia loquuntur. Nam si sanguinis generatio ex numero est actionum naturæ, à solo calore fieri non potest, sed effectus est alicuius facultatis naturalis, cuius instrumentum sit calor. Sentiunt alii, venas quidem sanguinem gignere, non tamen facultate sibi insita, sed ex iecore accepta. Neque defuerunt, qui duplicem vim sanguificã venis tribuerint, alteram insitam, alteram vero ex iecore influentem; atque hanc quidem robustiorem, illam vero imbecilliorem esse asserunt. Atqui vim sanguificã venis inesse non posse, antea diximus; de ipsius autem influxu ex iecore ad venas idem sentire oportet, quod de animalis, vitalis, & naturalis facultatis influxu alibi docuimus. Influit namque ex iecore ad omnes venas alte-

Lib. 4. de vsu part. cap. 15.

Cap. 1.

Lib. 12. de vsu part. cap. 3.

Argenterius cõ. in art. med. pag. 191.

Vallesius lib. 2. contro. cap. 16.

Vega lib. 1. de art. med. cap. 5. Peramatus lib. de ani. fac. c. 3.

In præfatione.

ratio quædam totius substantiæ, cuius beneficio sanguis in ipsis gignitur. Venæ A
tamen neque sibi insita, neque à iecore accepta facultate sanguinem gignunt;
sed solum iecur facultate sibi congenita, non solũ in propinquioribus venis, qua
les sunt mesaraicæ, sed in remotioribus quoque sanguinem creat. Videtur ta-
Cap. 2. men Galenus vim sanguificam pluribus in locis venis tribuisse, nam lib. 1. de
fac. nat. agens de motu actiuo & passiuo, cibi quidem qui in sanguinem muta-
tur, passiuum motum esse ait, actiuum vero ipsius venæ; quod sane verum esse
non potest, nisi vena sanguinem gignat. Sed multo euidentius id docet, dum
Cap. 3. rursus ita scribit, Ceterum potentia ea, facultasve in venis, quam sanguificã ap-
pellant, atque etiam alia quæuis facultas, in relatione ad aliquid intelligitur. Et
paullo post, At quod agentis caussæ substantiam ignoramus, facultatem eam,
siue potentiam dicimus; in venis quidem potentiam quandam sanguinis factri- B
cem dicentes, &c. Verum cum ad actiui motus facultatisque essentiam expli-
candam, parum aut nihil referret, iecoris carni, aut venis vim sanguificam tri-
buere; maluit his locis, venas potius quam hepatis carnem sanguinis gignendi
primum organũ statuere, ne ab instituta disputatione digredi statim cogeretur.
Satius namque esse putauit, vulgatam Erasistratiorum hypothesim exẽpli caus-
sa admittere, quã de re controuersa, ab institutoq. aliena disserere. Quo etiam
Cap. 7. consilio & lib. de differ. morb. eandem vim sanguificam tribuit venæ portæ;
Cap. 10. exempli tamen caussa, vt ipsemet scribit. Et hoc eodem libro Erasistratios re-
prehendens, suorumque dogmatum rationem ac caussas ab ipsis postulans, sic
habet, Etenim cur ventriculus circa cibum vndique contrahatur, cur venæ san-
guinem gignant, rogarem ab Erasistratiis doceri. Difficiliora sunt quæ lib. 4.
Cap. 2. de vsu part. leguntur; quale illud est; venas mesaraicas non solum deducere nu- C
trimentum ex ventriculo, sed attrahere simul, & hepati præparare, modo quo
ipsum simillimo; quippe quæ natura ipsi sint adsimiles, & primum germen ex il-
Cap. 12. lo ducant. Et rursus, Quapropter & venis quæ ad ventriculum & vniuersa inte-
stina pertinent, inest facultas quædam sanguinis effectrix, qua succum qui ex ci-
bis distribuitur, venis in sanguinem mutare naturale est, priusquam is ad hepar
perueniat. Ac tandem, Quemadmodum, inquit, venis, cum eas distributionis
Cap. 17. instrumenta fecisset, facultatem sanguinis generatricẽ indidit, nedum per eas
fertur, tempus ipsi alimento frustra periret; ad eundem modum & intestinis di-
stributionis in venas gratia institutis, facultas quædam concoctrix ciborum in-
est. Hæc tamen amico animo ita interpretari oportet, vt mesaraicæ venæ nutri-
mentum hepati præparare dicantur, quia in ipsis nutrimentum iecoris facultate
concoquitur, & eadem quandam accipit sanguinis formam. Quo solo nomine D
dicuntur huiusmodi venæ iecori natura adsimiles, quia ad suscipiendum ex ie-
core facultatis influxum, sunt propter situs vicinitatem maxime idoneæ. Por-
ro facultas sanguifica insita venis dicitur, quia in his, potissimumq. in mesaraicis
maxime elucescit: quippe quod perpetuum est, insitũ merito appellari potest,
etiamsi aliunde influat. Nam & arterias, quod semper, & secundum naturam
Lib. 2. de cau. pulsent, ab insita facultate moueri dixit aliquando Galenus, quamuis pulsatilis
symp. cap. 2. facultas soli cordi sit insita. Reliqua Galeni loca sciens prætereo, vel quia nihil
habent difficultatis, vel quia ex ipsis tantum colligitur sanguinẽ in venis gigni.
Qualis iste locus est qui legitur hoc capite, in quo affirmat, dum in venis ab in-
nato calore alimentum alteratur, sanguinem fieri à calore mediocri, reliquos
vero succos ab eodem immodico. Quibus verbis totam generationis succorum
rationem breuissime cõplexus est Galenus, explicans scilicet materiã, caussam
effectri-

A effectricem, & locum. Locus quidem venæ ſunt, ac potiſsimũ eæ quæ propriam iecoris carnem intexunt: materia autem eſt chylus; cauſſa vero effectrix calor iecori innatus. Et quamuis calor natiuus cauſſa effectrix humorum in vniuerſum ſtatuatur, ſanguinem tamen ait fieri à calore mediocri, reliquos humores ab immodico. Quæ ſane Galeni ſententia aut falſa videtur, aut ſaltem difficilis; cum pituita (ſi nanc in iecore vna cum aliis humoribus gigni aſſeramus) fiat potius à calore imbecillo. Linacri tamen interpretatio hunc locum difficilem reddidit, Græca namque potius indicant, fieri quidem ſanguinem ὑπὸ τῆς συμμετρίας τῆς ἐμφύτου θερμασίας, id eſt ex commoderatione innati caloris, reliquos vero ſuccos διὰ τὰς ἀμετρίας; id eſt (vt ita dicam,) propter incõmenſurationes. Quem
» ſenſum fideliter retinuit antiquus interpres, locum ita conuertens, Demonſtra-
» tum autem eſt ab illis viris, alterato cibo in venis ab innato calore, ſanguinem
» quidem à commoderatione quæ ſecundum eum; alios vero humores propter
» incommoderationem fieri. Eundem expreſsit Syluius in ſua annotatiuncula
B ſcribens, ſanguinis cauſſam eſſe calorem moderatum, vtriuſq. bilis immodicũ, pituitæ vero imbecillum. Sed nonne vnicus eſt iecoris calor, qui ſiue temperatus ſit, ſiue imbecillus, ſiue immodicus, omnes ſimul gignit humores? Eſt ſane, alioqui enim temperatum iecur ſolum ſanguinem, calidũm ſolã bilem gigneret. Ergo nihil prohibet, quin & à calore intemperato ſanguis, & ab eodem tẽperato reliqui humores fieri poſſint. Nihilominus tamen firma eſt ac conſtans ſententia Galeni, quia vnicus ille iecoris calor, temperatus ſimul & intemperatus dici poteſt; non propriæ eſſentiæ ratione, ſed eius potius quam concoquit materiæ. Veluti ſi iecoris calor temperatus fuerit, is quidem ratione materiæ quam mutat in ſanguinem, temperatus dicetur; intemperatus vero ratione materiæ quam in alios humores conuertit; quæ quidem vt in optimum ſanguinem
C mutaretur, aut valẽtiorem, aut imbecilliorem calorem poſtulabat. Quod ſi intemperatus fuerit iecoris calor, is quidem ratione materiæ quam in alios ſuccos tranſmutat, intemperatus dicetur; temperatus vero ratione materiæ ex qua ſanguinem gignit.

Atque huic ſententiæ quæ euidenter ſenſibus apparent omnia conſentiunt; quando & cibi qui natura calidiores ſunt, magis ſunt bilioſi; qui frigidiores, magis pituitoſi. Simili modo ex ætatibus quæ calidiore natura ſunt, has bilioſiores eſſe conſtat; quæ frigidiore, pituitæ magis obnoxias. Iam vitæ rationum, & regionum, & anni temporum, multoque priores his, ipſarum quoque naturarũ quæ frigidiores ſunt, eæ magis cernũtur pituitoſæ; quæ calidiores, magis bilioſæ. Præ-
D *terea ex morbis quoque qui frigidi ſunt, hi a pituita oriuntur; qui calidi, a bile ortum habent. Denique nihil vſquam inuenias, quod non huic ſententiæ adſtipuletur. Et quomodo quæſo non adſtipuletur? Cum enim propter certã ex quattuor illis temperiem particula quæque certam habeat functionem; neceſſe omnino eſt, propter eius temperiei vicium aut prorſus corrumpi functionem, aut impediri; ac ita vel totum, vel in parte ægrotare animal. Ac primi quidem maximeque generales morbi ſunt quattuor, qui calore, frigore, ſiccitate, & humore, inter ſe diſsident. Id vero Eraſiſtratus quoque ipſe (quamquam nolens) fatetur. Nam cum in febribus deteriorem eſſe ciborum concoctionem dicat, nec tamen*

 (ſicut

(sicut priores censuerunt) propterea quod naturalis caloris mediocritas corrumpitur, sed quia ventriculus hos amplecti, & terere similiter non valet, quod eius læsa sit actio; rogari iure potest, a quo sit læsa ventris actio. Quippe si ceciderit quis, & ex eo bubo excitetur, priusquam homo febricitet, venter deterius non concoquet. Non enim satis est aut bubo, aut vlcus, quod ventriculi concoctionem labefactet. At si febricitet, protinus concoctio redditur deterior, protinus etiam vẽtriculi actionem deteriorem redditam dicimus, atque id recte. Ceterum a quo sit læsa, adiiciendum sermoni videtur; vlcus namque eam lædere non valebat; sed nec bubo, læsisset enim profecto & ante febrem. Quod si hæc non læserunt, liquet, quod immodica vis caloris. Quippe duo hæc buboni accessere, motus eius qui in arteriis & corde habetur alteratio, & naturalis caloris immodica quantitas. Verum motus alteratio non modo ventris actionem non lædet, sed etiam illi conferet in his animalibus, in quibus pro certo præsumitur, plurimum ad concoctionem valere spiritum illum, qui per arterias in ventrem incidit. Ergo a reliqua, atque hac sola, nempe calefactione immodica, læditur ventris actio. Etenim spiritus non solum vehementior, sed etiam magis assiduus, & abundantior nunc incidit quam prius. Quare quod ad hunc attinet, magis concoquent ea quæ spiritus gratia bene concoquunt animalia; ob reliquam vero quæ etiam præter naturam est calefactionem, male concoquent. Dicere namque, proprietatem quandam in spiritu esse qua concoquunt, deinde cum febricitant hanc destrui; quid aliud est, quam alio modo incommodum ipsum fateri? Quippe denuo interrogati a quo sit alteratus spiritus, solam habent quam respondeant, eam quæ præter naturam est calefactionem: maxime de eo qui in ventre est spiritu, neq. enim appropinquat omnino is buboni. Et quid quæso animalia ea, in quibus spiritus proprietas plurimam vim habeat, commemoro; cum liceat de hominibus, in quibus vel nihil, vel omnino leue aliquid & exiguum confert, verba facere.? At quod in febribus male concoquunt hi quoque, fatetur etiam ipse; tũ caussam rei adiiciens, læsam esse ait ventris actionem. Non tamen aliam habet quam adferat læsionis occasionem, quam eam quæ præter naturam est calefactionem. At si nocet actioni calor qui præter naturã est, nec id facit ex accidenti, sed ipsa sua substantia ac vi; vtique ex primorum morborum sit numero. Atqui de numero primorum morborum esse nequit immodicus calor, nisi actio ex commoda nascatur temperie. Neque enim alia de caussa potest intemperies primorum morborũ esse caussa, nisi quod commoda temperies est corrupta. Ac quod ipso quoque Erasistrato auctore, commoda caloris temperies actionis sit caussa, iis qui assequi quod consequens est valent, satis esse demonstratum puto. Hoc vero nobis concesso, non durũ arbitror dictu est, in omni actione id quod melius est commodo temperamento referendum esse acceptum, quæ deteriora sunt, vicioso. Atqui si hæc ita se ha-

A *se habent, sanguinem a mediocri, bilem ab immodico calore nasci, quidni putandum? Ita namque tum in calida ætate, tum calida regione, tum anni tempore calido, & tempestate calida; præterea naturis hominũ calidis, & vitæ sortibus, & victus rationibus, & morbis calidis, merito nobis plurima fieri flaua bilis apparet.*

Quæ de humorum generatione hactenus docuit, & experientia, & ratione confirmat. Experientia quidem, quia quæcumque calida sunt, gignendæ bili; quæcumque vero sunt frigida, gignendæ pituitæ idonea esse obseruamus. Siquidem ex calidis cibis veluti melle; in ætate calida, vt iuuentute; anni tempore calido, vt æstate; in calida regione; vitæ instituto calfaciente; ac calido tandem temperamento plurima gignitur flaua bilis. B Contra vero ex cibis frigidis; in ætate frigida, vt senectute; frigido anni tempore, vt hyeme; frigida regione; vita otiosa; ac frigido tandem tẽperamento multa abundat pituita: quemadmodum etiam (id namque nos addere possumus) ex cibis tẽperatis; in ætate temperata, vt extrema adolescentia; & verno tempore sanguis. Quin & calidos morbos ex bile, frigidos ex pituita plerumque ortum habere experimur. Vnde patet, à mediocri calore sanguinem, ab immodico bilem, ab imbecillo pituitam fieri. Ratione idipsum confirmat, posito hoc principio, Vnaquæque corporis pars ob certam quandam quattuor qualitatum temperiem propriam actionem exercet. Ex quo recte colligit, intemperiem caussam esse cuiuscumque noxæ, quæ functionibus accidat: & quattuor esse primos maximeque generales (simplices scilicet ac proprios) partium similarium morbos, calorem scilicet excedentem, frigiditatem, humiditatem, & C siccitatem. Quoniam vero Erasistratus actionum noxas retulit ad solam partium imbecillitatem, probat exemplo ventriculi, ex ipsius quoque sententia necessario concedendum esse, partium actiones ab aliqua intemperie lædi. Si namque læsa sit propria ventriculi actio, nempe ciborum concoctio, quam Erasistratus attritionem quandam esse opinatus est; satis profecto non erit dixisse cum Erasistrato, ventriculum male concoquere, quia præ imbecillitate non valet cibos amplecti atque atterere; sed huius noxæ caussam cognoscere adhuc oportet, quæ sola intemperies esse potest. Esto enim vt vlcus cuipiam in pede nascatur ex casu, vlcerisque occasione fiat bubo in inguine, intercepta fluxione quæ ad partem dolentem irruebat; & rursus bubonem sequatur febris, quæ pulsum mutet ad magnitudinem, celeritatem, & frequentiam; ac tandem ciborum concoctio lædatur. Hæc igitur concoctionis noxa vel ab iis affectibus prouenit qui D præcesserunt, vlcere scilicet & bubone; vel ab iis qui subsequuti sunt, nempe febri & pulsus mutatione. Ab vlcere quidem & bubone concoctio nequaquam est læsa, alioqui enim antequam febris superueniret, læsa fuisset. Neque rursus à pulsus mutatione in magnitudinem, celeritatem, & frequentiam, lædi potest, cum potius ab ea non parum iuuari videatur; in his potissimum animalibus, in quibus verisimile est, vitalem spiritum qui per arterias ad ventriculum ex corde transmittitur, ad ciborum concoctionem plurimum conferre. Tale videtur esse vniuersum auium genus, cum exiguæ etiam aues solidissima quæque (veluti lapillos) interim deglutiant, atque conficiant; quod exploratum in perdicibus est. Frequentius multo anseres & anates solida corpuscula deglutire solent, cum & integris cochleis, & arena interdum vescantur. Sed omnium maxime

xime struthiocameli, quos & lapides & ferrum concoquere, non ob caloris ve- A.
hementiam, sed spiritus vitalis copiam, in confesso est apud omnes. Fortasse ta-
men non minus quam spiritus copia ad solidorum corporum concoctionẽ con-
fert pinguedo, quæ in vniuerso abdomine struthiocamelis concrescit. Quæ sane
cum & multa sit, & crassa, & densa, innatum venrriculi calorem fouere, & totam
ventris regionem calfacere, & spiritus quominus dissipentur, facile cohibere
potest. Atque id quidem primo obseruatum scio à Iohanne Plassa medico lon-
ge præstantissimo, ac rerum abditarum indagatore diligentissimo. Cum itaque
in his animalibus vitalis spiritus copia ad concoquendos cibos plurimum con-
ferat, eo magis concoctionem iuuabit, quo influxerit copiosior: influit autẽ co-
piosior, vbi pulsus ad magnitudinem, celeritatem, ac frequentiã mutatur. Quod
si certa quadam spiritus proprietate potiusquam copia cõcoctionem fieri quis
dixerit, in febrientibus vero lædi, quia eiusmodi proprietas corrumpitur; is sa- B
ne caussam adiungat oportet, a qua spiritus proprietas corrumpatur. Atqui so-
lam inueniet caliditatem immodicam, quæ & spiritus proprietatem corrum-
pere, & ciborum concoctionem lædere possit. Idque multo magis in homini-
nibus, in quibus aut nihil, aut (quod verius est) exiguum quiddam spiritus vita-
lis copia, aut proprietas ad ciborum concoctionẽ videtur conferre. In his nam-
que parum profecto retulerit, si copiosior, aut parcior spiritus ad ventriculum
confluat, vt melius, aut deterius cibi concoquantur. Ex quibus patet, mutatio-
nem pulsus ad magnitudinem, celeritatem, & frequentiam, noxam concoctioni
inferre non posse, sed solam caliditatem febrilem. Vnde colligit, calorem ex-
cedẽtem ex numero esse primorum morborum, in partibus scilicet similaribus,
quæ & primæ, & simplices dicuntur. Quippe cum morbus sit affectus præter na- C
turam primo lædens actiones, morbus haud dubie erit calor immodicus, cum
in febricitantibus primo lædat concoctionem. Non esset autem immodicus ca-
lor ex numero primorum morborum, nisi à commoda temperie actio proueni-
ret. Neque enim, inquit, alia de caussa potest intẽperies primorum morborum
esse caussa, nisi quod commoda temperies est corrupta. Qui sane locus difficul-
tate non caret, cũ intemperiem quã paullo antea dixerat ex numero esse pri-
morum morborum, nũc primorum morborum caussam esse affirmet. Quare nõ
immerito suspicabatur Colladus, deprauatum esse hunc locum, & pro αἰτίαν le-
gendum esse οὐσίαν: ita vt intemperies primorum morborum essentia dicatur, nõ
caussa. Eadem fortasse Nicolao Leoniceno, fidelissimo Galeni interpreti, inci-
Cap. 88. dit suspicio, qui in arte medica eam dispositionem à qua primo actio læditur,
morbi essentiam esse dixit, cum tamen Græce legatur αἰτίαν. Ego quidem quo D
modo intemperies primorum morborum caussa dici possit, non video. Sed ne-
que primorum morborum essentiam recte dici posse existimo, cum ipsamet in-
temperies morbus sit, nihil vero sui ipsius essentia dici debeat. Locum ergo
deprauatum esse crediderim, ita tamen vt pro νοσημάτων legendum sit βλαβῶν:
est namque intẽperies primorum viciorum quæ actionibus accidunt, caussa Id
quod sequentia verba apertissime confirmant, dum ait, Cum enim à temperie ,,
manent actiones, necesse est, prima earum vicia ex hac manare corrupta. Posi- ,,
to igitur hoc principio, quod temperies caussa sit actionum, colligit tandẽ Ga-
lenus, sanguinem fieri à calore mediocri, reliquos ab intemperato. Nã si actio-
num caussa temperies est, quod in omni actione melius est, id commodo tem-
peramento, in quo mediocris calor est, acceptum referri debet; quæ vero dete-
riora sunt, temperamento vicioso, in quo & calor intemperatus est. Atqui me-
lius

A llus est sanguinē gigni quam alios humores, ergo fiet sanguis à calore mediocri, reliqui ab intemperato.

CAP. X.

VBITARE vero, an in animantium corporibus is succus gignatur, an in cibis contineatur; vtique hominis est qui nec illud aduertat, quemadmodum etiam iis qui sani citra vicium sunt, vbi aliqua coacti occasione contra consuetudinem cibo abstinuerunt, os quidem amarum, lotium vero biliosum reddatur, ac venter mordeatur: sed qui quasi subito nunc in hunc mundum sit ingressus, necdum quæ in eo sunt, nouerit. B *Quis namq. ignorat, eorum quæ immodice coquuntur singula, fieri primum quidem salsiora, postea vero amariora? Cum si mel ipsum quod omnium est dulcissimum, plurimum percoquere velis, id quoque reddideris amarissimū. Quippe quod ceteris quæ vtique ex natura sua calida non sunt, per coctionem adquiritur, id melli ex sua natura præsto est: atque id caussæ est, cur coctum non efficiatur dulcius. Quod namque ad dulcedinem generandam caloris ei accedere debebat, id totum prorsus intra se obtinet. Itaque quod extrinsecus iis quæ intra iustum calida sunt, est ex vsu; id illi vicium fit, & mediocritatis corruptela. Atque eam ob rem coquendo citius quam alia fit amarum. Eadem vero de caussa in iis qui calida natura sunt, & ætate florentibus, prompte in bilem vertitur: quippe* C *calidum cum sit, vbi calido adiungitur, mediocritatem temperamenti facile amittit, statimque fit bilis, non sanguis. Postulat igitur, quo in sanguinis naturam mutetur, naturam hominis frigidam, ætatemque frigidam. Non ab re igitur censuit Hippocrates, mel biliosis naturis non esse ex vsu, vtpote quæ calidiore sint temperie. Ad eundem modum morbis quoque quos amara excitauit bilis, inimicum esse, senum vero ætati amicum id esse, non solum Hippocrates, sed etiam omnes medici affirmant; partim id ex natura ipsius, quæ scilicet vim eius docet, inuenientes; partim ex sola experientia. Neque enim Empirici alia quam hæc fieri obseruarunt, quod seni sit salubre, iuueni minime salubre; & biliosæ naturæ no-* D *xium, pituitosæ vtile. Similiter & morbis iis qui ex amara bile oriantur, contrarium; iis qui ex pituita nascantur, amicum. Vnoque verbo, calidis quidem corporibus, siue ea naturæ ratione, siue morbi, siue ætatis, siue temporis anni, siue regionis, siue conditionis vitæ talia sint, bili generandæ caussam præbere; iis vero quæ contrarii sunt habitus, sanguini. Atqui non potest idem cibus aliis verti in bilem, aliis in sanguinem, nisi intra corpus eorum generatio peragatur. Etenim si cibus quisque a se, & in se hanc habens, nec in animalis corpore mutatus, bilem gigneret; vtiq. in omnibus eam corporibus pari modo generaret. Ac quod foris amarum gustantibus esset, id arbitror bilem generaret; quod autem dulce gratumq. gustu esset, eius ne vel exigua quidem portio bilis fieret. Atqui nō mel modo, sed etiam cetera dulcia vniuersa, in supradictis corporibus quæ ex qualibet*

libet iam enarratarum caussarum sunt calida, facile in bilem mutantur. A

Ab instituta disputatione digressus, refellit hoc capite falsas duas Erasistrati opiniones ad succorum generationem pertinentes. Prior attinet ad bilem, de qua dubitauit quidem Erasistratus, gignatur ne in nostris corporibus, an potius contineatur in cibis; dubitationem tamen non explicauit, vt dictum etiam est capite octauo. Probat itaque tribus rationibus, bilem in cibis contineri nō posse, sed in corporibus necessario gigni. Prima ratio hæc est, iis qui præter cōsuetudinem inediam sustinent, plurima redundat bilis; ergo hęc non continetur in cibis. Antecedens confirmat ex iis quæ superueniunt symptomatis. Os namq. amarum redditur, lotium biliosum mingitur, & ventriculus mordetur: quæ sane bilis redundantiam demonstrant. Mordetur enim ventriculus (potissimū que ipsius orificium, quod exquisitissimo sensu præditum est) à bile flaua ex vasis eo confluente. Quem sane ventriculi morsum cardialgiam vocant, & hanc B animi deliquium interdum sequitur, interdum vero syncope. Os amarum redditur propter internæ oris tunicæ communitatem cum ventriculo, qui (vt dictū est) flaua bile repletur. Lotium tandem biliosum mingitur, quia portio aliqua redundantis bilis per vrinarios meatus excernitur. Præter hæc alia quoq. symptomata recenset Hippocrates, quæ solius inediæ occasione accidere solent: sanguine nimirum supra modum excocto, atq. adusto. Quippe omnibus iis quæ immodice coquuntur, id est commune, vt primum quidem salsa, mox autem amara reddantur. Exemplo sit mel, quod licet dulcissimum natura sit, cōcoctione efficitur amarum; cum tamen quædam alia dulcia (veluti lac) reddantur coctione dulciora. Cuius euentus caussam & hic & alibi hanc reddidit, quod totum cum calorem qui ad perfectæ dulcedinis generationem est necessarius, C ex propria sui natura obtineat mel; lacti vero tantum caloris deficiat, quantum dulcedinis. Atque ita fit, vt qui lacti deficiebat calor, ex ignis coctione accedat; mellis vero mediocrē temperiem corrūpat accedens ab igne caliditas. Idē omnino mel patitur a nostro calore, à quo (si immodicus fuerit) in succū amarū propter conuertitur. Immo & à seipso temporis diuturnitate amarū efficitur mel, vtpote quod sensim ab insito calore nimis excoquatur. Quod sane expertus fuit Galeni pater, qui mel diutissime repositum (quamuis Atheniense esset & optimum) ita amarum euasisse deprehendit, ac si fuisset Ponticum. Cumque post patris obitum in aliquod etiam tempus à Galeno seruaretur, multo magis quam antea & amarum, & nigrum inuentum est. Cum itaque talis sit mellis natura, erit haud dubie corporibus omnibus calidis maxime inimicum, quod in bilem potius quam in sanguinem conuertatur; saluberrimum vero corporibus D frigidis, in quibus non aduritur, sed in optimum sanguinem mutatur. Mellis itaque vius corporibus omnibus natura calidioribus, biliosis, iuuenibus, febricitantibus, aliove calido morbo laborantibus, inhibendus omnino est; potissimumque æstate, & in calida regione. In iis vero contra maxime probādus, quæ frigido sunt temperamento, pituitosis, senibus, apoplecticis, epilepticis, aliisq. similiter affectis; hyemeque potissimum, ac frigida regione. Iuscula quoque in quibus carnes elixantur, satis aperte declarant, quæ immodice concoquuntur, fieri primum salsa, deinde vero amara: quemadmodum & aqua marina, quæ (vt recte ab Aristotele proditum est) vi solis excocta, salsa efficitur; nondum tamē amara, quia plurimum in se habet aquæ potabilis. Quod si solis calore hæc quoque absumpta fuerit, euadet proculdubio amara; qualis ea est quæ in Palestinæ lacu

Lib. 2. de vict. rat. in morb. acut. sect. 24.

Lib. 4. simp. cap. 17.

Lib. 1. de antid. cap. 4.

Lib. 2. meteor. cap. 3.

A lacu reperitur, quem alii mare mortuum, alii stagnum bituminosum vocant. Quippe cum in caua sit Syria, torretur vehementer huius lacus aqua ob immodicam loci caliditatem. Quo fit, vt æstate magis quam hyeme amara gustari soleat, & multo adhuc magis, si vase cauo hausta, æstiuo tempore soli exponatur: id quod se aliquando expertum fuisse testatur Galenus. Ad eundem igitur modum qui in nostris corporibus gignitur sanguis, si concoquatur immodice, primum quidem efficitur salsus, deinde vero amarus. Non enim aliunde fit, vt iis qui plusculum inediæ sustinent, saliua salsa reddatur, iis vero qui plurimum, etiam amara. Et si corpus vniuersum perinde vt lingua sensu polleret, sanguinis salsedinem atque amaritudinem similiter perciperet. Porro si inediæ occasione bilis augetur, eam sane in corpore gigni, non autem contineri in cibis, fatendum erit. Iam vero si bilis in cibis contineretur, fieri numquam posset, vt ex B vno eodemque alimẽto in quibusdam hominibus gigneretur bilis, in aliis sanguis. Atqui ex melle plurima in iuuenibus bilis; in senibus cõtra copiosior sanguis gignitur. Præterea quæ amara sunt, plurimũ bilis gignerent; quæ dulcia, plurimum sanguinis. Atqui ex melle, alioqui dulcissimo, plurima plerumque gignitur bilis, vt dictum est. Lib. 4. simp. cap. 20.

Verum hæc dixisse, cum tamen minime id mihi fuisset propositum, nescio quo pacto ex ipsa sermonis sequela sum adductus. Dictum autem latissime de his est tum Aristoteli, tum Praxagoræ, qui Hippocratis & Platonis sententiam recte sunt interpretati. Quo minus quisquam hæc a nobis pro euidenti demonstratione dicta putet, potius quam quo indocilitatem eorum qui aliter sentiunt, indicarem, C *qui nec ea de quibus inter omnes conuenit, & quæ quotidie fieri cernuntur, intelligunt. Porro demonstrationes eorum quæ vtique scientificæ sunt, ex iis quæ supra iam retulimus principiis, sumpsisse conueniet. Veluti quod actio passioque corporum inter se, ex calido, frigido, humido, siccoque, illis insint. Tum quod siue quis venas, siue iecur, siue arterias, siue cor, siue ventriculum, siue aliam particulam vllam fungi quacumq. actione dicat; ineuitabili necessitate cogetur, propter certam ex quattuor corporibus temperiem edi actionem ab illa, fateri. Etenim cur ventriculus circa cibum vndique contrahatur, cur venæ sanguinem gignant, rogarem ab Erasistratiis doceri. Nosse namque id solummodo ipsum per se, quod circa eum contrahitur, nondum vndique operæpretium vllum est, nisi* D *etiam intellecta sit caussa; sic namque arbitror, & errores corrigamus. Non curamus, inquiunt, nec curiosi sumus de istiusmodi caussis, vt quæ supra medicum sint, atque ad philosophum naturalem spectent. Vtrum igitur neque ei contradicetis, qui commodam, & quæ secundum naturam est temperiem, actionis caussã in singulis instrumentis dicit; contraque intemperiem iam morbum vocari, atque ab hac actionem omnino lædi? An veterum demonstrationibus assentiemini? An tertium quiddam mediumque inter hæc vtraq. facietis, vt nec eorum rationibus necessario assentiamini vt veris, nec eisdem repugnetis vt falsis; sed hæsitatores, ac quidam subito Pyronii in medium prosilietis? Atqui si id facietis, experientiã necesse est propugnetis. Quo enim modo etiam medicamentorum compotes eritis,*

si morbi

si morbi cuiusque substantiam ignoretis? Cur igitur non a principio Empiricorum nomen vobis vendicastis? Quid nobis negotium facessitis, naturales actiones medendi caussa pollicentes inquirere? Si namque ventriculus per imbecillitatem circa cibum contrahi, eumque retinere non valet; qua ratione eum in naturalem statum reponemus, ignorantes scilicet imbecillitatis caussam? Ego namque eum qui supra modum calefactus est ventrem, refrigerandum esse aio; sicut eum qui perfrigeratus est, calefaciendum; ad eundem modum & qui exsiccatus est, humectandum; qui præhumidus est, siccandum. Sed & coniunctim si calidior vna ficciorque iusto sit redditus, caput esse sanationis, vt refrigeretur simul & humectetur. Sin frigidior simul & humidior sit effectus, vt siccetur & excalfiat: similique modo in aliis. At Erasistrati sectatores quid tandem facient, cum actionis caussas omnino non esse inquirendas contendant? Quippe inquirendarũ caussarum fructus hic est, vt qui intemperamentorum caussas norit, is ad naturam suam ea reducat. Siquidem vnum id nouisse, quænam sit cuiusque instrumenti functio, id nullum adhuc præstat ad medendum vsum. Porro Erasistratum id quoque latere mihi videtur, quod affectus in corpore qui non ex accidenti, sed primum & per se actionem labefactat, is ipse sit morbus. Ergo qua demum ratione vel agnoscere, vel sanare morbos poterit, cum hos, qui, quotque sint, & quales, prorsus ignoret? Ac in ventriculo quidem hactenus saltem Erasistratus inquirendum censuit, vt quemadmodum scilicet cibi concoquantur, inuestigaret; quæ tamen sit eiusmodi rationis prima & princeps caussa, cur non quæsiuit? In venis autem & sanguine etiam ipsam rationem modumq. inquirere, cur omisit?

Alter fuit error Erasistrati ipsiusque sectatorum, existimantium medico satis esse, si qualis propria sit cuiusque partis actio, nouerit; inuestigationem vero caussarum à quibus actiones ipsæ fiunt, supra medicum esse, ad solumque philosophum naturalem pertinere. Qua in parte iusta reprehẽsione digni sunt, quod in Hippocratem, aliosque veteres philosophos ac medicos nihil dixerint, qui in singulis partibus actionum caussam statuerunt quattuor primarum qualitatũ temperiem; intemperiem vero, caussam à qua primo actiones læduntur. Nam si vera hęc sunt, debuissent haud dubie Erasistratii illorum dogma amplecti; si falsa, eorundem sententiam refellere oportuisset. Cum autem neutrum præstiterint, videntur de rebus cum dubitant, Scepticorum sectam probasse, ac coluisse. Porro quod necessaria sit medico cognitio caussarum à quibus singulę actiones fiunt; hæc duo, quæ ignoratis actionum caussis sequerentur absurda, aperte demonstrant. Alterum est, quod species morborum qui partium similariũ sunt proprii, cognosci nullo pacto possent. Quippe qui nescit caussam actionum esse qualitatum temperiem, is sane scire non potest, morbos partium similarium esse intemperies, easque tot esse statuendas, quot sunt qualitates ex quibus temperies constituitur. Neque enim satis est cum Erasistrato dicere, lædi partium actiones ob earundem imbecillitatem, nisi & imbecillitatis caussam cognouerimus. Alterum absurdum est, quod partium similarium morbi certa ratione curari non possent, ignorata scilicet propria ipsorum essentia, ex qua omnium primæ in

A ma in medendi methodo sumitur indicatio. Ac rursus licet vna sit cōmunis curandorum morborum ratio, quæ per contraria perficitur; hæc tamen multiplicia esse possunt, cum intemperies sint diuersæ. Non enim solo adstringentium vsu (vt Empiricorum more faciebat Erasistratus) imbecillo ventriculo mederi oportet; sed vel calfacientibus, vel refrigerantibus, vel humectantibus, vel exsiccantibus: pro diuersa scilicet ventriculi intemperie, quæ imbecillitatis sit caussa.

CAP. XI.

At non Hippocrates, aliusve ex iis quos supra paullo memoraui, philosophorum aut medicorum quisquam id omittendum censuit; sed eum qui in animalibus est temperatum calorem, & qui modi- B *ce est humidus, sanguinis gignendi caussam affirmant. Eadem de caussa sanguinem ipsum calidum & humidum potestate succum dicunt.*

Humorum potestatem hîc explicat, de qua nos alibi multa diximus. Docet in primis, sanguinem ex Hippocratis aliorumque veterum philosophorum ac medicorum sententia, succum esse potestate calidum & humidum; modice scilicet, proindeq; temperatum. Nam si a temperato calore sanguis efficitur, mirandum non est, si effectricis caussæ naturam redolens, temperatus & ipse euadat. Videri tamen cuipiam possit hæc Galeni ratio inefficax, quia etiamsi iecur temperatum sit ad iustitiam, collatum tamen cuti, calidū est per excessum. Erit ergo & sanguis calidus & humidus per excessum quemadmodum iecur, quan- C tumuis à temperato iecoris calore fieri dicatur. Ceterū quæ concoquūtur partis concoquentis naturam nunquam attingere, sed infra ipsam perpetuo subsistere, ab omnibus concessum est. Neque enim quæ concoquuntur, eadem omnino fiunt cum parte concoquente, quemadmodū quæ assimilantur & nutriūt, sed fiunt dumtaxat similia. Quare cum sanguinis generatio concoctio quædam sit, merito fiet, vt infra iecoris concoquentis temperiem subsistat sanguis, euadatque temperatus, licet a iecore per excessum calido & humido gignatur. Lib. 2. de tēp. cap. 5.

Aeque vt flauam bilem calidam siccamque, quantumuis sit aspectu humida. Quippe dissidet illis viris id quod secundum apparentiam humidum est, ab eo quod viribus tale est. Alioqui quod muria & aqua marina carnes & siccant, & incorruptas seruant, reliquæ omnes potabiles prompte corrumpunt ac putrefa- D *ciunt, quis ignorat? Quis porro nō intelligit, quod vbi plurima in ventriculo flaua bilis continetur, perpetua siti vrgemur? Contraque quod ea euomita protinus a siti magis vindicamur, quam si plurimam hausissemus potionem?*

Flaua bilis calida est & sicca potestate, nam actu humida est, quia fluxilis. Oportet enim cum veteribus philosophis ac medicis diligenter distinguere quæ sunt actu talia, ab iis quæ potestate aut viribus talia dicuntur: cum reperiātur non pauca, quæ actu quidem humida, potestate vero sunt sicca. Id quod & alibi docuit, & nūc recte cōfirmat muriæ & aquæ marinæ exēplo. Hę nāq; quod fluxiles sint, actu sūt humidæ; ex propria tamē actione siccæ vere cēsentur, vtpote quæ carnes quas aqua potabilis facile corrūpit, a putredine vendicēt, excrementitiā scilicet humiditatem absumētes, que putredinis est materia. Eadē ergo ratione licet actu sit humida flaua bilis, quia corporis partes calfacit & exsiccat, Lib. de natur. hom. com. 24. & lib. de diffe. morb. cap. 12.

exsiccat, potestate calida & sicca dicitur. Hāc vero bilis potestatem ac vim cum alia quamplurima, tum potissimum molestissima ea sitis confirmare potest, quā eadem bilis inferre solet, vbi plurima in ventriculo continetur. Sitis namque auctore Galeno, duplex est caussa, caloris copia, & humiditatis inopia: quod tamen de siti præter naturam intelligere oportet, nam quæ secundum naturā est, ex serosæ humiditatis defectu ortum habet. Si ergo flaua bilis in vētriculo cōtenta, vehementissimam sitim excitat, sitis autem fit à copia caloris, humiditatisque inopia; bilem calfacere, & exsiccare necessario colligitur. Vnde etiam fit, vt eiusmodi sitis bile per vomitum reiecta potius sedetur, quam aqua liberaliter pota. A

Lib.1.simp. ca. 3.

Itaque succus hic calidus potestate siccusq. merito est dictus, æque vt pituita frigida humidaque; quippe de hoc quoque euidentes ab Hippocrate, ceterisque veteribus probationes sunt traditæ. Sane Prodicus in opere de hominis natura, id quod vstum, & veluti supra modum in succis coctum est, φλέγμα Græce nominat, a verbo πεφλέχθαι, quod vstum esse significat: ceterum dictione aliter vtitur quam ceteri, de re tamen idem sentit cum ceteris. Sed de hominis huius nominum nouatione Plato abunde indicat. Ceterum hoc albi coloris, quod omnes homines Græce φλέγμα vocant, Prodicus Græce βλένναν, id est muccum, appellat. Frigidus ille succus & humidus est, qui tum in senibus, tum iis qui ratione quauis sunt perfrigerati, plurimus aceruatur; quem nemo mentis compos aliud esse quidpiam quam frigidum & humidum dicat. B

Pituitam esse potestate frigidam, quod partes corporis refrigeret, & tactus ipse indicat, & demonstrauit Hippocrates; qui ipsam à purgante medicamento attractam, frigidam adhuc sentiri scripsit, cum tamen ob violentum attractionis motum calfieri debuisset. Esse vero potestate humidā, ex ipsius quoq; actione deprehenditur: nam quod sit humida actu, tactus, visus, & ratio simul indicant, vt alibi diximus. Porro φλέγμα Græcis, & Latinis pituita, dicitur humor ille albus, qui in senibus, aliisque frigidis corporibus redūdare solet. Solus Prodicus in huius nominis vsu a communi loquendi consuetudine recessit. Vocauit namque φλέγμα a verbo πεφλεχθαι, id quod vstum est, & supra modū in succis excoctum; humorem vero frigidum & humidum, & colore album, quem ceteri omnes Græci φλέγμα vocare solent, solus ipse βλένναν, id est muccum appellauit. Præstat tamen communem vulgatamque loquendi consuetudinē retinere.

Lib.de nat.ho. sen.31.

Lib. 2. de tēp. cap.5.

Nūquid igitur succus aliquis calidus humidusq; est, aliquis calidus & siccus, aliquis frigidus humidusque; nullus autem est qui potestate frigidus sit & siccus? Sed quarta temperamentorum coniugatio, cum in reliquis omnibus habeatur, in solis deficit succis? Atqui nigra bilis eiusmodi succus est, quam sapiētes medici ac philosophi abundare censuerunt, ex anni quidem temporibus, in autumno potissimū; ex ætatibus, in ea quæ vigori succedit. Ad eundem modum & victus rationes, & regiones, & tēpestates, & morbos quosdā frigidos siccosq. esse memorāt. Neque enim in hac vna cōiugatione claudicare naturā putāt, sed tanquā alias tres, itidem hanc quoque per omnia quæ memorauimus, extendi. D

Quod humor melācholicus potestate sit frigidus & siccus, ex ipsius generatione

alibi

A alibi demonstrauit. Nunc autem id tantum probat ex temperamentorum coniugationibus, quæ quidem quattuor cum sint quemadmodum & humores, debent earum singulæ singulis humoribus conuenire. Quare cum demonstratum sit, sanguinem esse calidum & humidum, bilem calidam & siccam, pituitam frigidam & humidam; erit profecto succus melãcholicus potestate frigidus & siccus. Sed mirum est, ex temperamentorum coniugiis nunc collegisse Galenum, melancholicum humorem esse frigidum & siccum, cum lib. I. de temp. Philosophos quosdam ac Medicos reprehenderit, quod simili argumentandi ratione perperam colligerẽt, ver esse calidum & humidum. Huc accedit, quod falsum omnino sit, quattuor temperamentorum coniugationes quattuor humoribus conuenire: neque enim sanguis calidus & humidus est per excessum, sed potius temperatus, quemadmodum inter anni tempora ver. Quare nunquam crediderim, B Galenum Logices peritissimum hac argumentandi formula (cuius inconstantiam alibi animaduerterat) ex propria sententia vsum fuisse; sed tantum ex eorum hypothesi, qui quattuor temperamentorum coniugia rebus omnibus accommodanda esse voluerunt. Quod sane ex postremis huius contextus verbis haud obscure colligitur, quæ ita habent, „ Neque enim in hac vna coniugatione claudicare naturam putant, sed tanquam alias tres, itidem hanc quoque „ per omnia quæ memorauimus, extẽdi. „ Quoniam ergo Erasistratus, ipsiusq. sectatores eandem illam hypothesim forte admiserunt, maximam in eos proposita ratio vim habet; cum suam hypothesim minime seruantes, humorum potestatem male explicassent. Est itaque succus melancholicus potestate frigidus & siccus, quamuis ex sanguinis adustione ortum habeat. Proindeq. ex anni temporibus, in autumno; ex ætatibus, in declinante secundum naturam abundat, vt C alibi dictum est.

Lib. de nat. ho. sent. 34. & li. 2. de temp. ca. 5.

Cap. 4.

Lib. de nat. ho. com. 34. & lib. 2. de temp. cap. vlt.

Vtinã etiã & hoc loco interrogare liceret Erasistratum, num artifex natura instrumentum quo eiusmodi succus expurgetur, nullum condiderit; sed quibus lotium expurgetur, instrumenta duo; quo flaua bilis, vnum, neque id exiguũ; qui vero his malignior succus est, sanguini permistus in venis per totum vagetur. Quamquam dysenteria, siue intestinorum difficultas, si a nigra incipit bili, mortifera est, inquit Hippocrates. Non tamen quæ a flaua incipit bili, omnino mortifera est, sed plerique ex ea seruantur: tãto scilicet nimirum malignior acriorque viribus est nigra bilis, quam flaua. An igitur nec reliquorũ Hipocratis operum vllum legit Erasistratus, nec id quod de hominis natura est inscriptum, quo D *sic citra negotium inquisitionem de succis prætereat? An nouit quidem, sed sua sponte pulcherrimam artis speculationem præteriit? Oportuerat igitur, eum nec de liene aliquid dixisse, nec impudenter tam magnum instrumentum existimasse, a natura artificiosa frustra conditum. Atqui non solum Hippocrates, vel Plato, nihilo in speculatione naturæ inferiores quam Erasistratus viri, vnum esse id viscus ex iis quæ sanguinem purgent, affirmant; sed etiam cum his veterum tum medicorum, tum philosophorũ innumeri. Quos omnes generosus Erasistratus quasi illis plus sapiat, supergredi se putans, adeo ne minimũ quidẽ contra eos dixit, vt etiã opinionis eorũ omnino non meminerit. At vero quibus corpus fieret,*

his inquit Hippocrates lien minuitur. Idem omnes qui experientiam sequuntur medici, fatentur. Præterea quibus viscus id magnum & tumẽs augescit, his corpus minuit, & cacochymum reddit: quod ipsum quoque non Hippocrates modo, sed etiam Plato, multique alii, ac præterea Empirici concedunt. Iam regii morbi qui a liene ægrotante ortum habẽt, nigriores sunt, itemque vlcerum cicatrices nigræ. Perpetuo enim vbi minus quam iustum sit, atrum ad se succum trahit, vt sanguis impurior, sic totum corpus redditur magis decolor. At quando minus quam iustum est trahit? Nimirum cum male est affectus. Tanquam igitur in renibus facultas ea qua vrinam trahunt, vbi laborant, male trahit; itidem lienis si insita vis illa qua melancholicam qualitatem attrahere potest, aliquando sit imbecilla, male hanc trahat est necesse, atque interim crassior atque nigrior reddatur sanguis. Hæc igitur omnia, cum non modo ad cognoscendos, sed etiam ad sanandos morbos maximum præstent vsum, Erasistratus omnino præteriit, ac tantos viros pro nullis se habere simulauit; is scilicet qui nec leuissima omittit, sed vbique insulsissimas opiniones ambitiose oppugnat. Quo manifestum est, eum cum nihil haberet quod contra veteres diceret in iis quæ de splenis vsu actioneque pronunciarũt, nec ipse nouum aliquid inueniret; huc confugisse, vt omnino de his taceret. At nos primum quidẽ ex his caussis quibus omnia in naturalibus administrantur, calido dico, & frigido, & humido, & sicco; deinde ex iis quæ euidenter in corpore apparent, frigidum quendam siccumque succum debere esse monstrauimus. Vbi vero & quam breuissime fieri licuit, quæ veteribus demõstrata sunt, tum quod is succus melancholicus sit, tum quod lien id viscus sit quod eum a sanguine expurget, recensuimus; deinceps ad ea quæ propositæ disputationis sunt reliqua, veniamus.

Lienis vsum ignorans Erasistratus, succum melancholicum ab eo secerni negauit, nulliusque functionis gratia à natura (quam ipse alioqui artificiosam prædicabat) creatum fuisse asseruit; sed eo dumtaxat consilio, vt dextris partibus, in quibus continetur iecur, æquales redderẽtur partes sinistræ. Quam sententiam tanquam absurdam damnarunt postea ex Erasistrati sectatoribus nõ pauci, qui hunc vsum lieni tribuerunt, vt nutrimentum in ventriculo concoctum præparet, quo facilius in hepate posset in optimum sanguinem conuerti. Sed & horũ opinionem alibi recte refutauit Galenus; nunc vero tantũ probat aduersus Erasistratum, lienem hunc insignem vsum animalibus præbere, vt ab excremento melancholico sanguinem expurget. Id probat primum ex melancholici excrementi natura, deinde testimonio Hippocratis, ac tandem ex quorundam morborum aut symptomatum generatione. Ex natura quidem excremẽti, ad hunc modum. Natura, inquit, aliis excrementis expurgandis (bili scilicet & lotio) propria quædam in animalibus organa condidit; duo quidem expurgando lotio, nempe renes & vesicam; vnicum vero purgandæ bili, nempe vesicam quæ iecori subest. Aut igitur naturam inartificiosam esse concedendum est, aut aliquod quoque instrumentum expurgando succo melancholico idoneum creasse.

Lib. 4. de vsu part. cap. 15.

Lib. de atrabi. cap. 7.

creasse. Immo quanto nigra bilis bile flaua & lotio malignior est, tanto magis
A necessaria videtur ipsius secretio. Sed quomodo nigram bilem flaua maligniorem esse dixit, cum hæc calida sit, acris, & mordax, illa vero frigida, nullaq; insigni qualitate prædita? Quod sane illa atra bilis aperte indicat, quæ ex flaua bile superassata gignitur, quæ, vt inquit Galenus, tanto est perniciosior altera quæ ex atro humore assato fit, quanto flaua bilis melancholico humore est efficacior. Quare quæ de nigræ bilis malignitate hoc loco scribuntur, de atrabile exquisita intelligere potius oportet, quã de succo melãcholico naturali. Alioqui enim quorsum nigræ bilis malignitatem confirmat ex eo Hippocratis aphorismo, Dysenteria si ab atra bile incipiat, exitiosa? Certũ namq; est ab atra bile exquisita eiusmodi dysenteriã nasci, esseq. exitiosam, quia ab exulcerato cancro non differt. At dysenteria quæ incipit à bile flaua, curationẽ plerunq. admittit, si à medico recte tractetur. Ceterum cum Galenus hoc loco de vsu lie-
B nis agat aduersus Erasistratũ, mirari adhuc licet, quod atræ bilis exquisitæ malignitatem proposuerit, vt excrementi melancholici secretionem necessariam esse ostenderet; cum lien succum melancholicum naturalem ad se trahat. Dicẽdum tamen, lienem quidem in bene valentibus succum melancholicum naturalem attrahere; in quibus vero ob vehemẽtem adustionem atra bilis præter naturam abundat, & hanc quoq. ad se allicere, commodiori scilicet nutrimẽto destitutum. Nam & vesica quæ iecori subest, ob flauæ bilis defectum, & vitellinã, & æruginosam attrahere solet, etiamsi præter naturam cõtingat vtriusque generatio. Si ergo nigra bilis malignior est flaua, necessaria omnino fuit nigræ bilis secretio. Atqui si lienem prætereas, nullum aliud instrumentũ in nostris cor-
C poribus reperias, quod huic secretioni magis idoneum esse posit. Hunc autem lienis vsum indicauit Hippocrates ita scribens, Quibus corpus floret, his lien minuitur; & quibus lien efflorescit, vniuersum corpus his contabescit. Quã Hippocratis sententiam philosophorum ac medicorum optimi tanquam verissimam amplexi sunt; quemadmodum & Empirici sola experientia docti. Floret namq. vniuersum corpus, quando bene se habente liene, optimo defæcatoq. sanguine nutritur. Quo tempore lien minui dicitur, vel quia vniuersum corpus crassius euadit, vel quia ab obstructionibus (si quæ antea fuerant) aut tumore quopiam præter naturam liberatur. Augetur contra lien, vbi obstructiones sustinet, vel tumorem aliquem præter naturam, veluti scirrhum, cui est potissimũ obnoxius. Tuncq. merito fit, vt corpus vniuersum contabescat, cacochymumq. reddatur; fæculento scilicet sanguine nutritum, male suo munere fungẽte lie-
D ne. Videtur autem hanc Hippocratis sententiam legisse Pompeia Plotina, quæ (vt refert Plutarchus) non minus facete quam acute Traiano Imperatori dixit, fiscum lieni esse omnino similẽ. Postremo icterus niger lienis vsum apertissime ostendit, in quo vniuersa cutis nigro colore suffunditur, quemadmodũ flauo in ictero simpliciter dicto. Huius namq. symptomatis caussa est melancholicus fæculentusq. sanguis, qui in vniuersum corpus distribuitur; læsa nimirũ melãcholici excremẽti secretione ob lienis affectum. Quæ caussæ si ignorẽtur, fieri nõpotest vt remedia curãdo affectui idonea inueniãtur. Ergo quẽadmodũ a serosa humiditate sanguinẽ expurgant renes, & ab excremẽto bilioso vesica; ita & liẽ ab excremẽto melãcholico. Quamobrẽ vt demonstratũ est vrinã secerni à facultate attractrice renũ, & bilẽ à facultate attractice vesicæ; ita quoq. sentire oportet, melancholici excrementi secretionem ad vim lienis attractricem referendam esse.

Lib. de atrabi. cap 5.

Aphor. 24. lib. 4.

Lib. de loc. in homi.

In Apophteg.

CAP. XII.

ELIQVVM autem quidnam sit aliud, quam clare exponere, quid tandem velint, demonstrentque veteres, de succorũ generatione accidere. Porro id luculentius intelligetur exemplo. Ergo vinũ mihi dulce quod non dudum ab vuis sit expressum, feruens, & alterascens ex eo quem in se habet calore, mihi intellige; postea ex eius mutatione duo prouenire excrementa, alterum leuius magisque aëreum, alterum grauius ac magis terreum: quorum illud florem, hoc fæcem, arbitror, vocant. Horum si alteri flauam bilem, alteri nigram adsimiles, minime pecces. A

De singulorum humorum generatione priuatim nunc disputat, siue secundũ naturam sint, siue præter naturam. Agit vero primum de bile & humore melãcholico, quibus id commune est, vt sint sanguinis excrementa. Horum igitur naturam explicat aptissima similitudine, qua itidem vsus est lib. 4. de vsu part. Vinum ab vuis recens expressum, (quod mustum appellant) dum in vasis repositum ab insito calore concoquitur, insignem feruorem patitur; ex quo duo secerni solent excrementa, alterum quidem tenue, quod florem; alterum vero crassum, quod vini fæcem vocant: atque hoc quidem in imo subsidet, illud autẽ potius innatat. Eadem prorsus ratione & chylus in ventriculo primum concoctus, atque in venis mesaraicis vtcumque alteratus, dum in propriis iecoris vasis ab innato calore concoquitur, insigniter feruet; duoque ex eiusmodi feruore relinquit excrementa; tenue alterum, quod in sanguinis superficie veluti spuma quædam innatat, & flori vini est simile; alterum vero crassum ac fæculentum, quod in imo subsidet, & vini fæci prorportione respõdet. Quod si tertiũ quoddam aqueæ naturæ excremẽtum & in vino, & in sanguine cum eodem Galeno addiderimus; perfectior multo erit concoctionis vini & generationis sanguinis similitudo. Nam vt in vino præter florem & fæcem aquea quædam substantia inuenitur, quę sensim concocta in vinum tandẽ mutari solet; ita & in sanguine separata vtraque bile, flaua, & nigra, aqueum quoddam excrementum remanet, quod sensim à iecore concoctum, in sanguinem vtilem tandem conuertitur. Tale vero excrementum pituita est, vt postea dicemus. B C

(Margin: Cap. 3. — Lib. 4. de simp med. fac. cap. 3)

Quando non eandem habent hi succi speciem, cum animans naturæ opera regitur, qualem, cum præter naturam se habet, sæpe exhibet. Quippe quæ flaua est, efficitur vitellina; ita enim nominant, quoniam ouorum vitellis, tum colore, tũ crassitudine sit adsimilis. Rursus nigra longe malignior ea quoq. quã quæ naturalis est, redditur. Nomen tamen tali succo nullum est inditum, nisi quod aliqui vel radentem eum, vel acidum appellarunt; quoniam scilicet acris in morem aceti fit, & corpus animalis radit, & etiam terrã, si supra eã sit effusus; quandamque cum bullis veluti fermentationem, ebullitionemque excitat; vbi scilicet adscititia putredo nigro illi succo naturaliter se habenti accessit. Mihiq. videntur veterũ medicorum plerique, id quod è tali succo naturaliter se habet, quod & infra deiicitur, & sæpe supra fluitat, atrũ vocare succũ, non atrã D

bilem;

A *bilem; quod vero ex vstione quapiam, ac putrescentia in acidam migrauit qualitatem, id atram nuncupare bilem. Ceterum de nominibus habenda controuersia non est, sed veritatem sic se habere intelligendũ. In sanguine generando quidquid abunde crassum ac terreum ex ciborum natura in nutrimento fertur, nec commode a naturali calore alteratur, id lien ad se trahit; quod vero assum (vt sic dicam) vstumque nutrimenti est, (fuerit sane hoc calidissimum in eo ac dulcissimum, quali a sunt, tum mel, tum adeps) id cum flaua bilis factum est, per fellis vocata vasa expurgatur. Est autem hoc, tenue, humidumque, & fluidũ, non quale cum ad vltimum est excoctum, flauum, igneum, & crassum, vitellis ouorum* B *simile. Hoc namque iam præter naturam est, alterum vero quod prius memorauimus, est secundum naturam. Pari modo & id nigri succi quod nondum illam velut ebullitionem fermentationemque terræ efficit, est naturale; quod autem in talem mutatum est vim ac speciem, id iam præter naturam est, ceu quod ex vstione non naturalis caloris acrimoniã adsciuerit, ac veluti cinis quidam sit redditum. Sic quodammodo & fæx vsta a non vsta dissidet. Illa namque admodũ calida est, adeo vt carnem vrat, liquet, ac corrumpat; altera quæ nondum est vsta, ad omnia medicos vti deprehendas, ad quæ terra figulari, aliisque quæ simul siccãdi ac refrigerandi vim habent. Sane in atræ bilis sic vstæ speciem etiam vitellina illa subinde vertitur, quoties ipsa quoque igneo percocta est calore. Reliqua bi-* C *lis genera partim ex iam dictorum mistura constant vniuersa, partim tamquam viæ quædam sunt ad harum tum generationem, tum inter se mutationem. Distãt autem inter se, quod aliæ meracæ sunt ac solæ, aliæ veluti sero quodam imbutæ. Verum seri genera omnia quæ in succis habentur, sunt excrementa, puruma. ab his esse postulat animalis corpus. Ea vero quæ prædicta sunt, vsum aliquem naturæ conferunt, & quod crassum est, & quod tenue: purgaturq. ab his sanguis, tum per lienem, tum per eam quæ iecinori subest vesicam. Ac seponitur vtriusq. partis tanta talisque portio, quanta qualisque si in totum ferretur animalis corpus, noxam aliquam inferret. Quod enim admodum est crassum & terreum, ac prorsus eam quæ in iecinore fit mutationem subterfugit, lien ad se trahit; reli-* D *quum quod mediocri est crassitudine, id & absolutum iam est, & in omnem partem fertur. Requirit enim sanguis in non paucis animalis particulis crassitudinem quandam, æque arbitror, vt quæ in ipso feruntur, fibras. Ac dictum quidem de vsu earum etiam a Platone est: dicetur autem de his & a nobis in illis voluminibus, quibus vsum particularum persequimur. Postulat non in postremis sanguis & flauum succum, qui tamen adhuc igneus ad vltimum effectus non est. Ac quis illi accedat ad hoc vsus, in illis voluminibus docebitur.*

Quãuis de bile & humore melãcholico simul hîc disputet, nos tamẽ clarioris

doctrinæ gratia, de vtroque humore seorsum agemus, à bile exorsi. Bilis itaque in vniuersum aut naturalis est, aut præter naturam. Ac naturalis quidem, si humoris speciem formamque spectes, vnica est, licet colore nonnihil differat: quo pacto duplex plerumque à Galeno statuitur, pallida, & flaua. Quæ duo nomina de vna humoris specie dicuntur, differêtis dumtaxat humiditate & siccitate, eodem auctore. Qua etiam ratione flaua bilis eiusdem fere cum pallida generis esse dicitur, dictione illa Fere coloris discrimen solum exprimente. Et quoniam vtraque hęc bilis secundum naturam est, simpliciter, & citra adiectionem bilis dici solet; reliqua vero bilis genera quæ pręter naturam sunt, cum adiectione coloris perpetuo exprimuntur. Quam loquendi consuetudinem non solis medicis, sed Græcis etiam omnibus familiarem fuisse, locis pene innumeris testatur Galenus; quamuis ei quæ flaua est, coloris nomen nonnumquam adiiciant, pallidæ raro, aut numquam. Est tamen præter has & tertia quædam bilis, quam ex colore rufam, siue fuluam appellant; quam non secus ac pallidã & flauam, vomitu interdum reiici experimur. Quo fit, vt naturalis vrinarũ color (quem certum est ex bile ortum habere) triplex esse possit, subpallidus, subrufus, & subflauus. Porro vt tres istæ biles specie cõueniunt, ita & communem habent generationis modum. Caussa namque efficiens calor est iecoris immodicus, vel propria essentia, vel ratione materiæ, de qua non minus inter medicos conuenit. Quamuis enim recentem carnem contabescentem bilis materiã statuerit Plato, vere tamen sentiunt medicorum plerique, ex ea alimenti portione bilem gigni, quæ fuerit dulcissima. Huc enim pertinet quod dictum est ab Hippocrate, Biliosum à pingui: pingue namque interpretatur Galenus, non solum quod vnctuosum est, sed etiam quod dulce est, & bene habentibus suaue. Quo etiam pacto regionem, aut agrum pinguem dicimus, qui eorum fructuum sit ferax, qui à nobis recte valentibus sine vlla noxa comeduntur. Hoc ipsum voluit hoc capite, dicens, quod in nutrimẽto calidissimũ est & dulcissimum, id bilem fieri. Vnde multorum deprehenditur error, qui ex dulciori nutrimenti parte sanguinem (vtpote qui natura dulcis sit) gigni putant; non animaduertentes, quæ dulcissima sunt, vbi amplius concoquuntur, amara euadere; quæ vero exactam non habent dulcedinem, concoctione fieri dulciora, vt ante diximus. Atqui proxima gignendæ bilis materia chylus non est, vt arbitrantur plerique, ex diuersis quæ in chylo sunt partibus, diuersos humores à iecoris calore gigni existimantes. Nam totus chylus in impurum quendam ac veluti confusum sanguinem primo conuertitur, quemadmodum & mustum dum feruet, in vinum adhuc impurum conuerti solet. Quamobrem vt musto in vinũ conuerso, duo illa vini excrementa (flos scilicet & fæx) concoctionis beneficio secernuntur; ita & chylo in sanguinẽ mutato, pars ipsius sanguinis tenuior in bilẽ, crassior vero in succũ melancholicũ degenerat. Vnde patet, proximam bilis materiã esse partẽ nutrimenti calidissimã simul ac dulcissimã. Nutrimenti autem nomine sanguinem potius quam chylum intelligimus; nam vt totus chylus in sanguinem, ita pars sanguinis tenuior in bilem conuertitur. Ac ne à nobis confictum id quispiam putet, Galenum de hac re consulat, qui, cum sanguinem in biliosorum & pituitosorum humorum medio situm esse dixisset, hanc rationem reddidit, quod biliosi humores ex sanguine fiant supra modũ excocto, pituitosi vero eo nondum perfecto. Atque hæc caussa est, cur neutra bilis in sanguinem mutari possit, cum ex sanguine plus calfacto flaua bilis, ex eodem assato atra generetur. Hæc quidem communis est, pallidæ, rufæ, flauæque bilis generatio

Marginal notes: A; Lib. de nat. hom. com. 26.; Lib. 6. epid. par. 5. com. 14.; Ibidem.; B; Lib. 1. de cry. cap. 12.; Lib. 6. epid. par. 5. sen. 14.; C; D; Lib. 4. de sani. tu. cap. 4.; Lib. 2. de rat. vict. in mor. acut. com. 30.

A neratio, quod ad materiam attinet, & caussam effectricem. An vero gignātur semper in vasis, an potius in ventriculo gigni aliquādo possint, paullo post explicabimus. Et quamuis bilis quæcumque naturalis substantia quidem tenuis sit, sapore amara, & potestate sicca & calida; in eo tamē est discrimen, quod flaua bilis crassior sit, magis amara, calidiorq. & siccior; pallida vero tenuior, minus amara, minus itidē calida & sicca; rufa autē inter vtrāq. sit media, quemadmodū & rufus color medius est inter pallidū & flauū. Quippe licet proprio nomine rufus color Græcis dicatur κιῤῥὸς, vocari tamē etiā solet ὠχρόξανθος, quasi dixeris ex pallido flauū. Est nāq. color rufus tāto splēdidior pallido, quāto est flauo obscurior; cum magis quam pallidus, & minus quā flauus, ab albo recesserit. Pendet triplicis huius bilis discrimen ex propria cuiusque generatione quā variis in locis tradidit Galenus, in quibus verissime docuit, ex tenuis humiditatis permistione pallidam bilem fieri; flauam vero ex eiusdem absumptione vi caloris facta. Quam quidem tenuem humiditatem alii aqueam, alii serosam nominant, est enim eiusdem generis cum vrina & sudore. Porro nemo est qui nō intelligat, quæ bilis in quibus corporibus secundum naturam gignatur. In frigidioribus enim, veluti in mulieribus & senibus, pallida; in calidioribus, vt iuuenibus, flaua; in tēperatis vero rufa potius gignitur. Huius autem bilis quam secundum naturam gigni diximus, quidquid optimum fuerit & minus acre, sanguini simul cum aliis humoribus permiscetur; cui substantiæ tenuitatem & calorem tribuit, propter vsus alibi iam explicatos. Id vero quod reliquum est, tamquam sanguini constituendo inutile, in vesicam bilis reponitur. Vesica vero attractam à se bilem tamdiu retinet, atque amplectitur, donec aut grauata nimia ipsius copia, aut acri qualitate demorsa, ad expulsionem irritetur. Quo tempore bilem expellit ad ecphysin, vbi non contemnendum vsum intestinis præbet, dum sua mordacitate, pituitosa excrementa quæ frequenter intestinis adhærent, facile deterget. Sic autem suo munere functa, vna cum alui excremētis foras excernitur, quæ propterea solent flauo colore tincta secundum naturam apparere.

Marginal notes: Lib. de atra bi. cap. 2. & lib. 3. de rat. vict. in mor. acut. cō. 2. — Lib. de nat. homi. c. [illegible] — Lib. 5. de vs. part. cap. 4.

B (margin, beside "caloris facta"); C (margin, beside "tempore bilem")

Porro bilis præter naturam plures sunt species, in quibus enumerandis varius videtur fuisse Galenus, nūc plures, nunc pauciores recensens. Neque id mirum, cum differentias bilis præter naturam, tamquam exempla tantum humorum præter naturam genitorum aliquando proponat; quemadmodum fecisse constat lib. de nat. homi. vbi bilem vitellinam & atram prætermisit. At lib. 6. epid. sex enumerat species bilis, nempe vitellinam, rubram, porraceam, æruginosam, isatoden, & atram: quæ omnes ex colore suas appellationes obtinuerūt. D Atque id quidem in bile rubra & atra perspicuum est, in aliis vero non minus certum. Siquidem λεκυτώδης, id est vitellina, bilis dicitur, quia & colore, & cōsistentia vitellis ouorum est similis; ouorum, inquam, crudorum, vt ipsemet Galenus alibi interpretatur, vnde & quibusdam lutea quoque dici solet. Πρασοειδὴς, id est porracea, quod virentis porri colorem referat, appellationem obtinuit: quemadmodum ἰώδης, id est æruginosa, quod sit ęrugini similis, proindeq. rubiginosa nonnullis dicitur. Ισατώδης vero dicta est, quæ isatidis herbæ (quam Latini glastum appellant) colorem exhibet: vnde etiam quibusdam glastea, aliis ex eo quo infecta est colore, cærulea, cæsia, glauca, fusca, & obscura bilis appellatur. Errant enim toto cœlo, qui bilem cæruleam ab isatode distinguunt. De porracea tamen & æruginosa à plerisque dubitatum est, distinguantur à se inuicem, necne. Et quamuis plerique sentiant diuersas eas esse bilis species, cum

Marginal notes: Com. 4. Part. 5. cō. 14. — Lib. de atra bi. cap. 2. — Lopezius, cō. in cap. 8. lib. 2. de temp. & Peramatus, lib. de humo. cap. 24.

tamen colore conueniant, vnam esse bilis speciē potius crediderim, quæ duobus illis nominibus exprimatur, quod & virentis porri, & æruginis colorem referat. Quod visus est etiam significasse Galenus lib. de atra bile ita scribens, In ventriculo autem alia quædam porracea gignitur, sic enim eam à porrorum colore denominantes, vocant; sicut æruginosam quoque, quod ærugini similis cōferatur. Difficilior quæstio est de bile rubra appellata, sit ne reuera bilis species præter naturam à ceteris distincta. Auicenna quidem bilis rubræ sæpe mentionem facit, videtur tamen hoc nomine flauam plerumque intellexisse. Rasis vero, Actuarius, & alii non pauci, rubram bilem ab aliis diuersam admittunt: & Galenus non semel inter genera bilis ipsam recensuit. Nullam tamen in nobis bilem rubram inueniri arbitramur, cum ruber color solius sanguinis proprius sit, aut ipsius seri. Propterea que Galenus rubram bilem à sanguinis sero nequaquam distingui apertissime docuit, huiusque appellationis hanc rationem reddidit, quod scilicet sanguinis serum nonnullis bilis rubra dicatur, quia non cōcrescit; quo nomine cum bile magis quam cum sanguine videtur conuenire. Quare nomine bilis rubræ sanguinis serum intelligere potius oportet, quam sanguinem biliosum, vt voluit Vallesius. Ceterū præter has bilis species, aliā quandam à reliquis omnibus maxime diuersam videtur statuisse Auicenna, quā ipse vocat Zinariam. Res tamen aliter habet, cum bilis Zinaria Auicennæ eadē sit omnino cum æruginosa, vt vox Arabica Zinair (quæ æruginem significat) aperte declarat. Quamobrem immerito Auicennam reprehendit Vallesius, vt recte annotauit Vega. Sed neque is reprehensione caret, dum fictitiam de Zinariæ aut æruginosæ bilis generatione Auicennæ sententiam, aduersus Vallesium & rei veritatem mordicus tuetur, & experimentis frustra confirmat. Supersunt itaque quattuor dumtaxat bilis species præter naturam, vitellina, æruginosa, isatodes, & atra. Hæc vero quoniam colore iam conuenit cum humore melancholico, ad hunc potius quam ad bilem iure referri solet.

Cap. 2. | Lib. 6. epid. par. 5. com. 14. | Lib. de atrabi. cap. 2. | Cō. 14. in lib. 6. epid. par. 5. | Lib. 1 fen. 1. doct. 4. cap. 1. | Lib. 5. cont. cap. 19. | Lib. 1. de art. med. cap. 2.

Est autē id commune omnibus generibus bilis, quæ præter naturam sunt, vt à calore immodico fiant, subiectam materiam vrente, serosamque humiditatem propterea absumente. Proinde merito inquit Galenus hoc loco, differre inter se biles, quod aliæ meracæ sint ac solæ, aliæ veluti sero quodam imbutæ. Nam quæ secundum naturam sunt, vel magis vel minus sero imbutæ sunt; quæ vero sunt præter naturam, vel magis vel minus puræ sunt, ac sinceræ. Inter has vero minus sincera est vitellina, quæ quidem ex flaua gignitur, absumpta à calore tenui humiditate. Nam vt ex flaua bile aqueam humiditatem accipiente pallida fit; ita & ex eadem vbi aquea absumitur humiditas, efficitur vitellina: quæ proinde flauior, crassior, calidior, siccior, acriorque flaua euadit. Nescio igitur quid in mentem venerit Auicennæ, cum bilem vitellinam ex crassæ pituitæ permistione fieri scripsit. De loco autem in quo bilis hæc vitellina gignitur, à nemine dubitatum fuisse video; in vasis namque gigni omnes vno ore fatentur. Cuius sententiæ auctorē putant fuisse Galenum, qui pallidam, flauam, & vitellinam bilem, in vasis generationem obtinere scribit. Et rursus inquirens, an cibi in nidorem conuertantur culpa ventriculi, an potius ex bilis ad vētriculum confluxu; id inter alia distinguēdum esse docuit ex bilis vomitu reiectæ forma. Nam quibus, inquit, in ventre biliosum excrementum gignitur, id porri virorē præfert; at quibus ex iecinore descendit, his vel plane flauū est, vel omnino saltem pallidum. Verum quamuis vulgata hæc opinio sit, & in scholis maxime recepta; ego tamen non video, cur flaua bilis, aut vitellina, in ventriculo gigni

Lib. de atrabi. cap. 2. | Lib 6. epide. par. 5. com. 14. | Lib. de atrabi. cap. 2. | Lib. 2. de tēp. cap. 9.

A gigni nequeat. Quid enim obstat, quo minus ex prauis quibusdā cibis in vētriculo gignatur, qui similem succū in se contineāt plurimū, præsertim si corrūpātur? Aut cur ex praui succi alimentis gignitur in ventriculo porracea bilis; flaua vero, aut vitellina non gignetur? Quod si apud viros doctos, veritatisque amatores, ponderis aliquid & momenti nostra habitura sit obseruatio, nostrum quoque de hac re testimonium in medium proferemus. Multos sane sine aliqua vasorum male affectorum suspicione, ob solam ciborum cruditatem, aut corruptionem, biliosissima deiecisse obseruauimus; quibus epota hiera mirifice profuit. Quin & in me ipso rem ita se habere expertus sum, idq. non semel. Quippe cum singulis fere annis ex fugacium fructuum vsu aluus mihi largius fluere consueuisset, quæ deiiciebantur, flaua biliosaq. prorsus esse animaduerti.
B Vt autem rei caussam certius deprehenderem, cum per dies aliquot exactiorem victus rationem seruans, ab eiusmodi fructibus abstinerem, ad naturalem protinus statum aluum redire experiebar. Rursus vero cum indagandæ veritatis studio eisdem fructibus consulto vescerer, aluus quoque rursus liquida deiiciebat, flauo colore insigniter tincta, non citra ventris tormina, & flatuum copiam: quæ omnia sedabantur facillime, cum primum ab eiusmodi fructibus mihi temperassem. Ex quibus tandem in animum induxi meum, flauā eam, aut vitellimam quæ deiiciebatur bilem, ex vasis nequaquam confluere, sed ex prauis illis cibis in ventriculo generari. Id enim quo tangente aliquis fit affectus, & quo separato statim cessat, caussam esse, apud omnes homines est in confesso. Verum nequis fortasse hæc a nobis conficta esse credat, Galenum ipsum ita
C quoque sentientem audiat. Ex melle, inquit, omninoque ex dulcibus, cum ,, vehementius incaluerint, amaræ bilis contrahi humorem, in quarto de simpli- ,, cium medicaminum viribus commentario declaratum est. Cum hoc etiā, quan- ,, do hæc diutius in ventriculo morata fuerint, neque prius distributa, neque cō- ,, cocta sint, luteam (Græce ὠχρὰν) ex ipsis bilem procreari, euidenter percipi- ,, mus. Quod si perpetuo contendas, flauam bilem ex sententia Galeni in solis vasis gigni posse; quorsum quæso, in iis qui ob flauam bilem in ventriculi spatio contentam, vel in ipsius tunicas demissam, nidorem eructant, inquirendum esse præcipit, an iecore male suo munere fungente accumuletur eiusmodi humor, an ex vniuerso confluat corpore, an potius in ipsomet ventriculo gignatur? Concedit itaque Galenus, monstrat ratio, experientiaque confirmat, ex cibis praui succi bilē flauā aliquando in ventriculo gigni; interdum quoq. ex cibis dulcibus, qui ab immodico ventriculi calore adurātur. Nihilominus tamen
D quoniā rarior esse solet bilis flauæ generatio in ventriculo, in vasis autē multo frequentior; huius plerumque mentionem facit Galenus. Neq. nobis aduersatur locus ille ex lib. 2. de temper. non enim affirmat, bilem pallidam, aut flauam in solis vasis gigni, & porraceam in solo ventriculo, cum sit vtrumque falsum: sed tantum docet, ex specie bilis quæ vomitu reiicitur, distinguēdum esse, corrumpanturne cibi culpa ventriculi calidi, an potius ob viciatā meatus bilis formationem. Nam quibus sanis porracea bilis vomitu reiicitur, his ventriculus calida intēperie est præditus; quibus vero sanis pallida, aut flaua bilis euomitur, his viciata est meatus bilis formatio. Sed hæc petenda sunt ex nostris ad eum locum commentariis.

Lib. 1. de loc. affect. cap. 2.

Lib. 6. epide. par. 5. com. 14.

Lib. 1. de loc. affect. cap. 4.

Transeamus itaque ad bilem porraceam, siue æruginosam, quam certum est duplicem habere generationem, in venis scilicet, & ventriculo. In venis quidē ex flaua, aut vitellina bile, ab igneo calore vehementer adusta gignitur; proindeque

deque in febribus ardentibus malignis per vomitum, aluum, aut vrinas interdum excernitur: certissimum adurentis caliditatis indicium. In ventriculo autē gigni solet, Galeno auctore, propter quorundam esculentorum cruditatem, aut olerum: qualia sunt beta, cæpa, & brassica. Atque hactenus quidem de generatione bilis porracæe omnes consentiunt. An vero quæ in ventriculo gignitur, ex alimentis praui succi (qualia olera sunt) generationem necessario obtineat, an potius ob calidam ventriculi intemperiem ingestos cibos corrumpētem fieri aliquando possit, dubium est & controuersum. Sentiunt plerique, ex solis cibis calidioribus & praui succi gigni posse, quibus mirum in modum fauet Galenus, qui (vt antea dictum est) propter quorundam esculentorum aut olerum cruditatem fieri asseruit. Et clarius multo id docuit lib. 2. de tēper. ita scribēs, Præterea quibus in ventriculo bilis illa gignitur quæ porri colorem imitatur, debet omnino his cibus fuisse, non panis, non suilla caro, simileue aliquid, sed necessario aliquid quod his calidius fuit, neq. id boni succi. Atqui tantum abest, vt hæc loca sic sentientibus faueant, vt in ipsos facile retorqueri possint. Siquidem in Prognostico cū disiunctione loquutus, videtur haud dubie significasse, non solum ex cibis praui succi (qualia olera sunt) sed ex aliis etiam porraceam in ventriculo bilem generari. At lib. 2. de temp. tantum significauit, ex cibis cō coctu facilibus fieri posse eiusmodi bilem, quando ventriculus calida intemperie laborat; non autem ex pane, suilla, aliisue solidis cibis. Hi namque tantum abest, vt in ventriculo calido corrupti in succum porraceum conuertātur, quin potius perfectissime concoquantur, ac superentur. Sed quæ ad eius loci explanationem pertinēt, in nostris commentariis abunde sunt tradita. Sentimus itaque ex praui succi cibis porraceam bilem in ventriculo gigni; facillime quidē in calido, difficilius autem in frigido, aut temperato. Neque enim aliquam ventriculi intemperiem huiusmodi ciborum in nidorosos succos conuersio indicat, cum ab externa dumtaxat causa proueniat. Sentimus quoque ob calidam ventriculi intemperiem bilem porraceam gigni in ventriculo, etiamsi quæ assumpta sunt alimenta, boni sint succi, dummodo tenuia sint, & concoctu facilia. Id namque calido ventriculo proprium est, vt tenuia concoctuq; facilia alimenta prompte corrumpat, atque in nidorem conuertat; concoquat vero facilius alimenta solidissima, & quæ concoctu difficilia sint, veluti suillam, aut bubulā. Exēplo sit lac, quod vt in frigido ventriculo facile acescit, ita & in calido prompte aduritur, in nidoremque conuertitur. Neque improbo tantum ex prauisq. cibis genito lacti id accidit, verum etiā optimo, atq; in suo genere perfectissimo, si Galeno, experientiæque adhibenda sit fides. Experitur enim (vt recte annotauit Vega) infantes qui solo adhuc lacte aluntur, sine aliquo vasorum affectu viridia sæpe deiicere, aut vomere: in quibus certissimum est, viridem eam quæ aut vomitu, aut alui deiectione excernitur bilem, ex solo lacte corrupto genitam fuisse. Lac autem corrūpitur, vel quia plus iusto calidius est, ex prauisque genitū cibis; vel quia infantis ventriculus calida imtēperie laborat. Quę sane distinctio apprime est necessaria.

Lib. 2. progno. com. 39.

Ibidem.

Cap. 9.

In art. medi. cap. 62.

Lib. 3. de alim. fac. cap. 16. & lib. 5. aphor. cō. 64.

Com. 39. lib. 2. prognost.

Sola nunc restat bilis isatodes, quam omnes concedunt, ex bile ęruginosa aut vitellina ab igneo calore vehemensissime adusta, in vasis gigni: vno excepto Fernelio. Is namque non secus ac porraceam, ex viciosis prauique succi alimentis isatoden in ventriculo etiam gigni posse arbitratur. Ita vt ex eiusmodi cibis fiat primum porracea; deinde ex hac si diutius infixa hæreat, & commoretur, ęruginosa; ex hac demum isatodes persistente ventris incendio. Ego quidem

Lib. 6. de nat. par med. ca. 9.

A quidem vt bilem isatodem ex vehementi adustione in vasis plerunque gigni cõcesserim, ita non negarim generari aliquando posse in ventriculo: non ex porraceæ aut æruginosæ bilis incendio, vt fingit Fernelius, sed ex cruditate potius prauorum ciborum. Quæ enim maior ratio esse potest, cur ex oleribus porracea bilis in ventriculo gignatur; ex cibis vero qui cæruleum succum cõtineant, bilis isatodes gigni non possit, quando in ventriculo aut non superantur, aut corrumpuntur? Nonne dictum est ab Hippocrate, vrinam cibo & potui concolorem reddi posse? Cur ergo quæ vomũtur & deiiciuntur, fuscum assumptorum ciborum colorem referre non poterũt? Rara est, fateor, hæc bilis isatodis generatio, quoniã raro prauis cibis cæruleum succũ continentibus vescimur. Quod animaduertens Galenus, pallidam, flauam, & porraceam bilem sine morbis sæpenumero vomi, aut deiici scripsit, reliquas autem biles, cum corpus grauiter B ægrotat, excerni. Lib. 6. epid. par. 5. sent. 15. Lib. 3. de ali. fac. cap. 39.

Ac de bile quidem hactenus, nunc ad humorem melancholicum nostra conuertatur oratio, qui vel naturalis est, vel præter naturam. Gaudet vterq; communi nigræ aut atræ bilis appellatione, quamuis veterum medicorum plerique (vt inquit hoc loco) propriis nominibus alterũ ab altero distinguere tentarint. Eum namque qui naturalis est, nigrum vel atrum succum vocare sunt soliti; nũc autem succum aut humorem melancholicum, aut melancholiam appellãt. Alterum vero qui præter naturam est, sine proprio nomine reliquerunt: nisi quod aliqui vel ex effectu radentem, vel ex sapore acidum vocarunt. Alii atram bilem, & recentiores clarioris doctrinæ gratia atram bilem exquisitam appellare solent.

C Succus ergo melancholicus naturalis crassum est sanguinis excrementum, quemadmodum flaua bilis tenue. Gignitur is semper in venis ex parte sanguinis crassiori, & magis terrestri, quemadmodum bilis ex tenuiori ac dulciori: neutra enim bilis ex chylo proxime fit, vt antea diximus. Caussam effectricem temperatum iecoris calorem aliqui statuunt, quoniam is auctor est optimæ concoctionis in hepate, cuius excrementũ est humor melancholicus. At qui sic sentiunt, manifeste contradicunt Galeno, qui cap. 9. docuit, sanguinẽ fieri à calore mediocri, reliquos ab intemperato. Neque ipsorum ratio alicuius est momẽti, vtpote quæ non minus ostendere posit, bilem flauam fieri à calore temperato, quod est absurdũ. Probabilius multo sentiunt alii fieri à calore imbecillo, quia qualis fuerit iecoris intemperies, talem quoque humorem redundare necesse est. Quare vt iecur calidum & siccum plurimã gignit bilem, ita frigidum & sic- D cum plurimum gignet melancholici humoris. Neque aliam rationem esse credunt, cur in ætate declinante, & in autumno humor melancholicus redundet, quam quod refrigerari corpus incipiat. Verum ita sentientibus contradicit Galenus, qui eos qui frigido siccoq. temperamento sunt præditi, melancholicos esse negat, nisi ex habitus corporis mutatione tales euaserint. In his nãque humor abundat melancholicus, non ob frigidam intemperiem, sed ob præcedentem in iuuentute sanguinis feruorem; in illis vero qui à primo ortu frigidi sunt & sicci, pituita potius redundat, quia ob caloris imbecillitatem male in ipsis perficiuntur concoctiones. In autumno quoq. humor melancholicus abundat, ob eum qui æstate præcessit sanguinis feruorem, non ob frigidam intẽperiem. Reliquum igitur est, vt à calore immodico sanguinem adurẽte humorem melancholicum fieri fateamur: quæ sane fuit verissima Galeni sententia, vt constat ex variis locis. Scribit namque lib. 2. de temp. melancholica temperamẽta fieri ex san- Lib. 2. de temper. cap. vlt. Lib. de nat. ho. com. 34. Cap. vlt.

Cap.7. ex sanguinis adustione. Et lib.3. de loc. affect. humorem melancholicum in his potissimum redundare docet, qui macri sunt, & nigri, & hirsuti, & qui colorem Cap.12. habent prærubrum, & quibus latæ sunt venæ: quos omnes calidos esse certissimum est. Rursus libr. 2. de crysi. vtriusque bilis generationem explicans hæc scribit, Sane in naturalibus sermonibus recte ostēsum est, quod sanguis ex moderato calore generatur, flaua autem bilis ex maiore, atra vero ex sufficienter immodico. Quidquid igitur pingue & tenue in sanguine est, fit flaua bilis; crassū vero ac veluti fex quando immodice calfactum exaruerit, atra. Ex his facile intelligitur eorum error, qui sine aliqua vstione, sed sola reliquorum humorum separatione succum melancholicum gigni affirmant. Et item aliorū qui triplicem statuunt humorem melancholicum, vnum maxime naturalem, alterum qui huius naturam non attingit, & tertiū qui excedit. Vnicuique vero suam tribuūt caussam effectricem, ei quidem qui maxime est naturalis, calorem temperatum; ei qui inferior est, calorem imbecillum; calorem vero immodicum ei qui naturalem excedit. Porro sanguinis adustio ex qua humorem melancholicum fieri diximus, interdum secundum naturam accidit, interdum præter naturam. Atq; ita fiet, vt licet ipsius generatio à calore morboso, omninoque præter naturam aliquando fiat, ipse tamen naturalis adhuc sit, & dicatur; quoniā propriam seruat naturam ac speciem, neque in atram bilem adhuc degenerauit. Nam & flaua bilis naturalis censetur, non solum quādo in bene valentibus gignitur, sed etiā quando à calore febrili generatur, sanguine præter naturam adusto. Quo nomine grauissime peccant, qui succum melancholicum ex vstione natū præter naturam esse censent, etiamsi in atram bilem nondum migrarit.

Vega, com.27. lib.2. progn. & lib.1. de art. me. cap.2.
Peramatus lib. de hum. ca.28.
Vega.

Quidquid igitur huius humoris elaboratum magis est, & minus crassum, id vna cum aliis humoribus sanguinem constituit; cui soliditatem ac crassitiē præbet, solidis partibus nutriendis necessariam. Materiam quoque fibris sanguinis suppeditat, quarum beneficio concrescit sanguis, cum primū extra vasa effunditur: nam & Plato, & Aristoteles sanguinis fibras ex terrestri substantia formatas fuisse testantur. Quidquid autem crassum est ac veluti terreum, à iecorisq; calore minus elaboratum, id tamquam excrementum inutile secernitur à liene: qui quidem crassum hunc succum sibi familiarem attrahit, perpetuoque arteriarum motu attenuat, donec in tenuem sanguinem ipsum transmutet, quo & ipse secundum naturam nutritur. Id vero quod reliquum est, quodque a liene mutari non potuit, ad ventriculum expellitur ex Galeni sententia, indeq; rursus ad intestina, vnde simul cum aliis excrementis extra corpus excernitur.

In Timæo.
Lib. 2. de par. ani. cap.4.

De vsu tamē quem ventriculo præbet melancholicus humor, non conuenit inter omnes. Galenus quidem ciborum retentionem & concoctionē iuuare sentit, quia vim adstringendi comprimendique habet, vt indicat acerba, acidaque ipsius qualitas. Auicenna tamen hunc vsum amplexus alterum adiungit, nam & appetentiam ciborum excitare, iuuareque ait. Quæ sententia recentiorum plerisque placuisse videtur, potissimumque Vallesio, qui pro Auicenna disputans in Fuchsium, duabus rationibus eam confirmat. Acida, inquit, omnia cum primum in ventriculi os inciderint, appetentiam mouent; veluti acetum, succus limonū, & acidi fructus, quibus ad excitandam appetentiam quotidie vtimur. Et succi quoque acidi in nostris corporibus geniti, si vētriculi orificio adhæserint, famē caninam excitare solent auctore Galeno. At succus melancholicus acidus est, ergo appetentiam excitabit. Præterea succus melancholicus si ad ventriculi orificium multus confluxerit, efficit famem immodicam, quæ præter naturam est;

Lib.5. de vsu part. cap.4.
Lib.1. fen. 1. doct.4. cap.1.
Lib. 1. contro. cap 20.
Lib. 1. de cau. symp. cap.7.

A est; ergo vbi paucus confluit (vt secundum naturam confluere solet) famem efficiet mediocrem, omninoque secundum naturam. Ceterum Galeni sententiam probabiliorem iudico, si tamen excrementum melancholicum ex liene ad vētriculum transmitti concedatur. Non enim id adhuc ex anatome constat, cum meatus nullus ex liene ad ventriculum exporrectus conspiciatur, similis ei, qui inseritur in ecphysin, per quem flaua bilis ad intestina descendit. Immo neque peculiaris apparet vena in ventriculo, quæ aliquo tempore excrementum melancholicum contineat. Si tamen (vt dixi) id cum Galeno aliisque medicis cōcesserimus, ciborum appetentiam ab humore melācholico iuuari negabimus. Nam aut is manet adhuc in vētriculo postquam assumpti sunt cibi, aut ex ventriculo ad intestina depellitur. Si expellitur, ciborum retentionem atque cōcoctionem nequaquam iuuabit; præsertim cum ventriculus ad expulsionem iā
B concitetur. Si manet, cibis etiam assumptis ventriculus esuriet, quod est absurdum. Oportuisset præterea, melancholicum excrementum ad ventriculi os potissimum transmitti, vt pote quod proprium sit animalis appetentiæ organum. At vero si quid ex liene ad ventriculum transfunditur, id potius ventriculi fundum petit; cum vena quæ omnium earum quæ ex lienis sede in ventriculū exporriguntur (per quam probabile est humorem melancholicum deferri) sinistram fundi ventriculi sedem perreptare conspiciatur. Somniant igitur, qui in medium ventrem implantari fingunt meatum eum qui succum melancholicum defert. Hallucinantur quoque, qui venam coronalem a liene propagatam, à se visam testantur, quæ melancholicum sanguinem plurimum cōtineret, & in plures diuideretur propagines, ventriculum omni fere ex parte apprehendentes.
C Ex iis autē quæ dicta sunt Vallesii rationes facillime soluūtur. Nam neque ad ventriculi orificium melancholicus humor transmittitur; neque si transmitteretur, posset appetentiam excitare, quia exquisite acidus non est. Soli namque qui exquisite acidi sunt succi, dum ventriculi tunicas permeant, falsam suctionis imaginem inferre possunt; humor autem melancholicus crassior est quam vt id præstare queat. Huc accedit, quod succus melancholicus, austerus potius sit quam acidus; nihil enim acre, corrodens, aut acidum, habere excretiones nigras, scribit in Aphorismis Galenus; quamuis Gulielmus Plātius ὀξώδεις male transtulerit acerbum. Et alibi melancholicum humorem ait acidi simul atq; acerbi sensum vomentibus inferre; quandoque vero nullam quæ percipi queat qualitatem habere. Sicubi ergo austerum simul & acidum fatetur esse succum melancholicum, id sic accipere oportet, vt austeræ qualitatis plurimum, acidæ
D vero minimum obtineat. Sic namque ab eodem Galeno dictum est lib. 3. de rat. vict. in morb. acut. succi melancholici aciditatē exquisitam non esse: & lib. 3. de loc. affect. succum melancholicum minimum participare acida qualitate: licet Copus dictionem ἥκιστα male conuertens, nulla acida qualitate participare dixerit.

Lib. 4. aphor. com. 21.
Lib. de atrabil. cap. 2.
Lib. 3. de loc. aff. cap. 4.
Com. 38.
Cap. 7.

Cum primum vero humor melancholicus exquisite acidus euaserit, præter naturam iam est, & atra bilis exquisita vocatur. Huius duas dumtaxat cum Galeno differentias agnoscimus, alteram quæ fit ex bile, alteram vero ex humore melancholico naturali. Ex bile sentiunt plerique atram bilem fieri adustione; ex succo autem melancholico putrefactione; quod visus etiam est sentire Galenus, cum scribat hoc loco, fieri atram bilem, vbi adscititia putredo nigro illi succo naturaliter se habenti accessit: & in atræ bilis sic vstæ speciem vitellinam bilem subinde verti, quoties ipsa quoque igneo percocta est calore. Ego tamē non

Hoc cap. & li. de atrabi. cap. 3. & li. 6. aph. com. 53.

non video, cur vterque generationis modus vtrique atræ bili communis esse A non possit. Quid enim obstat, quo minus ex bile putrefacta, aut ex succo melãcholico citra putredinem adusto atra bilis gignatur? Sed & id aperte fatetur Galenus, de atrabile quæ ex succo melancholico fit, hæc scribens, Atque idcirco exitialis eius generatio esse videtur, vt quæ atro humore superaflato contingat. Et rursus, Bilis flaua semper stimulans & mordens humor est, humor vero melancholicus non semper, sed vbi supra modum vel combustus, vel putrefactus, malignam adquisierit acrimoniam. Et alibi inquit, melancholicũ humorem in atram bilem mutari, vbi amplius incaluerit, vel propter putredinem, vel propter febrem phlegmonodem.

Lib. de atrabi. cap. 3.

Lib. 6. aphor. com. 56.

Lib. 14. metho. med. cap. 9.

Est autem eadem fere vtriusque atræ bilis exquisitæ natura, siue ex succo melancholico, siue ex bile flaua, vitellina, æruginosa, aut isatode gignatur. Nam essentia quidem crassissima est, absumptis caloris vi partibus humidioribus: colore nigra adustionis ratione, cum splendore tamen, ob partium ignearum B permistionem. Et quamuis actu sit frigida, est tamen calidissima potestate, vehementissimaque pollet erodendi facultate ob eam quam ex putredine, vel adustione contraxit acrimoniam. In terram effusa ebullitionem quandam excitat in morem aceti, quam Plato fermentationem vocauit, forte quod fermẽto peculiare sit, ipsam in massa cui permiscetur, efficere. Quomodo vero & ab aceto & ab atra bile exquisita in terram effusa, fiat huiusmodi fermentatio, optime explicauit Galenus in Prorheticis, ad hunc modum scribens, Cum igitur in terram acetum acre effusum fuerit, protinus intumescẽs, sursum quasdam terræ partes simul tollit; fitque compositum quoddam ex terrestri substantia, & aceti humiditate, & ex facto vaporoso spiritu. Simile rei huic contingit, cũ atra C bilis in terram effusa fuerit, nempe & in vtroque spirituosa quædã motio euidenter fieri videtur, ei similis quæ in feruente musto apparet, &c. Est autem ita maligna atræ bilis qualitas, vt nullum animal (ne musca quidem) ipsam degustare audeat. Hoc solum discrimen inter vtramque atram bilem constituit Galenus, vt quanto flaua bilis acrior est & mordacior humore melancholico, tanto malignior sit ea atra bilis quæ ex bile flaua gignitur. Quod quidem cum sit rationi maxime consentaneum, cur Auerroi displicuerit, nescio. Alterum discrimen ex sapore pendet. Nam quæ atra bilis ex succo melãcholico gignitur, & gustui, & olfactui exquisite est acida; quæ vero ex flaua bile fit, exquisite amara potius est, & acris. Huius discriminis nullibi (quod sciam) meminit Galenus, ex Auicenna tamẽ certo colligitur, qui singulis atræ bilis differentiis (quas ipse quattuor statuit) singulos tribuit sapores: a quo (vt opinor) edoctus Per- D amatus, ex rei natura recte demonstrat, atram bilem ex flaua genitam, acidam esse non posse. Nam quæ acerba sunt aut austera, in acidum saporẽ amplius calfacta mutari possunt; amara vero nequeũt vstione acida fieri, sed exquisite potius amara, aut acria. Ex quibus omnibus facile distingui possunt excretiones atrabiliariæ a melancholicis, quas Hippocrates aliique veteres medici nigras excretiones vocarunt. Vtræq. vero ab excretionibus sanguinis nigri facilius distinguũtur, quoniam sanguis (qualiscunque ille fuerit) necessario concrescit, cum primum extra vasa effluxerit: quo nomine a ceteris omnibus humoribus differt. Hæc verissima est de atræ bilis differentiis Galeni sententia, Auicenna tamen duas alias adiungit, ex adusto sanguine vnam, alterã ex pituita vsta: quæ sententia recentioribus quibusdam placuit. Alii tres tantum concedunt, non tamen omnino easdem. Sunt enim qui ex putrescẽte, feruente vel sanguine atrã bilem

In Timæo.

Lib. 2. prorhet. com. 40.

Lib. de atrabi. cap. 3. & lib. 6. aphor. com. 53. 1. canti. cõ. 69.

Lib. de hum. cap. 27.

Lib. 4. aphor. sent. 21.

Libr. 1. fen. 1. doct. 4. cap. 1.

A bilem fieri negent, saltem proxime; ex pituita vero, potissimumque salsa, fieri posse arbitrentur. Alii contra negant atram bilem ex pituita vnquam fieri, ex sanguine tamen feruente fieri posse contendunt; quam ceteris mitiorem esse asserunt, vt pote quæ ex benigniori materia ortum habeat. Immo neque hāc dicunt exquisitam esse atram bilem, sed in cōfinio positā. Atqui ex sanguine feruente aut putrescente atra bilis nō fit, sed humor melancholicus naturalis, genitus tamen a caussa præter naturam. Quo fit, vt sit in cōfinio positus vt atra bilis fiat, proptereaquod perseuerante feruore, migrabit tandem in atram bilē
„ exquisitam. Sed præstat loquentem de hac re Galenum audire, Si sanguis, in-
„ quit, supra modum assatus fuerit, pars quidem eius subtilior ac pinguior omni-
„ no in flauam conuertitur bilem, quæ autem est crassior, in atram: quod in his
„ tumoribus qui carbunculi appellantur, contingit. Nam in his ex sanguine su-
B pra modum efferuescente ad melancholicum humorem fit trāsmutatio. Ita au-
„ tem hoc loco accipi volo melancholicum humorem, vt qui nondum exquisite
„ in atræ bilis naturam transierit, sed in quodam sit confinio constitutus. Sed nōne Galenus atram bilem exquisitam ex sanguine crasso interdum fieri fatetur? Fatetur quidem, neque id semel, rem tamen sic explicare oportet cum Peramato, vt nunquam ex crasso sanguine atra bilis proxime fiat, sed medio humore melancholico, qui ex sanguinis feruore proxime genitus, si amplius aduratur, in atram bilem conuertitur. Possumus quoq. per sanguinem crassum humorem melancholicum intelligere; nam & hæc loquendi ratio Galeno familiaris est, vt constat ex lib. 3. de loc. affect. vbi agens de humore melancholico natu-
„ rali, ita habet, Quamobrem & ipsum nominare consueui melancholicum suc-
„ cum, aut melancholicum sanguinem. Et lib. 3. prognost. cum dixisset atram bilē
C gigni ex flaua vehementer assata, aut ex sanguine crassiore: crassiorem sanguinem eum esse inquit, qui in venis proportione respōdet fæci vini in dolio subsidenti. At melancholicus humor est qui fæci vini proportione respondet, nam sanguis ipse potius respondet vino. Et quamuis humor melancholicus a sanguine crasso reuera distinguatur, mirum tamen videri non debet, si crassus sanguis aliquando appelletur, cum sanguini aliisq. humoribus permixtus, massam sanguinariam constituat. Multo minus probabile est, ex pituita (etiamsi salsa sit) atram bilem fieri. Vix enim mente concipi potest, tantum in viuēte corpore calorem, tantamque adustionem inueniri posse, vt humor ex sua natura albus in atrum conuertatur. Quippe quod quidam asseruit, attam bilem ex pituita genitam nigro colore non esse necessario infectam, ridiculum prorsus est. Si nāq. atrabilis est, quomodo alba esse potest? Et rursus si alba est, quomodo atra bi-
D lis dicetur? nisi fortasse dixerit albo coruo esse omnino similem. Mihi tamen in absurda opinione conuellenda diutius immorandum nō est, cum Manardus, & Vallesius, viri doctissimi, id optime præstiterint.

Fernelius. li. 6. de nat. pa. medi. cap. 9. & Peramatus lib. de humo. capi. 10. & 17. Vega lib. 1. de art. med. cap. 2 & Amatus Lusitanus cen. 4. curat. 42. & Vallesius. lib. 1. contro. cap. 21. & Lopezius. com. in cap. 8. lib. 2. de tem. [illegible]

Lib. 2. de diff. feb. cap. 9.

Li. 3. de loc. affect. cap. 7. & lib. 1. prorhet. com. 4. & lib. 6. epid. par. 6. com. 3.

Lib. de humo. cap. 10.

Cap. 7.

Com. 27.

Epist. 2. lib. 9. Lib. 1. cont. ca. 22.

Sane quod pituitam expurget, natura nullum instrumentum condidit, propterea quod frigida humidaque est, ac veluti ex dimidio coctum nutrimentum. Desiderat igitur talis succus, nō vtique vacuari, sed in corpore manēs alterari. Excremētum vero quod a cerebro distillat, fortasse nec pituitā quis recte appellet, sed sicut & nominari solet, mucum, & grauedinem, Græce κόρυζαν. Sin aliter, quod saltem huic vacuando natura recte prospexit, id quoq. in libris de vsu

partium tradetur. Quinetiam quemadmodum quæ in ventriculo & intestinis consistit pituita, commodissime ac celerrime vacuetur, naturæ commentum in iisdem voluminibus monstrabitur. Quod igitur in venis pituitæ fertur, cum sit animalibus ex vsu, nulla vacuatione eget. Sane aduertere hoc loco ac scire oportet, tanquam ex bilis generibus aliud vtile, naturaleque in animalibus est, aliud inutile, ac præter naturã; sic pituitæ quod dulce est, id salutare esse animanti, & naturale; quod acidũ, salsumq. est, acidum quidem omnino crudum esse, salsum computruisse. Porro omnimoda cruditas pituitæ intelligenda est, quæ in ea concoctione incidit quæ in venis agitur, non autem in ea quæ prima est, quæque in vẽtriculo perficitur: cũ si hac deficeretur, ne succus quidem omnino esset. A

Pituita (vt reliqui humores) aut naturalis est, aut præter naturam. Naturalis quotuplex sit, non facile ex Galeno colligitur, qui hoc loco pituitam dulcem salutarem animanti esse affirmat & naturalem; alibi vero naturalẽ pituitã qualitatis expertem esse dixit perinde ac aquam, dulcem autẽ a naturali qualitate deflectere. Quibus verbis videtur significasse, pituitam naturalem insipidam esse, dulcem vero esse præter naturam. Præterea saliuam inter genera pituitæ aliquando enumerat, interdum etiam muccum: quæ si species pituitæ sunt, erunt haud dubie pituitæ naturalis species, cum secundum naturã in corporibus gignantur. Res tamẽ aliter habet, quamuis enim saliua & muccus quatenus humores sunt albi, ad pituitam vtcumque reuocari possint, reuera tamen pituitæ species non sunt, quemadmodum neque lac, neque semen: cum ad sanguinis constitutionem nihil conferant, sed peculiaria sint partium quarundam excrementa. Proindeq. merito inquit in præsentia Gale. id quod à cerebro distillat, nõ recte vocari φλέγμα, sed βλένναν potius, vel κόρυζαν: quamuis κόρυζα fluxionẽ potius ex cerebro ad nares significet. Quod ad insipidã & dulcem pituitã attinet, vtrãque sentimus secundum naturã esse, ratione tamen diuersa. Siquidẽ insipida non solum secundum naturam gignitur, sed etiam maxime naturalis pituita est; dulcis vero a naturalis pituitæ natura quodammodo recedit, acceditq. propius ad naturam sanguinis; ita vt inter pituitam naturalem quam insipidam esse diximus, & inter sanguinẽ qui est exquisite dulcis, omnino sit media. Quo fit, vt licet à naturali pituita recesserit, magis secundum naturam sit, & salubrior multo quam insipida. Porro quod prætermissa pituita insipida solius dulcis hoc loco meminerit, duplex caussa esse potest: vel quod satis ipsi fuerit (cum vtraq. secundum naturam sit) alterius exemplo vti; vel quod insipida dulcis quodammodo dici possit, non secus ac aqua: quæ cum ex sua natura saporis prorsus sit expers, dulcis appellari solet. B C D

Lib. de atra bi. cap. 2.

Lib. 3. de fac. nat. cap. 7.

Lib. 3. de loc. affect. cap. 7.

De loco in quo naturalis pituita gignitur, magna est inter medicos controuersia, quã facile non est ex Gale. dirimere. Nã capite nono huius libri a calore mediocri sanguinem fieri docuit, reliquos humores ab eodẽ intẽperato, dũ in venis ab innato calore alimentũ alteratur. Quibus verbis manifeste indicat, pituitam vna cum sanguine reliquisq. humoribus in venis generari. Id ipsum significauit in arte medica, humidius & frigidius hepar pituitosiorem sanguinẽ gignere scribens. At lib. de atra bile potius sentit generari in vẽtriculo. Porro, „ inquit à nobis demonstratũ est, pituitosum humorẽ ex pituitosis cibis in prima, „ hoc est vẽtriculi cõcoctione, fieri, vti biliosũ & melãcholicũ in iecore. Et lib. 2. „ de rat. vict. in morb. acut. Pituitæ ait, generatio in pituitosis eduliis sanguinem „ perpetuo

Cap. 43.

Cap. 8.

Com. 30.

A perpetuo antecedit, atque generatione ipsius media cibi in sanguinem transeunt. Hæc Galeni varietas recentiores medicos in diuersas, seu potius contrarias opiniones distraxit: cum alii in venis, alii in ventriculo naturalem pituitã gigni arbitrentur. Qui in venis fieri putant, id confirmant ex fœtu, in cuius vẽtriculo nullam fieri ciborum concoctionem omnes concedunt. Quare pituita vna cum aliis humoribus in hepate fœtus necessario gignetur. Superiora vero Galeni loca de pituita præter naturam interpretantur, cum eam dicat Galenus fieri ex cibis pituitosis. Qui sentiunt contra gigni in ventriculo, in fœtus iecore sanguinem gigni verissime negant, cum sanguinem a matre confectum per vmbilici vasa accipiat fœtus, quo & iecur, & reliquæ fœtus partes aluntur. Præstat tamen adhibita distinctione rem ita explicare. Pituita naturalis duplex est, insipida, & dulcis: habet autem vtraque propriam generationem. Insipida quidẽ
B in ventriculo gignitur, ex ea alimenti portione quæ crudior est atq. humidior, quæque ab imbecillo ventriculi calore (siue is talis reuera sit, siue ratione materię talis dicatur) neque vinci, neq. in chylum mutari potuit. Vnde perspicuũ est, non solum in frigido, sed etiam temperato, aut calido ventriculo, aliquid pituitæ secundam naturam gigni. In ventriculo tamẽ frigido copiosior gignetur ob caloris imbecillitatẽ, præsertim si qui assumuntur cibi, multi sint, aut pituitosi. Atque id voluit proculdubio Galenus locis supra citatis, ex pituitosis edulijs pituitam in ventriculo gigni affirmans. Neque enim ex solis cibis pituitosis fieri in ventriculo pituitam illis verbis significauit, sed explicauit potius propriam gignendæ pituitæ materiam. Nam vt ex alimentis biliosis bilem, ex melancholicis melancholicum humorem gigni vere dicimus; ita & pituitã ex pituitosis cibis fieri recte Galenus affirmat. Porro quod non ex solis cibis pituitosis fiat in ventriculo pituita, locus ille li. 2. de rat. vict. in morb. acut. aper-
C te declarat. Cum enim dixisset pituitæ generationẽ in pituitosis edulijs sanguinem perpetuo antecedere, subiunxit statim, non tantum deterioribus cibis hoc cõtingere, sed & quibusdam eorum qui salubres admodum esse videtur, vt pani, chondro, semidali. Quin & locis non paucis simpliciter dictum est a Galeno pituitam in ventriculo gigni, nulla pituitosorum ciborum facta mẽtione. Siquidem lib. de nat. hom. Pituitæ inquit, natura ad mores fingendos inutilis, necessariam vero in prima ciborum mutatione generationem habere videtur. Com. 38. Neq. enim de hac re dubitans, vsus est verbo φαίνεται, id est videtur, sed tantũ (vt veteres solent) modestiæ caussa. Et lib. 5. de vsu part. necessariam esse in ventriculo pituitosi excrementi generationem, alibi a se comprobatum fuisse testatur. Cap. 4. Rursus lib. 3. de temp. pituitam ait frigidam tangentibus sentiri, quamuis iam Cap. 6.
D succus sit, atque ex cibis in ventre non concoctis frequenter nata: cum negatione enim hunc locum legendum esse, in nostris comentariis docuimus. Tandem lib. 6. epid. pituitosum succum in ventriculo creari scribit, plerumque ex ciborũ Part. 1. com. 6 multitudine, ac multo magis si isti crassi, naturaque pituitosiores extiterint. Monstrat vero dictio illa Plerumq. non semper pituitã ex multis aut crassis cibis generationem obtinere. Neq. duo illa quæ ex Gal. adduximus loca, pituitã naturalem in venis gigni cõuincunt. Nã quod supra dictũ est capite nono, dũ in venis ab innato calore alimentum alteratur, sanguinẽ fieri a calore mediocri, reliquos humores ab eodẽ intemperato; de his tantũ humoribus intelligi potest qui sunt sanguinis excrementa; at pituita cum sanguinis generationem præcedat, sanguinis excrementum non est. Quod si de omnibus humoribus lo-

cum intelligendum esse contendas, verum quoque erit, pituitam naturalem in venis gigni, quia licet insipida in ventriculo generetur, dulcis tamen in venis (vt statim dicemus) generationẽ obtinet. Alter vero locus ex arte medica facillime explicatur, dicitur namque frigidum & humidum iecur pituitosiorem sanguinem gignere, non quod pituitam gignat, sed quod ex ventriculo transmissam, in sanguinem præ imbecillitate mutare nequeat: tunc enim qui gignitur sanguis, pituitosior necessario euadit. Quod si in ventriculo gignitur pituita insipida, erit haud dubie excrementum tenue primæ concoctionis, quemadmodum stercus excrementum crassum. Huius vero pituitæ quidquid crassius est & magis lentum, id tanquam prorsus inutile ad intestina depellitur, e quibus a bile detersum, simul cum alui excrementis foras excernitur; quod autem minus crassum est & humidius, vna cum chylo ad iecur ascendit, alteramque concoctionem ibi expertum, partim in pituitam dulcem, partim in sanguinem cõuertitur, partim propriam pituitæ formam seruans, vna cum aliis humoribus sanguinẽ constituit. Si quid vero reliquum fuerit, siue id insipidum sit, siue dulce, vna cum sanguine in venis seruatur; nullum enim quod pituitam expurget instrumentum, natura condidit, quia cum frigida & humida sit, ac veluti ex dimidio concoctum nutrimentum, non equidem euacuari, sed in corpore manens alterari desiderat. Alteratur autem paulatim a facultate sanguifica, quam ex iecore ad venas omnes influere alibi diximus; sensim vero alterata atq. cõcocta, in optimum sanguinem tempore potissimum inediæ conuertitur. Ex quibus patet, diuersam esse pituitæ insipidæ & dulcis generationem, quamuis vtraque sit secundum naturam; insipida namque in ventriculo gignitur, ex ea ciborum portione quæ crassior est, & concoctu difficilior; dulcis vero ex insipida, ab imbecillo iecoris calore in venis ortum habet. A B C

Præter insipidam & dulcem, reliquæ omnes pituitæ præter naturam iam sunt quarum duas dumtaxas differentias plerumque enumerat, acidam & salsam; interdum tertiam addit, nempe vitream; aliquando & quartam adiungit, crudum scilicet appellatum succum. Ceterum pituitam vitream ipsemet Galenus reuocauit ad acidam, quoniam vt ipse ait, acidæ qualitatis forte est particeps. Praxagoras tamen omnium primus acidam illam pituitam quæ tenax ac lenta est, ex similitudine cum vitro fuso, vitreum humorem appellauit. Quam similitudinem ad tenacem viscidamque substantiam referre potissimum oportet; color enim vtrique similis non est, cum pituita semper sit alba, vitrũ autẽ fusum ab igne ruborem accipiat, quem tamẽ vbi paululum refrixit, deponit. Quo pacto dictum est a Galeno, vitreum hunc humorem & colore & substantia vitro fuso similem esse. Crudus itidem succus a pituita reuera distinguitur, vt nomen ipsum indicat; neque enim cruda pituita dicitur, sed crudus succus: sed quoniam colore albus est, potestateque frigidus & humidus, ad pituitam refertur. Statuamus ergo dilucidioris doctrinæ gratia quattuor genera pituitæ præter naturam, pituitam scilicet salsam, acidam, vitream, & crudũ succum, à quo reuera non videtur distingui gybsea pituita Auicennæ; tum quia crudus succus gybso qui maceratus adhuc aqua non sit, maxime est similis; cum potissimum, quia quæ de succo crudo prodidit Galenus, eadem scripsit Auicenna de gybsea pituita. Frustra tamen pituitam quandam dulcẽ addit Auicenna, quæ ex sanguinis permistione præter naturam gignatur. D

Lib.2, de diffe. feb. cap. 6.

Lib. 2. de loc. affect. cap. 5.

Lib. 10. de cõp. med. sec. loc. ca. 2.

Pituitã acidã inquit hoc loco Gal. crudã esse, idest naturali crudiorẽ, gignitur enim ab imbecillo vẽtriculi aut intestinorũ calore, ex ea ciborũ portione quæ perfecte

A perfecte vinci, aut in chylũ omnino mutari nõ potuit. Nã vt in ventriculo calido facile in nidorẽ cibi cõuertuntur, ita & in frigido prõpte acescunt; inchoata nimirum, non tamen perfecta concoctione, quemadmodum & acidis fructibus accidit. Erit itaque acida pituita tum frigidior, tum crassior naturali, scilicet insipida, hæc namque chyli excrementum est, illa in chylum mutari non potuit. Eadem mihi de vitrea intellige, cum eiusdem speciei sit cum acida; est tamẽ frigidior, crassior, & magis lenta, cum maioris cruditatis sit soboles. Colligi plerumque solet in ventriculo & intestinis, grauissimaque infert symptomata, veluti dolorem, qui interdum ita vehemens est, vt venter terebra perforari videatur: qualem aliquando in se ipso expertus fuit Galenus, putans alioqui se calculo laborare. Sed quæ iniecto rutaceo, vehementissimo cum dolore subsequuta est vitreæ pituitæ excretio, & prõpta doloris sedatio, colon potius affectum fuisse declararunt. Quod si ex ventriculo & intestinis B transferatur ad venas, ibique putrescat, febres pituitosas accendit. Si vero absque putredine ex vasis in corporis habitum transfundatur, rigorem generat sine febri. Si rursus modice putrescat, epialam febrem excitat: si vero putrefiat vehementius, rigor quidem præcedit, sed febris subsequitur. Lib.2. de loc. affect. cap.5. Lib.2. de ... feb. cap. 6.

Crudus succus a reliquis pituitæ generibus hoc nomine distinguitur, auctore Galeno, quod & crassior sit, & minus flatulentus; vtpote qui ex omnimoda cruditate nascatur. In his plurimus colligitur, qui voraces sunt, & intempestiue exercentur, aut qui consuetis exercitationibus pretermissis, balneo frequenter vtuntur, præsertim a cibo. Deiicitur interdum per aluum, & ad venas plerumque delatus per vrinas excernitur: subsidetque in matula, puri adeo similis, vt nisi olfactum consulas, vix possis distinguere. Quod si in venis forte putrescat, febrem creat perniciosam, cuius curationem libro 12. C methodi medendi tradidit Galenus. Si autem ex venis ad articulos decũbat, arthritidem gignit, in qua potiusquam humor pituitosus vt plurimum prædominatur. Si vero in articulis diutius moram traxerit, & crassior, & viscosior euadit, gignendisque tophis materiam præbet. Aduerte tamen, crudum hunc succum, si proprie loquendum sit, succum non esse, cum sit potius crudæ ipsorum ciborum reliquiæ: id quod manifeste colligitur ex iis quæ Galenus hoc capite scribit. Cum enim dixisset pituitam acidam esse omnino crudam, subiũgit statim, omnimodam pituitæ cruditatem intelligendam esse in coctione venarum, non autem in prima concoctione quæ in ventriculo perficitur: cum si hac deficeretur, ne succus quidem omnino esset. Quæ verba hunc sensum reddere crediderim, vt omnino cruda censenda sit pituita, quando a iecoris calore non potuit in venis concoqui: non autem quando ex cruditate ortum habuit D in ventriculo. Quippe licet cruda in ventriculo sit, ipsius tamen in venis adhuc concoquendæ spes aliqua relinquitur; vbi vero ventriculi concoctione omnino priuatur, tũc sane nec pituita cruda, nec succus dici potest, quia ex ventriculi coctione habet pituita vt succus sit. Cum itaque succus crudus ventriculi coctione omnino priuetur, succus vere dici non poterit, quamuis cũ adiectione succus crudus appelletur. Lib. de plenit. cap. vit. Lib.1. de alim. fac. cap.2. Cap.3.

Pituitam salsam dixit hoc loco computruisse, id est ortam fuisse ex putredine. Putrescit autem in venis frequentissime, interdum quoque extra venas; nã & ex cerebro non raro distillat. Docuit alibi fieri quoque pituitã salsam ex salsæ serosæ humiditatis permistione, eius scilicet quæ sudoris & vrinæ materia est: nã & vrina, & sudor salsus plerumque esse solet. In vesica lotii frequẽ- Lib.2. de differ. feb. cap. 6.

 ter

ter colligitur, præsertim in senibus, in quibus insanabilia vesicæ vlcera interdũ excitat. Est enim potestate calida, ob eam quam contraxit acrimoniã, quo nomine a reliquis pituitæ generibus distinguitur; sed quia albus humor est, pituita vocatur. Finxit Auicenna tertiam salsæ pituitæ generationem ex permistione vstæ bilis cum pituita. At cum flaua bilis vehementiori quam pituita, & agendi & tingendi vi polleat, esset proculdubio ex vtriusq. mixtione genitus humor, & colore flauus potiusquam albus, & sapore amarus potiusquam salsus. Mirandum igitur est, quî potuerit hæc Auicennæ opinio, alioqui improbabilis, tam multis recentiorum medicorum placere. A

His mihi satis admonuisse videor, quæ de generatione differentiaq. succorum ab Hippocrate, Aristotele, Praxagora, Diocle, aliisque veterum multis sunt dicta: neq. enim omnia in hunc librum transferenda censui, quæ ab illis ad absolutionem sunt præscripta. Tantum vero de singulis solum dixi, quantũ legentes ad antiquorum euoluenda scripta, nisi sint omnino rudes, excitet; ac quo facilius cum his versentur, auxilium præstet. Porro scripsimus & alio libro de succis sub auctore Praxagora Nicarchi filio. Etsi enim is decem maxime præter sanguinem faciat, (quippe sanguis ipse vndecimus sit) tamen ab Hippocratis doctrina non recedit; sed qui ab illo simul omnes cũ propriis demonstrationibus primi dicti succi sunt, hos in species quasdã differentiasq. diducit. Ac laudare quidem par est, tum eos qui explanarũt quæ recte sunt dicta, tum vero, qui siquid omissum est, id suppleuerunt: nõ enim fieri potest, vt idẽ incipiat, ac perficiat. Cõtra culpare, & eos qui adeo sunt delicati, vt nihil discere eorum quæ commode sunt dicta, sustineant; & qui adeo sunt ambitiosi, vt studio nouorum dogmatum semper aliquid astute texãt, & cauillentur; partim sponte aliquid prætereũtes, qualiter Erasistratus in succis fecit; partim callide oppugnantes, veluti tum hic ipse, tum alii iuniorum non pauci. Ceterũ hic liber hoc loco receptui canat, quidquid superest, id totum in tertio adiicietur. B C

Seipsum excusat, quod de succorũ differẽtiis & generatione breuiter hoc loco ac succincte disputarit. Id nãq. se fecisse ait, quia non instituerat hoc loco huiusmodi argumẽtũ accurate tractare, sed eorũ dũtaxat lectores admonere, quę ad intelligẽda veterũ philosophorũ ac medicorũ scripta, auxiliũ præstare poterant; ne aut repetere, aut trãscribere cogeretur, quæ & à se ipso, & ab aliis recte de hac re prodita fuerãt. Scripserat enim Galenus, (vt hoc loco fatetur) peculiarẽ librũ de succis, qui tamẽ temporũ iniuria non exstat: neq. enim eum esse credimus, qui Galeni nomine circumfertur, quemq. Archangelus Picolhominus commentariis illustrauit. Veterum quoque medicorũ non pauci de humoribus docte scripserũt, & inter alios Praxagoras Nicarchi filius, quẽ noster Galenus in hoc argumẽti genere plurimum cõmendat; tum quia quæ breuiter ab aliis dicta fuerant, copiosius explanauit; cum potissimum, quia quæ prætermissa fuerant, suppleuit. Veluti cum docuit humores esse vndecim, quos tamen Hippocrates quattuor esse demonstrauit: neque enim Hippocrati contraria D

A dixit, ſed in peculiares differentias humores diuiſit. Sunt enim bilis quinq. differentiæ, flaua (quæ pallidam & rufam complectitur) vitellina, æruginoſa, iſatodes, & atra: pituitæ tres, dulcis (ſub qua comprehenditur inſipida) acida, & ſalſa: humoris autem melancholici duæ, ſuccus ſcilicet melancholicus naturalis, & atrabilis exquiſita. His ſi acceſſerit ſanguis, vndecim erunt omnes humores, nõ enim in alias ſpecies ſanguis ille diuiditur, qui quartus humor appellatur: quãuis alterius qui ex quattuor humoribus conſtituitur, plures differentiæ enumerẽtur. In vniuerſum enim duplex eſt huiuſmodi ſanguis, venalis ſcilicet, & arterialis; priuatim vero multiplex, veluti tenuis aut craſſus;ململ bilioſus, pituitoſus, melãcholicus, aut ſeroſus. Hæc Galeni excuſatio nos maxime tueri, atque munire videtur aduerſus ambitioſos cauillatores, qui nos haud dubie reprehẽdẽt, quod de humoribus hoc loco diſputauerimus copioſius, quã cõmentarii ratio poſtulare videbatur. Qui ſane legitimã hanc prolixitatis excuſationẽ vel inuiti accipiẽt, ſi ſemel animaduerterint, Galenũ in præſentia de humoribus pauca dixiſſe, quod peculiarẽ librum de hoc argumento antea edidiſſet, & ante ipſum quoq. Praxagoras idẽ hoc argumentum accuratiſsime tractaſſet. Cum autẽ veterum libri de humoribus conſcripti tẽporum iuiuria omnino perierint, quis quæſo ſanæ mentis mihi vicio vertat, ſi magiſtri Galeni conſilium ſequutus, quæ breuiter aut obſcure dicta veteribus de ſuccis ſunt, in præſentia explanauerim; quæ prætermiſſa ſunt, addiderim; & Galenum ſeipſo loquẽte interpretatus fuerim? Sed & recentiorũ errores detegere interim ſum coactus, ne parũ exercitati adoleſcentes (quibus ad intelligendos veteres ſcriptores operã præſtare cupimus) aut rei difficultate perterriti, aut vanis rationibus perſuaſi, in eoſdem, errores, veluti in ſcopulos quoſdam, miſerrime impingerent.

B

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE FACVLTATIBVS NATVRALIBVS LIBER TERTIVS.



CAP. I.

C quod quidem nutritio ſit, cum id quod nutrit alteratur, & ei quod nutritur ſimile fit; tum quod in quaque animalis particula facultas quædam inſit, quam ab actione ipſa generaliter alteratricem, membratim vero aſsimilatricem, nutritoriamque nominamus, in proximo indicatum eſt libro. Materiæ vero copiam, ex qua ſibi nutrimentum facit quod nutritur, ex altera ſuppeditari virtute, quæ conueniẽtem attrahere ſibi ſuccum natura ſit habilis, eſt monſtratum. Sed non minus, eſſe conuenientem cuiuſque particulæ ſuccum, qui maxime vt aſsimiletur ſit accommodus; tum quæ hunc ad ſe trahat, attractricẽ appellari. Indicatum præterea eſt, & ante aſsimilationẽ agglutinationẽ eſſe, hanc vero præcedere quæ Græce πρόσθεσις, Latine appoſitio, vel adiunctio dicitur. Hæc, vt ſic dixerim, finis eſt actionis quæ ab attrahente vi perficitur, ſiquidem ipſa nutrimenti ex venis in ſingulas particulas adductio, agentis adhuc, attrahentiſque virtutis eſt opus; adductũ vero iam eſſe, ac particulæ apponi, ipſe eſt finis, cuius ſcilicet cauſſa eiuſmodi actio eſt deſiderata: quippe idcirco eſt attractio, vt ſit appoſitio. Tempus tamen hîc ad animalis nutritionẽ adhuc maius requiritur, attrahi namque breui tempore aliquid poteſt; adhærere, & alterari, & prorſus ei quod nutritur aſsimilari, ac pars eius effici, protinus nõ poteſt, tempore ampliore commode poteſt. At ſi appoſitus is ſuccus in particula non quieſcat, ſed in alteram aliquam transferatur, confluatque aſsidue, alium atque alium mutans locum; vtique in nullo eorũ nec agglutinatio, nec aſsimilatio erit. Eſt igitur hîc naturæ alia quadam facultate opus, quæ faciat, vt qui appoſitus particulæ ſuccus eſt, aliquamdiu maneat; atque hac non extrinſecus accerſita, ſed in nutriẽdo ipſo collocata, quã rurſus ab ipſa functione maiores retentricem vocare ſunt coacti. Ac eiuſmodi quidem facultatis gignendæ neceſsitatem ratio iã clare monſtrauit, credetque vel inuitus ex iis quæ diximus, quiſ-

A

B

C

A *quiſquis percipiendi intelligentiam habet, quod cum propoſitum ſit, ac prius demonſtratum, naturam artificioſam eſſe, & animantis curam habere, neceſſe ſit eiuſmodi facultatem illi ineſſe.*

Facultatem attractricem & cõcoctricem ex quibuſdam actionibus naturæ libris ſuperioribus demonſtrauit; attractricem quidem ex vrinæ & vtriuſq. bilis ſecretione, & nutrimenti diſtributione; concoctricem vero ex generatione ſuccorum. Nunc autem reliquas duas naturæ facultates miniſtras, retentricem ſcilicet & expultricem, hoc libro demonſtrat, & reliquas naturæ actiones perſequitur; quarum cauſſas dum explicat, multa etiam docet ad facultatẽ attractricem & concoctricem pertinentia. Vbi vero facultatum naturaliũ numerum inuenit, rationem poſtea tradit, qua proprias actiones in variis inſtrumentis ſingulæ exercent. Et quoniam nutritio finis eſt, cuius gratia reliquæ omnes actiones B inſtitutæ ſunt a natura, diſputat tandem de partium nutritione. Porro cum duo ſint rerum demonſtrandarum inſtrumenta, ſenſus nimirum & ratio; vtroque vtitur hoc loco ad demonſtrandam facultatem retentricem, de qua primum agit. Ratio petita eſt ex duobus principiis ante demonſtratis; quod ſcilicet ſingulis corporis partibus inſita ſit facultas nutrix, cuius propria actio ſit nutrimenti aſsimilatio; & quod hanc neceſſario præcedat nutrimenti agglutinatio, & rurſus hanc nutrimenti appoſitio. Ex his demonſtrat, in ſingulis corporis partibus concedendam eſſe neceſſario facultatem retentricem, quia licet nutrimentum a partibus attractum ipſis apponatur, nunquam tamen eiſdem aſsimilari, aut agglutinari poterit, niſi longo tempore retineatur. Partibus quidẽ apponitur at- C tractum nutrimentum, quoniam appoſitio, vt Galenus ait, attractionis eſt finis. Vnde intelligitur, nullam eſſe facultatem appoſitricẽ, cum appoſitio nutrimẽti naturæ actio non ſit, ſed potius actionis finis, nẽpe attractionis; quemadmodum etiam nutrimenti agglutinatio finis eſt concoctionis, vt poſtea dicemus. Solam igitur facultatem attractricem oſtendere poteſt appoſitio, retentricem vero recte demonſtrant agglutinatio & aſsimilatio. Quippe ſi nutrimentum à partibus attractum, eiſdemque appoſitum, nequaquam quieſcat, ſed transferatur, diffluatque aſsidue, alium atque alium locum mutans; nullo vnquam pacto agglutinabitur, aut aſsimilabitur. Poſtulat namque perfecta nutrimenti alteratio longum quietis tempus, vt à facultate cõcoctrice agglutinari, à nutrice vero perfecte aſsimilari nutrimentum queat.

CAP. II.

D

Eterum nos qui non hoc tantum demonſtrationis genere ſoliti ſumus vti, ſed illi ex iis quæ manifeſte apparent, neceſſarias ac cogẽtes probationes adiicere, ad iſtiuſmodi nunc cõuertemur. Monſtrabimuſq. in quibuſdam corporis particulis adeo euidentem eſſe retentricem facultatem, vt ipſis ſenſibus agnoſci eius actio poſsit; in aliquibus vero ſenſui quidem minus eſſe euidentem, ratione tamen in his quoque facile poſſe deprehendi. Ergo inde quod docere promiſimus, auſpicemur, nempe a ſumendis primum methodo aliqua certis particulis, in quibus ad vnguem examinare, diſquirereque licebit, qualiſnam demum retentrix vis ſit. An igitur aliunde quis

 melius

melius, quam a maximis, maximeque cauis instrumentis inquisitionem incipiat? A
Mihi sane non videtur. Siquidem euidentes in his credibile est propter amplitudinem eorum apparere actiones; cum fortassis in paruis, etiamsi eam vim habeant vehementem, sensu tamen agnouisse actionem eius in promptu non sit. Porro inter animalis partes maxime cauæ amplissimæque sunt, ventriculus, & vterus, & quæ secundæ vocantur. Quid igitur prohibet, quo minus has proponentes, actiones earum æstimemus; ac earum quæ ante dissectionem conspicuæ sunt, in nobismetipsis examen ineamus; quæ vero obscuriores sunt, similia homini animalia dissecemus? Non quod non abunde generalem saltem quæsitæ facultatis notitiam etiam dissimilia ostendant, sed quia simul cum generali propriã quoque in nobis ipsis habentibus, ratio ad morbos tum agnoscendos, tum sanandos B
facilior suppetat.

Ex iis quæ sensibus euidenter apparent, facultatem retentricem & expultricem secundo demonstrat. Ad hoc vero demonstrationum genus ea potissimũ naturæ instrumenta deligenda esse monet, quæ amplissima sint, & maxime caua; in his enim ob insignem qua prædita sunt amplitudinem, propriæ actiones euidentiores esse solent. Huiusmodi autem partes sunt, ventriculus, vterus, & secundæ, quamuis hæ vna cum fœtu ab vtero retineãtur. Ventriculus tamen insignem cauitatem perpetuo habet, vterus vero in prægnantibus dumtaxat; in aliis namque quæ aut non conceperunt, aut vtero non gerunt, vix æquare solet mali medici magnitudinem. Si igitur proprias ventriculi & vteri actiones (quæ C
euidentissimę sunt) expenderimus, retentricem, expultricemque facultatem in his potissimum elucescere intelligemus. Quæ si in huiusmodi instrumentis demonstratæ semel fuerint, facillimũ postea erit, ex his de reliquis omnibus partibus ratiocinari: neque enim ratio aliqua esse potest, cur ventriculo & vtero eiusmodi facultates natura concesserit, reliquis vero partibus easdem negarit. Quod si reliquarum partium actiones quæ obscuriores esse solent, scrutari voluerimus, eorum animalium dissectiones administrandas esse monet, quæ sint homini similia. Nam præterquam quod partiũ quas inquirimus actiones cognoscemus, propriæ simul partium corporis humani formationis notitiam nobis comparabimus; quę sane ad cognoscendos sanandosque morbos est medicis apprime necessaria. At dissectis animalibus quæ sint homini dissimilia, quamuis inuenire quoque possimus eas quas inquirimus facultates, in cognitionem tamen partium quæ corpus humanum constituunt, nequaquam deueniemus. Præ- D
stat tamen humana corpora dissecare, neque enim tutum omnino est, quæ in animalibus homini etiam similibus (veluti simiis) obseruantur, ad hominem trãsferre: cum in pluribus deficiat huiusmodi similitudo. Atque hinc sane errandi occasionem accepit Galenus, qui quæ in simiis obseruauerat, ad hominẽ transferenda esse censuit: quo nomine paullo quidem acrius, non tamẽ omnino immerito à Vesalio sæpe reprehenditur: cuius reprehensiones (neque enim calũnias dixerim) frustra interdũ depellere conatus est Syluius, Galeno plus iusto addictus. Nihilominus tamen summis ipsum laudibus extollere oportet, quod in omni fere animalium genere, eorumque potissimum quæ formationem habent homini maxime similem, anatomẽ exercuerit. Neque enim ipsi licuit humana corpora secare, quod suæ tempestatis homines id tãquam impium, prorsusque

A ſuſque inhumanum vſqueadeo execrarentur, vt ne hoſtilium quidem cadauerũ diſſecandorum poteſtas in bello concederetur. Hinc nata eſt frequens illa totieſque repetita Galeni admonitio, vt in ſimiis, iiſque potiſsimũ quæ cynocephalis ſimiles non ſint, aut ſaltem in aliis eiuſdem formę ac naturæ animalibus, quæ πιθη κοειδῆ Græce vocari ſolent, anatomen exerceamus. Nobis tamen quibus liberum eſt in humanis corporibus anatomen exercere, ſatius profecto fuerit, partium formationem, actiones, & vſus, in eiſdẽ diſſectis inueſtigare. Sed & aliorum animalium diſſectio non parum vtilitatis adferre poteſt, vtpote quæ in diuerſis animalium generibus, partium ſimilitudinem ac diſsimilitudinem oſtẽdere poſsit: quod quidem diligenter præſtitit Ariſtoteles, de partibus animalium diſſerens. Demonſtraturus itaque Galenus retentricem & expultricẽ facultatem in naturæ inſtrumẽtis maxime cauis, ab vtero exorditur, in quo magis quam in ventriculo eluceſcunt, quia vterus longiori tempore agit quam ventriculus, vt ſequenti capite dicemus. Lib. 3. de cõp. med. ſec. gen. cap. 2.

B

CAP. III.

AC quoniam de ambobus instrumentis ſimul dixiſſe nõ eſt, ſeorſum de vtroq. ſermonem inſtituemus, ab eo auſpicati, quod retentricem facultatem illuſtrius monſtrare poſsit. Retinet namque & venter cibum, quoad eum concoxit; retinet porro non minus & vterus fœtum, quoad hunc conſummauit: ceterum longe amplius eſt perficiendi fœtus tempus, quam cibi concoquendi. Quare veriſimile eſt, tanto clarius a nobis in vtero retentricem facultatem conſpici poſſe, quanto diutius quam ventriculus retinendi functionem exercet: quippe nouem menſibus pleriſque mulieribus perficitur in vtero fœtus.

C

Retentricem facultatem & expultricem demonſtrat primũ in vtero, in quo magis quam in ventriculo eluceſcunt, cum longiori tẽpore agat vterus, vt mõſtrat vtriuſque retentio. Retinet namque ventriculus cibos, quoad ipſos concoxerit; concoquit vero intra ſpatium aliquot horarum. Retinet itidem vterus fœtum, donec perficiatur; perficitur autem pleriſq. mulieribus nouẽ menſibus, vt Galenus ait. Id tamen de fœtus formatione intelligendum non eſt, quæ in maribus triginta plerumque diebus, in fœminis duobus & quadraginta perfici ſolet; ſed de iuſta potius partium magnitudine ac robore, quæ vt fœtus in lucem prodire poſsit, ſunt neceſſaria. Sed cur pleriſque dixit, non omnibus? An quia & longiori, & breuiori interdum tempore fœtum perfici poſſe exiſtimat? Mihi ſane ita videtur. Quamuis enim nono plerumque menſe partus accidere credatur, anticipat tamen interdum, interdum vero vltra progreditur. Quippe cum cetera animalia, Ariſtotele auctore, ſingulari ac ſimplici modo partũ ſuum perficiant (vnum enim pariendi tempus ſtatutum omnibus eſt) homini vni multiplex eſt datũ. Et vt inquit Plinius, cum ceteris animantibus ſtatum & pariendi & partus gerendi tempus ſit, homo toto anno, & incerto gignitur ſpatio. Hippocrates tamen quamuis diuerſitatẽ quæ & in fœtus formatione, & in partu ſpectatur, recte animaduerterit, eam tamen paucorum dierum numero contineri docuit. Nam cum lib. de alimen. formationis partuſque tempora diſtinxiſſet, hæc ſubiunxit, Fiunt vero hæc & diebus pluribus, & paucioribus; nec multo

D

Lib, 7. de nat. ani. cap. 4.

L. b. 7. de. nat. hiſt. cap. 5.

multo tamen pluribus, aut paucioribus. Cogimur itaque hoc loco, quæstionem A illam multiplicem, ambiguam, multisque submersam tenebris de naturali legitimoque pariendi tempore tractare, quæ sane quod difficillima semper sit habita, doctissimorum hominum ingenia vehementer exercuit. Ac primum quidem de partu naturali dicendum, vt reliquorum qui ab ipso recedunt, propria ratio facilius intelligatur. Ab omnibus fere concessum est, naturalē partū nono potissimum mense accidere, quod significat etiam Galenus hoc loco, fœtū plerisque mulieribus nouem mensibus in vtero perfici affirmās: nam vbi perfectionem adeptus est fœtus, partus initium instare solet. Ceterum & decimo mense contingere posse, citatis ex Plauto, Menandro, & Cæcilio, carminibus ad rē hanc facientibus, optime probat Gellius: quibus & illud Maronis adiungere oportet.

Lib. 3. noct. atti. cap. 10.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Sed quid poëtas commemoro, cum philosophorum ac medicorum præstantissimi apertissime id ipsum testentur? Scribit namque Aristoteles, septimo, octauo, nono, & vt plurimum decimo mense mulierē parere posse. Scribit itidē Hippocrates, matrem mense decimo fœtum in lucem emittere; vt cōstat ex libro de natura pueri. Et rursus libro de carnibus fœtum mense nono, decemque amplius diebus, in lucem prodire asserit; exactumq. tunc habere hebdomadarū numerum, quattuor scilicet hebdomadarū decades, quæ octuaginta supra biscentum dies continent, ex quibus efficiuntur menses solares nouem cum decem insuper diebus. Sed neque hic desunt diuina, quæ huic rei fidem faciant testimonia, ita loquente sapientissimo Salomone, Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conueniente. Neque vero me latet, grauissimos, summæq. auctoritatis viros sentire, perfectum ac naturalem partum nono dumtaxat mense accidere; quæ vero de partu decimestri ab Hippocrate, aliisq. auctoribus traduntur, de mēsibus lunaribus intelligenda esse: ita vt mense solari nono, lunari vero decimo naturæ lege partus contingat. Cumque triplex sit mensis lunaris, de mense peragrationis id potissimum intelligi volunt, qui profectione Lunæ a puncto Zodiaci, in idemque punctum reditu definitur: in quam sane viam septem & viginti dies cum horis octo Luna insumit. Si enim decem menses peragrationis ad dierum numerum reuocaueris, constituentur haud dubie dies biscentum septuaginta tres cum octo horis: in quos similiter fere recidunt menses solares nouem, qui biscentum & septuaginta dies efficiunt. Ego tamen vt de horum mensium paritate non dubito, ita & decimo mense solari naturales legitimosque partus fieri posse censeo: idque nō raro, potissimum si gestetur fœmina. Cum enim ampliore tempore fœminæ indigeant, vt & formari, & augeri, & omnino perfici in vtero possint; mirandum profecto non est, si decimestres nascantur potiusq; am mares. Nam licet in lucem edita fœmina, citius quam mas augetur, ætate floret, & senescit; in vtero tamen ob seminis imbecillitatē tardius perficitur, vt recte ab Aristotele est proditum; cuius sententiam alioqui verissimā, nescio cur improbarit Vallesius. Sed & in maribus aliquid amplius vltra nonum mensem cō cessit Hippocrates lib. 2. epid. Vbi certum est de mensibus solaribus agere, cū nouem menses in ducentos septuaginta dies Græcanica supputatione absolui affirmet. Quin etiam ex libris de alim. de sept. par. & octim. euidentissime constat,

Lib. 7. de nat. ani. cap. 4.

B

Lib. Sap. cap. 7.

C

D

Lib. 7. de nat. ani. cap. 3.

Par. 3. sent. 43.

A ſtat, Hippocratem in vtero gerentibus menſium ſolarium potiuſquam lunariũ rationem habuiſſe: quemadmodum docte demonſtrauit Peramatus, qui totum hoc argumentum de vario ac multiplici pariendi tempore accuratiſsime tractauit. Quamuis non me lateat eundem Hippocratem aliquando dixiſſe, menſes duos ſexaginta diebus, vno dempto, quamproxime conſtare: quod ſane de ſolaribus menſibus intelligi nullo pacto poteſt. Quare merito hinc colligit Petrus Iacobus Steue, menſem ab Hippocrate ſtatutum, eum eſſe quem Ciuilẽ nominant; qui quidem ex lunaribus maximus eſt, continetque dies viginti nouẽ, ac horas propemodum tredecim, tot enim dies intermedii ſunt inter vnum & alterum Lunæ cum Sole congreſſum: quod ſane ſpatium menſem vocari ipſemet Galenus apertiſsime fatetur. Vtcunque tamen veteres in vtero gerẽtibus menſiũ ſupputationẽ efficere cõſueuerint; noſtris ſane tẽporibus ſolariũ menſiũ rationẽ potiſsimũ haberi, nemo eſt qui neſciat. Fit autẽ menſiũ cõputatio in grauidis, aut a cõceptione, aut a mẽſtruis, vt inquit Hip. Quæ a conceptione incipit, certiſsima eſt, & maxime conſtans, neq. cognitu admodum difficilis, ſi conceptionis indicia ab Hippocrate tradita, & a nobis poſtea explicanda, attente cõſiderarent mulieres. Quoniam vero pleraſque præ inſcitia latet primum illud conceptionis tempus, coguntur a menſtruis eiuſmodi ſupputationem incipere, idque bifariam. Aut enim a menſtruis quę poſtrema fluxerunt, incipienda ſupputatio eſt, vt interpretatur Petrus Iacobus; aut a menſtruis quæ primo defecerunt, vt ſentit Valleſius. Quamuis autem vtraque hæc ſupputandi ratio noſtris mulieribus ſit in vſu, prior tamen, & frequentior & magis familiaris eſſe ſolet. Si igitur a menſtruis primo deficiẽtibus computatio incipiat, numquam partus C in decimum menſem protrahetur. Si vero a menſtruis quæ poſtrema fluxerunt, & nono, & decimo menſe poterit partus contingere. Noui enim quaſdam, quibus cum menſtrua decies iam defeciſſent, poſt quattuor aut quinque dies fœtus in lucem editus eſt. Et paſsim prægnantes quibus nouies menſtrua iam defecerunt, affirmantes audias, ſe nullam amplius computationis rationẽ habere, ſed ſingulis qui ſequuntur diebus inſtantẽ iam partũ exſpectare. Quæ cum ita ſint, merito factum eſt, vt decimeſtres fœtus, non ſecus ac nouimeſtres, non ſolum Philoſophis omnibus ac Medicis, verũetiam Iureconſultis legitimi iudicẽtur: vt conſtat ex lege Inteſtato §. vlt. de ſuis & legit. Quin & Decẽuiri in legibus duodecim tabularum idem ſtatuerũt, vt refert Gellius: quas reſpexiſſe videtur Gallus Aquilius l. Gallus, in princ. de liber. & poſthu. Porro decimeſtrem fœtũ intra decem menſes naſci debere, exponit lex vlt. ff. de fidei commiſ. liber. & D lex. vlt. C. de poſth. hæred. inſt. Hos tamẽ decẽ mẽſes ita intelligi volũt, vt ſi poſt eos exactos, duobus aut tribus diebus fœtus in lucem prodeat, decimeſtris adhuc credatur, quemadmodẽ ex opinione Gentilis retulit Socinus in dicta lege Gallus: quam ſententiam probat quoque Iacobus Menochius, vir noſtra ætate non tantum iuris, ſed omnium etiam bonarum artiũ cognitione clariſsimus. Si quidem vt inquit Marius Salomonius in dicta lege Gallus, etſi natura perfecte agat, aliquando tamen non poteſt tam repente agere, quin plus tẽporis in ſuo opere perficiendo abſumat. Atque id fortaſſe innuit Ariſtoteles, cum agẽs de incerto pariendi tempore, mulieres nonnullas vndecimum menſem attingere ſcribit. Quamuis ex Hippocratis noſtri ſententia, ne decimi quidẽ menſis dies omnes tempeſtiui ſint ad pariendum, ſed decem priores ceteris omnibus præſtent; cum fœtus tunc temporis iuſtum ac legitimum hebdomadarum numerũ (decades ſcilicet quattuor) ſit conſequutus, vt antea dictum eſt.

Lib. de hom. procreat.
Lib. de ſepti. part.
Lib. 2. epide. par. 3. com. 36.
Lib. de ſepti. par.
Lib. 2. de arb. iud. cent. 1. caſ. 89.
Lib. 7. de hiſt. anim. cap. 4.

Ac

Ac quoniam de naturali legitimoque partu ſatis iam diximus, ad reliquos A
qui ab hoc receſſerunt, noſtra conuertatur oratio. Eſt auté illud in primis ma-
xime difficile & controuerſum, poſsit ne legitimus partus vltra decimũ men-
ſem protrahi. Ariſtoteles quidem (vt paullo ante diximus) vndecimum interdũ
mensem attingere ſcripſit: quod ad primos dũtaxat vndecimi menſis dies retu-
liſſe eſt viſus. Plinius vero vndecimeſtres partus accidere poſſe confirmat exẽ-
plo Veſtiliæ, C. Herdicii, & poſtea Põponii atq. Orfiti, clariſsimorum ciuium,
coniugis, quæ Suillium Ruffum vndecimo menſe peperit. Refert quoque Gel-
lius, M. Varronẽ lib. 14. rerum diuinarum tradidiſſe, poſſe aliquando hominẽ
vndecimo menſe naſci; parique proinde eodemq. iure eſſe in decem & in vn-
decim menſibus natos; vt verba ea ſignificant, quæ ex Varronis ſatyra, quæ Te-
ſtamentum inſcripta erat, idem Gellius tranſcripſit. Qui id quoque memoriæ
prodidit ſuis temporibus Romæ eueniſſe, fœminam ſcilicet bonis atque hone-
ſtis moribus, nec ambigua pudicitia, vndecimo menſe poſt mariti mortem pe- B
periſſe; factumque eſſe negotium propter temporis rationẽ, quaſi marito mor-
tuo concepiſſet, quoniam Decemuiri in decimo menſe hominem gigni, non in
vndecimo, ſcripſerant; ſed diuum Adrianum cauſſa cognita decreuiſſe, in vn-
decimo quoque menſe partum edi poſſe; idque ſtatuiſſe requiſitis veterũ phi-
loſophorum ac medicorum ſententiis. Quod Adriani decretum recentioribus
Lib. 3. parad. quoque Iureconſultis placuiſſe video, præſertimque doctiſsimo Andreæ Al-
cap. 7. & 1. 10. ciato, qui Adrianũ ſequutus, in Iuſtinianum paullo acrius inuehitur quod in. §.
pareg. cap. 2. vlt. in auth. de reſtit. & ea quæ parit in vndecimo menſe, vndecimeſtres fœtus
ab omni iure hæreditario prorſus excluſerit. Medici vero (ad quos harum rerũ
obſeruatio potius pertinere videtur) non minus quam Iuriſconſulti diſſentiunt,
concedentibus aliis, aliis vero negantibus vltra decimum mẽſem partum pro-
trahi poſſe. Neque id profecto mirum, cum medicorum princeps Hippocrates C
nequaquam ſibi conſtare, ſed varia, immo contraria de hac re ſcripſiſſe videa-
tur. Nam libris de ſeptime. & octime. par. vndecimeſtres fœtus admittit; at lib.
de nat. pu. eoſdem omnino negat. Vnde factum eſt, vt non pauci recentiorum
medicorum rem ſic diſtinxerint, ſi partus, inquiunt, naturalis ſit, & fœtus vali-
dus, nono aut decimo mẽſe exſpectandus eſt; ſi vero ita debilis ſit fœtus, vt ne-
que exitum tentet, neque vlla offenſione vterum irritet, in lõgius tempus pro-
trahetur: qui proinde naturalis non erit, legitimus tamẽ. Iam vero quod in mẽ-
ſem duodecimum partus differri poſsit, ex his Homeri carminibus confirmari
ſolet, quibus puellam a ſe nuper compreſſam Neptunus alloquitur,

Gaude hoc complexu, nam cum ſe voluerit annus,
Formoſum filium paries, &c.

Lib. 7. de nat. Quin & ſuos fautores habet menſis decimustertius, nã vt refert Plinius, au- D
hiſt. cap. 5. ctor fuit Maſſurius, L. Papyriũ prætorẽ, ſecundo hærede lege agẽte, bonorum
poſſeſsionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe tredecim menſibus tu-
liſſe diceret; quod nullum certum tempus pariendi ſtatutum videretur. Fidem
quoque his facit Hieronymus Cardanus qui patrem ſuum decimotertio mẽſe
Lib. 1. cõtrad. natum fuiſſe teſtatur. Et Auicenna a quodã fide digno ſe accepiſſe ſcribit, mu-
trac. 3. cap. 8. lierem quandam poſt decimumquartum mẽſem peperiſſe. Neque (ſi Diis pla-
Lib. 9. de nat. cet) fortaſſe deerunt, qui vt mulieribus patrocinentur, partum protrahãt in biẽ-
anim. cap. 5. nium. Porro quam arduum ſit atque difficile, in re tam ambigua & controuerſa
iudicium ferre, is ſane certo intelliget, qui tantam opinionum varietatem, tan-
tamque grauiſsimorum hominum diſſenſionem animaduerterit. Doctis igitur
relicto

A relicto huiusmodi iudicio, id tantum nobis pronuntiare liceat hoc loco, vetustissimi Hippocratis de hac re sententiam maxime probandam esse, qui lib. de nat.pu. decimum mensem commendat, tanquam maxime naturalem & humano partui destinatum; negatque apertissime, vltra decem menses fœtum gestari posse; simulque rationem reddit, cur mulieres quibus visum est se plusquam decem menses vterum tulisse, aliquando fallantur. Accidit enim interdum, vt propter occasionem aliquam menses suppressi, aut etiã vteri tumor ex flatu incluso natus, aut etiam vtrumq. simul conceptus suspicionẽ mulieri inferat; quæ postea grauida facta, a die suppressorum mensium supputationem incipiens, se peperisse affirmet mense vndecimo. Vnde etiam intelliges, quid respondere illis oporteat, qui vel suo, vel alieno experimento persuasi, aliis etiam sequẽtibus mensibus partum accidisse testantur. Fieri namque potest, vt fœtus reuera B nouimestres, aut decimestres, sequenti quopiam mense editi credantur ob falsam computationis rationem, putãtibus scilicet mulieribus se ob prędictas causas vtero gerere, antequam reuera conceperint. Quod si incertum pariendi tẽpus, quod veteres omnes philosophi in homine statuerunt, nobis obiicias; hãc incertitudinem intellige, ad dierum, non autem ad mensium numerum referẽdam esse, vt ex eodem Hippocrate supra docuimus. Si vero rursus obiicias imbecillitatem fœtus, qui neque copiosiori nutrimento indigeat, neque inspiratione frigidiori, proindeque exitum non tentet; ne sic quidem in vndecimum mensem partus incidet: irritabitur enim vterus, vel quod nõ possit fœtum amplius capere, vel tantum pondus amplius sustinere. Sed nõne Hippocrates vndecimestres partus concessit lib. de octim. par.? Nonne & lib. de septime. par. C priuatim scripsit, non esse derogandam mulieribus fidem, quæ & decimestres, & vndecimestres fœtus gestari fatentur? Ita sane, indigent tamen explicatione hæc loca, quæ manifeste cum iis pugnare videntur, quæ ex eodem Hippocrate lib. de nat. pue. sunt tradita. Sunt qui hæc loca componant ex mensium diuersitate, ita vt quæ scribuntur lib. de nat. pu. intelligenda sint de mẽsibus solaribus, quæ vero lib. de septim. & octim. par. de mensibus lunaribus: hac enim ratione fiet, vt fœtus vndecimestres tẽporis spatio nõ differant à decimestribus. Quippe cum demonstratum sit partũ maxime naturalem diebus biscentũ & octuaginta accidere; si hos dies ad mensium numerum reuocaueris, efficientur haud dubie menses solares nouem cum decẽ amplius diebus; & mẽses lunares peragrationis decem septemque dies. Quamobrem qui fœtus nascetur septimo die vndecimi mensis lunaris, is vere nasci dicetur die decimo decimi mẽsis solaris. D Quod si menses potius ciuiles spectes, octuagesimo supra ducentesimum diem natus, vndecim lunas attinget, & decies mulieri menstrua defecisse oportebit: potissimum si post plenilunium conceperit. Alii vero qui solos menses ciuiles ab Hippocrate obseruatos fuisse credunt, vndecimestres fœtus à decimestribus tẽporis spatio nequaquam differre asserunt, quoniam extremos mẽses, primum scilicet & vltimum, non voluit Hipocrates integros esse in vndecimestribus: cum tamen in decimestribus primus quidem mensis integer sit, postremus tantum medius. Quo pacto ab eodem Hippocrate dictum fuisse affirmant, decimestres fœtus & vndecimestres ex septem quadragenariis eodem modo fieri. Vnde tandẽ colligunt, decimestres fœtus & vndecimestres eo tãtum nomine differre, quod hi peracto Lunæ oppositionis aspectu (quem plenilunium vocãt) concipiantur, illi vero ante. Qui plura de hac re scire volet, legat Petrum Iacobum Steue lib. 2. epid. part. 3. com. 36. & Petrum Peramatum lib. de hom.

Lib. de octim. par.

de hom.procreat.Nos vero qui eos libellos de septim.& octim.par.Hippocrati falso adscriptos non abs re suspicamur, dum doctiorum de hac re exspectamus iudicium, de locorum repugnantia non admodum solliciti, iisque interim contenti quæ lib.de nat.pu.scribuntur, quem tanquam Hippocratis germanum Galenus ceterique medici sine controuersia admittunt, solos nouimestres, decimestresque partus, tamquam perfectos, naturales, legitimosque amplectimur; vndecimestres autem prorsus excludimus, nedum duodecimestres, & reliquos qui supra hos sunt. Nam quod de annuo partu adferunt ex Homero, de anno tantum affecto, non confecto, ex Phauorino interpretatur Gellius. Quare Iustiniani Imperatoris decretum, tanquam Hippocrati, rationi, experientiæque maxime consentaneum, omnino probamus, quo sane nimia licentia, delinquendique occasio mulieribus adimitur. Idipsum quoque seruasse Athenienses, tum ex aliis constat, cum potissimum ex iis quæ scribit Plutarchus in vita Alcibiadis, Agidem scilicet regem Lacedemoniorum, non tam accusatorum criminibus, quam tempore esse adductum, vt violatam Timeæ vxoris pudicitiam crederet. Cum enim relicta in vrbe coniuge, decē continuos mēses abfuisset, post hoc tempus natum Leotychidem, suum filium esse negauit; qui veluti à regio sanguine alienus, successione regni exclusus est. Et quamuis fieri possit (neque enim id naturæ repugnat) vt vltra decem menses partus protrahatur; rarissimum tamen id est, neque ipsius habenda ratio in legibus constituendis. Vtilissimum itaque fuit, immo necessarium, ne multa magnaque sequerentur incommoda, tempus à Iureconsultis definiri; in quo definiendo spectandum fuit, non quod rarissime, sed quod vt plurimum accidere solet; quæ fuit doctissimi Francisci Duareni sententia in explicat.l.Gallus ad fin.princ.de lib.& posth. A B

De breuioribus partubus, qui scilicet nonum mensem non attingunt, minor est controuersia, cum certum sit, & ab omnibus concessum, octimestres & septimestres legitimos esse; eoque nomine differre, quod septimestres fœtus vitales sint, octimestres autem nō viuant. Id quod significauit etiam his verbis Hippocrates, Ad partum ducenti quadraginta dies, non est, & est: quo sane dierum numero octauum mensem significat, in quo natum fœtum esse & nō esse dixit; esse quidem, quia in lucem prodit; non esse vero, quia non est vitalis. Sic namque hunc locum olim explicauit Sabinus, Hippocratis interpres, vt refert Gellius, citatis eiusdem Sabini verbis. In Aegypto, & quibusdā aliis locis, vbi mulieres sunt fœcundiores, octimestres viuere, & adolescere scribit Aristoteles, in Græcia vero perpaucos seruari, indeque fieri, vt si seruetur quispiam, octauo mense natus minime credatur; octimestris tamen iudicetur, quod mulierem latuerit conceptionis initium. In Italia & Hispania rarissima sunt octimestris fœtus superstitis exempla. Est apud Plinium illud Cæsoniæ Caii principis coniugis, quam Vestilia octauo mense peperisse traditur. Sunt & alia quædam apud recentiores, veluti Christophorum Marcellum, & Petrum Peramatum: nisi fortasse iis qui mense octauo nati perhibentur, illud acciderit, quod ex Aristotele ante annotauimus. Ceterū cur septimestres fœtus vitales sint, octimestres nequaquam, difficillimum est explicare. Pythagorici qui numerorum vi crediderunt omnia perfici, ad numerorum dignitatem huius rei caussam retulerunt. Cū enim septenarius maximæ inter numeros dignitatis sit atque præstantiæ, (vt pote qui primus ex mare & fœmina, ternario scilicet & quaternario coagmentetur) ad fœtus ab vtero egressum, ipsum in primis accommodatissimum esse aiunt; deinde vero nouenarium, qui ex mare & fœmina, nō secus ac septenarius constat C D

Lib. de alimen.

Lib. 7. de hist. anim. cap. 4.

A constat, quinario inquam & quaternario. Octonarium vero omnino infœcundū esse prædicant, quod imperfectissimus ipse sit, & numerus fœmina ra imbecillis, vt nullam maris secum mixtionem admittat. Astronomi ex cœlestiū corporum, potissimumq. planetarū influxu hæc omnia pendere affirmant. cū inferiora hæc corpora (potissimumq. cōceptus in vtero fœtus) à superioribus illis maxime immutentur. Singulos itaq. planetas mēsibus singulis miro cum ordine fœtui præesse dicunt; ita vt Saturnus omnium supremus, fœtū primus inuisat, postea Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, ac tandē Luna planetarū omnium infima. Quoniā vero septimo mense a septem planetis (a Lunaq. potissimum, quæ fœtui semper quantum potest, est propitia) variis muneribus affectus est fœtus, & numeris omnibus absolutus, exitum affectans in lucē prodire nititur. Si itaque in lucem prodierit, viuet, quia perfectus cum sit, aliud nihil desiderare vi-

B detur. Si vero irritus fuerit pueri conatus, cogaturq. octauum mensē in expectare; ad se iterum reuertentem Saturnum sentit, qui maligno tetricoque suo aspectu bonis omnibus fœtum spoliat, ad motumque rursus ineptū reddit. Quare si aliqua pariendi occasio tunc temporis accesserit, cōfestim fœtus emoritur. Nos tamē vt cœlestiū corporum in hæc inferiora influxum libēter admittimus, ita in sola superiorum caussarū cognitione quiescere, illisq. solis res tantas tribuere, medico ac philosopho prorsus indignū esse censemus; eorum mq. sententiā maxime probamus qui superioribus caussis minime neglectis, inferiores quoq. inuenire tentarunt. Quidam igitur ex proportione temporis formationis motus, & partus, caussam inueniendam esse volunt; quoniam vt colligitur ex Hip. tempus motus ad formationis tempus est duplum, tempus vero partus ad tem- Lib. de

C pus motus triplū. Cū autē formationis tempus plurimū variet, tēpora motus & partus similiter variare necesse est. Atqui diebus triginta quinque, aut quadraginta quinque, aut quinquaginta, fœtus formationē perfici docuit idē Hip. ergo in iis qui formātur diebus triginta quinque, incipiet motus die septuagesimo, & incidet partus die ducētesimo decimo, qui septimi mēsis est finis. Quod si formatio fiat quadraginta quinque diebus, nonagesimo die incipiet moueri fœtus, prodibitq. in lucē die ducētesimo septuagesimo, qui nonū claudit mensem. Si vero diebus quinquaginta fœtus formetur, centesimo die mouebitur, & trecentesimo parietur, extremo scilicet mense decimo. Hinc ergo fieri aiunt, vt fœtus decimestres, nonimestres, & septimestres, vitales sint, quia proportione respondent tribus illis formationis temporibus, quæ sunt omnino secundum naturam; octimestres autem vitales esse negant, quia ad ea formationis tempora nullam seruant naturalem proportionem. Siquidem octimestris fœtus die

D ducentesimo quadragesimo nascitur, & octogesimo cæpit moueri, formationēque obtinuit die quadragesimo; qui tamen naturalis nō est formationis terminus. Aliis hæc ratio non placet, ob eā quam præ se ferre videtur incertitudinē ac inconstantiam; alteramq. ex Hip. assignant, qui partum veluti crysim quandā imprægnationis esse verissime dixit. Quoniam vero imprægnatio affectio diuturna est, per mēses & quadragenarios, potiusquā per dies iudicari, necesse erit: licet mēses & quadragenarii viribus ac proportione diebus decretoriis respōdeant. Quēadmodū ergo septimus dies decretorius est, octauus minime; ita & septimo mēse vitalis fœtus critice in lucē prodit, octauo nequaquā. Eadē est & quadragenariorū ratio. Nā vt septimus dies in morbis acutis, ita in grauidis septimus quadragenarius qui nono mēsi respōdet, maxima pollet iudicādi Li. de septim. par.

Ac rursus vt quinctus dies futuram in septimo crysim aliquando intercipit; A
ita & in grauidis quinctus quadragenarius qui septimo mensi respondet, partū septimo quadragenario, id est nono mense, futurum intercipere solet. Et tandē vt in acutis sextus dies pessimus est decretorius, qui veluti tyrānus ægrotantem perpetuo perimit; ita & sextus quadragenarius tyrānidē excercens in grauidis, aut fœtum solū, aut fœtum simul cum matre plerunq. perdit. Atqui sex quadragenarii menses octo constituunt, quare octimestres fœtus viuere non poterunt. Sed quoniā tota hæc ratio pendet ex caussis dierū decretoriorū, quæ sane obscurissimę sunt, & cognitu difficillimæ, aliā faciliorē excogitarūt alii ex eodem Hippo. Fœtum inquiunt isti, septimo mense iā maturescentē, pollentemq. insigni robore, exitū ab vtero (vt experientia monstrat) appetere, atq. in id colluctari plurimū; produci autem in lucē, si validus sit ac robustus, ac propterea viuere. Quod si conatu laboreq. frustratus, tūc minime egrediatur, natiuā imbecillitatē indicat, quæ ex valido eo motu insigniter augetur. Ad instaurādas autem B
collapsas vires, quadraginta saltē dierū spatium necessarium esse monstrat experiētia; qui sane incidūt in nonū mensem, in quo felices partus cōtingunt. Hos igitur si nō exspectet fœtus, aut vtero ab aliqua occasione irritato, octauo mēse rursus laborans, foras exire cogatur, vitalis non erit; quia impossibile est (vt Hippocratis verbis vtar) fœtum ferre posse duas consequenter succedentes afflictiones,

An vero partus septimestri breuiores cū vitali fœtu cōtingere possint, dubiū est. Hippo. & Arist. dari posse negant, Auicenna tamen puerū quendā sexto mēse natum, superuixisse refert. Et apud recentiores medicos, potissimumq. Hieronymuū Cardanum & Petrum Peramatum, historiæ exstant, quibus & sexto C
& quincto mense natos superstites fuisse testātur: idque expressis & natorum & parentum nominibus: de qua re lege quoq. Marcellū Donatum. Ego sane quod certo de his affirmare possim habeo nihil, nec si haberem, in re difficili atque ancipiti pronunciare ausim. Vix tamē (vt ingenue fatear) adduci possum vt credam, vitalem fœtum ante septimū mēsem nasci posse: quamuis maxima sit experientiæ vis ad fidem faciendam, dummodo omnia, vt par est, diligenter examinentur. Adde quod interdum septimestris fœtus quincto aut sexto mense natus credatur, quando scilicet mulieri vtero genti semel aut bis menstrua superuenerunt. Facta namque supputatione à menstruis suppressis, partus fortasse quincto aut sexto mense contigisse censebitur, qui reuera septimestris erit à primo conceptionis die. Porro licet nō omnino naturæ repugnet eiusmodi partus fieri, cum tamen sint veluti rara eiusdē naturæ miracula, sub legem cadere nō possunt, quemadmodum dictum est de vndecimestribus. D

Lib. 4. de med. hist. mirab. cap. 23.

Qui tota quidem ceruice conniuet, complectitur autem fœtum vndique vna cum secundis: estq. tū oris conniuentiæ, tū moræ fœtus in vtero finis, ipsa actionis vtilitas. Neq. enim temere aut sine ratione condidit vterū natura, ad complectēdū, retinendūq. fœtum sufficientem, sed idcirco vt quod gestatur ad debitā perueniret magnitudinē. Ergo vbi id completū est cuius gratia retentiua potestate vterus est vsus, vtique hanc inhibet, ac cessare facit, propultrice quæ hactenus quieuerat, loco eius assūpta. Sane erat & quietis huius facultatis finis ipse vsus;

vtpote

A *vtpote quo excitante agat, non excitante quiescat. Licetque rursus hoc loco naturæ artem intelligere, quæ singulis instrumentis non solum vtilium actionum facultates inseruit, verum etiam quietis & motionis opportunitatem præuidit. Siquidem succedentibus rite omnibus quæ in vtero sunt, expulsoria vis veluti nulla sit, ita omnino quiescit: improspere autem cedẽtibus vel circa secundas, vel circa ceterarum quampiam membranarum, vel circa ipsum qui gestatur fœtum, ac desperata prorsus eiusdem perfectione; non amplius exspectat vterus nouem mẽsium temporis moram; immo retentrix facultas statim ab opere desistit, & ei quæ prius quieuerat, moueri concedit. Porro agit iam, ac molitur salubre aliquid expulsoria propulsoriaq. vis, ita enim & hanc appellarunt, ab opere scilicet, sicut* B *& aliis, illi quoque nominibus impositis. Videturq. disputatio nostra de ambabus simul demonstrationem adlatura, quippe cum sibi mutuo succedant, & altera reliquæ cum vsus postulat, semper cedat, etiam communem eas doctrinam sortiri non est absurdum.*

Cum fœtus nouem plerumque mensibus in vtero perficiatur, retentricẽ facultatem in eo demonstrare erit facillimum, quemadmodum & expultricem. Agunt enim ambæ istæ facultates in vtero, non fortuito aut temere, sed miro quodam ordine ac industria, ita vt sibi mutuo in agendo succedant, quasi mutuam sibi præstent operam. Siquidẽ agente retentrice, expultrix quasi nulla esset, nouem mensium spatio quiescit, quæ rursus ad agendum excitatur, cum pri- C mum illa ab agendo cessarit: vtpote quæ propter vsum agant. Retentrix quidẽ, vt ex semine gignatur fœtus, isque postea ad iustam magnitudinem perueniat; expultrix vero, vt perfectus iam fœtus in lucem emittatur. Quo fit, vt tamdiu in agendo retentrix persistat, quamdiu fœtus perficitur, & augetur; cum primum vero perfectionem adeptus est fœtus, tunc primũ expultrix agere incipiat. Atque hæc quidem iuxta præscriptum naturæ ordinem, legitimumque pariendi tempus, in partu naturali fieri obseruamus. Si vero aut vtero, aut membranarum fœtum inuoluentium aliqua, aut etiam fœtu ipso male habente, desperata sit ipsius perfectio; cessante hoc vsu, simul quoque cessat retentrix; & hac rursus quiescente, opus suum expultrix aggreditur, ex cuius actione sequitur abortus. Ex iis quæ hoc loco docuit Galenus, facile intelligitur eorum medicorum error, qui facultates naturales propter vsum agere negant. E quorum etiã Lib.3.cont. cap.2. D numero videtur fuisse Vallesius, qui inter facultates naturales & vitalem id statuit discriminis, quod hæc pro ratione indigentiæ agat, illæ vero pro ratione proportionis quam habent actio & resistentia, vsque ad vltimum potentiæ (vt ille loquitur) operentur, nulla ratione in modo actionis finem respiciente.

At retentricis virtutis opus est prægnantium vteros vndique contrahere, vt non immerito contrectantibus obstetricibus os eorum conniuere videatur. Iam vero prægnantes ipsæ primis diebus, potissimumque eo ipso quo semen est conceptum, moueri, ac in seipsum concurrere vterum sentiunt. Quod si ambo hæc incidunt, vt & os vteri citra phlegmonem, aliumve affectum conniueat, &

ſentiatur deinde ſuccedere vteri in ſeipſum motus; iam ſemen a mare & cepiſſe ſe mulieres exiſtimant, & retinere cenſent. Neque nos iſta modo illis confingimus, ſed longo vſu comprobata, ab omnibus fere qui de his diſſeruere, ſunt prodita. Herophilus certe neque hæc ſcribere eſt grauatus, ne ſpecilli quidem mucronem admittere vteros, antequam mulier pariat; præterea ne vel minimum quidem hiſcere, vbi conceperint; laxius autem recludi, cum menſes profluunt. Huic adſtipulantur & reliqui omnes qui de his tractauerunt, primuſque omniũ non medicorum modo ſed etiam philoſophorum Hippocrates, conniuere os vteri, tum conceptibus, tum phlegmonis, pronunciauit; ceterum in conceptibus ſeruato naturali habitu, in phlegmonis vero in durum mutato. A

Duo hæc ſunt certiſsima conceptionis indicia, ex quibus recte demonſtrat facultatem vteri retentricem. Primum eſt vteri in ſeipſum contractio, quam primis ſtatim diebus, potiſsimumque eodem quo conceperunt die, exercitatæ mulieres ſolent manifeſte percipere. Atqui is contractionis motus fit obliquis vteri fibris contractis, quæ (vt poſtea dicemus) facultati retentrici vſum præbent. Contrahitur autem vterus, vt conceptum ſemen omni ex parte arctiſſime amplectatur, non ſecus ac ventriculus circa cibum contrahi ſolet. Atque ita fit, vt tunc temporis ſe concepiſſe putent mulieres, quando maſculinum ſemen in coitu emiſſum, foras non effluxit, & vterus in ſeipſum cõtrahitur. Contra vero ſi non retineatur ſemen, ſed foras effluens muliebre pudendũ madefaciat, nulla eſſe ſolet conceptionis ſuſpicio; præſertim ſi neq. moueri, neq. in ſeipſum contrahi vterus ſentiatur. Alterum indicium, idque certiſsimum, eſt orificii vteri conniuentia, quam digito in vteri ceruicem immiſſo facile deprehendet obſtetrix; in iis enim quæ nõ conceperunt, laxũ ſentitur vteri orificium: id quod a vetuſtiſsimis illis medicis olim obſeruatum fuiſſe conſtat. Herophilus namque id priuatim ſcriptum reliquit, vteri orificium ne vel minimum quidem hiſcere in prægnantibus, laxius autem recludi, cum menſes profluunt: & rurſus in grauidis ita arctari vteros, antequam pariat, vt ne ſpecilli quidem mucronem admittant. Et Hippocrates philoſophorum omnium ac medicorũ primus id annotauerat, ita in Aphoriſmis ſcribens, Quæ ventrem ferunt, his vteri os conniuet. Verum quoniam hæc vteri conniuentia commune ſignum eſt cõceptus & tumoris cuiuſpiam præter naturã (vt ſcirrhi, aut phlegmones) in vtero oborti; huius rei diſtinctionem poſtea adiunxit, dicens, Quibus os vteri durum eſt, iis arctetur neceſſe eſt: quaſi velit ex duritie aut mollitie oris vteri hãc diſtinctionem pendere; grauidis enim conniuet, & molle eſt, quale ſecundum naturam eſſe ſolet; iis vero quæ tumore infeſtãtur, cum duritie clauſum ſentitur. Quare ſi hæc tria ſimul conuenerint, vt ſemen in concubitu emiſſum, foras nõ effluxerit, primiſq. ſtatim diebus vterũ cõtrahi ſenſerit mulier, immiſſoq. digito vteri orificiũ citra duritiẽ clauſum, arctatumque obſtetrix inuenerit; certiſsima ſunt, & nuſquã fallacia cõceptus indicia. Hæc ſi (vt par erat) obſeruarent noſtræ obſtetrices, nõ vſqueadeo inſanirẽt, vt partũ aliquãdo inſtare iis dicãt, quæ ſolũ flatũ parere poſsũt. Sed harũ ignorãtia miſeratione, ſuperbia vero ſuppliciũ meretur, vtpote quę neque boni quidpiã à magiſtris ſibi ſimilibus didicerint, neq. à doctis medicis doceri patiãtur. Sũt & alia ſigna cõceptus, ab Hippo. & Ariſto. tradita; qualia ſunt, vẽtris tormina ex crudæ mulſæ potu, quæ dormituræ mulieri ſit exhibita; menſtruæ purgationis ſuppreſsio ſine horrore aut febri; B C D

Aphor. 51. li. 5.
Apor. 54. li. 5.
Lib. 5. apho. 41 & 61.
Lib. 7. de nat. anim. cap. 4.

cibi

A cibi fastidium; totius corporis grauitas; oculorum caligines; capitis dolores nausea; vomitus; & pica: quæ tamen hoc loco scripta sunt, sunt omnium certissima, potissimumque oris vteri conniuentia citra duritiem. Neganda tamen superfœtatio non est quod vteri os grauidis conniueat, reseratur enim coëuntibus, ac rursus post concubitum clauditur, siue denuo conceperint, siue non.

At sub expultrice quæ contraria iam dictæ facultas est, os quidem eius aperitur, fundum autem vniuersum quam potest proxime ad os descendit, fœtũ propellens foras. Vna vero cum fundo etiam quæ continentes partes sunt, quæ scilicet veluti latera totius instrumenti sunt, suppetias in toto opere ferentes, trudunt, propelluntq. fœtum foras vniuersum. Non paucis quoque mulierum quæ vtique B *immodice huiusmodi facultate sunt vsæ, violenti dolores totum vterum excidere subegerunt: simili quodam in his accidente, ei quod in lucta & contentione sæpe visitur, quando qui alteros euertere, deiicereq. nituntur, ipsi vna concidunt. Ita namque vterus dum fœtum excludit, ipse aliquãdo simul excidit: potissimum cũ eius ad spinam ligamenta naturaliter sunt laxa. Est porro & illud miro naturæ consilio prouisum, quod viuente fœtu vteri os ad vnguẽ conniuet, mortuo vero tantum statim aperitur, quantum ad exitum sit ex vsu. Quinetiam obstetrices ipsæ non illico parturientes surgere iubent, nec in sella collocant; immo prius os vteri quod paulatim se aperit, tangunt. Ac primum quidem sic vt paruum digitum in id dimittas, hiscere dicunt; postea vero etiam magis; parua autem interposita mora percontantibus nobis respondent, dehiscentis eius modum auctum.* C *Postea vero quam ad fœtus transitum satis patet, surgere mulierem iubent, & in subsellio collocant, ac ad expellendum strenue fœtum se paret, adhortantur. Est porro id opus quod a seipsis præstant parientes, non vteri, sed musculorum qui sunt in abdomine, qui scilicet tum ad deiectionem, tum ad reddendam vrinã nobis sunt auxilio. Atque ita quidem in vtero duæ iam memoratæ facultates apparent.*

Quemadmodum facultatem vteri retentricem ostẽdit conceptio, ita & partus eiusdem expultricem optime demonstrat. In partu autem hæc duo euidenter D apparent, vt orificium vteri quod arctissime claudi antea diximus, sensim aperiatur, ipsius vero fundum vna cum lateribus ad os ipsum descendat. Apertio quidem fit obliquis vteri fibris quæ antea contrahebantur, laxatis, cessante nimirum a sua functione facultate retentrice; fundi vero laterumque vteri descensus facultatis expultricis est opus, quod fibris trãsuersis contractis perficitur. Atque ita fit, vt infernis vteri partibus laxatis, supernis vero valide compressis, fœtus cum impetu foras propellatur. Solet quoque & ex partu interdum relinqui vteri procidentia, quæ eandem vim expultricem certissime ostendit. Fit namque ex valido qui inter pariendum editur conatu, præsertim si vteri ligamenta quæ sunt ad spinam, fuerint natura laxiora. Accidit enim vtero quod luctatoribus accidere quotidie experimur, nam

vt horum alter, qui ſcilicet valentior eſt, dum alterum deiicere conatur, ſimul & ipſe proſternitur; ita & vterus dum fœtũ expellere nititur, vna cum fœtu foras prolabitur. Neque vero in naturali partu hæc tantum eueniunt, verum etiã in abortu, deſperata namque fœtus perfectione, & retentrix facultas ſimiliter otiatur, & expultrix ſimiliter excitatur ad agendum. Porro quod inſtante partu reſeretur vteri orificium, diligenti obſtetricum obſeruatione cõprobatum eſt; quæ vt partus horam cognoſcant, immiſſo in vteri ceruicem digito ſcrutari ſolent, conniueatne adhuc vteri os, an potius reſerari incipiat. Aduentante autem partu, ſenſim paulatimque aperiri ſentiunt, ita vt minimum dumtaxat digitum poſsit admittere; poſtea vero magis dehiſcere, donec tandem exeunti fœtui aditus pateat: quo tempore ſurgere parturientem iubent, atq. in ſubſellio collocant, ad expellendumque ſtrenue fœtum adhortantur. Latent in his Galeni verbis duo præcepta inſtante partu diligentiſsime obſeruanda. Alterum eſt, vt parturiens aut ſedeat, aut iaceat, donec vteri os aperiatur. Alterum eſt, vt reſerato vteri orificio, parturiens ſurgat, atque in ſubſellio ad pariendum idoneo collocetur. Atqui nunc contra paſsim & ab obſtetricibus, & à medicis fieri videas, qui parturientem plerumque deambulare præcipiunt, partũ hoc nomine faciliorem reddi putantes; vbi vero iam inſtat partus, ipſam potius in lecto continent. Præſtat tamen, dum vteri os clauditur, parturientem quieſcere, ne motus occaſione vires debilitentur: reſerato autem vteri orificio, parturientem ſurgere ſatius eſt, atque in ſubſellio collocari, (niſi id prohibeat viriũ imbecillitas) vt firmatis in terram cruribus validiores conatus edat, & vteri ceruice prona exiſtente, facilius multo fœtus deorſum feratur. Aduertit tãdem extremo hoc capite, opus id quod à ſe ipſis præſtant parturientes, vteri opus nõ eſſe, ſed muſculorum potius abdominis: quod tamen difficile videtur, cum dictum antea ſit, partum opus eſſe facultatis expultricis vteri. Dicendum tamen, in partu multiplex actionum genus inueniri, præbet namque partui initium ipſemet fœtus, qui, vt inquit Hippocrates, dum in vtero continetur, quod in ſanguine dulciſsimum eſt ad ſe trahit, lactiſque ſimul portione aliqua fruitur. Vbi vero auctior factus, & copioſiore nutrimento, & frigidiori inſpiratione indiget, tunc exitum quærens mouetur, ac calcitrat, donec membranas quibus inuoluitur, diſrumpat, qui motus voluntarius eſt, proindeque animæ actio. Eo autem tempore cum neque fœtum capere, neque pondus amplius ſuſtinere vterus poſsit, ad fœtum propellendum excitatur: quod ſane ſolius naturæ eſt opus, facultatis ſcilicet expultricis. Hanc vero vteri expulſionem abdominis muſculi maxime iuuant, quorum beneficio validos illos conatus edunt parturientes ab adſtantibus monitæ: qui itidem motus voluntarius eſt, cum a muſculis perficiatur. Quare non immerito partum quidam, non ſecus ac alui deiectionem & vrinæ redditionem, miſtam actionem eſſe affirmarunt.

Li. de nat. puc.

A B C D

CAP. IIII.

IN vẽtre vero ad hũc modũ. Primũ quidẽ ex fluctuãtis humoris ſonitu, qui medicis imbecilli vẽtris ſymptoma creditur, & certe rationabiliter creditur. Interim enim cũ minimũ ciborũ aſſũpſimus nõ fit, cõplectẽte prorſus eos vẽtre, ac vndiq; cõſtringente; interim plenus cibo vẽter eſt, ſonitus tamen fluctuãtis in eo humoris veluti ex vacuo exaudiũtur.

Cum

A *Cum enim pro sua natura se habet, ac constrictoria vi rite vtitur, quamlibet exiguum sit quod in se continet, totum id vndique complexus, nullum vacuum relinquit locum: cum imbecillus est, quacunque parte exacte complecti assumpta non valet, hic laxum quoddam spatium efficiens, permittit, ea quæ in se continet humida, præ figurarum varietate ex alio loco in alium transire, ac fluctuationum sonitus edere. Rationabile itaque est, qui hoc symptomate laborant, ne concoctionem quidem sufficientem sperare: neque enim potest qui imbecillus vēter est, probe concoquere. Porro talibus etiam diutius in ventre manere grauitas videtur, quod videlicet tardius concoquunt. Iam mirari licet in his ipsis maxime diuturnam in ventriculo moram, non ciborum modo, verum etiam potionis. Non* B *enim sicut existimauerit quispiam, cum ventris os inferius angustum prorsus sit, nihil id sinere abire, quoad exacte læuigetur, hæc vera caussa est. Non pauci enim ossa fructuum valde magna, sæpe plurima deuorant; iam anulum quidam aureum quem ore tenebat, imprudens deglutiuit; alter vero nummum: alius aliud durum quoddam, & quod confici non potest. Attamen hi omnes facile excreuerunt ea quæ deuorassent, nullo illis superueniēte symptomate. Quod si meatus ventriculi angustia caussa esset diuturnæ in eo parum comminuti cibi moræ, nihil sane horum pertransiisset. Quinetiam quod potio ipsa longo spatio illis in ventriculo moretur, satis fuerit quod eos a suspicione de meatus* C *angustia abducat. Omnino enim si caussa celeris egressus esset ipsa transmutatio in succum peracta, vtique & sorbitiones, & lac, & ptissanæ cremor, in omnibus illico transirent. Verum secus est, nā qui imbecilli sunt, his diutissime hæc innatant, & fluctuationes cum sonitu, dum morantur, excitant, ventriculumque premunt pariter & grauant: qui validi sunt, his adeo nihil horum incidit, vt etiam panis & carnis magna copia facile descendat. Sane non solū ex eo quod vndique tensus sit & grauatus ventriculus, ac quæ in eo sunt alias in aliam partem cum sonitu fluctuent, morari diutius in eo quæ assumpta sunt, iis qui ita se habent, posis coniicere, sed etiam ex vomitionibus. Siquidem sunt, qui non dico post tres quattuorve horas, sed etiam media nocte, cū multum intercessisset a ci-* D *bo tēpus, omnia prorsus quæ sumpsissent, vomuerunt. Quinetiam si animās quoduis humido expleueris cibo, veluti ipsi in suibus subinde sumus experti, ex farina atque aqua velut miscellam ipsis obiicientes, deinde post tres quattuorve horas dissecantes; si tu quoq. ita feceris, inuenies adhuc in ventre ea quæ assumpserunt. Quippe conuersio ciborum in cremorem non est moræ istic manendi terminus, quam vtique etiam dum foris sunt, efficere licet; sed concoctio, quæ a cōuersione in cremorem res est diuersa, sicut sanguificatio & nutritio. Tanquam enim hæ actiones monstratæ sunt qualitatum mutatione fieri, itidē concoctio ciborum in ventriculo, mutatio eorum est in propriam eius quod nutritur qualitatem.*

In ventriculo naturæ instrumento insigniter cauo retentricem facultatem A
inueniri, ex tribus symptomatis, fluctuatione, grauitatis sensu, & vomitu constat, tum etiam ex animalium dissectionibus. Ex fluctuatione quidem, quoniam hæc symptoma est retentricis, quemadmodum & inflatio: fit namque vtrumque symptoma, quando retentrix ventriculi facultas non potest omni ex parte ingestos cibos amplecti, quod inter ipsos & proprium ventriculi corpus aliquid

Lib.3. de cau. symp. cap. 2.

medium interiaceat. Si id vero flatulentum fuerit, inflatio; si humidum (vt nimius potus) fluctuatio gignitur, quæ sonitus quidam est humidæ substantiæ in ventriculo fluctuantis, similis ei qui fit, vbi aqua in vtre contenta agitatur. Sed forsan dixerit quispiam, ob imbecillam ventriculi retentionem fluctuationem non fieri, sed ob exiguam ciborum quantitatem, quæ cum totam ventriculi cauitatẽ implere nequeat, vacuũ aliquod relinquat spatiũ, in quo cibi moueãtur. Id tamen optime Galenus refellit, nam si ventriculus secũdum naturã habeat, cibos minima etiam quantitate assumptos arctissime amplectitur, non secus ac B
vterus conceptum semẽ. Quod si ventriculus imbecillitate laboret, etiãsi multa ingesta sint alimenta, fluctuatione vexari solet ob redundantis humoris copiam. Præterea grauitas in ventriculo sentiri solet, vbi diutius detinentur ingesti cibi, quod scilicet concoquantur tardius. Cum enim retentio concoctioni vsum præbeat, ciborum in vẽtriculo moræ terminus erit perfecta eorũdem concoctio, non autem læuigatio, aut in cremorem conuersio, vt quidam existimarunt. Qui sane, quod internum ventriculi orificium (pyloron Græci vocant) sit natura angustissimum; nihil quod prius læuigatum non sit, aut in cremorem cõuersum, ad intestina descẽdere posse affirmarunt. Horum sententiam (cuius auctor videtur fuisse Erasistratus) refellit duabus rationibus. Multi namque solida quædam corpora (vt fructuũ ossa, vel anulum, vel aliud quidpiã) quæ antea deglutierant, integra postea deiecerunt; quæ tamen nunquam ad intestina descendissent, si moræ in vẽtriculo terminus esset in cremorem cõuersio. Præterea potus cum tenuis sit & fluxilis, statim ad intestina descenderet, ne vel minimo quidem tempore in ventriculo moratus, quod tamen falsum esse experimur. Nam quibus imbecillus vẽtriculus est, his diutissime solet immorari, grauitatisq. & fluctuationis sensum inferre. Atqui nomine potus non solũ aquam aut vinum intelligimus, sed in vniuersum sorbitiones quascunq. quale est lac,

Aphor. 11. li. 2.

ptisanæ cremor, & alia huiusmodi: quo sensu dictum est ab Hippocrate, Facilius est potu refici quam cibo. Vomitus tandem facultatem ventriculi retentricem ostendit, non quod sit retentricis symptoma (cum ad expultricem potius pertineat) sed quod cibos qui vomuntur, moram in ventriculo diutius fecisse monstret, cum post multas horas assumptos cibos vomitu reiici non raro experiamur. D
Iam vero & animalium dissectiones cibos in vẽtriculo satis longo tempore retineri aperte declarant. Nam si animal quodpiam humido alimẽto expleueris, qualis est miscella ex farina & aqua, & post tres quattuorve horas ipsum dissecueris; inuenies adhuc in vẽtriculo quod assumpserat alimẽtũ: quod sane descendisset protinus ad intestina, nisi insita esset ventriculo vis aliqua retentrix. Vnde etiam intelligitur quod antea diximus, conuersionem scilicet in cremorem non esse moræ ciborum in ventriculo terminum, sed potius concoctionem. Atqui concoctio a conuersione in cremorẽ maxime distinguitur, quia licet quæ concoquuntur omnia in cremorem quendam, nempe chylum, conuertantur; non tamen quæcumque in cremorem conuersa sunt, ea reuera concocta dicuntur; cum sint nonnulla alimenta, quę vel ex sua natura, vel nostra

A industria, in cremorem conuertuntur, ac læuigantur. Habet itaque concoctio præter conuersionem in cremorem aliud quidpiam maius, alterationem scilicet qualitatum, aut totius substantiæ. Quare quemadmodum sanguificatio & nutritio alterationes quædam totius substantiæ sunt, ita & ciborum concoctio totius substantię mutatio est in propriam ventriculi qualitatem, vt postea dicemus.

Vbi autem ad perfectionem cibos concoxit, tum aperit inferius os, excidũtq. per ipsum facile cibi etiamsi lapides, ossa, acinos, aliave quæ verti in cremorem non possint, plurima secum habeant. Licetque hoc in animali contempleris, coniecto descẽsus ciborum tempore. Quin si quando te tempus fallat, nec quidquã deorsum feratur, ventriculo adhuc cibos coquente; ne sic quidem infrugifera tibi dissectio erit, cernes namque in illis ea quæ paullo supradiximus, exitum ventriculi, quo loco cum intestino cõmittitur (πυλωρον Græci vocãt) ad vnguẽ clausum, ventriculum autem totum cibos suo complexu prementem, perinde omnino sicut vterus fœtum. Neque enim est inuenire, nec in vtero, nec ventre, nec vesica vtrauis, nec ea quæ bilẽ excipit, nec altera, locũ vacuũ; sed siue parũ sit quod in his cõtinetur, siue multũ, pleni eorũ sinus apparẽt, tunicis ipsis semper ea que cõtinẽt arcte cõplectentibus: modo scilicet animal naturaliter se habeat. Erasistrato autẽ nescio quo pacto cõplexum hũc ventriculi omniũ esse caussam placet, tũ ciborũ læuigationis, tũ excrementorũ subductionis, tum distributionis eorũ quæ in cremorẽ sunt cõuersa. Ego tamen in viuente adhuc animali, diuiso eius peritonæo, sexcenties deprehendi semper intestina complexu suo iis quæ continerẽt applicita; ventriculum vero non perpetuo, sed post assumptos cibos superne eos inferneque, & vndique arcte cõplexum, ac immotum adeo, vt cibis vniri, & his vndique adhærere videretur. Quo tempore etiam pylorum cõniuentem, clausumque ad vnguem inueni, non secus ac prægnantibus os vteri. At post concoctionem consummatam reclusus quidem erat pylorus, ventriculus autem complexus motu intestinorum ritu mouebatur.

Ex iis quæ in animalium dissectionibus apparent, demonstrat in ventriculo facultatem expultricem. Nam si nutritũ antea quoduis animal, horis aliquot D elapsis dissecueris, quando scilicet perfectam iam esse concoctionẽ probabiliter conieceris; inuenies proculdubio cibis iam vacuum ventriculum, apertũq. pylorum, intestina vero tenuia chylo referta: quæ sane vim aliquam ventriculo inesse ostendunt, qua cibos concoctos ad intestina depulerit. Quod si animali dissecto, cibi adhuc in ventriculo inuenti fuerint, vtilis erit eiusmodi dissectio ad retentricem facultatem demonstrandam. Pylorum namque omnino clausum inuenies, ventriculum vero maxime contractum, atque ita arcte cibos vndique complectentem, vt vix possint cibi ab interna ventriculi tunica separari. Quoniam vero complexus ventriculi meminerat, Erasistrati sententiã obiter refellit, qui omnium fere naturæ actionum (vt ciborum læuigationis, excrementorum subductionis, & alimenti distributionis) hanc vnicam caussam agnouit. Atqui si complexus caussa esset harum actionũ, a complexu intestinorum fieri potius debuissent quam à complexu ventriculi; quia (vt ex viuorum animaliũ

dissectionibus constat) intestina complexu suo iis quæ continent semper in- A
ueniuntur applicita; vẽtriculus autẽ non semper, sed post cibos assumptos. Rursus si quo tempore ventriculus cibos complectitur, pyloron ad vnguem clauditur, quomodo ventriculi cõplexus & distributionis alimẽti, & subductionis excrementorum caussa esse poterit; cum neque alimentum distribui, neque excrementa subduci posint, nisi pyloron reseretur? Sunt tamen, qui his Galeni experimentis minime credant, putantes nimirum, neque ventriculi, neque vteri os in demortuis animalibus conniuere posse, quod in his facultates omnes prorsus euanescant. Galenus tamen ad demonstrandas naturæ facultates vsus potissimum est viuorum dissectionibus, in quibus facultates adhuc seruantur. In demortuis vero licet facultates abolitæ sint, nihil obstat, quo minus idem partiũ situs aliquamdiu remaneat, proptereaq. & pyloron & vteri os ad vnguem clausum adhuc seruetur.

B

CAP. V.

Omnia igitur hæc inter se in idem consentiunt, quod aliquæ sint in ventriculo, in vtero, in vesicis, ingenitæ facultates, quæ & retinere possint ea quæ qualitate conueniunt, & quæ aliena sunt expellere. Siquidem quod bilem ad se trahat ea quæ iecinori subest vesica, supra est monstratum; quod autem & in ventrem quotidie eiiciat, id quidẽ euidenter cernitur. Atqui si tractricis operam statim excretricis actio exciperet, nec media semper inter eas intercederet retentrix; oporteret, dissectis animalibus parem in vesica bilis inueniri modum. At non sic inuenitur, quippe alias plenissima, alias prorsus vacua, alias sub medio statu variis se habens modis cernitur; C *qualiter etiam altera quæ lotio est addicta. Hanc namque ante omnem dissectionem colligere vrinam sentimus, prius etiam quam eam vel multitudinis pondere, vel mordentis acrimonia offendi; tamquam hîc quoque non deficiẽte retentrice vi.*

Quæ de vtero & ventriculo hactenus dicta sunt, ad reliqua naturæ instrumẽta transferre oportet, in quibus facultates naturales similiter inueniũtur, veluti in vtraque vesica, lotii, & bilis. In hac enim expultricem facultatem inueniri ex eo constat, quod bilem quotidie in ventrem reiicere euidenter cernatur. D
Cernitur autem in alui excrementis, quæ flauo tincta colore secundum naturã apparent, ob bilem scilicet quæ ad ecphysin à vesica excernitur. In eadem vero necessario concedenda est facultas retentrix, concesis semel expultrice & attractrice, de qua dictum iam est libro superiore, cum de secretione bilis ageretur. Quippe nisi inter attractricem & expultricem media intercedat retentrix, attractrici in agendo statim succedet expultrix, quod est manifeste falsum. Oporteret enim parem bilis copiam in vesica perpetuo inueniri, cum tamẽ in dissectionibus obseruemus, vesicam bile refertam interdum conspici, interdũ vacuam, interdum medio modo se habentem. In vesica quoq. lotii easdem facultates reperiri, ex iis quæ sensu cognita sunt, euidẽter apparet. Sentimus nãque nos ipsi vrinam in vesica colligi, ibique citra aliquam offensam retineri, donec aut sua multitudine grauet, vel acrimonia mordeat: quorum alterutrum si accide-

A si acciderit, & retentrix a sua actione quiescit, & agente expultrice vrina foras propellitur.

Ita nimirum & ventriculus mordente subinde acrimonia irritatus, ante legitimum tempus crudum adhuc cibum abiicit; rursus multitudine aliquando grauatus, aut etiam ambobus coëuntibus male affectus, diarrhœis infestatur. Quinetiam superioris ventris vel multitudine grauati, vel ciborum excrementorumve qualitatem non ferentis, similis diarrhœis quidam affectus vomitio est. Vbi enim in imis eius partibus affectus incidit, ac firmæ partes sunt quæ circa stomachum habentur, diarrhœæ citantur; cum vero eius os sic afficitur, si ceteræ partes sunt validæ, vomitiones cientur. Licet porro idem & in iis qui cibum fastidiunt intueri, quippe qui comesse coacti, nec deglutire quod comederunt valent, nec si B *id per vim faciant, quod deglutitum est retinent, sed protinus euomunt. Etiam qui alias quoque cibum quemlibet auersantur, si vrgeantur aliquando vt eum sumant, celeriter euomunt; vel si violenter contineant, & nausea infestantur, & resupinari sibi ventriculum sentiunt, & quod offendit amoliri properant.*

Tunc primum expultrix ad agendum excitatur, cumprimum retentrice suo munere functa, pars ipsa quæ retinet, vel a rei contentæ multitudine grauatur, vel acrimonia mordetur, vel ab vtroque simul offenditur. Sit exemplo vẽtriculus, qui cibos ingestos ante legitimum tempus (id est antequam concoxerit) aut crudos, aut semiconcoctos, aut etiam corruptos excernere solet: vnde in-C terdum sequitur vomitus, interdum vero diarrhœa. Ac diarrhœa quidem fit, quando infernæ ventriculi partes (quale fundũ est) afficiuntur, partes vero quæ sunt circa stomachum, firmæ sunt ac robustæ. Stomachum nũc (quemadmodum etiam alibi) vocat ventriculi orificium, vulgarem cõsuetudinem sequutus: quãuis impropria hæc sit stomachi significatio, vt ipsemet fatetur lib. de sang. miss. ›› ad hunc modum scribens, Os ventriculi, quod nos abutentes vocabulo stomachum appellamus, &c. Et lib. 6. aphor. stomachũ, inquit, nunc mihi intellige, nõ ›› solum ipsum quem proprie appellant, sed etiam ventriculi os. At stomachus nullius priuatim corporis partis proprium est nomẽ, cum proprie significet, auctore Galeno, ceruicem oblongam, & instar isthmi angustam, cauo instrumento præpositam: proindeque & gulæ, & vteri, & vtriusque vesicæ collo stomachi nomen accommodari potest. Post Aristotelis tamen tempora, partem eam stomachum priuatim appellarunt, quam Aristoteles, aliique veteres philosophi ac D medici œsophagon Græce, Latine vero gulam vocarunt. At Galeni temporibus loquendi vsus ita increbuit, vt stomachi nomine ventriculi os vulgus etiã intelligeret. Immo & post Galenum aucto abusu, ad significandum ventriculũ stomachi nomen translatum est, vt monstrat nostris hisce temporibus vulgata loquendi consuetudo. Ergo quando ventriculi fundum afficitur, & partes ad stomachum pertinentes robustæ sunt, diarrhœa contingit; vomitus autem fit, quando infernæ partes suum seruant robur, grauatur tamen, aut mordetur venter superior. Quo loco per ventrem superiorem partes vẽtriculi supernas, potissimumque ipsius orificiũ, intelligit, cum hoc male affecto vomitus sequatur. Proprie tamen venter superior cauitatem thorace circumscriptam significat, ›› quam occupat pulmo: quo pacto dictum est ab Hippocrate, Destillationes in ›› ventrem superiorem ad suppurationem perueniunt intra dies viginti. Opponitur enim

Lib. 4. de cau. pul. cap. 23.
Cap. 1.
Com. 39.
Lib. 4. de vsu par. cap. 1.
Lib. 5. de loc. affect. cap. 5.
Apho. 38. lib. 7.

tur enim venter superior inferiori, qui naturalem cauitatem quæ ventriculum, A intestina, iecur, lienem, vterum, & vtramque vesicam continet, significat. Quãuis interdum inferior venter intestina significet, superior autem ventriculum; sic namque dictum est a Galeno, genitam in venis æruginosam bilem, aliquando in ventrem superiorem, aliquando in inferiorem decumbere. Confirmat tãdem quæ de ventriculi expultrice docuerat, exemplo eorum qui cibũ inuiti capiunt; quales sunt qui ob morbosum aliquem affectum cibum fastidiũt, aut qui recte etiam valentes, cibum aliquem ex sua natura auersantur. Vtrique enim si cibum sumere cogantur, aut non deglutient, aut si deglutierint, retinere ipsum non poterunt; sed aut statim euoment, aut nauseabundi fient, sibique ventriculum resupinari sentient.

Lib. 2. prog. cõ. 39.

CAP. VI.

B

T A nimirũ ex omnibus quæ euidenter apparent, quod inter principia diximus confirmatur, omnibus scilicet propemodum animalis partibus inesse debere desiderium quoddam, ac veluti appetentiam conuenientis sibi qualitatis; auersionem autem quandam, velutiq. odium alienæ. At dum expetunt, attrahere eas rationabiliter existimatur; dum auersantur, a seipsis repellere. Atque ex his rursus tum attractoria vis in toto inesse monstratur, tum expulsoria. At vero si appetentia quædam est & attractio, fuerit profecto & fruitio aliqua; cum nihil in rerum sit natura, quod propter ipsum (vt sic dicam) trahere, siue trahendi functionem, trahat; immo vt eo C *cuius per tractum fit compos, fruatur: atqui frui eo non licet, nisi retineat. Iam hinc rursus retentrix vis necessario genita esse probatur.*

Quattuor facultates naturæ ministras, quas in pluribus instrumẽtis hactenus demonstrauit, in omnibus etiam partibus similaribus cõcedendas esse probat, posito hoc principio, Omnibus propemodum animalis partibus conuenientis sibi qualitatis desiderium inest & appetentia, auersio autem & odium alienæ. Sed cur Propemodum dixit, cum eiusmodi appetentia & odium omnibus in vniuersum corporis partibus sint insita? Forsan modestiæ caussa ita loquutus est, forsan quoque nomine partium eas etiam intellexit quæ veræ partes non sunt, quales sunt pili & vngues. Ex hoc itaque principio quattuor facultates demonstrat, attractricẽ quidem ex ea quæ singulis partibus insita est rei familiaris appetentia; frustra enim hanc partibus tribuisset natura, nisi rem familiarem possent ad se attrahere. Expultricem vero ex rei alienæ odio partibus etiam insito; frustra enim huiusmodi odium partibus natura indidisset, nisi possent partes rem alienam longe a se propellere. Sed & retentricem probat ex eodem illo principio, nam si & appetunt, & attrahunt partes rem sibi familiarem, ea necessario fruuntur. Nulla enim corporis pars est, immo nihil est in rerum natura, quod propter solam attrahendi actionem attrahat: sed quidquid attrahit, propterea trahit, vt re attracta fruatur: atqui frui non potest, nisi rem attractam retineat, & amplectatur. Fruuntur autem corporis partes re attracta bifariam, vel quia ea nutriuntur, vel quia ea dumtaxat oblectantur, vt postea dicemus. Solã concoctricem putarit fortasse quispiam non fuisse hoc loco demonstratam; res D

tamen

A tamen aliter habet. Quippe si corporis partes, potissimumq. similares, re attracta frui dicuntur, quia ea nutriuntur, concedenda in ipsis necessario est facultas concoctrix; cum nihil vnquam nutrire posit, quin prius fuerit concoctum.

Quippe ventriculus manifeste cõuenientes qualitates expetit, alienas respuit. Sed si & expetit, & trahit, & retinendo ac vndique complectendo fruitur; erit vtique & finis illi quispiam fruitionis, post quem iam expultricis facultatis agendi tempus succedit. Verum si & retinet, & fruitur, etiam ad eũ finem ad quẽ sic retinet, & fruitur, abutitur. Porro is finis est, vt eius quod in qualitate conueniens, consentiensq. est, partem aliquam capiat. Itaque quod in cibis optimum est, id halitus specie, & paullatim sibi attrahit, atque in tunicis suis reponit, iisdemq. adiungit. Vbi abunde saturatus est, quidquid reliquum nutrimenti est, veluti onerosum aliquid reiicit; quamquam ex eo quod cum ventriculo habuit commercio, ipsum quoque consequutum est salutare aliquid. Neq. enim fieri potest, vt duo corpora quæ ad agendum ac patiendum sunt nata, vbi conuenerunt, non vel simul patiantur, agantque, vel alterum agat, alterum patiatur. Quippe si pares his vires sunt, ex æquo tum agent, tum patientur; sin longe superet, vincatq. alterum, magnum quiddam, & quod sensu percipi posit, in id quod patitur efficiet; ipsum vero vel exiguum aliquid, & quod sensu deprehendi non posit, vel omnino nihil patietur. Porro in hoc potissimum dissidet nutrimentum a medicamento venenoso, hoc namque vim corporis vincit, illud ab hoc vincitur. Minime igitur potest conueniens animali nutrimentũ esse, quod ab iis quæ in animali sunt qualitatibus nõ vincitur: porrò vinci aliud nõ est quã alterari. At quoniã particularũ aliæ viribus sunt firmioribus, aliæ magis imbecillis; vincent quidẽ omnes nutrimẽtum id quod animali est conueniens, non tamen æquali omnes modo. Ergo vincet etiã venter, ac nutrimentum alterabit, non tamen sic vt iecur, & venæ, & arteriæ, & cor.

Non solum in partibus similaribus verum est principium illud supra propositum, verumetiam in organicis, veluti in ventriculo. Huic namque insita est naturalis quædam familiarium ciborum appetentia, quamuis & præter hanc altera etiam animalis in ipso reperiatur, de qua nunc dicendi tempus non est. Ab ea igitur ad attrahendum excitatur ventriculus; trahit vero, vt cibo familiari fruatur; fruitur autem, dum cibũ amplectitur, ac retinet. Porro huius fruitionis finis is est, vt quod in cibis optimum est, paullatim rursus ad se trahat, in tunicasque suas reponat, atque eisdem adiũgat, & agglutinet. Vnde necessario colligitur, ventriculum secundum naturam nutriri chylo: de qua re postea dicemus. Postquam vero abunde saturatus fuerit ventriculus, quidquid nutrimenti est reliquum, tanquam onerosum sibi & graue, per infernum orificium ad intestina expellit; quamuis alioqui vniuerso corpori salutare sit futurũ, cum sit gignendi sanguinis materia. Hanc vero salubritatem accepit, ex eo quod cũ ventriculo habuit commercio, id est alteratione, siue concoctione. Porro quod cibi in ventriculo necessario alterentur, probat ex principio quodam ab omnibus philosophis concesso, Si duo, inquit, corpora ad agẽdum patiendumq. nata, si-

ta, simul conuenerint, fieri non potest, quin agant simul & patiãtur. Quod si eiusmodi corpora æque viribus polleant, ex æquo tum patientur, tum agent, ita vt neutri victoria tribuatur. Si vero alterum valentius sit, alterum imbecillius; id quidem quod valentius est, sensibiliter aget; quod autem est imbecillius, sensibiliter patietur. Negari tamen non potest, quin & id quod præ imbecillitate patitur, aliquid quoque agat in valentius, quod per initia sensum omnino lateat, sensim vero tandem detegatur. Nã & acutissimus gladius à mollissima cera retundi, & ab assiduo guttæ illisu solidissimum saxum tandem excauari solet. Cum itaque ventriculus & cibus corpora quædam sint ad agendum & patiendum idonea, vbi simul conuenerint, necessario agent & patientur; conueniunt autem simul, quando cibus in ventriculo continetur. Cum autem vẽtriculus facultatibus sit prędìtus, potius aget quam patietur; cibus contra magis patietur quam aget. Quippe cum cibus corporis substantiam resarciat, a corpore superatur ac vincitur, quemadmodum contra venenatum medicamentum vim corporis vincit, ac superat. Ex quibus constat, & in ventriculo, & in reliquis omnibus partibus cibum alterari; & pro varia partium & ciborũ natura ac robore, eiusmodi alterationem nunc maiorem, nunc minorem esse. A B

CAP. VII.

Vanta igitur sit ventris alteratio age iam videamus. Sane ea maior est quam quæ in ore perficitur, minor vero ea quæ in iecinore & venis; horum namque alteratio nutrimentum in sanguinis substantiam mutat, quæ autem in ore agitur, mutat quidem id in alteram speciem manifeste, non tamen ad perfectionem transformat. Discas id ex iis quæ ex cibo in dentium interuallis relicta, per totam noctem hæserunt, neque enim panis inibi relictus prorsus est panis, neque caro prorsus caro; sed olet quidem eiusmodi quiddam, cuiusmodi olet animalis os: ceterum & dissolutum est, & liquatum, & carniũ animalis admiscuit sibi qualitates. Licet autem contempleris quam magna sit in ore ciborum alteratio, si mansum triticum crudis furunculis applicaueris, cernes namque id ocyssime hos mutare, & concoquere; cum tamen si aquæ admisceatur, nequeat tale quidquam efficere. Nec est quod id mireris, nam pituita hæc quæ in ore habetur, & lichenum remedium est, & scorpios statim necat; præterea multas ex iis quæ venenũ mittũt bestias, partim protinus perimit, partim spatio, omnes certe insigniter lædit. Sed qui mansi sunt cibi, primum quidem hac pituita imbuuntur, & cum ea miscentur; deinde carnem quoque oris omnes contrectarunt. Itaque maiorẽ mutationem sunt consequuti, quam ii qui in vacuis dentium interuallis fuerunt impacti. Verum quanto ii qui mansi sunt, iis qui inhæserunt magis sunt alterati, tãto etiam illis magis ii qui deuorati sunt. Siquidem incomparabilis erit horum alterationis excessus, si & quæ in ventre est pituita, & bilis, & spiritus, & calor, & tota ventris substantia, æstimentur. Quod si viscera quoque quæ illi adiacent, C D

tanquam

A *tanquam magno lebeti plures ignis foci, pariter æstimata sint, a dextris quidem iecur, a sinistris lien, superne cor, & cum eo transuersum septum, & leuatum, & assidue motum, his etiam amplius omentum, quod prædicta tegit; ingentem quãdam ciborum qui in ventriculum sunt deuorati, alterationem fieri credas.*

Quamuis facultates quattuor naturales ministras in omnibus corporis partibus recte hactenus demonstrauerit; reliquas tamẽ quæ supersunt naturæ actiones nunc persequitur, ipsarum caussas inquirens, propriamque rationem explicans. Agit autem hoc capite de concoctione ciborum, quæ propria est ventriculi actio, eamque comparat aliis ciborum alterationibus, quæ in nostris corporibus fiunt; qualis ea est quæ in ore perficitur, & altera quæ in iecore & venis. Colligunt ex hoc loco quidam, præter tres illas concoctiones ab omnibus cõcessas (quarum prima fit in ventriculo, altera in iecore & venis, tertia in singulis B corporis partibus) adiungendam esse quartam, & omnium primam, quæ perficiatur in ore. At quæ in ore fit ciborũ alteratio, quamuis cibos in alteram quãdam speciem vtcunque mutare videatur, vera tamen concoctio non est, quia vt ipsemet Galenus ait, cibos perfecte non transformat. Quare non concoctio, sed eius potius concoctionis quæ in ventriculo fit, veluti præparatio quædam censenda est: præsertim cum ab eadem tunica perficiatur. Quæ igitur alteratio ciborum fit in ventriculo, medium inter reliquas duas locum obtinet; est namque magis perfecta quam illa quæ fit in ore; minus autem perfecta quam altera quæ in iecore fit & venis. Si quidem in his in sanguinis substantiam nutrimentũ cõuertitur, quæ sane alteratio perfectior est conuersione in chylum quæ in vẽtri-C culo fit; quamuis in vtraque alterati cibi in aliam speciem (chylũ scilicet & sanguinem) transmutẽtur. In ore autem veterem adhuc formam retinent, etiamsi magnam mutationem subierint. Hanc vero ciborũ reliquiæ quæ in vacuis dentium spatiis relinquuntur, liquido ostendunt; neq. enim panis aut caro inibi relicta, panis aut carnis saporem, odoremve refert, sed partium oris qualitatẽ redolet. Ita & mansum triticum ex permixtione saliuæ (quam vocat hoc loco improprie pituitam) nouam eam qualitatem ac vim accipere videtur, qua crudos furunculos ocyssime cõcoquit. Quippe cum in his glandulis quæ ad linguæ radicem in faucibus sunt positæ, saliua gignatur; concoquendi facultatem (quæ tritico etiam inest) adauget. Digerendi autem vim ipsi potissimũ tribuit, vt potequæ in ipsa insigniter viget, cuius ratione optimũ est impetiginum remediũ: solent namque & mulierculæ experientia doctæ, sola saliua, præsertimque ieiuna, infantium lichenes curare. Neque mirum cuipiam videatur, quod huiusmo-D di vis saliuæ sit insita, cum & occulta quadam proprietate, ac totius substantiæ vi maxime polleat, qua scorpios, aliasque venenatas bestiolas enecat: quod docuit copiosius lib. 10. de simp. med. fac. cap. de saliua; vbi Nicandrum id etiam voluisse testatur, & proprium de hac re experimentum in medium profert: cui cur fides adhibenda non sit, ego plane non video. Nam vt saliua viperæ venenũ est homini, ita & hominis saliua viperæ & scorpioni venenum esse potest ob totius substantiæ contrarietatem. Neque vero a sola saliua alterationem in ore cibi suscipiũt, verumetiam à propria gingiuarum carne, potissimumque à tunica quæ internum os linguamque vestit, quæ communis est, vel potius eadem cum tunica ventriculi interna. Ex quibus recte colligit, maiorem esse ciborum qui in ore manduntur alterationem, quam eorum qui vacuis dentium spatiis adhæserunt. Sed quanto hac est valentior, tanto est imbecillior ea quæ fit in ventriculo in

lo, in quo & ab iis quæ in ipsius cauitate continentur, & à propria eiusdem substantia, & ab adiacētibus ipsi partibus, mutationem maxime insignem accipiūt cibi. Plura quidem in ventriculi cauitate contineri possunt, vt pituita, bilis, & vitalis spiritus, quæ aut concoquūt, aut saltem alterant cibos ingestos. Propria itidem ventriculi substantia plurimum ad id facit, cū ex duplici cōstet tunica, & ampla cauitate sit præditus, in qua ingesti cibi diutissime retinentur. Quin & partes adiacentes non leuem cibis in ventriculo concoquendis operam conferunt, quas tanquam magno lebeti plures focos, natura vētriculo adiecit; à dextris quidem iecur; à sinistris lienem; superne cor & septum trāsuersum; retro venam cauam, arteriam magnam, & musculos dorsi; ante vero omentū, cuius præcipuus vsus est auctore Galeno, vt ventriculum calfaciens concoctionem iuuet. Quo fit, vt ii quibus per vulnus in abdomen inflictum, omentum foras prolapsum, & liuidum factum absciditur, frigidiorem postea ventriculum sentiāt, deteriusque concoquant, ac pluribus extrinsecus operimentis indigeant: quemadmodum gladiatori sic vulnerato accidisse scribit Galenus. Cum igitur cibi in ventriculo contenti, à pituita, bile, spiritu, propriis ventriculi tunicis, atque à pluribus partibus ventriculo adiacentibus tantopere alterentur; erit haud dubie huiusmodi alteratio multo maior ac præstantior, ea quam in ore fieri diximus.

Lib. 4. de vsu part. cap. 9.

A

B

Quo autem pacto mutari facile in sanguinem possent, nisi tali essent mutatione præparati? monstratum namque supra est, nihil in contrariam qualitatem totum simul migrare. Ergo quomodo fiet sanguis ex pane, quomodo ex beta, faba ue, aut reliquis id genus, nisi hæc alteram prius mutationem sint adepta? Iā quomodo in tenuibus intestinis confestim creabitur stercus? Quid enim quæso in his efficacius ad alterationem dicas, iis quæ sunt circa ventrem? Num tunicarū numerum? an circumpositorum viscerum vicinitatem? an moræ spatium? an innatum quendam in instrumentis calorem? Atqui nullo horum superant intestina ventrem. Cur igitur vbi panis tota sæpe nocte moratus est in ventre, etiam seruari eum volūt, ac pristinas suas qualitates tueri; vbi semel in intestinis incidit, statim effici stercus? Quippe si tantum tempus ad alterandū satis non est, certe breue satis non est; sin breue ad alterandum est satis, quomodo non magis sufficiat tempus longum?

C

Quæ in ventriculo fit ciborum alteratio, duplicem vsum potissimum præbet, vt sanguis scilicet vtilis gignatur, & partes ciborum inutiles separentur. Quippe cum nihil possit in contrariam qualitatem simul mutari, nisi mediæ quædam intercedant mutationes, vt demonstratum est libro primo, externi autem cibi plurimum distent à sanguinis natura; necessaria prorsus fuit vētriculi alteratio, qua media externi cibi in sanguinem facilius mutantur. Rursus neque partes inutiles (quale stercus est, quod secundum naturam colligitur in intestinis) ex cibis externis secerni possent, nisi in ventriculo alteratione primum subissent. Quoniam vero nonnulli veterum medicorum stercus in intestinis secundū naturam colligi affirmarunt, quoniam in his potiusquam in ventriculo cibi alterātur; horum sententiam nunc breuiter refellit, docens, maiorem alterandi vim ventriculo inesse quam intestinis. Id quod ex propria ventriculi substantia, circumpo-

D

A cumpositorum viscerum vicinia, calore, & ciborũ mora recte confirmat. Quippe licet ventriculus & intestina communibus constent tunicis, hæ tamen in vẽtriculo carnosiores, in intestinis membranosiores apparent. Circumposita viscera sunt quoque intestinis & ventriculo communia, nisi quod septum transuersum & cor viciniora sunt ventriculo, quem proinde magis calfaciunt. In eo tamen ventriculus intestina potissimum superat, quod tempore longiori cibos retineat. Quæ cum ita sint, facile intelligitur maiorem alterandi vim ventriculo inesse quam intestinis, propterea q. ventriculum coctionis instrumentum merito appellari, tenuia vero intestina instrumenta potius distributionis.

B *An igitur alteratur quidem alimentũ in ventre, ceterum diuersa alteratione, & non tali, qualem ex mutantis instrumenti habet natura? An hac quidem est alteratum, non tamen ea quæ est corpori animalis propria? Hoc longe profecto minus fieri quouis pacto potest, quando non aliud erat concoctio, quam alteratio in propriam eius quod nutritur qualitatem. Si igitur concoctio hoc est, & ostensum est nutrimentum in ventre suscipere qualitatem, quæ sit animali quod ex ipso nutriendum est conueniens, ex eo iam demonstratum est, scilicet quod in ventre nutrimentum concoquitur.*

Cum duplex sit alteratio, totius substantiæ, & manifestæ qualitatis; ciborum alteratio quam in ventriculo fieri diximus, totius substantiæ alteratio est, quam etiam sequitur in manifestis qualitatibus alteratio. Mutantur namq. in ventricu-
C lo cibi in nouam quandam substantiam, scilicet chylum; cuius qualitates, vt color, sapor, & odor, ventriculi qualitatibus respondent. Totius tamen substãtiæ similitudinem cum ipso ventriculo ex ea alteratione chylus consequitur, vndẽ & maiorem cum vniuerso corpore nutriendo familiaritatem habet; vtpote qui communis omnium partium nutrimenti, nempe sanguinis, idonea sit materia. Ex quibus constat, hanc ciborum alterationem quæ in ventriculo fit, nihil aliud esse quam concoctionem, cum concoctio alteratio sit in propriam eius quod nutritur qualitatem. Fiet itaq. à facultate naturali alteratrice, siue concoctrice vẽtriculo insita, tanquam caussa effectrice; & ab innato ventriculi calore, tanquã idoneo eius facultatis instrumento. Ex his intelligitur veterum quorundã medicorum error, quorum alii cibos in ventriculo putrescere voluerunt, vt Plistonicus Praxagoræ discipulus; alii vero tantum atteri ob ventriculi complexum, vt Erasistratus. Cuius sententiam & nostris temporibus amplexus videtur Valle- Lib. 1. contro.
D sius, qui nihil aliud ventriculum in cibos agere scribit, quam liquationẽ quã- cap. 13. & lib.
dam & triturationem, quo facilius ad hepar delati, facilius quoq. in sanguinẽ 8. cap. 3.
permutentur. Sed non animaduertit Vallesius, hanc opinionem tanquam absurdam à Galeno iam antea damnatam fuisse, qui verissime docuit, moræ cibo- Cap. 4.
rum in ventriculo terminum non esse læuigationem, aut conuersionem in cremorem, sed potius concoctionem; quæ à conuersione in cremorem res est maxime diuersa. Alioqui enim quæ assumuntur sorbitiones, ne paululum quidem retinerentur in ventriculo, sed statim distribuerentur ad iecur. Sed nonne docuit etiam in præsentia, alterationem ciborum quæ fit in ventriculo, veram esse concoctionem, hanc vero esse alterationem in propriam eius quod nutritur qualitatem? At hæc alteratio cum totius substantiæ sit, maxime distincta est ab attritione, siue liquatione, quam

Lib.6.de Hip. & Plat. decre. cap.6.

nobis licet exterius etiam efficere, Neque vero minus attente locum illum legisse videtur, ex quo iuxta Galeni mentem colligere nititur, ventriculi actionem non esse simpliciter ad vitam necessariam, sed tantum quando solida nutrimenta assumuntur. Constat enim ex eius dictionis serie, Galenum aduersus Erasistratum ostendere, sanguinis generationem magis esse necessariam ad vitam quam ciborum concoctionem, quam putauit Erasistratus solam esse attritionem. Idque ex eo patere inquit, quod licet cibos ventriculus omnino conterere non valeat, modo succos aliquos assumamus (vt multis in nationibus lac solent) viuere posimus. Quibus sane verbis non simpliciter, sed ex Erasistrati dumtaxat hypotesi, ventriculi actionem significauit non esse ad vitam necessariam. Quid autem de hac re senserit Galenus, ex ipsomet discere licet, qui de ventriculo agens in hunc modum scribit. Promptuarium autem » hoc alimentum vniuersum excipiens, ceu diuinum, non humanum opificium, » subit primum in cibariis laborem, sine quo hæc sunt inutilia, in nullamque rem animali commoda. Quo sensu accipiendum esse censeo quod passim dici solet, » præcedentis concoctionis errorem in altera emendari non posse. Nam qui cibus in ventriculo concoctus non est, is in iecore mutari in sanguinem nequit: & qui in iecore chylus mutari in sanguinem non potuit, is partibus nutriendis est prorsus inutilis Sed & libro tertio de temperamentis multa ad hanc rem spectantia diximus, dum vinũ nobis alioqui maxime familiare, nutrire nõ posse doceremus, quin prius in ventriculo & iecore sit concoctum. Iam vero Plistonici opinionẽ illud manifeste refellit, quod cibi in ventriculo cõcocti, & corpori nutriendo inutiles, & tota sui substantia magis quam antea dissimiles redderentur, vt pote putredinem experti. At qui cibos in ventriculo concoctos, & salubriores, & nutriẽdo corpori magis idoneos reddi experimur: vnde necessario colligitur, concoctionem ciborum non esse putredinem, vt Plistonicus dicebat.

Lib. 4. de vsu par. cap. 1.

Cap. 3.

Estq. ridiculus sane Asclepiades, cũ dicit nec in ructibus, nec in vomitionibus, nec dissectionibus, concoctorum ciborum qualitatem vnquam apparere. Siquidem hoc ipsum quod corporis ventriculi odorẽ referunt, ex ipsa prouenit cõctione. Hic vero adeo est rudis, vt cum veteres dicere audiat cibos in ventre ad salubritatem conuerti; non eam quæ viribus spectetur, sed eam quæ gustui probetur, quærendam putet: tanquam vel pomo magis pomo (ita enim disputandum cum hoc est) in ventre reddito, vel melle magis melle.

Quæ de ciborũ cõcoctione à veteribus recte sunt prodita, praue intellexerunt Asclepiades & Erasistratus, quos extremo hoc capite proinde reprehendit. Siquidẽ verissimã illã sententiã, quod cibi in vẽtriculo cõcocti ad salubritatẽ cõuertantur, ita sinistre interpretatus est Asclepiades, vt ad sensibiles eorundem ciborum qualitates, potiusquam ad totius substantiæ vires, eiusmodi salubritatem referendam esse crediderit: quasi cibos in ventriculo salubriores reddi voluerint veteres, quod & odore, & sapore suauiores reddantur. Id tamen ex ructibus, vomitionibus, & animalium dissectionibus, falsum esse monstrabat, cum hæc potius ostendant, cibos in ventriculo contentos prauam quandam qualitatem præ se ferre; ita vt & ingratus odor, & sapor insuauis manifeste percipiatur: quæ ratio forsã Plistonicum coẽgit, vt crederet cibos in vẽtriculo putrefieri. Quãuis Asclepiadis æmuli (vt refert Celsus) nihil

A nihil in ventriculo concoqui, sed crudã materiam sicut assumpta est, in corpus omne diduci existimarunt. Atqui ciborum in ventriculo concoctorum salubritatẽ nõ ex sapore aut odore expendere oportet, sed ex totius substantiæ familiaritate. Dicuntur enim ad salubritatem conuersi, quoniam ventriculo & vniuerso corpori nutriendo magis familiares sunt redditi; etiamsi odore & sapore insuauiores euaserint. Odorem namque, & saporem, & alias ventriculi qualitates referunt, à quo totius substantiæ familiaritatem concoctionis beneficio acceperunt.

Porro multo magis rudis, magisque ridiculus est Erasistratus, aut non intelligens quemadmodum a veteribus dictum sit concoctionem esse elixationi similẽ, aut sponte seipsum fallens. Atque elixationi quidem quæ tam leuem habet calorem, concoctionẽ assimilari posse negat verisimile esse; tanquã aut Aethna subiiciendus ventri sit, aut alias alterari ab eo cibi non possint; aut possint quidẽ B *alterari, non tamen per insitum illi calorem qui humidus sit, eoq. elixare, non torrere dicatur. Debebat autẽ, siquidẽ contra de rebus disceptare voluit, maxime quidem ac primũ illud docere, nec mutare prorsus, nec alterare in qualitate ventrẽ cibos. Secũdo loco, si id confirmare non potuisset, alterationem eorum in ventre animali esse inutilem. Si nec id calumniari licuisset, opinionẽ quæ de actiuis habetur principus, refellere, monstrareq. non prouenire in particulis actionem ex certa calidi frigidi, humidi, siccique temperatura, sed alio quopiam. Quod si nec id calumniari est ausus, saltem illud docere, non esse calidum in iis quæ naturæ administratione reguntur, ceteris efficacius. Vel si nec id, nec ceterorum quæ di-* C *cta sunt quidquam demonstrare potuisset, minime nugari frustra de nomine contendẽdo; tanquã Aristoteles tum in aliis nõ paucis, tum in quarto meteorologicôn, quemadmodum concoctio elixationi sit similis, quodque nec primum, nec proprie sic nominetur, non clare prodiderit. Verum sicuti iam dictum est vnum horum omnium principium est, de calido, frigido, humido, & sicco, consideratonem iniuisse, sicut in secundo de generatione & interitione Aristoteles fecit, omnes quæ in corpore sunt mutationes alterationesque, ab his proficisci demonstrans. Ceterum Erasistratus neque his, neque alio vllo ex iam dictis refutato, ad nomen elixationis tantummodo se conuertit. Atque de concoquendo quidem tametsi cetera omnino prætermisit, illud saltem demonstrare conatus est, differ-* D *re ab externa elixatione, eam quæ in animalibus est concoctionem.*

Primus omnium Hippocrates cibos in vẽtre ἑψᾶν, id est elixari, dixit; & post Hippocratem Aristoteles concoctionem ciborum elixationi similem esse asseruit: quod tamẽ nõ placuit Erasistrato. Quippe cũ elixatio fiat ab igne, cõcoctio vero iuxta Hip. & Arist. dogmata a natiuo vẽtriculi calore, qui benignus est ac suauis; hãc illi nullo pacto similẽ esse posse credidit. Merito igitur reprehẽditur hoc loco quod neglectis rebus de solo elixationis nomine frustra contẽderit. Satius tamẽ ipsi fuisset inquirere, an veteres philosophi ac medici propriã cõcoctionis rationẽ & caussas recte explicassent: quorũ sententiã si minus

Lib. 2. de rat. vict. in morb. acu. sent. 22. Lib. 4. meteo. cap. 3.

probabat, validis rationibus pugnare debuisset, eaq. principia subuertere, quibus veterum de ciborũ cõcoctione opinio fulcitur. Debuisset, inquam, ostendere, cibos in ventriculo nec mutari, nec alterari: aut ciborum alterationem in ventriculo esse animali prorsus inutilem; aut primas quattuor qualitates nõ esse actiua principia, neque partium actiones a qualitatum temperie prouenire: aut calidum in viuentibus non esse ceteris efficacius. Cum itaque nihil horum præstiterit Erasistratus, sed ad solum elixationis nomen confugerit, iusta reprehensione dignus censeri debet. Atque eo quidẽ magis, quod ex ipsomet Aristotele potuisset facile discere, quomodo concoctio elixationi similis dicatur. Neque enim concoctio proprie aut vere dici potest elixatio, cum hæc ab igne, illa ab innato fiat calore: sed dicitur tantum elixationi similis, quia a calore humido fit, talis enim natiuus calor est, nõ siccus & acris, qualis est febrilis. Siquidem hoc nomine ab assatione distinguitur elixatio, quod hæc à calore humido, illa vero ab arido fiat. Vnde etiam fit, vt quæ assantur, exteriusícciora appareant, interius plus humiditatis contineant; quæ autem elixantur, cõtra. Quare concoctio, neque assatio, neque elixatio vere dicitur; est tamen elixationi quodammodo similis, cum assatione vero nullam prorsus similitudinem habet.

CAP. VIII.

E deglutiendo vero ne tantum quidem egit, quid enim ait? Tractio quidem ventris nulla esse videtur. Atqui venter duas habet tunicas, quæ omnino alicuius gratia sunt conditæ, pertinentque hæ etiam vsque ad ipsum os. Quæ quidem interior est, qualis in ipso est ventre talis persistens; altera ad carnosiorem speciem in gula conuersa. Ac quod contrarias inter se fibrarum dispositiones hæ tunicæ habeant, ipsa rei euidentia testatur; cuius autem caussa tales sunt conditæ, Erasistratus certe ne vel conatus est dicere, nos vero nunc dicemus. Quæ interna est, in directũ porrectas habet fibras, vt quæ trahendi caussa sit instituta; externa transuersas, quo circulo contrahant: quippe singulorum quæ mouentur instrumentorum corpora, pro fibrarum positura motus habent. Primum autem si placet, in musculis ipsis sermonem examina, in quibus tum fibræ ipsæ, tum motus propter notabilitatẽ euidentissime cernuntur. A musculis ad naturalia instrumenta te conferas licet, omnino videbis ea per fibras moueri. Itaque etiã singulis intestinis circulares in vtraque tunica fibræ sunt, contrahuntur enim dumtaxat, nec quidquam trahunt: at vẽter alias fibrarum rectas habet, quibus scilicet trahat, alias transuersas, quibus constringat. Tanquam enim in musculis dum fibra quæque intenditur, atque ad principium retrahitur, motus eorum obitur; itidem in ventre dum transuersæ fibræ tenduntur, latitudinem contentæ inter ipsas cauitatis minorem fieri est necesse: rectæ vero dum trahuntur, ac in se ipsas cogũtur, fieri nequit vt non minuatur longitudo. At vero deglutiẽtibus nobis liquido cernitur larynx (ea est arteriæ quæ aspera dicitur, pars summa) simul sublata, sursumque in tantum currẽs, quantum gula deorsum trahitur. Cumque completa iam

A *ta iam deglutiendi functione laxauerit se gula, luculenter descendere cernitur summa arteria. Siquidẽ interna ventriculi tunica quæ rectas habet fibras, quæque tum gulam intrinsecus vestit, tum os ipsum, ea super internis summæ arteriæ partibus extenditur Itaque fieri nequit, cum ipsa a vẽtriculo deorsum trahitur, vt non simul & summa arteria attrahatur.*

Ex numero functionũ naturæ est quoq. deglutitio, cuius caussam tacuit prorsus Erasistratus, affirmans dumtaxat, nullam in deglutitione vẽtriculi attractionem apparere. Quare merito Galenus deglutitionis primam præcipuamque caussam docet esse facultatem ventriculi attractricem; idque probat ex propria ventriculi formatione. Constat namque ventriculus ex duplici tunica, interna, & externa; atque hæc quidem in suprema gula ad carnosiorem speciem conuertitur, & fibris circularibus siue transuersis intertexta est; illa vero fibras B rectas habet superne deorsum tendẽtes, sibique similis perpetuo persistit. Hæc fibrarum diuersitas, motuum qui à duabus illis ventriculi tunicis eduntur, varietatem ostendit; id enim omnibus quæ mouentur instrumentis commune est, vt pro diuerso fibrarum situ diuersos motus excerceant. Euidenter id apparet in musculis, propriis voluntarii motus instrumentis, nam qui rectis texuntur fibris, rectum; qui obliquis, obliquum edunt motum. Idem de occultis naturæ motibus intellige, rectis namque fibris attractionis motus in naturæ instrumẽtis perficitur, cum illis contractis totius instrumẽti longitudo minuatur. Fibris autem transuersis fit motus expulsionis, cum ipsis contractis minuatur totius instrumenti amplitudo. Quocirca in intestinis quæ solo indiguerunt expulsionis motu (neque enim ipsis attractione opus erat) solæ fere inueniuntur fibræ C transuersæ; in ventriculo vero triplex fibrarum genus conspicitur, vt pote qui attrahat, retineat, & expellat. His ita positis, si quæ inter deglutiendum contingunt attente consideres, concedes hauddubie, deglutitionem fieri trahente per œsophagum ventriculo ea quæ in ore continentur. Minuitur enim dum deglutimus, totius œsophagi longitudo, contrahunturque proinde, rectæ eiusdem œsophagi & ventriculi fibrę, quas facultati attractrici inseruire diximus. Rursus larynx, id est guttur (est id summum asperæ arteriæ caput) sursum nobis deglutientibus tantum attollitur, quantum deorsum trahitur œsophagus; deglutitione vero absoluta, & œsophagus laxatur non amplius contractis rectis internæ tunicæ fibris, & larynx iterum descendit. Quippe cum interna vẽtriculi tunica non solum œsophago & vniuerso ori communis sit, sed extendatur etiam super internis laryngis partibus; fieri non potest, quin deorsum tracto D œsophago, larynx sursum attollatur, descendatque rursus œsophago ascendente: quemadmodum in trochleis quotidie fieri experimur. Sed & faucium musculi (quos male prætermisit Vesalius) non mediocrem huic rei præbent vsum. Ex his duos tantum Galenus agnouit, quos cum vox editur, aut deglutitio fit, suo munere fungi scripsit; quattuor alios addidit Fallopius, ita vt tria sint in faucibus musculorum paria. Primum quidem & secundum fauces dilatant, tertium vero fauces constringit, gutturq. inter deglutiendum attollit: quem etiam vsum præbet quartum par musculorum linguam mouentium, quo nomine ad faucium quoque musculos referri potest.

Lib. 4. de vsu part. cap. 8.

Lib. de musc. dissect. cap. 15.

Quod autem circulares fibræ quibus contrahuntur tum aliæ particulæ, tum

vero ventriculus, de longitudine nihil minuant, sed latitudinem contrahant, atque angustent; id quidem Erasistratum fateri inuenias, quippe cibos toto concoctionis tempore vndique constringere ventrem ait. At si vndique constringit, nec tamen quidquam de ventris longitudine aufert, non est constrictiui motus proprium, vt gulam deorsum trahat. Quippe quod Erasistratus ipse dixit, id illi tantummodo continget, vt dum superiores partes contrahuntur, inferiores dilatentur: id vero, quod si in demortui quoque gulam aquam infundas, fieri cernetur, nemo ignorat. Transitum namque materiæ per angustum corpus id accidens consequitur; mirum enim sit, si transeunte per eam mole aliqua non dilatetur. Illud ergo quod supernis partibus contractis infernæ dilatentur, commune est tum mortuis corporibus per quæ quoquo modo aliquid transit, tum viuis; idq. siue constringantur ab his ea quæ transeunt, siue trahantur. At breuiare longitudinem, instrumentorum quibus rectæ sunt fibræ, quo scilicet aliquid attrahant, proprium est munus. Atqui demonstratum est gulam attrahere, non enim alias summam arteriam traheret: patet igitur, ventriculum per gulam cibos trahere. Quin etiam in vomitione, eorum quæ vomuntur impetus ille qui vsque ad os fertur, omnino partes eas gulæ quæ a subeuntibus dilatantur, hiantes habet; partium vero quæ a fronte occurrunt, quamcunque apprehendit, hanc hiare incipientem; quæ vero a tergo pars est, hanc vtique contractam relinquit: ita vt gulæ affectus iuxta hoc omnino deglutientium affectui similis sit. Ceterum vbi tractus nullus adest, longitudo tota in talibus symptomatis æqua seruatur. A B C

Quamuis nullam deglutitionis caussam tradiderit Erasistratus, fortasse tamẽ ventriculi complexum (quem concoctionis & distributionis ciborum caussam statuit) eiusdem deglutitionis caussam esse voluit, hac sola ratione persuasus, quod in deglutitione partes quædam œsophagi contrahantur, aliæ vero dilatentur. Hanc igitur sententiam facile nunc refellit Galenus, quia ventriculi complexus fit contractis fibris transuersis, deglutitio vero contractis fibris rectis; hæc enim ratio est, cur in deglutitione totius œsophagi longitudo minuatur, in complexu vero sola ventriculi latitudo. Porro quod inter deglutiendum partes superiores œsophagi contrahantur, inferiores dilatentur; id quidẽ nõ magis probat deglutitionẽ fieri se vndiq; cõstringẽte vẽtriculo, quã per œsophagũ attrahẽte: quemadmodum dixerat etiam libro primo. Neq. enim aut vẽtriculi cõplexum, aut eiusdẽ attractionẽ necessario sequitur huiusmodi accidens, sed solius materiæ transitũ per locũ angustũ, qualis œsophagus est. Huius itaque supernæ partes contrahuntur, postquam transierit ea quæ deglutitur substãtia; dilatantur vero infernæ, vt materiæ transeunti aditus pateat. Hæc ita habere, his duobus experimẽtis apertissime cõstat. Si in cadaueris œsophagũ aquã infuderis, experieris haud dubie, descẽdente per œsophagũ aqua, quasdã œsophagi partes cõtrahi, alias vero dilatari; cũ tamẽ in cadauere neque D

attra-

A attrahat ventriculus, neque se ipsum constringat. Ad hæc in vomitu qui motus est deglutitioni contrarius, similiter quoque œsophagum affici obseruabis, aliæ namque ipsius partes dilatantur, aliæ contrahuntur. In eo tantum discrimen est, quod in deglutitione, cum ab ore ad ventriculũ nutrimentum moueatur, supernæ œsophagi partes contrahuntur, & laxantur infernæ; in vomitu vero contra, cum alimentum, aut aliud quidpiam ex ventriculo feratur ad os, infernæ contrahuntur, & dilatantur supernæ.

Atq. idcirco deglutire facilius est quam vomere, quod scilicet deglutiatur ambabus vẽtris tunicis operantibus, interna quidẽ trahẽte, externa se contrahente, vnaq. trudẽte; vomatur autẽ altera tantũ quæ foris est, agente, nec vllo in os trahente. Non enim sicuti ventris appetentia deglutiendos cibos præcedit, sic in vomitionibus appetit oris pars vlla excitati affectus quidpiam; sed sunt ambo vẽtris affectus inter se contrarii, alter appetentis, & suscipientis quæ vtilia sunt & propria; alter abhorrẽtis & reiicientis quæ sunt aliena. Eoque deglutitio ipsa in iis qui conuenientes vẽtri cibos immodice appetunt, ocyssime fit; ventre scilicet eos trahente, ac deorsum vellente, priusquam sint mansi. In iis vero qui vel medicamentum aliquod coacti bibunt, vel cibum aliquem medicamenti loco sumunt, molesta deglutitio est, ægreq. perficitur. Ergo ex iam dictis patet, internã gulæ tunicam cui rectæ sunt fibræ, quo ab ore in se attrahat, esse institutã, eoque in deglutiendo tantum agere; externam vero cui transuersæ sunt fibræ, quo constringat ea quæ continet, ac protrudat, talem esse factam; eandem tamen non minus in vomendo quam deglutiendo operam suam nauantem.

B C

Cum inter degluticndũ minuatur œsophagi lõgitudo, superiores q. ipsius partes cõtrahantur, fatendũ est necessario, ab vtraque vẽtriculi & œsophagi tunica deglutitionẽ fieri. Si vero ab vtraq; tunica fit, duæ simul facultates deglutitionis caussæ statuẽtur, attractrix scilicet & expultrix; hæc nãq. agit cõtractis fibris trãsuersis tunicæ externæ, illa vero cõtractis fibris rectis tunicæ internæ. Nõ tamen vna eademq. pars attrahit simul & expellit, sed attrahit vẽtriculus, expellũt autẽ supernæ œsophagi partes: quo fit, vt trahẽte vẽtriculo, & deorsum propellẽte œsophago, optime perficiatur deglutitio. Hinc intelligitur discrimẽ inter deglutitionẽ & vomitũ, quãuis enim in eo cõueniãt, quod eiusdẽ partis motus sint,
D per eandemq. partẽ fiant; deglutitio tamẽ à duabus tunicis, duabusq. facultatibus efficitur, vomitus vero à sola tunica externa, solaque facultate expultrice. Vnde & alterum nascitur discrimen, nam agentibus duabus facultatibus facile fit deglutitio, vomitus autem difficile sola expultrice agente. Agit vero in deglutitione attractrix, quia ventriculus appetit nutrimenta quæ manduntur in ore, hæc autem appetentia facultatem attractricem ad agendum excitat, vt possit ventriculus nutrimentis frui. At vomitum nulla præcedit appetentia, quæ attractricem excitare possit, nulla enim oris pars est, quæ appetat ea quæ vomũtur; proindeque vomitus ad solam expultricem merito refertur. Si quis vero citra appetentiam quidpiã deglutire cogatur, difficillime deglutiet, sola scilicet tunc agente vi expultrice partium superiorum œsophagi, à quibus quod deglutitur deorsum vtcunque depellitur, non attrahẽte vẽtriculo. Quod

ſane accidere experimur iis qui potiones medicas bibunt, aut quibus male affecto ventriculi orificio, proſtrata eſt appetentia; hi namque vt ſolidiores cibos deglutire poſsint, aſsiduo indigent aquæ hauſtu. Quippe cũ ventriculus à medicamentis abhorreat, aut familiares cibos male affectus auerſetur, mirũ profecto non eſt, ſi deficiente appetentia, ventriculi attractio aboleatur. A

Clariſsime ſubſcribit iis quæ diximus, & quod in hiatulis, & iis qui Græce vocantur συνόδοντες, *accidit, vt quorũ venter interim in ore inueniatur: veluti Ariſtoteles in libris de animalium hiſtoria prodidit, reddita etiã cauſſa, præ guloſitate id inquiens illis contingere, ita enim ſcribit, In vehementiore appetentia vẽter omnino animalibus ſurſum procurrit, adeo vt nonnulli cum primum incipere eum affectum ſentiant, foras repere ſibi ventrẽ dicant; aliis vero cibos quos adhuc mandunt, necdum ſatis ore confecerunt, eripit plane inuitis. Ergo in iis animalibus quæ natura ſunt guloſa, quibuſque oris laxitas eſt ampla, ac vẽtris ſitus propinquus (veluti in ſynodonte ac channa cernitur) nihil miri eſt, ſi cum in admodum vehementi eſurie minorum piſcium aliquem perſequuntur, ac iam in eo prope ſunt vt comprehendant, auiditate perurgente, vẽter eorum in os ſurſum rapitur. Fieri autem id aliter prorſus nequit, niſi venter cibos per gulã, veluti per manum ad ſe trahat. Sicuti enim & nos præ ſtudio aliquando nos totos vna cum manu extendimus, quo promptius corpus quod petimus, apprehendamus; ita & venter cum gula, veluti vna cum manu extenditur. Proinde in quibus animalibus hæc tria ſimul incidunt, vehemẽs nutrimenti auiditas, gula parua, & oris laxitas ampla; in his paullum extenſionis momentum totum ventrem ſurſum in os agit. Ac naturali quidem homini fortaſſe ſufficeret, ex vna ipſa inſtrumentorum compoſitione argumentum actionis ſumpſiſſe, nam ſi uſtra profecto natura ex duabus tunicis quæ contrario modo inter ſe habent, gulam feciſſet, niſi varia earum vſa eſſet actione. Verum quoniam omnia citius quam naturæ opera dignoſcere Eraſiſtrati ſectatores poſſunt, age dum ex animalium diſſectione doceamus eos, vtramque tunicam prædictis fungi actionibus. Ergo ſi accepto animali quopiam, corpora quæ circa gulam eius ſunt, auferẽs, nullo eorum quæ illic habentur, nec neruo, nec arteria, nec vena præciſa, velis a mento ad thoracem vſque externam gulæ tunicam, cui tranſuerſæ ſunt fibræ, recta ſectione diuidere, mox cibum animali obiicere; videbis id cibum deglutire, tametſi conſtringendi vis ſit illi adempta. Rurſus ſi in altero animali vtramque tunicam tranſuerſa inciſione ſecueris, id quoque deglutire videbis, nullam etiam opem ferente tunica interna. Ex quo manifeſte patet, quod altera earum deglutire licet, ceterum deterius quam ambabus. Etenim præter alia illud quoque perſpicere in iam dicta diſſectione licet, quod inter deglutiendum ſpiritu qui vna cũ cibis deglutitur gula impletur, is autem conſtringente ſe externa tunica, facile in ventrem cum cibis compellitur; tempore autem quo in gula eſt, deſcendentibus cibis*

impe-

A *impedimento fit, tum eam distendens, tum eius actionem impediens.*

Quod deglutitio fiat trahente ventriculo, contractisq. fibris rectis tunicæ internæ, ex iis manifeste intelligitur, qui vrgente fame, summa cum auiditate cibum capiunt; hi namque sursum aliquando ferri ventriculum, & cibos antequã perfecte sint mansi, sibi inuitis interdum eripi sentiunt. Idem confirmari potest ex piscibus quibusdam voracissimis, quorum ventriculus aliquando in ore inuenitur. Id quod ab Aristotele obseruatum etiam est, qui grãdioribus piscibus sæpius euenire testatur, vt dum minores cum impetu insectantur, ipsorum ventriculus procidat in os: quod sane priuatim docuit de hiatula, & dentice, quem συνόδοντα Græci appellant. Atqui id potissimum euenire solet, quãdo hæc tria simul conuenerint, vt scilicet animal gulosum sit, vehementerq. esuriat, & ampla sit oris laxitas, & breuis sit gula, id est parum ab ore distans. Porro quod & a sola interna, & sola externa tunica fieri possit deglutitio, viuorum animalium B dissectiones liquido ostendunt. Nam si in viuo animali corpora quæ circa gulam sunt, ita sustuleris, vt nerui, venæ, & arteriæ (quę scilicet alicuius momenti fuerint) illæsa seruentur, atque per externam gulæ tunicam, rectam sectionem duxeris; necessarium est, transuersas omnes tunicæ externæ fibras simul scindi, rectis tunicæ internæ fibris seruatis illæsis. Si ergo animali sic dissecto cibus oblatus fuerit, deglutiet adhuc animal, sola interna tunica rectas suas fibras contrahente. Rursus si in altero animali vtramque gulæ tunicam transuersa sectione diuiseris, fibras omnes rectas quæ internam tunicam contexũt, simul secari necesse est, integris fere seruatis fibris transuersis tunicæ externæ. Obseruabis autem, animal oblatum cibum adhuc deglutire, difficilius tamen, quia sola tunica C externa tunc tẽporis agit. Quamuis & hic altera sit difficilis deglutitionis caussa, aër scilicet qui gulam ingressus, ipsamque distendens, eiusdem contractionẽ impedit, ciborumque descensum retardat. Ex quibus patet, deglutitionẽ à tunica interna & externa, & à facultate attractrice simul & expultrice fieri secundum naturam; nihilque obstare, quo minus a facultatum & tunicarum altera vtcunque fieri possit.

Lib. 2. de hist. ani. cap. vlt.

Lib. 8. de hist. ani. cap. 2.

Sed nec horum cuiusquam Erasistratus meminit, nec quod obliquus gulæ situs eorum dogma clare refellit, qui putant, ea quæ deglutiuntur, a momento illo quo superne sunt impulsa, vsque in ventrem promoueri. Vnum modo recte dixit, multa eorum animalium quibus longum collum est, inclinato corpore deglutire: quo scilicet sensibili effectu planum est demonstrare eum, non vtique quemadmodum deglutiamus, sed quemadmodum non deglutiamus. Nam quod non ex solo D *eo quod superne incipit momento, plane ex hoc patet; an tamen ventre trahente, an gula ea ducente, id certe adhuc non patet. Verum nos omnibus percensitis rationibus, & quæ ex instrumentorum compositione suppeditantur, & quæ ex aliis symptomatis, quæque ante nudatã gulam, quæque post apparere paullo ante diximus; abunde indicauimus, trahendi gratia tunicam internam, trudendi externam esse conditam.*

Ex situ gulæ refellit tandem absurdam quorundam medicorum opinionem, qui existimarunt deglutitionẽ fieri ab insito pondere eorum quæ deglutiuntur. Oportuisset enim, gulam ab ore ad ventriculum recta ferri, si suopte impe-

tu quæ deglutiuntur ad ventriculum descendunt. At obliquus est gulæ situs, nâ licet à faucibus ad quinctam vsque thoracis vertebram recta feratur, cum primũ tamen ad hanc peruenit, ad dexteram quodammodo contorquetur, vt cedat arteriæ magnæ nobiliori instrumento. Hæc namque ex sinistro cordis ventriculo originem trahens, ad quinctam illam vertebram recta fertur, quæ sinistro cordis ventriculo è directo respondet. Altera quoque est gulæ obliquitas, quâ septum transuersum perforat, vbi etiam ventriculi orificio continua efficitur. Eleuatur enim hîc quodammodo gula, ad superioremque partem contorquetur, & firmissimis quibusdã ligamẽtis fulcitur; tũ vt tutior esset neruorum sextæ cõiugationis progressus, qui per gulã descẽdentes in vẽtriculi orificium inserũtur; tũ etiã ne arteria magna quæ deorsũ per spinã protẽditur, à duris solidisq. qui interdũ degluti ũtur cibis, violenter comprimeretur. Obliquus itaq. gulæ situs absurdã eam opinionẽ optime refellit, quam & Erasistratus recte iam ex iis animalibus refutauerat, quæ cum longum habeant collum, inclinato capite deglutiunt; qualia potissimum sunt iumenta, aues enim elato potius capite bibunt. Quomodo enim in his ex ore ad fauces suopte impetu cibus ascendet? Quomodo rursus ex faucibus ad ventriculum insita feretur grauitate? Ceterum licet id vnum recte ab Erasistrato sit dictum, merito tamen reprehẽditur a Galeno, quod tantum docuerit, deglutitionem non fieri ab insito pondere eorum quæ deglutiuntur, caussam tamen deglutitionis nequaquam explicauerit: quãuis ventriculi compressionẽ (vt antea diximus) deglutitionis caussam videatur statuisse.

Lib. 6. de vsu par. cap. 7.

A

B

CAP. IX.

C propositum nobis erat demonstrare, in singulis instrumentis retẽtricem inesse vim, sicuti in superiore libro attractricem, atque etiã alteratricem: ipsa vero sermonis sequela ducti, quattuor esse in vẽtre virtutes indicauimus; in deglutiendo tractricem; in concoquendo retentricem; in vomitione, & concoctorum ciborum in tenue intestinum descensu expultricem; ipsam vero concoctionem alterationẽ esse. Non est ergo quod de splene etiam dubitemus, an is quod sibi conuenit trahat; quod alienum est secernat; quod attrahere per naturam potest, id alteret, ac retineat, Sed nec de iecinore, vel vena, vel arteria, vel corde, vel ceterorum vllo; cum quattuor has facultates omni particulæ quæ nutriri debeat, demonstratum sit necessarias esse: ideoque eas ministras esse nutritionis diximus. Tanquam enim stercus hominum est canibus suauissimum, ita iecinoris excrementorum, aliud lieni, aliud bilis vesicæ, aliud renibus est iucundum.

C

D

Se ipsum excusat, quod facultatem attractricem & concoctricem in ventriculo hactenus demonstrarit, cum solam retentricem & expultricẽ hoc libro demonstrare instituisset, quemadmodum libris superioribus attractricem & concoctricem. Porro quæ de ventriculo hactenus demonstrata sunt, ad reliqua omnia naturę instrumenta transferenda esse monet, in quibus, non secus ac in ventriculo, eædem illæ quattuor facultates sunt necessario concedendæ: veluti in splene, vesica bilis, & renibus. Quanquam de his tribus instrumẽtis merito dubitari possit, habeãtne vim attractricem, retentricem, & concoctricem, quoniã

ieco-

A iecoris excrementorum secretioni dicata sunt a natura; quæ excrementa cum inutilia sint & prorsus aliena, similitudine substantiæ trahi non possunt. Si vero non trahuntur, retineri non poterunt, neque vllo pacto concoqui. Respõdet tamen Galenus, eiusmodi excrementa iecori quidem inutilia esse, prædictis vero instrumentis esse familiaria. Nam vt stercus humanum horridũ est hominibus excrementum, canibus vero suauissimum; ita iecoris excrementorum, aliud lieni iucundissimum est, nempe succus melancholicus; aliud vesicæ bilis, nempe bilis ipsa; aliud renibus, nempe humorum serum, aut vrina. Quomodo autem dicatur hoc loco vrina excrementum iecoris, alibi vero excrementum venarum & arteriarum, suo loco dicemus. Cum itaque tria illa iecoris excrementa suis instrumentis familiaria sint & iucunda; mirandum profecto non est, si ab illis attrahantur, & retineantur. De alteratione tamen multo maior est dubitandi occasio, an scilicet huiusmodi instrumenta vim habeant excrementorũ B concoctricem. Affirmat quidem hîc manifeste Galenus, succum melancholicũ non solum attrahi, & retineri, sed etiam alterari a liene: eadem autem videtur esse ratio vesicæ bilis & renum. Dixit quoque, iecinoris excrementa instrumẽtis attrahentibus iucunda esse, vt stercus humanum canibus; atqui canes humano stercore nutriuntur; ergo & tria illa instrumenta excremẽtis sibi familiaribus nutrientur. Nihil præterea est (si Galeno credimus) in rerum natura, quod propter solam attrahendi actionem trahat, sed vt eo cuius per attractum fit cõpos, fruatur; ergo & ea instrumenta fruentur excrementis attractis. Alii potius sentiunt, lienem, renes, & vesicam bilis sanguine nutriri, excrementis autem à se attractis tantũ oblectari; cum enim pura sint sinceraque excrementa, vt nu- C trimentum præbeant sunt prorsus inepta. Vtrique tamen parum accurate rem hanc distinxisse videntur, cum eadem ratio non sit lienis, vesiculæ, & renum. Siquidem renes serosum sanguinem sibi familiarem attrahunt, non autem purum sincerumque sanguinis serum; quo fit, vt non sero, sed seroso potius nutriantur sanguine, vt ab omnibus concessum est. Alioqui nutritionis renum excrementũ esset vrina, vt voluit Lycus, cuius sententiã libro primo refutauimus. De liene quid sentire oporteat, ex eodẽ Galeno didicimus, qui partes eas quæ per ampla orificia succum sibi familiarem attrahunt, non posse solum ipsum purum atque sincerum attrahere docuit sed alterius cuiusdam diuersi generis mixtione adulteratum; si vero in tenuia orificia trahentium instrumentorum fines desierint, impermixtum exacteq. sincerum succũ familiarẽ attrahere. Cum itaq; lien per ampla orificia trahat, vna cum excremento melancholico aliquid etiã sanguinis ipsum attrahere sentit Galenus; qui tamen ad splenem nequaquam per- D ueniat, quod venæ quæ sunt in epiploo, trahere ad se ipsas occupent. Ita & renes quia per ampla vasa trahunt, aliquid bilis, & sanguinis plurimum simul cum seroso excremento trahunt, neque prætèr emulgentia tertio quopiam vase ad sui nutritionem indiguerunt. Quem sane Galeni locum cum recte transcripserit Valesius, nescio profecto quomodo ex eo colligat, renes & vtramque vesicam mera attrahere excrementa, & aliis ad sui nutritionem vasis indiguisse. Ceterum quoniam solus melancholicus humor ad splenem (vt dictum est) peruenit, restat adhuc dubitatio, an eo nutriatur lien: quam tamẽ Galenus optime explicauit, de proprio viscerum nutrimento disputans. Docuit namque, succum melancholicum non esse proximum splenis nutrimentum, sed potius tenuissimum sanguinem, arteriarum beneficio ex melancholico excremento genitum. Quod si crasso limosoque sanguine nutriri lienem dixerit aliquando Galenus, id qui-

Cap. 6. huius lib.

Lib. 5. de vsu part. cap. 6.

Lib. 2. contro. cap. 3.

Lib. 4. de vsu par. cap. 15. Lib. 13. metho. med. cap. 16. & 17.

id quidem de futuro lienis nutrimento, non autem de eo quod actu nutrimentum iam est, interpretari oportet. Vnde etiam intelliges, cur liẽ crebrius quam iecur afficiatur scirrho, & fortiora toleret medicamenta. Siquidẽ licet tenuiori sanguine alatur lien, ipsiusque caro mollior propterea sit ac rarior, ipsius tamen nutrimentum (quod scilicet perfecte concoqui non potuit) multo crassius est nutrimento iecoris: cuius ratione & scirrhosis tumoribus frequentius quam iecur infestatur, & valentiora medicamenta exposcit. Quod attinet ad vesicam bilis, dubium non est quin sinceram attrahat bilem, nullo pacto sanguini permistam. Vnde nonnulli colligunt, vesicam bile a se attracta nutriri. Alii cõtra sentiunt, sanguine potius nutriri quam bile, quoniam quæ nutriunt, vel plus vel minus dulcia esse debent, bilis vero cum exacte sit amara, dulcedinis prorsus est expers. Duos præterea venarũ ramos ex vena portæ accipit vesica, quorum nullus alius esse potest vsus, quam vt sanguine per eos delato vesica nutriatur. Sunt quidem hæ rationes vtcunque probabiles, sed quæ facile ab aduersariis dissolui possint. Nam quidquid nutrit dulce esse dicitur ei dumtaxat quod nutritur, etiamsi humano gustui dulce non sit. Absynthium enim & lupinus succum e terra eliciunt sibi familiarem & dulcem, qui tamen nobis, non secus ac ipsæ plantæ, gustaretur amarus. Nihil igitur prohibet, quo minus & flaua bilis quæ nobis amara sentitur, vesicæ nutriendæ dulcis censeatur. Porro venarum ramuli, qui in vesicam inseruntur, hunc vsum præbere possunt, vt tempore tantum indigétiæ sanguinem vesicæ suppeditent, vt de ventriculi venis postea dicemus. Tempus autem indigentiæ intelligere oportet, quãdo deficiente bile, familiari nutrimento destituitur vesica: nam quando animal indigentia laborat, bilis augeri solet. Ceterum quamuis vtraque opinio probabilis sit, quæ tamen vesicam sanguine nutriri statuit, mihi multo probabilior videtur, & Galeno magis consentanea. Docebit namque postea, vesicam succum biliosum quẽ attraxit, non multo interposito spatio excernere. At si bile nutriretur vesica, ã diutissime retineret: quoniam (vt antea dictum est) attrahi breui tempore aliquid potest, adhærere, & alterari, & prorsus ei quod nutritur assimilari, ac pars eius effici, protinus non potest, tempore ampliore commode potest. Sed & lib. 5. de vsu part, vtramq. vesicam sanguine nutriri his verbis expressit. Porro vesica, non ea solum quæ bilem, sed & quæ vrinam recipit, purum vtraque atque ab aliis secretum cum attrahant proprium excrementum, iure optimo vasa alia alimentum sibi ipsis suppeditatura, flagitarunt. Sed nonne dixit hoc capite, vnicuique organo, omnique particulæ quæ nutriri debet, quattuor facultates nutricis ministras insitas esse? Dixit quidem, sed cum partes similares nutriantur, non autem organicæ, nisi ex accidenti, (quatenus scilicet constãt ex similaribus) facultates illæ nutricis ministræ insitæ potissimum similaribus dicentur. Quare partes omnes similares nutrimentum sibi familiare attrahunt, idem retinent, & concoquunt, tandemque sibi assimilant. Ita quoque & organicæ quatenus ex similaribus constant, nutririque postulãt; quatenus vero organicæ sunt, & certis quibusdam actionibus dicatæ, partim substantiam attractã concoquunt & assimilant, vt lien & renes; partim retinẽt tantum absque eo quod concoquant, & assimilent, vt vesica bilis & lotii. Rursus neque illud huic sententiæ aduersatur, quod quæ trahunt propterea trahant vt re attracta fruantur: concedimus enim libentissime, vesicam frui bile attracta, sibique familiari. Non tamen in sola nutritione huius fruitionis ratio est posita, verum etiam in naturali quadam voluptate (si tamen voluptas appellari possit) quæ ex rei familiaris

comple-

Margin notes: A; B; Cap. 11.; C; Cap. 1.; Cap. 7.; D

A complexu nascitur, aut in proprii temperamenti cõseruatione, quæ & citra nutritionem totius substantiæ similitudine perficitur. Hoc enim pacto ferro a se attracto magnes frui dicitur, etiamsi eo non nutriatur. Neque id tantum verum est in corporibus vitæ expertibus (vt sentit Ioubertus) sed etiam in partibus viuentibus; neque enim semine nutritur vterus, sed eo dumtaxat attracto fruitur, & oblectatur.

Dicereque de eorum generatione post Hippocratem, Platonem, Aristotelem, Dioclem, Praxagoram, & Philotimum, etiam nolim; neque enim de potentiis ipsis dicerem, si quis priorũ exacte de his disseruisset. Sed quoniam veteres quidem cum de his multa commode disseruissẽt, disputationis robur minime his adhibuerunt, ne quidem suspicati scilicet, vllos fore adeo impudentes sophistas, qui rebus euidentibus contradicere conarentur; iuniores vero partim sophismatis B *quibus victi erant, fidem adhibuerunt, partim etiam sophismata refellere conati, longe mihi abesse a veterum viribus sunt visi; idcirco si quis illorum superesset, is mihi contra eos qui artis pulcherrima subuertunt, disputaturus videretur, ipse quoque sic libros conscribere sum conatus. Quod autem aut nihil, aut si quid effecero, omnino exiguum id erit, haud ignoro. Multa namque inuenio antiquis ad vnguem demonstrata, quæ tamen hodie plerisque nec propter ignorantiam intellecta sunt, nec propter socordiam intelligi tentata. Adde, quod nec sicui sunt cognita, huic etiam iuste sunt examinata. Quisquis enim nosse quid supra* C *vulgum debebit, statim non natura modo, verum etiam primis doctrinarum rudimentis multum ceteris præstet oportet: idem vbi iam adoleuerit, veritatis insano quodam teneatur amore, veluti afflatus; tum sine vlla diei noctisve intermissione properare, ac contendere, ea quæ a clarissimis veterum tradita sunt, discere, eademque vbi didiscerit, iudicare, multoque tempore explorare; ac considerare, quæ rebus sensui patentibus consentiant, quæq. rursus iisdem dissentiant; ac sic illa quidem suscipere, hæc respuere. Atque huic quidem vtiles fore libellos nostros spero, erunt autem huius generis omnino pauci; reliquis opus hoc perinde fore superfluum, ac si quis asino fabulam narret.*

D Facillima hæc sunt, & digna potius vt memoriæ mandentur, quam vt explicentur copiosius. Tantum enim scribit, nihil se hoc loco dixisse de generatione excrementorum quorum antea meminerat, ne quæ à veteribus tũ philosophis tum medicis de hoc argumento recte sunt prodita, frustra repeteret. De facultatibus vero naturalibus disputare coactus est, licet multa de his a veteribus essent commode dicta; tum vt demonstrationes (quas disputationis robur appellat) à veteribus prætermissas adderet; tum etiam vt iuniorũ errores sophismataque detegeret. Idq. se præstiusse fatetur in eorum gratiã, qui & veritatis, & veterum sunt studiosi; quos quales esse oporteat, quidque facere conueniat, luculentissime docet. Atque hæc vtinam alta mente reponerent, non solum adolescentes Philosophiæ Medicinæque studiosi, verũ etiã nõ pauci eorũ qui nostro hoc sæculo vel ad docendũ, vel ad scribendũ animum appulerunt.

Absol-

CAP. X.

Bſoluēda igitur nobis eorum cauſſa qui veritatis ſunt cupidi, diſputatio eſt, adiicientibus ſcilicet quæ in ea deſiderantur. Trahit namque, vellitque ad ſe ventriculus cibos manifeſte iis qui vehementer eſuriunt, antequam ſint in ore ad vnguem læuigati; recuſat autem, & reiicit iis qui cibos faſtidiunt, ac qui comeſſe ſunt coacti. Ad eundē modum ceterorum quoque inſtrumentorum ſingula ambas obtinent facultates, & qua conueniens trahunt, & qua alienum expellunt. Proinde ſiquod vel ex vnica tunica inſtrumentum conſtat, veluti ambæ veſicæ, vterus, & vena; vtrumque fibrarum genus retinet, rectarum ac tranſuerſarum. Quin tertium quoq. fibrarum genus obliquarum eſt, minus omnino quam duo prædicta genera numeroſum. Inuenitur autem id in iis inſtrumentis quæ ex duabus tunicis conſiunt; in B *altera ſola rectis ſcilicet ipſis fibris immiſtum; in iis autem quæ ex ſingulari conſtant tunica, vna cum aliis duobus generibus. Sane hæ maxime auxilium præſtant retentricicis facultatis actioni, poſtulat enim in hoc opere particula ſuper ea quæ continet ſtringi, ac circum ea tendi; ventriculus quidem toto concoquēdi cibi, vterus toto geſtandi fœtus tēpore. Venæ quoque tunica cum vnica ſit, ex multifariis fibris eſt condita. Iam ex arteriæ tunicis ea quæ externa eſt, ex circularibus; quæ interna eſt, ex rectis plurimis, paucis autem cum his obliquis eſt conflata. Ita venæ quod ad fibrarum ſitum pertinet, vteris ac veſicis (quanquā craßitudine deficiuntur) ſunt ſimiles, arteriæ vero ventri. Sola autem inſtrumen-* C *torum omnium, ex duabus tunicis, atque harum vtraque ex tranſuerſis conſtante fibris, facta ſunt inteſtina. Porro cauſſam reddere, cur melius ſit reliquorum cuique, qualiter nunc cernitur, ita comparatum natura eſſe, inteſtina autem ex duabus, hiſque ſimilibus tunicis confici, id vtique ad ſpeculationem de vſu partium ſpectat. Quo minus exſpectādum aliquid de talibus hîc eſt, veluti nec propter quid de tunicarum numero cuiuſque inſtrumenti inter anatomicos parum cōueniat; de his enim abūde in iis quæ de anatomicorum diſſonātia prodidimus, eſt dictum. Cur autem inſtrumentum quodque tale ſit factum, in libris de vſu partium dicetur.*

D

Singula naturæ inſtrumenta proprias functiones obire nunc docet beneficio fibrarum, quibus propriæ ex quibus cōſtant tunicæ, intertextæ ſunt. Quod ſane de his naturæ actionibus intelligere oportet quæ cum inſtrumentorum motu fiunt, quales ſunt attractio, retētio, & expulſio. Cōcoctio vero quia totius ſubſtantiæ alteratio eſt, & citra motum fit, fibris haud quaquam indiguit, niſi quatenus vſum ipſi præbet retentio. Sunt autē in vniuerſum tria fibrarum genera, rectarum, obliquarum, & traſuerſarum, ſiue circularium: rectis quidem attractio, obliquis retentio, tranſuerſis vero expulſio perficitur. Quoniam vero naturæ inſtrumenta partim ex ſimplici, partim ex duplici conſtant tunica, eundem omnino ſitum in omnibus inſtrumentis habere non poteſt triplex illud fibrarū

genus

A genus. Nam quæ ex simplici constant tunica, vt vterus, vena, & vtraque vesica, triplici fibrarum genere eam habent intertextam. Cum autem vnicam & simplicem dico, propriam intelligo, nam præter hanc altera est ex peritonæo cõmunis. Quæ vero instrumenta ex duabus tunicis conflata sunt, vt ventriculus & arteria, fibras habent ita dispositas, vt in altera tunica pluribus rectis paucæ obliquæ sint immistæ, in altera vero solæ sint transuersæ. Veluti in ventriculo interna tunica pluribus rectis fibris, & paucis obliquis contexta conspicitur, solis autem transuersis tunica externa: attrahit namque ventriculus & retinet tunica interna, externa autem expellit. Arterias quoque vẽtriculo similiter fibras habere inquit, ita vt tunica externa ex solis transuersis cõstet, interna vero ex rectis & obliquis. Quæ Galeni sententia omnino est suspecta, ne dicam falsa, cũ ipsemet alibi scripserit, tunicam potius arteriarum internam transuersis fibris constare: externam vero rectis & quibusdam obliquis. Sed præstat ipsius verba apponere, Venæ, inquit, vnica est, & ea quidem tenuis tunica, arteriæ vero neque simplex, neque tenuis; sed duæ ipsi insunt tunicæ, quarum interna quidem crassa est admodum, densa, ac dura, atque in fibras trãsuersas diuidua; externa vero tenuis, rara, ac mollis, qualis etiam est venæ tunica. Et rursus alibi, Arteriæ duæ peculiares tunicæ existunt, exterior sane qualis venæ est, interior autẽ crassitie huius fere quintupla, insuper durior, in transuersas fibras dissoluta; exterior autem quam etiam venæ obtinẽt, rectis fibris, & quibusdam mediocriter obliquis, transuersis nullis cõtexta est. Quæ sane cum iis quæ hoc loco scribuntur ita aperte pugnant, vt inter loca manifeste repugnantia merito reponantur à Vallesio. Quod si roges, quid de arteriarũ fibris vere sentire oporteat, te ipsum iudicem constituo, vtpote cui liceat in arteriarum dissectione id sensu explorare. Inuenies autem (ni fallor) internam ipsarum tunicam solis transuersis, externam rectis, & nonnullis obliquis constare, vt recte obseruauit Vesalius. Quamobrem ne aut mendacii, aut contradictionis Galenum cogamur accusare, præstiterit forsan dicere, luxatum esse hunc locum, & voces illas Interna & Externa esse transpositas. Porro inter instrumenta quæ duplici constant tunica, sola intestina idem fibrarum genus in vtraque tunica obtinuerunt. Quippe cum simplici egeant motu (vt quibus nec attrahere, nec retinere sit necesse, sed tantum expellere) solis in vtraque tunica fibris transuersis contenta sunt. Quod si quæ in ipsis rectæ sint fibræ, eum dumtaxat vsum prabere videntur si Galeno credimus, vt sint veluti fulchra quædam transuersarum. Ego tamen non video quid sequatur absurdi, si rectas intestinorum fibras attractioni quoq. vsum præberent dixerimus. Nam licet chylum ad intestina valide ventriculus depellat, nihil tamen obstat, quo minus chylum a ventriculo expulsum ad se attrahant intestina. Sed quoniam hæc intestinorũ attractio (vtpote quæ sit imbecillima) a valida ventriculi expulsione obscuratur, dictum fortasse est à Galeno, & simplici expulsionis motu, & simplici fibrarum genere intestina indiguisse.

[Margin: Lib. 6. de vsu part. cap. 11. — Lib. 7. de anato. admi. cap. 5. — Lib. 3. de hum. corp. fab. cap. 2. — Lib. 5. de vsu par. c. p. 11. — Lib. 6. de anato. admi. ca. 7.]

CAP. XI.

Hic neutrum horum statutum est exsequi, sed tantum naturales facultates quattuor esse in singulis organis docere. Huc igitur denuo reuersi, quæ prius dicta sunt repetamus, atque eo quod reliquũ adhuc est adiecto, summam iam toti disputationi imponamus. Cum enim

enim ſingulas animalis particulas, qui conueniens ſibi ſuccus ſit, hunc in ſe trahere ſit demonſtratum, ac primam ferme naturalium potentiarum hanc eſſe; illud deinceps ſcire conuenit, particulam non prius eam quam attraxit materiam, vel ipſam totam, vel aliquod eius excrementum abiicere, quam vel ipſa, vel eorũ quæ in ſe continet pars maxima, in contrarium tranſierit affectum. A

Expultrix facultas quæ ſolet retentrici in agendo ſuccedere, non prius eam quam pars attraxit materiam excernit, quam vel pars ipſa, vel attracta materia in contrarium affectum tranſierit: quamdiu enim id quod attractum eſt parti attrahenti iucundum fuerit, tamdiu facultatem retentricem agere neceſſe eſt. Dicitur autem pars quæ attraxit tranſire in contrarium affectum, quando ſecundum naturam antea habens, nunc præter naturã afficitur: redditur namq. a morboſo affectu imbecillior, ad excretionemq. facile irritatur, etiamſi quod attractum eſt ex ſe adhuc moleſtum non fuerit. Quo pacto cibos etiam familiares, & copia mediocres imbecillus ventriculus vomitu reiicere ſolet, & imbecillus vterus ſemel conceptum ſemen. Materia autem attracta in contrarium affectum trãſit, quando parti attrahenti vel quantitate, vel qualitate, vel vtroq; ſimul moleſta redditur. B

Ac venter quidem poſtquam abunde cibis eſt ſatiatus, & quod vtiliſsimũ ſibi in his eſt in tunicas ſuas ſugendo repoſuit, tum quod reliquum eſt tanquã alienum onus abiicit.

Quod de naturali facultatis retentricis & expultricis agendi tempore dixerat, id nunc priuatim explicat in ventriculo, vtraq. veſica, & vtero. In ventriculo quidem, quoniam is cibos primum ex ore per œſophagum deglutendo attrahit, eoſdẽ attractos arctiſsime amplectitur ac retinet, quoad eos perfecte concoxerit, in chylumq. conuerterit. Ex his vero concoctis quod vtiliſsimum eſt & ſibi magis familiare, in proprias tunicas reponit, id autem quod reliquum eſt, tanquam moleſtum iam onus ad inteſtina depellit, vt dictum etiam eſt cap. 6. Sed & ex hoc loco neceſſario colligitur ventriculum nutriri chylo, vt poſtea dicemus. C

Idem & veſicæ faciunt, vbi quoduis eorum quæ attraxerint, vel multitudine diſtendens, vel qualitate mordens, redditur moleſtum.

Veſicas dixit numero multitudinis, vtramq. ſignificans veſicã, bilis, & lotii: vtraq. enim ſubſtantiam attractam retinet, quamdiu moleſta non fuerit, expellit vero, cum primum vel quantitate, vel qualitate, vel vtroq. moleſtiam intulerit. Hinc collige veſicam lotii ex ſententia Galeni lotium attrahere, quod itidẽ ſignificauit capite ſuperiori, docens fibras rectas attractioni præbere vſum, & propriam vtriuſq. veſicæ tunicam (quæ ſimplex eſt) triplici fibrarum genere cõſtare. Sed & id expreſſe docuit lib. 5. de vſu part. ſic ſcribens. D

Cap. 11

„ At veſicarum tunicæ rectos, ac rotundos, & obliquos habent villos; vna enim vtriuſque veſicæ tunica cum ſit, ad omnem motus ſpeciem conſtructionem adepta eſt accommodam. Siquidem & motum quem attrahendi cauſſa villi recti, & eum quem excernendi gratia tranſuerſi, ad extremum etiam eum, quem vt ea etiam retineant quibus vndique apprimuntur, obliqui conficiunt, inſtrumenta ipſa habere æquum fuerat. Et paullo poſt, Ergo cum vtraque veſica tunicam ſimplicem eſſet habitura ob cauſſam quam dicam, ſatius fuit; omne fibrarum genus

A genus in ipsis insistere, vt omnis etiam motus species consequeretur. Alibi tamen vesicam lotii attrahere negat, nam lib. 6. de loc. affect. ita habet, Sic etiam Cap. 3.
" ostensum est, renes trahere id quod aquosum in sanguine est, non tamē vesicam
" trahere a renibus, quemadmodum neque intestina a ventriculo; sed renes qui-
" dem per vreteras excernendo in vesicam mittere, ventriculum autem in ieiu-
" num, per eum processum quem Herophilus dodecadactylon vocat, a duode-
" cim digitorum longitudine nomen ei imponens. Sunt qui hæc loca ita compo
" nant, vt vesica reuera non attrahat lotium, attrahere tamen dicatur, non per seipsam, sed per renes. Insulsa tamen est huiusmodi explicatio, cum fibras rectas in vesica inueniri, easque attractioni inseruire Galenus docuerit. Dicerem ergo potius, vesicam quidem ex renibus & vreteribus lotium attrahere, ita tamen, vt à valida renum expulsione vesicæ attractio imbecilla maxime obscuretur. Quare cum lib. 6. de loc. affect. ageret de diabete, huius symptomatis caus-
B sas retulit verisime ad affectos renes neglecta vesica. Quæ igitur de attractione intestinorum superiori capite diximus, eadem nunc de vesicæ attractione intellige.

Pari modo & vteri, hi namque vbi vel distendi amplius non tolerant, vel etiam qualitate humorum in se effusorum morderi, quod offendit abiicere properant. Porro prædictorum vtrumque aliquando non naturæ sponte, sed violenter incidit, quo casu abortus prouocatur. Fit autem plerumque & ex naturæ commodo, quod genus non abortus, sed partus nominatur. Ac medicamenta qui-
C dem quæ vel abortum prouocant, vel alio quopiam affectu fœtum perimunt, vel aliquas membranarum eius corrumpunt, ea nimirum sequuntur abortus. Iidem incidunt, & cum vterus ex distensione male est affectus; ipsius vero fœtus vehementissimis motibus succedunt partus, veluti ab Hippocrate recte est dictum. Communis autem omnibus his affectibus ipsa est offensio, atque huius ipsius triplex est caussa, aut moles nimia, aut pondus aliquod, aut morsus. Moles, vbi amplius distendi vterus non tolerat; pondus, cum supra vires eius sit quod continet; morsus, vbi vel humores qui prius in membranis continebantur, his ruptis in ipsum vterum sunt effusi; vel etiam totus partus corruptus & putris, ac in noxiam saniem dissolutus, vteri tunicam eius occasione irritat, ac
D mordet.

In vtero similiter ac in ventriculo & vtraque vesica, retentrix & expultrix facultas agere solet. Retinet enim vterus fœtum, donec ab ipso offendatur; semel autem offensus fœtum foras propellit: idque vel sponte naturæ, vt in partu; aut violenter, vt in abortu. Partus autem & abortus vnica est caussa cōmunis, nēpe vteri offensio, quæ facultatem vteri expultricem irritat. Offensionis vero triplex est caussa, moles, pōdus, & morsus. Moles ad vteri capacitatē refertur, nā quādo fœtus ad tātā peruenit magnitudinē, vt eū amplius vterus capere nō posit, irritari solet expultrix. Pōdus ad vteri vires potius quā ad capacitatē pertinet, quia licet vterus distendi amplius posit, si tamen imbecillis sit viribus, fœtus ipsius

pondus sustinere nequit. At morsus perpetuo fit a prauis acribusque excrementis, quæ in vterum effunduntur. In partu itaque tres simul offensionis caussæ plerunque conueniunt, nam & a nimia fœtus mole vterus distenditur, & grauatur pondere, & a fœtus vrina atque sudore, quæ amnio & allantoide in partu disruptis in vterum effunduntur, necessario mordetur. Ab eisdem caussis fit etiam abortus, potissimumque a pondere & morsu, siue a caussa externa abortus fiat, siue interna. Ac externæ quidem abortus caussæ plures esse possunt, vt ictus, casus, inedia, venæ sectio, & purgatio, Galenus tamen medicamentorum dumtaxat hoc loco meminit, quæ vel abortum prouocant, vel fœtum perimunt, vel ipsius membranas corrumpunt: quorum exempla consulto nunc prætérimus, ne quispiam Medicinæ ignarus his temere abutatur. Est autem id externis omnibus caussis commune, vt medio pondere, aut vteri morsu abortum faciant. Siquidem inedia, purgatio, & venæ sectio, communi vacuationis ratione, ob alimenti defectum fœtum enecant auctore Galeno; mortuus vero, vel ex nutrimenti defectu imbellicior redditus fœtus, graue iam onus vtero efficitur. Ictus quoque & casus aut fœtum lædunt, aut cotyledones vel membranas disrumpunt: quo fit vt grauetur vterus, aut mordeatur. Porro internæ abortus caussæ vel sunt animi vel corporis affectus: atque hi aut solius vteri, aut fœtus, aut ipsius etiam prægnantis. Atque huius quidem plures esse possunt, potissimum tamen febris acuta, in cuius curatione & tenui victu, & venæ sectione vti cogimur, quæ aut fœtum perimunt, aut saltem imbecilliorem reddunt: proinde enim dictum est ab Hippocrate, Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi perniciosum. Fœtus vero multifariam afficitur, maxime tamen si corrumpatur ac putrescat, & in noxiam saniem dissoluatur; tunc enim vterum mordendo irritabit. Vnde intelliges, non semper exspectandum esse in abortu, vt foras prodeat fœtus propriam fœtus formam speciemque retinens, nonnumquam enim putrescens in noxiam saniem totus dissoluitur, vt inquit Galenus hoc loco. Tandem vteri affectus, varii illi quidem ac multiplices, abortum faciunt; qualis ille est cuius in aphorismis meminit Hippocrates, dicens, Quæ vero mediocriter corpulentæ abortum faciunt secundo mense, aut tertio, sine occasione manifesta; his cotyledones lentoris sunt plenæ, nec præ pondere fœtum continere possunt, sed abruptis decidit.

A B C (margin section letters)

Lib. 5. Aphor. com. 30. & 34

Aphor. 31. li. 5.

Aphor. 45. li. 5.

Ergo in omnibus instrumentis tum opera naturalia, tum etiam affectiones morbiq. singuli ad portionem fieri videntur; quædam adeo euidenter & clare, vt nullam demonstrationem eorum vllum desideret; quædam magis obscure, sed ita tamen, vt eos qui attenti sunt latère nō possint. Atque in ventre quidem non solum morsus qui propter eius plurimum sensum est manifestus, sed etiam alii affectus,* tum qui nauseam in eo excitant, tum qui* καρδιωγμοὶ *vocantur, manifeste segregatricem expultricemq. alienorum vim indicant. Ad eundem modum in vtero, & ea quæ lotium recipit vesica; quippe hæc quoque humorem excipere ac colligere hactenus cernitur, quoad vel multitudine ipsa distenta, vel qualitate demorsa, nequeat amplius pati. Siquidem excrementa singula si moram in corpore diutius trahant, putrescunt, alia spatio breuiore, alia longiore; itaque mordacia & acria, atque iis qui ea continent infesta redduntur.*

D

* παθημάτων.

* παθήματα.

At

A *At non in ea vesica quæ iecinori subest similiter se habet, vt quæ neruorũ plane sit expers. Debet autẽ hic quoq; naturæ contemplator similitudinẽ ad portionem inuenire. Si enim demonstratũ est conuenientẽ eam succum attrahere, ita vt sæpe cernatur plena, eundemque hunc succum non multo interposito spatio excernere, necesse est eam vel multitudine succi pressam, vel ex qualitate eius in mordacem acremque mutata offensam, expulsionem desiderare. Non enim profecto cibi ipsi adeo celeriter priorem qualitatem deponunt, vt protinus quam in tenui a intestina descenderint, stercus fiant; bilis autem non multo magis vel lotium, postquam a venis semel exciderint, qualitatem mutant, celerrime alterascentia &*
B *putrescentia. Atqui si tum in iis quæ in vtero sunt, tum ventriculo, tum intestinis, superque in vesica ea quæ lotium recipit, luculenter apparet vel tensio quæpiam esse, vel morsus, vel pondus, quod singula instrumenta ad expulsionem proritat; non magno negotio id in bilis quoque vesica intelligas, æque scilicet vt in reliquis instrumentis omnibus, quorum è numero tam arteriæ, quam venæ sunt.*

Tensio, grauitas, & morsus, a quibus dictum est irritari facultatem expultricem, in quibusdam naturæ instrumentis euidentissima sunt, in aliis vero obscuriora esse solent. Ac in ventriculo quidem, intestinis, vtero, & vesica lotii euidentissima esse solent; tum quod horum instrumentorum
C actiones euidentes sint, cum potissimum quod exquisito sensu sint prædita. In vesica autem bilis, arteriis, & venis, & quod ipsorum actiones sensum effugiant, & quod sensum hebetiorem habeant, obscurius deprehenduntur. Quod vterus a fœtus magnitudine distendatur, aut pondere grauetur, aut ab excrementis mordeatur; tum partus, tum abortus indicat, vt antea diximus. Ventriculum autem a multitudine ciborum grauari, aut distendi, aut a prauis acribusque excrementis morderi, quotidiana monstrat experientia, & ea quæ sequuntur symptomata, vt nausea, morsus, & καρδιωγμὸς. Quo loco morsum & καρδιωγμὸν distincta statuit symptomata, forte quod morsus symptoma sit & pluribus aliis partibus, & toti ventriculo commune, καρδιωγμὸς vero solius orificii ventriculi, quod Græci καρδίαν etiam vocant. Iam vero & vesica quæ lotium recipit, vel a lotii
D multitudine distenta, vel grauata, vel a mordaci ipsius qualitate demorsa, ad excretionem irritatur. Prauam autem qualitatem lotium contrahit, vel ex acrium excrementorum permistione, vel ex diuturna mora. Est namque id omnibus excrementis commune, vt si moram aliquando in propriis traxerint conceptaculis, corrumpantur; vt pote quæ cum partibus sint inutilia, a natura non amplius gubernentur. Vnde etiam fit, vt stercus & vrina in sanis etiam corporibus fœtore participent. Ex his itaque instrumentis de reliquis omnibus ratiocinari oportet, similiaque in illis ad portionem inuenire symptomata, etiam si sensum plerumque lateant; veluti in vesica bilis. Hæc namque attrahit ad se bilem, eamque nõ multo interposito spatio excernit ad ecphysin; vnde recte supra collegimus Cap. 9.

vesicam non nutriri bile. Excernit autem bilem vesica, cum primum bilis copia grauatur, aut distenditur, vel praua mordetur qualitate. Hæc tamen symptomata in vesica bilis obscurius multo deprehenduntur, quoniam vt Galenus ait, neruorum plane est expers. Sed quomodo vesicam bilis neruorum expertem esse ait, cum duos neruos accipiat ex sexto pari neruorum cerebri? Sunt qui dicant, vesicam dici expertem neruorum, non quod neruis omnino careat, sed quod expers sit neruorum apparentium. Alii non simpliciter neruorum expertem dici volunt, sed collatione facta ad vesicam lotii, quæ multos insignesque neruos accipit ex osse sacro. Pendet tamen huius loci explicatio ex Greca dictione ἥκιστα, qua vtitur Galenus sic scribens, ὧ δῆλον ὅτι νεύρων ἥκιστα μετέχει: quamuis pro ἥκιστα legisse videatur ἕκαστα Nicolaus Calaber, qui locum hunc ita conuertit, Quo manifestum, quod neruis singula participent. Reliqui tamen interpretes legunt ἥκιστα, quam vocem sic interpretantur, vt neget omnino, idemque significet quod οὐδαμῶς, id est minime seu nullo modo. Nam Leonicenus sic transfert, Vnde manifestum fit, quod neruos minime participat: quem etiam sensum reddit Linacer, dum ait, Vt quæ neruorum plane sit expers. Mihi tamen illorum sententia magis probatur, qui vocem illam ἥκιστα non omnino negare, sed idem potius quod ἐλάχιστα, id est minimum, hoc loco significare affirmant: nam & hac significatione vsum fuisse aliquando Hippocratem ipsemet Galenus fatetur. Erit itaque hoc pacto facilis simul & verus huius loci sensus, in quo hanc rationem reddit, cur in vesica bilis obscura fiant symptomata, quia scilicet neruorum minimum est particeps, id est quia minimos habet neruos, propterea que exquisitum non habet sensum. Porro quæ ratio est vesicæ bilis, eadem prorsus est venarum & arteriarum, in quibus obtusus quoque sensus reperitur, & obscura fiunt symptomata.

A

B

Lib. 3. de rat. vict. in mort. acut. com. 61.

C

CAP. XII.

IAM nec illud difficile compertu est, & tractum & expulsionem diuersis in temporibus per eundem meatum fieri; si modo ventris stomachus quam gulam vocamus, non cibos tantum potionemq; in ipsum ducere, sed etiam in nauseis contrario fungi ministerio cernitur. Etiam vesicæ quæ sub iecinore est collum cum vnũ sit, tamen per se vesicam non solum implet, sed etiam vacuat. Vteri præterea stomachus quod collum appellamus, pari modo sicut intro seminis, ita foras partus via est. Verum hic rursus expultrix facultas euidens est, tractrix æque atque illa vulgo non liquet. Verum Hippocrates imbecilli vteri ceruicem culpans ait, Non enim potest »
eius collum semen intro trahere. Erasistratus vero Asclepiadesque eo sapientiæ »
processere, vt non solum vterum & ventriculum eiusmodi facultate priuent, sed etiam ipsam quæ sub iecinore est vesicam, atque etiam renes: quamquam non posse aliam vel vrinæ vel bilis segregandæ caussam reddi, in primo libro a nobis est monstratum. Ergo cum & vterum, & ventrem, & eam quæ hepati subest vesicam, non trahere modo, sed etiam a se pellere per vnam eandem-

D

A *eandemque viam videamus; mirari non debemus, si etiam per venas in ventrem natura nonnunquam expellit.*

Docet tandem, contrarios naturæ motus, quales sunt attractio & expulsio, per vnum eundemque meatum sæpissime fieri; idque non solum in morbosis affectibus, verum etiam nobis bene habentibus. Id verum esse confirmat exemplo ventriculi, vesicæ bilis, & vteri, quorum actiones euidentiores esse solent. Per quem itaque stomachum cibum & potum attrahit ventriculus, per eundem in vomitu quę antea deglutierat foras expellit. Is autem ventriculi stomachus, pars illa est, quam Græci proprio nomine œsophagon, Latini vero gulam appellant. Ita & vesica bilis cum vnicum habeat collum, per id sane bilem attra-
B hit ex iecore, & eandem postea expellit ad ecphysin. Ac tandem vterus per suum stomachum (propriam scilicet ceruicem) & semen in coitu attrahit, & fœtum in partu foras propellit. Cumque hoc loco ventriculo & vtero stomachum tribuerit, certum est, stomachum nullius priuatim particulæ nomē esse, sed multis commune, vt supra annotauimus. Atqui ex vtero, vesica bilis, & ventriculo, de reliquis instrumentis iudicium ferre oportet, quæ obscuriores functiones edunt, quales potissimum sunt venæ & arteriæ. Proindeq; absurdum non erit, per easdem venas noxia excrementa ex iecore expelli ad ventriculum & intestina, per quas nutrimentū ex ventriculo & intestinis ab hepate attractum fuerat.

Illud vero multo etiamnum minus est mirandum, si per quas venas a ventre
C *in iecur facta est digestio, rursus ex iecinore in ipsum trahi aliquod alimentum in longiore inedia potest. Quippe eiusmodi effectis fidem abrogare, simile profecto est ac si quis purgantia medicamenta, per quæ ora facta prius est digestio, per eadem neget ex toto corpore in ventrem proprios succos trahere, sed alia digestionis, alia purgationis requirat ora. Atqui si vnum idemque os, geminis quæ in contrarias partes diuersis temporibus trahant potentiis subseruit, prius quidem ei quæ est hepatis, purgandi vero tempore ei quæ est medicamenti; quid miri est, in his venis quæ medium spatium inter iecur & partes circa vētrem occupant, duplex esse ministerium atque vsum, ita vt cum in his abundantia fuerit alimenti, per iam dictas venas sursum feratur in iecur; cum autem vacua sunt,*
D *nutririq; auent, per easdem ipsas ex hepate rursus trahatur? Siquidem totum ex toto trahere, ac toti impertire, vnaque omnium confluxio ac conspiratio esse videtur, quēadmodum admirabilis Hippocrates dixit. Ac trahit quidem id quod est valentius, vacuatur autem id quod est imbecillius. Porro valentior imbecilliorque altera quam altera particula est, vel absoluto sermone, naturaque, & communiter in omnibus; vel priuatim huic cuipiam talis efficitur. Et natura quidem, omnibusque tum hominibus, tum animalibus, communiter cor quam iecur, & iecur quam intestina & venter, item arteriæ quam venæ, tum quod vtile est ad se trahere, tum quod diuersum ab hoc est, a se pellere magis*

 valent.

valent. Et priuatim in vnoquoque nostrum alio tempore iecur valentius trahere potest, alio ventriculus. Quippe vbi in ventriculo copia alimenti est, ac iecur vehementer appetit, desideratque omnino, id valentius trahit; inuicemque iecinore referto ac distento, ventre vero appetente ac vacuo, valentior trahendi vis in hunc transfertur. Tamquam enim si manibus cibos aliquos tenentes, alter ab altero eos raperemus; si pari quidem modo his egeremus, superare valentiorem par esset; si autem esset hic expletus, ac propterea negligenter quæ superuacua essent teneret, aut etiam alicui impertire studeret, imbecillior autem vehementer appeteret, nihil obstaret quo minus ipse cuncta caperet; itidem venter ex iecinore facile trahit, cum hic quidem vehementer nutriri appetit, illud nutrimento est plenum. Estque nõnumquam quo minus animal esuriat caussa, nutrimenti in iecinore abundatia. Quippe venter si melius paratiusque nutrimentum habet, externum non postulat; sin aliquando postulat, nec eius copia est, excremẽtis impletur. Eæ sunt sanies quædam biliosæ, pituitosæque, atque serosæ, quas solas trahenti illi, cum scilicet nutrimenti indiget, iecur remittit. A B

Per easdem venas contrarios fieri naturæ motus, & mutua nutrimenti attractio quæ a diuersis corporis partibus fit, & mutua excrementorum expulsio aperte declarat. Quemadmodum enim purgantia medicamenta (quæ vim habere familiarium succorum attractricem libro primo demóstrauimus) per easdem venas attrahunt, per quas nutrimentum secundum naturam digeritur; ita absurdum non est, venas quæ inter iecur & ventrem sunt, duplici facultati attractrici quæ in contrarias partes diuersis temporibus trahat, vsum præbere. Quo fit, vt per venas mesaraicas per quas ex ventriculo & intestinis facta est nutrimenti digestio trahente iecinore, ex hoc rursus aliquod alimentum (nempe sanguis) ab ipsomet ventriculo attrahatur. Id quod in longiore inedia fieri docet, significans scilicet (vt postea dicemus) tempore tantum inediæ ventriculum nutriri sanguine. Mutuam hanc nutrimenti attractionem quæ à diuersis partibus diuersis temporibus fit, innuit Hippocrates his verbis, „In extremam superficiem alimentum intrinsecus peruenit, & forinsecus alimentum ex extrema superficie ad intima peruenit: confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia. In hac vero quæ ex partibus quibusdam in alias partes fit nutrimenti attractione, eas vincere, ab aliisque attrahere necesse est, quæ valentiores fuerint; eas autem vinci ac inaniri, quæ fuerint imbecilliores. Atqui robustiores aut imbecilliores bifariam dici possunt, vel quod tales sint ex sua natura, vel quod priuatim hoc tempore tales efficiantur. Et sua quidem natura cor iecore robustius est, iecur ventriculo & intestinis: priuatim vero interdum fit, vt ventriculus aliquo tempore robustior sit iecore. Si igitur omnes corporis partes nutrimento pariter indiguerint, quæ fuerint robustiores, nutrimentum ex imbecillioribus attrahent; non enim fieri potest, vt ipsum imbecilliores ex valentioribus retrahant. Si vero partes valentiores nutrimento abundauerint, imbecilliores autem indiguerint; nihil plane obstat, quo minus imbecilliores nutrimentum valentioribus eripiant: veluti si ab eo qui C D

Lib. de alim.

cibum

A cibum manu teneat, conetur alter eundem vi eripere. Nam si vterque pariter cibo indigeat, valentiorem vincere necesse erit; si tamen qui valẽtior est abunde sit satiatus, proindeque negligenter cibum retineat, qui autem imbecillior est vehementer esuriat, proptereaque maiores in agendo adhibeat conatus; fiet profecto vt imbecillior tandem cibo fruatur. Idẽ ergo & corporis partibus accidere credendum est, nam si iecur & ventriculus pariter indigeant nutrimento, trahet haud dubie ex ventriculo iecur, quoniam valentius est. Si tamen iecur multo abundet sanguine, ventriculus contra nutrimenti penuria laboret; nihil profecto prohibet, quominus ventriculus (alioqui imbecillior) sanguinem ex iecore trahat. Atque id inquit Galenus in caussa esse, cur animal interdum non esuriat, licet cibum non assumpserit; ventriculus namque si melius paratiusque nutrimentum habeat, externum non postulat. Quo loco ad-
B uerte, sanguinem dici melius paratiusque ventriculo nutrimẽtum, non quidem chylo, sed externis dumtaxat alimentis. Est enim chylus (vt sequenti capite dicemus) proprium ventriculi nutrimentum, is vero ex sanguine facilius multo gignitur quam ex cibis externis, rudibus adhuc & inelaboratis. Quare si liceret ventriculo sanguinem semper ex iecore attrahere, externos cibos numquam appeteret: sed quoniam iecur eo dumtaxat tempore sanguinem permittit à ventriculo trahi, quo nutrimento plurimo abundat; cogitur ventriculus externis cibis repleri. Alioqui si esuriens neque ex iecore sanguinem trahat, neque externa capiat alimenta, prauis quibusdam excrementis biliosis, pituitosis, aut serosis, necessario repletur: hæc enim tantum attrahi sinit iecur ventriculo valentius, sanguinem vero sibi necessarium retinet.

C

Ergo sicuti inter se particulæ altera ab altera nutrimentum trahunt; ita altera in alteram quod superuacuum est a se deponit. Et sicut trahentium ea vicit quæ erat valentior, sic & a se deponentium; estque hæc vocatarum fluxionum caussa: habet enim particula quæque natiuum quoddam robur, quo quod superuacuum est persequitur. Vbi igitur earum aliqua affectus cuiuspiam occasione imbecillior est reddita, ex omnibus in illam confluere quæ superuacua sunt est necesse. Ea namque, quæcumque pars valentissima est, in vicinas omnes reponit; earum rursus singulæ in alias quæ ipsis sunt imbecilliores; dein rursus illarum singulæ in alias; idque eatenus longissime procedit, quoad ex omnibus
D *fugatum superfluum, in vnam quampiam maxime imbecillarum procumbat: hinc namque in aliam transfluere nequit, vtpote nec valentiorum aliquo id recipiente, nec laborante ipsa a se pellere valente. Ceterum alibi, cum scilicet de affectuum vel generatione vel curatione agemus, abunde ex illis testimonia cepisse licebit iis quæ toto hoc libro recte sunt demonstrata.*

Mutua quoque ex partibus in partes excrementorum expulsio fierit solet, in qua non secus ac in mutua nutrimenti attractione, partem robustiorem vincere est necesse. Quemadmodum igitur in hac, pars quæ valentior est ex imbeçilliori nutrimentum attrahit; ita & in illa in partem imbecilliorem

quæ robustiores sunt excrementa deponunt. Atque hanc caussam inquit esse vocatarum fluxionum: quod quidem non ita accipiendum est, vt hæc sola sit fluxionum caussa (est enim præter hanc altera, nempe attractio, quæ à calore fit, vel dolore partis ipsius affectæ) sed quod caussa sit maxime præcipua & frequentissima: solent namque frequentissime excitari fluxiones ob robur partium transmittentium, & partium recipientium imbecillitatem. Incipit itaque à partibus valétioribus fluxio, quæ insita sibi facultate, quæ superflua sunt in partes imbecilliores vicinas expellunt, atque hæ rursus in alias, donec tandem ad eam peruentum sit, quæ vel ex sua natura, vel saltem eo tempore sit ceteris infirmior. In hac enim fluxio quiescit, quia cum imbecillima sit, in partes robustiores nequaquam potest noxiam fluxionem remittere. Sed de caussis fluxionis agemus accurratius in pathologicis, vbi etiam docebimus, quomodo dicatur dolor caussa attractionis. A B

Quod autem ostendere in præsenti propositum erat, denuo resumamus; non esse scilicet mirum, venire ex hepate in ventrem & intestina nutrimentum per eas ipsas venas, per quas prius ex illis in hepar subierat; multisq. eorum qui valentem exercitationem subito & prorsus dimiserunt, aut artuum aliquem præciderunt, sanguinem per intestina certis periodis simul plurimum vacuari, sicuti quodam loco Hippocrates dixit; nullo quidem corporis incõmodo, nisi quod præceleri impetu ipsum totum purgat, redundansque vacuat: per easdem scilicet venas intro latis superfluis, per quas antea in corpus fuerãt deducta. Porro in morbis natura non raro totum animal per easdem venas purgat, non tamen est ea vacuatio sanguinea, sed pro ratione infestantis succi. Ita nimirum & in cholæris per venas quæ ad intestinum & ventrem pertinent, totum vacuatur corpus. Existimare autem vnicum esse motus modum quo materiæ in corpore ferantur, ignorantis omnino est naturæ potentias, cum alias, tum vero eam quæ tractrici aduersa est excretricem; siquidem contrarias potentias necesse est contrarii sequantur motus. C

Ad institutum reuersus, ex dysenteria cruenta, diarrhœa, & cholæra morbo probat, per easdẽ venas fieri nutrimenti attractionẽ, & expulsionem excrementorũ. Dysenteria quidẽ cruenta (vt alibi diximus) copiosa est sanguinis deiectio ex eiusdem redundantia ortũ habẽs. Quo fit, vt iis potissimũ familiaris esse soleat, qui validã exercitationẽ subito prorsusq. omiserunt, aut quibus artus quispiã abscisus est: sunt enim vtriq. morbis ex plenitudine ortis maxime obnoxii, quod totus ille sanguis qui per exercitationes dissipari, aut in abscisi membri nutritionem absumi consueuerat, sensim in vasis colligatur. A quibus sane morbis sæpe natura hominem liberat, dum copiosam sanguinis vacuationem molitur, vt fit in dysenteria cruenta, quam Hippocrates simpliciter dysenteriam appellat. In hac igitur redundantem sanguinem ex iecore & venis per eadem vasa ad intestina depellit natura, per quæ antea chylus ex ventriculo & intestinis distributus fuerat ad iecur. Idem ostendit diarrhœa, (id est alui profluuiũ) non ea quæ ex ciborũ cruditate aut corruptione nascitur (quã propterea ventralem practici appellant) sed altera quæ humoralis iisdẽ dicitur, quæque a prauis humoribus vasa irritantibus, ad intestinaque depulsis ortum habet. In hac enim D

Lib. de nat. hõ. com. 32.

Lib. 4. de art. sent. 40.

certum

A certum est per venas mesaraicas ex hepate & vasis viciosos humores depelli,cũ
antea per easdẽ nutrimentum ad iecur digestũ fuisset. Postremo cholæra mor-
bus,quæ vacuatio est ex diarrhœa & vomitu composita,idem aperte cõfirmat.
Cũq. hęc non secus ac diarrhœa,vel fiat irritato ventriculo à crudis corruptis-
ue cibis, aut vasis humorum ácrimonia demorsis ; de hac posteriore sermonem
hîc haberi perspicuum est:hæc namque per venas ad intestina & ventriculum
pertinentes vniuersum corpus euacuat. Ex quibus omnibus recte concludit,
diuersos,& interdum cõtrarios esse motus,quibus per easdem vias materiæ fe-
runtur ; siue quæ mouetur materia vtile sit nutrimentum , siue noxium excre-
mentum.

B *Singulæ enim particulæ vbi conuenientem succum attraxerunt,deinde ex re-
tento fructum ceperunt, totum quod superfluum est, quam possunt celerrime cõ-
modissimeque, pro superuacui ipsius huc illucue momento , abiicere properant.
Eoq. ventriculus quod excremẽtorũ in eo fluitat , per vomitionẽ expurgat;quod
subsidet,alui deiectione: atq. id est quod animal esse nauseabundũ dicimus, ven-
triculum scilicet vt per vomitum vacuetur impetum capessere. Ergo tantam vio-
lẽtiam vehementiãque excretoria vis obtinet , vt vbi in morbo quem εἰλεὸν Græ-
ci vocant, transitus omnino præclusus est, vomatur stercus: quamquam nisi tra-
iecto tum tenui intestino toto,tum ieiuno,tum pyloro, ventriculoque ac gula,om-
nino nequeat per vllius os eiici tale vllum excrementum. Ergo quid miri est , si*
C *etiam ab vltima corporis parte quæ ad cutem est, ad ipsa vsque intestina & vẽ-
triculum aliquid translatum peruenit? Quod ipsum quoque Hippocrates nos do-
cuit, scilicet non spiritum modo aut excrementum, verum etiam nutrimentum ip-
sum, ab vltima & summa corporis parte, eo vnde primum ascẽdit rursum defer-
ri. Quippe minimum momẽtum expultricem facultatem huc vel illuc impellit, vt
quæ per transuersas fibras functionem suam obeat, ocyssimeque ab eo vnde pri-
mum est mota, ad eum qui contra positus est finem, tradatur. Non est ergo nec a
ratione alienum, nec eiusmodi quod fieri nequeat, si pars ea quæ ad cutim est , in
solito interim frigore subito stipata, vbi & imbecillior est reddita, & quem prius
citra offensam inspersum habuit humorem , vt onus potius quam præparatũ ali-*
D *quid ad nutritionem sustinet, eoque pellere a se studet , simul autem via quæ fo-
ras fert, densitudine est interclusa; alienum inquam non est , si ad eam quæ intro
fert conuertitur. Itaque quod offendit, in vicinam sibi particulam violenter coa-
ctum amolitur, atque illa rursus in eam quæ sibi proxima est, neque id fieri desi-
stit, quoad translatio ad interna venarum ora finiatur. Ac tales quidem motus
celerius cessant , qui autem ab internis partibus irritant, veluti in medicamento-
rum purgatione ac cholæris , hi & vehementiores fiunt & diuturniores; durãtq.
dum affectus qui in vasorum finibus est, qui scilicet quod vicinum est trahit, per-
manet. Hic namque in continentem vacuat particulam , illa rursus in eam quæ
sibi proxima succedit, nec finis, quoad peruentum ad vltimum est exitum : ita vt*

particulis quæ deinceps sunt positæ, altera semper alteri impartientibus, primus affectus ocyßime ad vltima perueniat. Sic igitur se habet & in ileo, ipsum enim quod phlegmone laborat intestinum, nec pondus, nec acrimoniam tolerat excrementorum, eoque excernere, expellereque ea quam longißime a se nititur: prohibitum vero deorsum persequi, (cum scilicet hoc loco grauißima pars phlegmones fuerit,) in proxima suprapositorum intestinorum extrudit. Itaque iam excretricis facultatis momento per continuum intestinum sursum verso, excrementa vsque ad os ascendunt. Atque hæc quidem in tractatione de morbis fusius prosequemur. A

Quod varii & interdum contrarii fiant in corpore materiarum motus, hactenus dixit; nunc autem docet, fieri eiusmodi motus, pro vario earundem materiarum in varias partes momento ac impetu. In hanc vero aut illam partem materia inclinat, vel pro ipsius natura, vel partium ipsarum affectione. Nam si pars doleat, aut imbecilla sit, aut interclusa sit via per quam excrementa secundum naturam excerni consueuerant, facile eo feruntur excrementa. Hæc autem si calida fuerint & tenuia, partes superiores; si crassa & frigida, inferiores petere solent. Atque is sane excrementorum motus diligenter medico obseruandus est, vt ipsum vel iuuare, vel prohibere possit, vel etiam omnino sinere. Ac sinere quidem conuenit, quando a robusta natura noxii humores cum animalis commodo excernuntur, vt fit in naturæ iudiciis. Nam quæ decernuntur, decretave sunt iuste, nec mouere, nec aliud quidquam nouare, seu medicamentis, seu aliis irritamentis fiat, sed omittere, vt inquit Hippocrates. Iuuare autem, quando natura incohatam vacuationem perficere non potuit; tunc enim nisi quod deficit medici industria suppleatur, aut non soluetur morbus, aut exspectanda est recidiua, iuxta illud Hippocratis, Quæ post crysim relinquuntur, recidiuos morbos facere consueuerunt. Prohibere vero ac impedire, quando humorum impetus immodicus est, vel vtcumque aliter noxius; quo tempore humorum fluxum cōpescimus, atque reuellimus ad contraria. Quippe si mulieri placet menstrua sistere, cucurbitulam quammaximam ad mammas (vel potius sub mammis) appone. Et mulieri sauguinem euomenti, menstruis erumpentibus solutio fit. Sed & ad humorum purgationem recte instituendam magna eius motus habenda ratio est, quo suopte impetu humores ipsi feruntur. Ducēdus enim qua repit humor, per conuenientes regiones; & quæ educere oportet, quoquo maxime vergere videbuntur ducere, viis ac locis vtiliter eo ferentibus. Neque vero alia ratio est, cur æstate superiorem potius, hyeme inferiorē ventrem purgare Hippocrates præcipiat, quam quod flaua bilis æstate redundans, & vniuersa omnino animalis natura, propter ambiētis aëris calorem sursum magis moueatur. Contra vero melancholicos infra vehemētius purgandos esse iubet, quia ob crassitiem & grauitatem humor melancholicus deorsum fertur. Cum itaq. tanti momenti sit humorum motum expendere, merito nunc docet Galenus ventriculi & intestinorum exemplo, pro vario excrementorum momento multiplicem sequi vacuationem. Ventriculus namque & per vomitum, & per alui deiectionem expurgatur; per vomitum quidem, si ad ventriculi orificium excrementa ferantur; per deiectionem vero, si ad ventriculi fundum decumbant. Intestina quoque quamuis deorsum expurgentur secundum naturam

[Margin: B; C; Aphor. 20. lib. 1.; Aphor. 12. lib. 2.; Aphor. 50. lib. 5; Aphor. 32. lib. 5.; Lib. de humo.; Aphor. 21. lib. 1.; D; Aphor. 4. lib. 4.; Aphor. 9. li. 4.]

A naturam, interdum tamen impetum ad superna capiunt, vt in perniciosissimo illo accidit symptomate, quod Græci εἰλεόν, Latini voluulum vocant: in quo intestina naturali expulsionis motu priuantur, quod stercori transitus ad inferna sit præclusus. Et quamuis vnicam huius symptomatis caussam videatur Galenus in præsentia statuisse, nempe intestini phlegmonem, quæ ipsius cauitatem comprimat; alterã tamen alibi concedit, nempe induratum stercus, quod intestini cauitatem obturet. In hoc itaque symptomate cum facultas intestinorũ expultrix ad excretionem irritata, ob intestini compresionem vel obstructionem stercus deorsum detrudere nequeat, impetum ad superna capessere cogitur, donec tandem ingrauescente malo ex tenui intestino ad ieiunum, ex ieiuno ad duodenum, ex hoc rursus ad ventriculum stercus ascendat, ex quo tãdem per œsophagum foras euomatur. Ex iis quæ in intestinis manifeste fieri cernuntur, de obscurioribus aliarum partium motibus raciocinari licebit. Fieri enim

Lib. 3. de cau. sympt. cap. 2. & lib. 6. de loc. affect. cap. 2.

B aliquando potest, vt quæ in habitu corporis continẽtur excrementa, vomitu aut alui deiectione excernantur. Nam si pars quæpiã imbecilla plurima in corporis habitu excrementa collegerit, neque ea posit per habitum corporis libere excernere, quod is ab externo frigore sit vehementer constipatus; absurdum profecto non est, facultate expultrice impetum ad interna capiente, eiusmodi excrementa ad vasa refluere; rursusque ex his ad alia sibi vicina expelli, donec tandem ad interna vasorum ad ventriculum & intestina pertinentium ora peruentum fuerit. Ad eundem quoque mundum facultate attractrice ad agendum immodice concitata fieri aliquando potest, vt nutrimentum ex corporis habitu ad ventriculum & intestina retrahatur. Siquidem inanitus ventriculus ex proximis vasis sanguinem attrahit, hæc rursus inanita trahunt ex aliis,

C donec ad minima peruentum sit vasa, quæ singulis partibus sunt propria. Solent tamen leuiores esse & minus diuturni facultatis expultricis motus qui ab extima corporis superficie incipiunt; vehementiores vero & diuturniores qui ab internis partibus irritant, in quibus vna cum expultrice attractrix vehemẽtius agit; veluti in cholæra morbo, & purgatione immodica. In hac enim (vt alibi diximus) posteaquam familiaris humor sanguini innatans, a medicamento attractus fuerit, sanguis colliquatur & caro, medicamento scilicet succum sibi familiarem ex his violenter eliciente; quo fere iam vacuato, & alii excernũtur humores, irritata simul facultate vasorum expultrice, morsisq. ob medicamenti acrimoniam eorundem orificiis. In cholæra autem morbo expultrix vasorum facultas primum irritari consueuit, deinde vero attractrix, vbi vasa fuerint insigniter inanita. Atqui huiusmodi motus tamdiu durant, quamdiu permanserit affectus qui in vasorum finibus est, qui scilicet qnod vicinum est trahit. Qui

Lib. de nat. hõ. com. 30.

D sane affectus mordicatio est, quam extremis suis finibus vel à purgante medicamento, vel ab acribus humoribus vasa patiuntur. Efficit namque hæc mordicatio, vt inanita vasa ex aliis sibi vicinis trahant; ita vt primus affectus (scilicet inanitio) ad eas partes ocysime perueniat, quæ omnium vltimæ sunt, atq. in corporis habitu sunt positæ.

Ceterum quod ex toto in totum aliquid trãsferatur, mutuoque recipiatur, ac vna sit omnium (sicut Hippocrates prodidit) conspiratio atque confluxio, iam mihi videor clare indicasse. Quodque nemo, ne si tardus quidem illi sit sensus, de talium vllo etiamnum dubitet: qualia scilicet sunt, qua ratione vẽter intestinaq.

nutrian-

nutriantur; & quonam modo ab vltima corporis summa parte intro aliquid perueniat. Siquidem cum vniuersæ corporis particulæ attrahendi quod conueniens amicumque est, repellendi quod grauat, mordet ve, potentiam habeant; minime mirandum est, contrarios assidue motus in his fieri. Veluti tū in corde liquido cernitur, tū in arteriis omnibus, thoraceq; & pulmone. In his enim omnibus tantū non omni tēporis momēto, simul instrumentorū, simul materiarū contrarios motus euidēter fieri videas. An igitur de aspera arteria vicissim alias intro in pulmonē, alias foras spiritum transmittente non dubitas; pari modo nec de nasi meatibus & ore toto? Nec mirū etiamnum aut incredibile tibi videtur, si per quod spiritus paullo ante recipiebatur intro, per id nunc emittitur? De his inquam non dubitas, de venis quæ a iecinore in intestina & ventrem pertinent, dubitas? Mirumq. tibi esse videtur, si per easdem simul & digeritur nutrimentum in iecur, & rursus ab eo in ventriculū trahitur? Sane distingui oportet illud Simul vtro id modo dicas. Nā si eodē tēpore intelligas, ne nos quidem id cōcedimus. Quippe sicut alio in tēpore spiritū recipimus, alio rursus foras mittimus; ita alio tēpore iecur ex vētre alio venter ex iecore trahit. Sin quod in vno eodēq; animali vnū instrumentū contrariis materiarū motibus subseruit, hoc tibi Simul illud significat, idque te perturbat; age spiritus immissionem remissionemq; considera. Omnino enim hæ per eadem istrumenta fiunt, differunt autem motus, ac ferendæ per instrumenta materiæ modo. Pulmo igitur, & thorax, & arteriæ, tum aspera, tum læuis, & cor, & os, & nares, breuissimis temporum momentis tum ipsa contrarios sortiuntur motus, tum materias mutant. Quæ autem ex iecinore in intestina & ventrem pertinent venæ, non æque breuibus temporum spatijs, sed in multis diebus semel aliquando contrario funguntur motu.

Quamuis abunde hactenus demonstratum sit, per easdē omnino venas contrarios attractionis expulsionisq; motus fieri posse; nunc tamē extremo hoc capite idem rursus confirmat exemplo instrumentorum respirationis & transpirationis. Sunt autem trāspiratio & respiratio partim interse similes, partim dissimiles. Similes quidem, quoniā vtraque ex duobus contrarijs motibus est composita; respiratio namque ex inspiratione & exspiratione; transpiratio vero arteriarum dilatatione contractioneque perficitur. Præterea vt inspiratione externus aër attrahitur, exspiratione vero foras expurgantur fuligines; ita in trāspiratione dilatatis arterijs aër intro trahitur, contractis vero foras excernuntur fuliginosa excrementa. Sunt tamen dissimiles, quia respiratio animæ actio est voluntaria, transpiratio vero actio naturæ. Differunt quoque instrumentis, nam transpirationis instrumenta sunt arteriæ, eæque potissimum quæ finiuntur ad cutim; respirationis vero proprium organum est thorax, cuius motum sequitur pulmo, qui inspiratum aërem ex ore per asperam arteriam primus suscipit, quemadmodum cerebrum per nares. In his itaque instrumentis, & quæ per illa feruntur materiis, contrarios fieri motus quotidie experimur, cum in respiratione thorax & pulmo, in transpiratione arteriæ dilatentur simul & contrahantur,

suaq;

A suaq; dilatatione aërem attrahant, contractione vero fuligines expellant. Sed & meatus per quos eiusmodi feruntur materiæ, contrariis hisce motibus vsum simul præbent: per os namque, nares, & asperam arteriam, & aër in respiratione attrahitur, & fuliginosa excrementa expelluntur: per eadem quoque arteriarũ ora in transpiratione expurgantur fuligines, per quæ externus etiam aër attrahitur. Quemadmodum ergo in respirationis & transpirationis organis, & quæ per ea feruntur materiis, contrarios motus liquido cernimus; ita & per easdem venas & mutuam nutrimenti attractionem, & mutuam excrementorum expulsionem simul fieri concedere oportet. Sic autem illud Simul accipiendũ est, vt non vno eodemque tempore eadem instrumenta contrariis agantur motibus, sed in eodem animali vnum idemque instrumentum contrariis motibus subseruiat. Verum licet cum instrumentis respirationis & transpirationis in eo venæ conueniant, vt contrarios simul motus sustineant; in eo tamen est discri-
B men, quod transpirationis & respirationis organa breuissimis temporum spatiis contrariis agantur motibus, vt pote quæ conseruando cordis & reliquarũ partium calori sint necessaria; venæ autem quæ ex hepate in ventriculum & intestina pertinent, in multis diebus semel aliquando contrario fungantur motu. Is Galeni locus obseruatione dignus eo nomine videtur, quod ex eo colligatur ventriculum nutriri chylo, non sanguine, vt sequenti capite dicemus. Atq; hæc quidẽ ad facultates & actiones naturæ ministras pertinẽt, quas recte demõstrauit Galenus quattuor esse, attractricẽ, retẽtricem, cõcoctricẽ, & expultricẽ. Sed quoniam ex actionum numero numerus facultatum pendere videtur, plures alias naturæ facultates ministras constituendas esse forsan existimarit quispiam, cum præter attractionem, retentionem, concoctionem, & expulsionem,
C nutritioni quoque vsum præbeant familiaris nutrimenti appetentia, eiusdem appositio & agglutinatio, excremẽtorum secretio, & vtilis nutrimenti distributio. Quibus sane actionibus quinque facultates nutrici ministrantes respondẽt, appetẽs scilicet, apponẽs, agglutinãs, secernẽs, & distribuẽs. Sextã alij addunt quæ soli famuletur auctrici, quã ipsi dilatãtẽ vocãt. Has itaq; si quattuor demõstratis addiderimus, decẽ efficiẽtur naturales facultates ministræ. Quod attinet ad appetentẽ, sunt qui vnicã eã concedant, sunt etiã qui plures. Qui vnicã cõcedũt, de ministrantiũ numero eam esse negant, sed de earum potius numero quibus ministratur, esse affirmant: quãuis sentiant alij, facultatẽ quæ attrahit, eandem quoque quod familiare salutareque est, appetere. Qui vero plures statuũt, vnamquamque facultatem naturalem suam actionem tanquam perfectionem & finem appetere aiunt, proptereaque facultates appetentes ab attractice, retentrice, concoctrice, & expultrice, nequaquam distingui; quoniam appetitus
D non est actio ab operatione diuersa, sed ipsius operationis initium, aut in operationem propensio, aut terminus à quo incipiunt harum facultatum actiones. Hæc tamen mihi placere non possunt, nam (vt à prioribus exordiar) quænam sunt quæso naturæ actiones, quæ facultati appetenti ministrant? Immo cum appetentia attractionem, ceterasque naturæ actiones præcedat, ipsa potius aliis famulari videtur. Huc accedit, quod quattuor essent naturæ facultates principes, cũ tamẽ Galenus generatricẽ, auctricem, & nutricem dumtaxat agnouerit. Iam vero cum attractio actio sit ab appetentia specie distincta, fieri non potest, vt eadem facultas appetat, & attrahat: alioqui ex numero actionum male colligeretur numerus facultatum. Scio alicubi dixisse Galenum, facultatem attractricem familiares succos appetere, & attrahere; id tamen amico animo sic interpretari oportet,

Vega lib. 1. de art. med. cap. 5. Fernelius li. 5. de nat. par. medi. cap. 5. Peramatus lib. de ani. fac. c. 7.

Lib. 5. de loc. affect. cap. 7.

oportet,vt appetere dicatur facultas attractrix, quia appetentia magis coniuncta est attractrici quam ceteris facultatibus: cum appetentia (vt statim dicemus) attractricem excitet ad agendum. Postremo si appetentia actio non est, sed in actionem propensio, aut terminus à quo incipit actio, vt illi interpretantur, à nulla omnino facultate manare potest, cum sit facultas caussa actionis effectrix. Nullam itaque appetentem facultatem in corporis partibus concedimus, neq; enim appetentia facultatis cuiuspiam actio est, sed naturale quoddam pathema omnibus corporis partibus insitum. Nam vt cap. 6. dictum est, omnibus animalis partibus inesse debet desiderium quoddam, ac veluti appetentia conuenie̅tis sibi qualitatis; & auersio quædam, ac veluti odium alienæ. Immo & omnibus corporibus natura constantibus commune id est (vt recte sentit Vallesius) vt sui conseruationem appetant, quæ tamen priuatim in viuentibus nutrimento perficitur. Quo fit, vt partes viuentes cum primum inanitæ fuerint, insita sibi appete̅tia citra alicuius facultatis opem familiari nutrimento repleri desiderent, atque ad attrahendum excitentur. Nullam præterea facultatem apponentem fingere oportet, quoniam nutrimenti appositio nullius facultatis est actio, sed actionis potius finis, scilicet attractionis, vt hoc libro aperte docuit. Eandem agglutinationis rationem esse credimus, quæ sane concoctionis finis est, quemadmodu̅ attractionis appositio. Non enim ad solum substantiæ modum referenda est agglutinatio, vt falso voluit Vallesins, qui non secus partibus nutrimentum agglutinari censuit, ac cera agglutinatur pici. Nunquam enim durissimis solidissimisque ossibus sanguis agglutinabitur, immo neque aliis partibus affigetur citra concoctionis beneficium. Porro secretionem excrementorum, & nutrimenti digestionem naturæ actiones esse, & maxime insignes, constat ex superioribus; non tamen proinde facultatem secretricem & distributricem concedimus, quoniam a facultate attractrice & expultrice fieri superius demonstrauimus. Vnde factum est, vt seorsum Galenus eorum symptomatum meminerit quæ ad excrementorum secretionem læsam pertinent, cum excrementorum secretio actio quædam sit ex attractione & expulsione composita. Quod si alicubi Galenus vel ipsius interpretes facultatis secretricis aut segregatricis meminisse vide̅tur, facultatem expultricem his nominibus significari intellige. Ac tandem frustra facultatem dilatantem auctricis ministram quidam finxerunt, auctrix namque facultas est quæ solidas partes in trina̅ dimensionem distendit, vt libro primo demonstratum est: neque enim soli calori solidarum partium dilatatio deberi potest, vt dicebat Vallesius. Quæ cum ita sint, quattuor dumtaxat supersunt naturæ facultates ministræ, attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix: neque alias vnquam concessit Galenus, quidquid maledicus dicat Argenterius.

Lib. 2. contro. cap. 21.

Cap. 1.

Lib. de differ. sympt.

Cap. 6.
Com. in art. med. pag. 180.

CAP. XIII.

IC enim res tota se habet. Quoduis instrumentum quod iuxta se est nutrimentum in se trahit; quidquid vtilis est humoris hactenus ex eo depascens, quoad abunde sit expletum; atque id sicuti antea diximus, in se recondit, postea vero id tum sibi agglutinat, tum assimilat, id est nutritur. Definitum enim abunde supra est, aliud quoddam a nutritione opus quod ipsam necessario præcedat, agglutinationem esse,

A *esse, προσφυσις Graeci dicunt; sicut etiam illa priorem appositionem, quae Graece πρόσθεσις dicitur. Ergo sicut animalibus ipsis edendi finis fit ipsa ventris impletio, sic particularium quaeque apponendi sibi finem facit, cum conuenienti humore est repleta. Cum itaque particula quaeque similiter ventri appetat, vtique & nutritur, & nutrimentum amplectitur, ad eundemque quo venter modum id vndique constringit. Consequitur autem necessario hoc opus, vt cibi quidem ceu prius est dictum concoquantur; ventre scilicet non idcirco circa illos se contrahente quo reliquis partibus eos reddat accõmodos, (sic enim non tam naturale esset organum, quam animal quod ratione menteque praeditum, quod melius est eligeret) verum ipse idcirco circa cibos se constringit, quod totum eius corpus &*
B *attrahendae propriae sibi qualitatis, & eadem fruendi (sicut ante mostratum est) vim obtineat; accidit vero interim vt cibos alteret. Iam vero vbi impletus satiatusque eorum humore est, pro onere eos de cetero habet: ergo quod redundans est statim abiicit, ac deorsum trudit, ipse scilicet ad alind opus, nempe vt agglutinet, conuersus. Hoc in tempore nutrimentorum cum per tota intestina permeet, per vasa quae ad ea pertinent, rapitur; plurimum quidem in venas, exigua quaedam portio in arterias, ceu infra mox docebitur. Iam hoc tempore etiam intestinorum tunicis apponitur.*

C Quoniam nutritionis gratia quattuor illae actiones ministrae a natura sunt institutae, absoluta de his disputatione, de partium nutritione merito agit extremo hoc libro. Hoc autem capite nutritionis modum omnibus partibus commu nem, & quibus temporibus quae partes nutriantur, elegantissime explicat. Nutritionis modus ex iis quae hactenus demonstrata sunt, facile intelligitur. Quippe cum facultates quattuor ministrae vna cum principe nutrice singulis partibus sint insitae, attractrix omnium prima suo munere fungitur. Haec namque fami liare partibus nutrimentum attrahit; attractum amplectitur & apponit retentrix; appositum vero immutat concoctrix donec ipsum partibus agglutinarit; ac tandem nutrice totum opus perficiente, agglutinatum nutrimentum sibi partes assimilant. Haec tamen nutrimenti appositio, agglutinatio, & assimilatio, non vno eodemque tempore fit in omnibus corporis partibus. Ventriculus namque cum primum inanitus fuerit, naturali sibique insita appetentia
D cibis repleri desiderat. Cibos itaque in ore praemansos per oesophagum attrahit; attractos arctissime amplectitur ac retinet; eosdemque necessario immutat ac concoquit, totaque sui substantia sibi familiares reddit in chylum omnino conuersos. Atque haec sane omnia circa cibos ingestos molitur ventriculus, sui solius, non totius corporis gratia: neque enim animal est ratione praeditũ, quod reliquis partibus prospiciat, sed naturae dumtaxat instrumẽtum, quod reliquarum partium cura nullatenus tangitur. Negari tamen nõ potest, quin summa naturae prouidentia factum sit, vt tantum ciborum ventriculus concoquat, quantum & sibi, & reliquis partibus nutriendis futurum sit necessarium. Quo etiam pacto testes copiosius semen, & mammae copiosius lac gignunt quam propria nutritio postulet, vt & gignendo foetui materia, & alendo infanti nutrimentum suppeteret. Postquam vero cibos concoxit vẽtriculus, ipsorum hu-

more(id est chylo)impletur,ac satiatur;attrahens nimirum ex chylo a se confe-A
cto partem magis halituosam,eandemque retinens, ac tunicis suis firmissime apponens. Id autem quod reliquum est,tanquam molestum iam onus ad intestina depellit,ad aliud opus simul conuersus, ad concoquendum scilicet,agglutinandumque chylum tunicis suis appositum. Hoc eodem tempore tenuia intestina nutrimentum a ventriculo depulsum sibi apponunt, simulque trahit iecur per venas mesaraicas chylum in intestinis contentum: etiamsi exiguum quidpiã (vt dicemus)in arterias etiam distribuatur. Porro attractum chylum retinet,atque in sanguinem conuertit iecur,cuius meliorem partem assumens,propiæ carni apponit;& id quod reliquum est,ad venam cauam expellit. Ex hac vero in alias venas distribuitur sanguis, ex hisque rursus in alias, donec tandem ad propria partium vasa peruenerit,ex quibus sanguinem sibi familiarem singulæ partes trahunt,eundemque sibi apponunt,agglutinant,& assimilant. B

Ac mihi omnem iam naturæ circa nutritionem operam in tres temporum vices cogitatione partire: In prima quidem simul & manere id in ventriculo, & concoqui intellige,tum ventri ipsi ad saturitatem apponi,aliquid vero eius etiam ad iecur ascendere. In secunda transire id ad intestina, hisque ipsis & iecinori ad saturitatem apponi,tum portiunculam eius exiguam in omnem corporis partem ferri. Porro hoc tempore quod in primo est appositum,id ventriculo affigi intellige. In tertia vero temporis portione ventriculum quidem iam nutriri, iis quæ affixerat plane sibi assimilatis;affigi vero tam iecinori quam intestinis quæ his fuerant apposita;præterea in omnes corporis partes digestionem appositionemq; C fieri. Et post quidem si animal statim nutrimentum accipiat,rursus quo tempore id venter concoquit,eoque fruitur,quidquid vtile ex eo est tunicis suis apponens, hoc intestina quidem eum quem sibi affixerant succum, prorsus assimilabunt, pari modo iecur;in toto vero corpore partes nutrimenti quæ fuere appositæ affigentur.

Vniuersam circa partium nutritionem naturæ operam in tria tempora partitur. In primo tempore ingestos cibos ventriculus retinet,concoquit,& ad saturitatem sibi apponit. Quoniam vero satis multæ sunt in ventriculo venæ, fieri non potest quin hoc eodem tempore aliquid chyli ex ventriculo distribuatur ad iecur. In secundo tempore nutrimentum ad intestina descendit, & digeritur D
ad iecur, ipsique ad saturitatem apponitur,& exigua sanguinis portio in omnem corporis partem fertur. Quo etiam tempore nutrimentum agglutinatur vẽtriculo, quod in primo tempore ipsi fuerat appositum. In tertio tempore sanguis in iecore genitus,ad suique nutritionẽ minime necessarius, in omnes corporis partes digeritur,ipsisque apponitur;quo tempore necessarium est intestinis & iecori agglutinari nutrimentum in secundo tempore appositum,ventriculo autem assimilari in primo tempore appositum, & in secundo agglutinatum. His ita se habentibus si animal statim cibum capiat, noua in ventriculo fiet ciborum concoctio & fruitio;intestina vero & iecur nutrimentum sibi assimilabunt quod ante agglutinauerant;simulque quod prius sibi apposuerant, reliquæ omnes partes agglutinabunt. Atque ita fiet,vt veluti in choro quodam sibi mutuo, in di-

A in diuersis corporis partibus respondeant nutrimenti appositio, agglutinatio, & assimilatio. Sed illud difficile est quod dixit Galenus hoc loco, in tertio scilicet tempore, si animal cibum capiat, ventriculum rursus concoquere, & tunicis suis apponere. Nam si in tertio tempore nutrimentum est adhuc partibus appositum, neque esuriet animal, neque cibum capiet: cum eodem Galeno auctore, quattuor symptomata famem ipsam necessario præcedant, nempe partium inanitio, naturalis appetentia, suctio, & suctionis sensus. Cum itaque nulla adhuc præcesserit in partibus inanitio, vtpote quæ nutrimentum appositum tunctemporis retineãt, neque alia symptomata, neque fames sequetur. Vt rem hanc explicet Vallesius, ventriculum ait duas habere refectiones; vnam ex chylo, quem tunicis suis apponit; alteram ex sanguine, quem deferunt venæ per ipsius tunicas distributæ. Priorem inquit, antequam nutrimentum in partibus deficiat, compleri; alterã vero eodem tempore fieri, quo reliquæ etiam partes sanguine nutriuntur. Ex quibus colligit, ventriculum non esurire antequam partes sint inanitæ, quia perfecta priori refectione, altera statim sequitur. Peccat autẽ bifariam Vallesius, & quod duplicem ventriculi nutritionem frustra fingat, & quod neque concessa duplici nutritione, recte hunc locum explicet. Quippe cum affirmet Galenus, in tertio tempore nutrimentum assimilari ventriculo, agglutinari intestinis & iecori, & reliquis partibus apponi, & si animal statim cibũ capiat, ventriculum rursus nutrimentum concoquere, & sibi apponere, eodemque tempore intestina & iecur sibi assimilare, & reliquas partes sibi agglutinare; concedendum est necessario ventriculum appetere, antequam reliquum corpus fuerit inanitum. Nisi forte quis dixerit, citra appetentiam aliquam animal tunctemporis cibum sumpsisse; quod quidem a ratione, loquendiq. consuetudine veteribus familiari est omnino alienum. Annotauit namque aliquando Galenus, veteres ita loqui consueuisse, vt eos cibum non capere dicant, qui cibum fastidiunt; eos contra cibum capere, qui cibum appetunt, seque ad satietatem vsque replent. Multo igitur aliter ex ipsomet Galeno nodum hunc soluere oportet, qui duplicem famem, siue appetẽtiam statuit, naturalem, & animalem. Naturalis quidem & ventriculo, & ceteris corporis partibus communis est, quibus id a natura est insitum, vt cumprimum inanitæ fuerint, familiari succo repleri desiderẽt. Animalis vero propria est orificii ventriculi, quod proprium est eius appetentiæ organum. Porro vt fames animalis contingat, quattuor illa quæ supra memorauimus symptomata, necessario præcedunt; famem vero naturalem sola inanitio. Quamobrem quo tempore partibus apponitur, aut agglutinatur nutrimentum, fieri nulla ratione potest, vt in ipsismet partibus naturalis fames, aut in ventriculi orificio fames animalis reperiatur. Potest tamen fames naturalis ventriculo tunc accidere, cum eo tempore inanitus iam sit, præcedente scilicet nutrimenti assimilatione. Atque id sane nobis ipsis quotidie accidere experimur, qui sæpe cum appetẽtia cibis vescimur citra molestum suctionis sensum.

Lib.1. de caus. symp. cap. 7.

Lib. 5. contro. cap. 7.

B

C

Lib. 2 aphoris. com. 8.

Lib. 1. de cau. symp. cap. 7.

D

Sin autem venter manere sine cibo cogatur, hoc tempore a venis quæ in lactibus ac iecinore sunt, nutrimentum trahet, non enim ex ipso iecinoris corpore. Porro corpus iecinoris appello primum ac maxime ipsam propriã eius carnem, post hanc etiam singula quæ sunt in ipso vasa. Siquidem qui in quaque particula iam contentus est succus; hunc alteram particulam reuellere credibile non

 est,

est, maxime vbi iam agglutinatur, vel assimilatur; quod autem est in venarum finibus, id quæ magis valens simulq. indigens particula est, in diversum ad se reuellit. Sic itaque & venter quo tempore ipse nutrimenti est indigus, animal vero non comedit; hoc ab iis quæ in iecinore sunt venis, rapit. Quoniam autem & lienem prius monstrauimus quod in iecinore crassius est attrahere, præterea conficere, ac ad vtilius mutare; nihil ne hîc quidem miri est, ex liene aliquid trahi in singula quæ cum illo per venas societatem habent instrumenta; veluti in omentum, lactes, tenue intestinum, colon, & ventriculum ipsum. Ad eundem modum & in ventriculum alio tempore excrementum effundere, alio rursus ex ventre aliquid proprii illius nutrimēti attrahere. Vtq. summatim dicam (id quod prius iam dictum est) quodque ex quoque trahere, ac in vnumquodque mittere diuersis in temporibus potest. Estq. simillimum quod accidit, ac si multa animalia intelligas, quæ pabulum abunde in medio obiectum, quantum volunt pascuntur. Quippe quo tēpore alia intermittunt, eodem verisimile est alia comesse; alia præterea comesse desitura; item alia cum aliis simul edere; alia alternis vicibus; immo hercle alterum ab altero nonnumquam rapere, vbi scilicet alterum indiget, alteri abunde est obiectum. Atque ita mirum nō est, si ab vltimo & summo corpore aliquid intro reuertitur; sed nec si ab iecinore & liene aliquid in ventriculū per ea per quæ ex hoc in illa prius subiit, defertur. A B

Si inanitus ventriculus sine cibo maneat, cogitur tunc temporis ex venis quæ in mesentærio & iecore sunt, nutrimentum attrahere; non tamen ex ipso iecoris corpore. Dicitur vero iecoris corpus propria ipsius caro, cui potissimum debetur sanguinis generatio: vasa namque quæ in propria iecoris carne reperiuntur, cum partes communes sint, proprium iecoris corpus dici non possunt. Porro cur ex venis tantum, non autem ex carne iecinoris, ventriculus nutrimento indigens sanguinem trahat, hanc rationem reddit, quia scilicet credibile non est, eum qui in quaque particula contentus est succum, (qui scilicet extra vasa effusus, roris ritu partibus inspergitur) ab altera particula quæ aut valentior sit, aut nutrimento magis indigeat, reuelli, aut retrahi posse; maxime vbi iam agglutinatur, aut assimilatur. Quibus verbis videtur significare, quod agglutinatur, aut assimilatur nutrimentum, nulla ratione retrahi posse; quod tamen appositum est, trahi quidem posse, sed raro. Res tamen aliter habet, nam si purgantia medicamenta, in quibus (vt alibi diximus) attractionis motus validissimus esse solet, eos dumtaxat qui in vasis continentur humores, attrahere possunt; partes sane corporis, in quibus attrahendi vis multo quam in medicamentis est imbecillior, sanguinem extra vasa effusum, partibusq. appositum, retrahere non poterunt, nisi forte magna præcedēte vasorum inanitione, quæ proxima sunt vasa, propinquum qui ex ipsis nuper exciderat sanguinem, ad se attrahere cogantur. Quare dictio illa Maxime qua vtitur Galenus, non quidem significat, succū partibus appositum retrahi posse, sed indicat dumtaxat, si concedendum sit, succum qui in parte quapiam continetur, ab aliis partibus posse trahi; de solo eo qui apponitur, iuxta hanc hypothesim concedendum esse, non autem de eo qui agglutina- C D

Lib. de nāt. ho. com. 30.

A agglutinatur, aut assimilatur: is namque in partis substantiam conuertitur, ille vero firmissime adhæret. Neque vero ex venis tantum iecinoris, sed etiam ex liene sanguinem attrahet ventriculus, cum id commune sit partibus omnibus quæ vasorum societatem habent, vt & mutuo ad se aliæ ex aliis nutrimentum trahant, & mutuo quoque excrementa expellant. Cuius sane generis sunt partes fere omnes quæ sunt circa ventrem, vt ventriculus, intestina, mesentærium, omentum, & lien, quæ communes ex porta venas accipiunt. Porro quæ hactenus dicta fuerant de tribus nutriendarum partium temporibus, mutuaque nutrimenti attractione, aptissima multorum animalium similitudine illustrat, quibus pabulũ abunde obiiciatur. Siquidem quo tẽpore comedere quædã incipiunt, alia edendi finem faciunt; interdum quoque omnia simul cibum capiunt, & alia ab aliis cibum eripiunt. Ita & corporis partes cum ratione ne-B quaquam regantur, brutorum ritu præsenti nutrimento fruuntur, quo si destituantur, aliæ aliis solent nutrimentum eripere.

Hæc quidem pertinent ad huius capitis explicationem, ex quo pendet eius quæstionis profligatio, in quam non semel hoc libro incidimus, nutriatur ne ventriculus chylo, an potius sanguine. Quid vero de hac re senserit Galenus, ex iis potissimum quæ docuit hoc libro, facile intelligitur. Docuit autem Cap. 6. ventriculum conuenientes qualitates manifeste appetere, & alienas respuere, & quas expetit attrahere vt fruatur, frui vero cum retinet, ac vndique complectitur, & fruitionis finẽ esse, vt eius quod in qualitate conueniens est partẽ ali-„ quam capiat. Itaque inquit, quod in cibis optimum est, id halitus specie, & pau-„ latim sibi attrahit, atque in tunicis suis reponit, iisdemque adiungit. Vbi abun-„ de saturatus est, quidquid reliquum nutrimenti est, veluti onerosum aliquid re-C iicit, &c. Idem fere postea repetit his verbis. Ac venter quidem postquam Cap. 11. „ abunde cibis est satiatus, & quod vtilissimum sibi in his est, in tunicas suas su-„ gendo reposuit, tum quod reliquum est, tanquam alienum onus abiicit. Et Cap. 12. rursus agens de mutua nutrimenti attractione, per quas venas ex ventre facta est in iecur nutrimenti digestio, per easdem ex iecore aliquod alimentum in ventrẽ trahi posse in longiori inedia dixit. Quæ sane omnia apertissime demõstrãt, ventriculũ ex Galeni sentẽtia nutriri chylo. Quid enim aliud est, quod in cibis est optimũ, id halitus specie, & paullatim sibi ventriculũ attrahere, atq; in tunicis suis reponere, iisdẽq; adiungere? Quid aliud, vẽtriculũ cibis abũde satiari? Quid itidem aliud, per longiorem inediam ventriculũ ex iecore aliquod alimentum attrahere? Si namque ventriculus sanguine nutriretur, non chylo, non tantum in lõgiore inedia, sed quotidie potius nutrimentum attraheret ex D iecore. Neque aliud profecto innuit, cum venas quæ ex iecore ad intestina & ventrem pertinent, in multis diebus semel aliquando contrariis motibus fungi dixit. Nam si sanguine nutriretur ventriculus, eiusmodi venæ quotidie con- Ibidem. trariis motibus necessario fungerentur. Quid multa? nonne hoc eodem capite scripsit, non toti corpori, sed sibi ipsi ventriculum cibos attrahere, complecti, & concoquere? Nonne tria illa nutritionis tempora statuens aperte docuit, in primo tempore nutrimentum in ventriculo retineri, concoqui, & ad saturitatem apponi; in secundo vero ventriculo agglutinari, iecinori autem apponi? Atqui hæc constare nullo pacto possunt, nisi ventriculus alatur chylo. Quippe qui ventriculi nutritionem ex chylo, oblectationem quandam ex qualitatis cognatione & conuenientia, vel satietatem nutritionis

æmulam, potiusquam veram nutritionem esse asserunt, ipsimet Galeno aperte contradicunt. Quomodo enim vera nutritio non sit, si vt Galenus fatetur, chylũ propriis tunicis apponit, agglutinat, & asimilat? Partes namque quæ substantia attracta citra nutritionem fruuntur, tantũ abest vt eam sibi asimilent, vt ne agglutinent quidem; sed attractam dumtaxat retineant, donec vel copia, vel qualitate infestet; vt de vtraque vesica antea diximus. Quæ cum ita sint, nescio sane quomodo medicorum non pauci (e quorum numero est Fernelius) ventriculum sanguine potius quam chylo nutriri contendant, his rationibus persuasi. Ventriculus, inquiunt, venas accipit ex iecore, per quas certum est sanguinem ad se attrahere. Præterea ventriculus fœtus cum neque cibum capiat, neque chylum conficiat, solo sanguine nutriri potest. Atqui non vident, diuersam esse rationem ventriculi fœtus, dum in vtero continetur, & postquam est in lucem editus. In vtero namque nondum communem præbet vsum, cum neque cibos assumat, neque conficiat: quo fit, vt sanguine ex matre accepto, non secus ac reliquæ partes, nutriatur. Fœtu verò in lucem iam edito, communem iam vsum toti corpori præbet ventriculus, cum vel lacte, vel solidioribus etiam cibis vescatur. Fieri itaque non potest, quin cibos ingestos ventriculus conficiat, ex iisdemque confectis quod optimum est tunicis suis apponat, agglutinet, tandemque asimilet. Porro venæ quas ex iecore ventriculus accipit, hunc vsum dumtaxat præbent, vt tempore indigentiæ per eas ventriculus ex iecore sanguinem attrahat. Minus probabilis est aliorum opinio, qui chylo simul & sanguine ventriculum nutriri putant, quod inter recentiores asseruit Vallesius; quamuis agens de nutrientibus succis, ventriculum chylo nutriri docuerit, nulla prorsus alterius nutritionis ex sanguine facta mentione. Ceterum licet ventriculum chylo nutriri vere cum Galeno sentiamus, non tamen proinde concedimus cum Syluio octo facultates in ventriculo nutricis ministras. Non enim duplex est facultas attractrix, quarum altera ventriculo insit vt concoctionis instrumento, altera vero vt parti similari nutritione indigenti; sed vnica est attractrix ventriculi facultas, quæ & diuersis temporibus, & vario cum apparatu, & cibos ex ore, & chyli a se confecti meliorem portionem attrahit. Præcedit enim ciborũ attractio ex ore, quæ cum ventriculi actio sit vt pars est organica, rectarum internæ tunicæ fibrarum contractionem exposcit. Subsequitur postea attractio chyli, quæ cum actio ventriculi sit vt est pars similaris, a solo temperamento fit citra fibrarum opem. Quippe cum attractio ciborum & chyli specie non differat, a diuersis facultatibus fieri probabile non est. Eadem ratio est retentricis, cõcoctricis, & expultricis. Et quamuis diuersa sint ventriculi symptomata, quatenus concoctionis est organum, & quatenus pars similaris est nutritione indigens; hæc tamen duplicem attractricem aut concoctricem in ventriculo nequaquam demonstrant, sed eandem facultatem diuersis temporibus agere solum ostendunt, ita postulante vsu. Fierique proinde potest, vt ventriculi concoctio vt pars similaris est, interdum lædatur, eiusdem ventriculi concoctione vt instrumentum est, nullam noxam sustinente. Similis quoque de intestinis incidit quæstio, nutriantur ne chylo, an potius sanguine. Sed quoniam ex intestinis alia tenuia sunt, alia crassa, de vtrisque seorsum agendum: neque enim eodem nutrimento vtraque gaudere credimus. Tenuia intestina forsan putarit quispiam nutriri sanguine ex sententia Galeni, qui hoc eodem capite docuit, in

secundo

Lib.5. de nat par.med.cap.1.

Lib.5. contro. cap.7.

Lib.1. contro. cap.14.

A secundo nutritionis tempore intestinis & iecori nutrimentum apponi:atqui iecur sanguine nutritur,ergo & intestina. Mihi tamen probabilius videtur intestina tenuia nutriri chylo, cum enim easdem cum ventriculo tunicas habeant, & substantiam illi simillimam, communi quoque nutrimento frui, rationi est consentaneum. Quid enim obstat, quominus id fiat? An illud fortasse, quod ventriculus instrumentum sit concoctionis, intestina vero distributionis potius sint organa? Atqui distributionis organa cum sint, his natura ad concoctionem quoque abutitur, vt inquit Galenus. Quod si alimentum concoquunt intestina, sibi haud dubie, non iecori aut cæteris partibus concoquunt. Idem videtur sentire Galenus, dum ventriculum & intestina similiter nutriri affirmat. Quod autem hoc capite dixit de secundo nutritionis tempore, tantum abest vt huic sententiæ aduersetur, vt ipsam potius confirmet: nam eodem tempore chylus intestinis & iecori apponitur, quamuis huic sanguinis a se confecti portio postea apponatur. Diuersa multum ratio est intestinorum crassorum. Cum enim hæc nec concoctionis, nec distributionis sint organa, sed colligendis dumtaxat excrementis dicata; chylo qui ad ipsa nequaquam descendit, nutriri plane non possunt. Non tamen propterea velim cum Iouberto aliisque sentire, crassa intestina stercore ali, quorum sane opinio stercore ipso sordidior, absurdiorque mihi videtur. Si namque (vt supra ostendimus) neque sincera bilis vesicæ quæ iecori subest, neque alteri vesicæ sola vrina nutrimentum præbere potest; quid quæso de stercore sentire oportet, excremento nō solum sincero, verum etiam impurissimo, omniumque sordidissimo. Cum itaque nec chylo, nec stercore crassa intestina nutriri possint, reliquum est, vt sanguine secundum naturam alantur. Non tamen proinde negarim chylo interdum ali posse, quando scilicet nutrimenta per sedem iniecta in ipsismet intestinis concoquuntur; vt fieri solet in clysteribus nutrientibus. Nisi forte dixeris a tenuibus intestinis, aut etiam a ventriculo trahi.

Lib. 4. de vsu part. c. 17.

Lib. 4. de vsu part. cap. 19.

B

C

Parad. 6. de cad. 2.

CAP. XIIII.

IQVIDEM in arteriis id admodum est euidens; non secus autem in corde, thorace, & pulmone; omnibus enim his dilatatis vicissim contractisque, necesse est, a quibus aliquid prius est attractum, in ea mox emitti. Hanc itaque necessitatem natura prospiciens, vasorum quæ in corde sunt osculis, membranas adnasci fecit, quæ retro ferri materias prohibeant. Verum qualiter, & quemadmodum id fiat, in libris de partium vsu docebitur; vbi cum alia, tum illud traditur, non posse plane ad vnguem ita claudi vasorum ora, vt nihil ex his recurrat retro; quippe in venosam arteriam (nam id quoque in illis monstrabitur) multo plus quam per reliqua ora retro ferri est necesse. Quod autem ad id quod nunc instat est vtile, non posse quidquam ex iis intra quæ sensibilis & magna est laxitas, non aut cum dilatatur, ex omnibus quæ vicina sunt trahere, aut rursum cum contrahitur, in ea exprimere; id tum ex iis quæ in hoc libro iam prædicta sunt, constare potest; tum ex iis quæ tam Erasistratus, quam nos alibi de successione

D

 ad id

ad id quod vacuatur prodidimus. Iam vero quod in singulis arteriis vis quædam sit, que a corde confluat, qua tum dilatantur, tum contrahuntur, in aliis est monstratum. Ergo si ambo componas, tum quod hic eius sit motus, tum quod omne dilatatum ex vicinis ad se trahat; nihil miri tibi videbitur, arterias omnes quæ ad cutim finiuntur, externum aërem cum dilatantur attrahere: quæ vero parte aliqua ad venas se aperiunt, quod tenuissimum maximeque halituosum in his sanguinis est, ad se trahere; at quæ propinquæ cordi sunt, ab illo ipso aliquid trahere. Quippe in successione ad id quod vacuatur, quod leuissimum tenuissimumque est, prius ei quod vacuatur succedit, quam id quod grauius est & crassius. Est porro omnium quæ in corpore sunt, leuissimum tenuissimumque spiritus, secundo loco halitus, tertio gradu qui plane absolutus attenuatusque est sanguis. Hæc igitur arteriæ ex omni parte ad se trahunt; quæ quidem ad cutim pertinent, externum aërem, quippe qui vicinus his sit, ac quam maxime leuis; reliquarum autem, ea quidem quæ a corde subit ad collum, & quæ porrigitur per spinam, quæcumque præterea his sunt vicinæ, ex ipso maxime corde; quæ vero tum a corde, tum a cute absunt longius, hæ quod sanguinis est leuissimum a venis trahant necesse est. Quare arteriarum omnium quæ ab ea quæ super spinam est, ad ventrem intestinaque pertingunt, tractio inter dilatandum fit, tum a corde ipso, tum (quæ plurimæ sunt) a vicinis illi venis. Neque enim ex intestinis & ventre quæ adeo crassum graueque in se nutrimentum habeant, possunt aliquid de quo ratio vlla sit habenda, in se transferre, cum prius leuioribus impleantur. Neque enim si in vas quod aqua sabuloque sit plenum, syphone demisso, ore aërem ex vase per eum attraxeris, poterit prius sabulum sequi quam aqua; semper enim in successione ad id quod vacuatur, quod leuius est prius adsequitur. Non est ergo mirandum, si ex ventre prorsus exiguum, quantum scilicet exquisitissime est confectum, in arterias venit, ceu leuiore prius impletas.

Quoniam partium nutritioni de qua instituta fuerat disputatio, non mediocrem vsum præbent arteriæ, per quas non secus ac per venas nutrimentum distribuitur; proinde agit hoc capite de arteriarum attractione. Probat autem primum positis duobus principiis, arterias cum dilatantur, substantiam aliquam ex partibus vicinis necessario attrahere. Alterum principium id est, Quidquid insigniter cauum est, dilatarique potest ac contrahi, quo tempore dilatatur, aliquid ex iis quæ vicina sunt trahit; & quo tempore contrahitur, aliquid quoque in vicina expellit. Quod ita se habere quotidie experimur; & in rebus externis, vt follibus; & in animalium corporibus, vt in thorace & pulmone. Alterum principium est, In singulis arteriis vis quædam inest quæ a corde influit, cuius beneficio dilatantur & contrahuntur, de qua in præfatione multa diximus. Ex his duobus principiis hæc ratio conficitur, Quidquid cauum est, & dilatari potest, cum dilatatur, aliquid necessario attrahit ex iis quæ sibi vicina sunt: atqui arteriæ instrumenta sunt

caua,

A caua, & a facultate quæ a corde influit, dilatantur & contrahuntur: ergo dilatatæ arteriæ ex partibus sibi vicinis aliquid necessario attrahent. Attrahunt vero arteriæ cum dilatantur, quod tenuissimum est atque leuissimum, quoniam successione ad id quod vacuatur trahunt; in qua quod leue & tenue est, prius succedit quam graue & crassum. Nam si in vas aliquod aqua & sabulo plenum syphonem demittas, oreque sugendo aërem attrahas, aquam potius quam sabulum sequi experieris. Atqui tres sunt in nostris corporibus omnium leuissimæ, tenuissimæque substantiæ, quas possint arteriæ sua dilatatione attrahere, spiritus, halitus aut vapor, & maxime elaboratus sanguis. Attrahunt vero arteriæ nunc hanc, nunc illam substantiam, pro diuersitate potissimum partiũ vicinarum. Quo fit, vt quæ arteriæ finiũtur ad cutim, externum aërem promptis-
B sime trahant, vt pote qui & leuissimus sit, & dilatatis arteriis maxime vicinus. At quæ propinquæ sunt cordi, (vt arteria magna) hæ tum vitalem spiritum, tum sanguinem arterialem attrahunt ex corde. Quæ vero a corde & cute longius absunt, tenuissimam maximeque halituosam venalis sanguinis portionem ex venis sibi propinquis trahunt, atque iis potissimum, quibus cum per anastomosin communicant. Huius generis sunt quæ ad ventrem pertinent & intestina, hæ namque dum dilatantur, ex corde spiritum, & ex proximis venis quod in sanguine tenuissimum est potius trahunt, quam ex ventriculo & intestinis cibum; quod is crassior sit, quam vt facile sequi possit. Nihil igitur cuius ratio aliqua habenda sit, ex ventriculo arteriæ attrahunt, nisi quod in ipso cõtinetur tenuissimum sit & maxime halituosum, quale potissimũ
C est vinum; cuius spirituosa substantia (quæ plurima certe est) & arteriarum dilatatione promptissime attrahitur, & reficiendis spiritibus idoneam materiam præbet. Quo fit, vt epoto vino animi deliquium & syncope celerrime corrigantur, vt alibi iam diximus.

Sed illud minime ignorandum, duo esse tractionum genera; vnum quod successione ad id quod vacuatur contingit; alterum quod qualitatis conuenientia fit: aliter namque aër in folles, aliter ferrum a magnete attrahitur.

Vt certam rationem attractionis arteriarum facilius explicet, duo esse in vniuersum attractionum genera nunc docet; alterum quidem quod fit successione ad id quod vacuatur; alterum vero quod fit qualitatis conuenientia, id
D est totius substantiæ similitudine. Reperitur autem hoc duplex attractionis genus & in rebus externis, & in nostris corporibus. Folles namque vbi dilatantur, successione ad id quod vacuatur aërem trahunt; magnes vero ferrum trahit qualitatis conuenientia. Et in nostris corporibus instrumenta omnia caua quæ secundum naturam dilatantur (vt cerebrum, thorax, pulmo, cor, & arteriæ) successione ad id quod vacuatur attrahunt: & rursus hæc eadem instrumenta, & reliquæ omnes corporis partes proprium nutrimentum attrahunt substantiæ similitudine. De attractione quæ qualitatis conuenientia fit, abunde diximus libro primo, de ea vero quæ fit successione ad id quod vacuatur nunc dicendum. Sunt qui hanc omnino negarint, putantes scilicet, ei quod vacuatur substantiam aliquam succedere quidem, non tamen attrahi. Quippe cum successio ad id quod vacuatur rebus etiam inanimis communis sit, quemadmodum in his attractionis caussa esse non potest, ita neque in animalibus.

Argenterius l.2.de cau.morbo.cap.6.& Ionbertus parad.8.dec.2.

Non potest autem in rebus inanimis succesſio ad id quod vacuatur attractionem efficere, quia neque attractrix facultas in ipſis adeſt, neq; præcedit futuri vacui cognitio, neque aliqua eſſe poteſt rei attractæ fruitio: cum tamen quidquid trahat, Galeno auctore, proinde trahat, vt re attracta fruatur. Hi tamē meo iudicio non recte intelligere videntur, quomodo ſuccesſione ad id quod vacuatur dicatur fieri attractio. Neq; enim eiuſmodi ſuccesſio cauſſa attractionis eſt, alioqui quæcunque vacuantur attraherent, quod tamen eſt falſum. Nam ſi dolium vino plenum inaniatur, ſuccedit quidem, non tamen attrahitur, aër. Fit ergo dumtaxat attractio ſucceſsione ad id quod vacuatur, quando inſtrumentū aliquod cauum dilatatur; eſtq; dilatatio eius attractionis cauſſa; quæ tamen ſucceſsione ad id quod vacuatur fieri dicitur, quia ne ampliori reddita dilatati inſtrumenti cauitate detur vacuum, in vacuati locum aliquid ſuccedit. Itaque dilatato thorace & pulmone attrahitur aër, vt repleatur cauitas quæ inanis eſſe nō poteſt: & longo ſyphone in vas aqua plenum demiſſo, nunquam aſcendet aqua, niſi aër qui intra ſyphonem eſt, valida oris ſuctione attrahatur. Neque id tantū animalibus accidere experimur, in quibus peculiaria quædā organa ab aliqua facultate dilatantur, verum etiam in rebus inanimis, quæ ſola arte diſtendi poſſunt; dilatati namque folles ſucceſsione ad id quod vacuatur attracto aëre replētur. Atqui aduerſariorum rationes ex iis quæ diximus facile ſolui poſſunt. Neque enim attractionem quæ fit ſucceſsione ad id quod vacuatur præcedere debet futuri vacui cognitio. Neque itidem eiuſmodi attractio fit a facultate attractrice, neque ipſam ſequitur rei attractæ fruitio; hæc enim duo in iis tātum quæ ſubſtantiæ ſimilitudine trahunt, reperiri voluit Galenus. Quem fortaſſe calumnietur hoc loco quiſpiam, quod duo tantum attractionis genera propoſuerit, cū tamen alibi & a calore, & dolore attractionem fieri docuerit. Sunt & qui ſiccitatem attractionis cauſſam ſtatuant. Dicendum tamen, Galenum hoc loco quod de functionibus naturalibus diſputet, duo dumtaxat attractionis genera merito ſtatuiſſe; quoniam & quæ ſubſtantiæ ſimilitudine, & quæ ſucceſsione ad id quod vacuatur attractio fit in noſtris corporibus, omnino ſecundum naturam eſt. Quæ vero attractio a calore fit, aut dolore, a cauſſa præter naturam ortum habet, neque ex numero eſt actionum naturæ. Nam quamuis proprii nutrimenti attractio quæ ſecundum naturam fit in ſingulis corporis partibus, ab innato calore fieri dicatur, ab eo tamen fit tamquam inſtrumento facultatis attractricis, quæ prima cauſſa eſt eius actionis. Quomodo vero a calore & dolore attractio fiat, in pathologicis dicemus.

Lib.2. de diff. feb. cap. vlti. & li.13. meth. me. cap.3.

Præterea ſucceſsione ad id quod vacuatur prius id trahi quod leuius eſt; cōuenientia qualitatis nōnumquam (ſi ita ſors tulit) quod grauius, modo id cognata magis natura ſit. Itaque etiam tum cor ipſum, tum vero arterias, quatenus inſtrumenta caua, & dilatabilia ſunt, ſemper id quod leuius eſt prius petit; quatenus vero etiam nutriri poſtulant, in ipſas tunicas quæ vtique inſtrumentorum ſunt corpora, quod conueniens eſt attrahitur. Ergo quod ſanguinis in cauitatem eorum, cum dilatantur, eſt translatum, id ceu maxime ſibi conueniens, maximeq; nutrire ſe valens, tunicæ ipſæ vaſorum attrahunt. Quod autem ex venis in arterias trāsferatur aliquid, præter ea quæ dicta ſunt, illud ſatis euidenti argumento eſt. Si enim multis ampliſque arteriis præciſis iugulare per eas animal velis, inuenies

A *nies eius venas æque atque arterias vacuatas: quod sane nunquam fieret, nisi inter se haberent altera in alteram ora reclusa. Pari autem modo in ipso quoq; corde ex dextero eius sinu in sinistrum trahitur quod tenuissimum est, habente scilicet in se eorum interposito septo foramina quædam, in quæ prealte descendere obtutu videre licet, veluti in profunditates quasdam, quæ ex latissimo ore magis magisque semper in angustum procedant; ipsos tamen vltimos earum fines tum propter paruitatem, tum quod in animali iam mortuo omnia sint perfrigerata, ac densata, contueri non licet. Ceterum hîc quoque has sinuum cordis cõmunes vias ratio deprehendit. Primum quidem ea quæ inde ducitur, quod natura nihil molitur frustra, non enim temere aut fortuito facti sunt profundi illi mea*
B *tus, qui adeo in angustum finiuntur. Secundo illa, quod cum in dextro cordis sinu duo ora sint, vnum quo sanguis inuehitur, alterum quo emittitur; longe maius est id quo infertur, quam id quo emittitur. Tanquam enim non omnis sanguis quem vena caua cordi infert, ex illo rursus in pulmonem emittatur, vtique maior est ea cauæ pars quæ in cor inseritur, quam vena ea quæ in pulmonem procedit. Neque est quod dicat quisquam absumptũ esse sanguinis aliquid in ipsam corporis cordis nutritionem; siquidem alia vena est, quæ in id variæ fissa dispergitur, quæque nec ortum a corde habet, nec sanguinem ab eo accipit. Quod si etiam aliquid absumitur, at non tanto minor est vena quæ in pulmonem procedit ea quæ in cor*
C *inseritur, quãtum credibile est in cordis nutrimentum sanguinis esse absumptũ, verum ea longe est minor. Ergo manifestum est, quod in sinistrum sinum transmittitur, siquidem etiam duorum numero quæ in hoc sunt vasorum, longe minus est id quod a pulmone in eum ducit spiritum, quam magna quæ ex eo procedit arteria, a qua quæ sunt in corpore omnes ortum habent: ceu non spiritum modo a pulmone accipiat, sed etiam ex dextro sinu per iam dictas communes vias sanguinem. Porro quod præstet corporis partium alias puro, tenui, halituosoque sanguine nutriri, alias crasso & turbido, quodque hac in parte natura nihil omiserit;*
D *id operis quod de partium vsu inscribitur, proprium est.*

Duo illa attractionis genera bifariam differunt. Primum quidem, quia quæ successione ad id quod vacuatur trahunt, id quod leuius est & ad sequendum paratius, prius trahunt; quamuis eo deficiente sequatur quoque quod graue est. Quæ autem trahunt similitudine substantiæ, ea dũtaxat quæ familiaria sunt trahere possunt, siue grauia ea sint, siue leuia. Id cõfirmant arteriæ & cor, in quibus duplex illa attractio reperitur. Nam quatenus caua instrumenta sunt & dilatabilia, aërem, spiritum, halitum, aut elaboratum sanguinem attrahunt sua dilatatione; quatenus vero nutriri postulant, ex sanguine quem inter dilatandum in propiam cauitatem attraxerunt, quod magis conueniens familiareque est, similitudine substantiæ attrahunt, atque in propriã substantiam reponunt. Attrahit autem cor sanguinem venalem per venam cauam, arteriæ vero sanguinem arterialem & spiritum vitalem ex corde, ex venisque propinquis venalem sanguinem maxime elaboratum. Porro quod ex venis aliquid sanguinis in arterias

transfundatur, quamuis ex iis quæ supra dicta sunt satis constet, id tamen nunc probat euidenti demonstratione. Si enim præcisis insignibus amplisque arteriis (quales sunt iugulares) animal quodpiam iugulaueris, non solum arterias, sed vniuersas etiam venas sanguine vacuas reperies: quod sane fieri non posset, nisi sanguis ex venis transfunderetur in arterias. Similiter quoque qui in dextrum cordis ventriculum per venam cauam attractus est sanguis, aut saltem tenuissima ipsius portio in sinistrum ventriculum transmittitur: quod probat tribus rationibus. Prima desumpta est ex foraminibus quibusdã quæ in cordis septo manifeste conspiciuntur, potissimum qua parte dextrum ventriculũ spectant; quæ profundiora sensim, angustioraque ita redduntur, vt vltimò ipsorum fines qui ad sinistrum ventriculum pertinent, sensum omnino effugiãt: siue ob paruitatem id fiat, siue ob densitatem, quæ mortuo animali insigniter refrigerato contingit. A Nam & in neruis opticis ab iisdẽ causis fieri docuimus, vt licet reuera perforati sint, nulla sensibilis cauitas appareat. Horũ itaq; foraminũ quæ in cordis septo apparent, nullus alius potest esse vsus, quã vt ex dextro ventriculo in sinistrũ sanguis trãsmittatur: aut dicẽdũ esset frustra naturã eiusmodi foramina fecisse, quod est absurdũ. Altera ratio desumpta est ex magnitudine vasorũ quæ sunt in dextro cordis vẽtriculo, venæ scilicet cauæ, & venæ arterialis. Per illam quidem venalis sanguis in dextrum cordis ventriculum transmittitur: per hanc vero ex dextro cordis ventriculo sanguis in pulmonem transfertur. Est autem vena caua multo maior vena arteriali, vnde recte colligit Galenus, aliquid sanguinis ex dextro ventriculo in sinistrum transfundi. Alioqui enim oportuisset, venam arterialem cum vena caua parem magnitudinem habere, quo scilicet posset totũ eum sanguinem qui dextrum ventriculum ingressus est, in pulmonem transferre, si nihil in sinistrum permeat. Posset tamen quispiam dicere, nihil quidem sanguinis in sinistrum ventriculum permeare, venam tamen arterialem minorem esse, quia aliqua eius sanguinis portio in cordis nutritionem absumitur. Atqui cor sanguine eo qui dextrum ipsius ventriculum per venam cauam ingreditur, nequaquam nutritur, sed eo potius qui defertur per venam coronariam, quæ quidem ex caua, antequam in dextrum cordis ventriculum inseratur, ortum habens, per cordis basim diffunditur. Quod si quis fortasse dixerit, partes cordis externas per coronariam delato sanguine nutriri, internas vero eo potius ali, qui dextrum ventriculum ingreditur; ne sic quidem propositæ rationis vim effugiet; cum vena arterialis multo sit minor, quam exiguus ille postulet sanguis, qui in internarũ cordis partium nutritionem absumi potest. Postrema ratio ex iis vasis desumpta est quæ in sinistro sunt cordis vẽtriculo, arteria scilicet magna, & arteria venali: ex quorum vsu & magnitudine recte probat, ex dextro cordis ventriculo in sinistrum sanguinis aliquid transmitti. Per arteriam quidem venalem externum quem inspiramus aërem attrahit cor ex pulmone; per magnam vero arteriam vitalem spiritum & arterialem sanguinem ad reliquas partes expellit. Cum enim arteria magna longe maior sit quam arteria venalis, necessario hinc colligitur, non solum spiritum in sinistro cordis ventriculo genitum per arteriam magnam remitti, sed aliud quidpiam vna cum spiritu: quod sane aliud nihil esse potest, quam sanguis ille arterialis, qui in arteriis omnibus secundum naturam continetur. Quod si ex sinistro cordis ventriculo arterialis iste sanguis in arteriam magnam transmittitur, inibi generari necesse est, non secus ac vitalem spiritum. Atqui ex aëre inspirato ex quo certum est vitalem spiritum gigni, arterialis sanguis generationem habere non potest: ergo solus

superest

A superest sanguis venalis, qui ipsi gignendo materiam suppeditet.

Quo minus de his agendũ hoc loco est, sed quod duo tractus sint genera prius admonitos, nempe aliis dum dilatantur, successione ad id quod vacuatur per latas vias in se trahentibus, aliis qualitatis conuenientia; illud deinceps docendum, priora quidem etiã eminus trahere aliquid posse, posteriora cominus dumtaxat. Siquidem si syphonem longissimum in aquã demiseris, poteris per eum facile humorem sursum in os trahere; at non si ferrum a magnete longius seponas, aut etiã a fictili frumentum, (nam eiusmodi quoque exemplum supra est positum) poterit adhuc fieri tractus. Sane luculenter id intelligas ex iis qui in horto sunt canalibus, ex his namque in omnia quidem quæ iuxta sunt & vicina, defertur aliquis
B *humor, in ea vero quæ longius absunt peruenire non potest; eoque coguntur, multis canaliculis paruis a magno deriuatis, in omnes horti partes confluxum aquæ moliri; tum ea magnitudine spatia quæ inter canaliculos sint, facere, qua scilicet ea existimant tracto ad se vtrinque affluente humore posse perfrui.*

Alterum discrimen est, quod quæ trahunt successione ad id quod vacuatur, eminus attrahere possint; quæ autem attrahunt similitudine substãtiæ, cominus dumtaxat attrahant. In rebus externis rem ita habere experimur. Nam si longissimum syphonem in aquam demiseris, a loco etiam loginquo aquam trahes, si totum aërem qui intra syphonem est, oris suctu inanìueris: fit namque huiusmodi attractio successione ad id quod vacuatur. Porro quod quæ attrahunt similitudi
C ne substantiæ, cominus tantum trahant, confirmat exemplo magnetis, tritici, & plantarum quæ in hortis irrigantur. Magnes enim ferrum si iuxta sit positum, attrahit facile; si longuis distet, attrahere non potest. Triticũ quoque (quod aquã in fictilibus vasis contentam similitudine substantiæ attrahere diximus libro primo) si longuis distent fictilia, aquam non attrahit. Et plantæ quæ in horto sunt, ex riuulis sibi propinquis, non autem ex iis qui lonigus absint, humorem ad se alliciunt. Quamobrem diligentes hortorum cultores quo tempore irrigationẽ moliuntur, ex maioribus canalibus riuulos quam plurimos certis quibusdam interuallis a se inuicem distantes deriuare consueuerunt; eo nimirum consilio, vt plantæ singulæ tracto ad se affluente humore cõmodissime perfruantur.

D

CAP. XV.

RGO sic se res habet & in animalium corporibus. Canales multi per omnes partes sparsi, sanguinem illis, veluti in hortulo quandam rigationem adducunt; atq; horum canalium media ipsa quæ interueniunt spatia, mirifice a natura statim inter initia sunt disposita, sic vt nec præparce mediis eorum partibus sanguis quem ad se trahunt subministretur, nec copia superuacui humoris intempestiue ad ea confluentis aliquando obruantur. Quippe modus nutriendorum eorum talis est. Corporis quod sibi est cõtinuum (cuiusmodi Erasistratus simplex vas esse proponit) summæ primum partes admoto sibi nutrimento fruuntur; ab his vero per continuum trahẽtes sumunt quæ sunt deinceps; deinde ab illis aliæ; nec est eius operis finis, quoad in omnes

in omnes eius partes nutrientis substantiæ qualitas sit perlata. Quæ vero particulæ amplius alteratum eum, quo nutriantur, succum desiderant, his veluti penum natura, vel sinus, vel cauernulas, vel aliquid quod cauernulis portione respondeat, præparauit. Ac carnes quidẽ tum viscerum omnium, tũ vero musculorum, ex sanguine ipso nutriuntur, exiguam scilicet alterationẽ consequuto. Ossa vero quo nutriantur, numerosa quæ intercedat mutatione egent; estq; qualis carnibus sanguis, talis ossibus medulla; scilicet in iis quæ parua sunt sinusq; expertia, cauernulis eorum inspersa; in magnis vero, & quibus sinus non desunt, vtiq; in ipsis collecta. Sicut enim in primo monstratum est libro, quibus similis est substantia, his mutari inter se fas est; quibus plurimum inter ipsa est discrimen, ea fieri similia citra omnes quæ in medio sunt mutationes, non possunt. Tale quiddã & chartilagini est mucosum illud quod ei circumfunditur. Præterea ligamentis, mẽbranis, & neruis, lentus humor qui in his inspersus visitur; singula namque horũ ex multis conficiuntur fibris, quæ & similares particulæ sunt, & vere sensibiles. In mediis vero earum spatiis qui maxime ipsarum nutritioni succus conuenit, est inspersus; hunc vero ex sanguine traxerant venarũ, electo inde quoad potuere sibi quam simillimo; assimilant autem sensim, atq; in suã naturam mutant.

Ad explicandum modum quo singulæ corporis partes nutriuntur, reuertitur hoc capite. Cum autem superiore libro demonstratũ sit, nutritionis gratia a natura institutam fuisse nutrimenti distributionem, eamque potissimum fieri a facultate attractice; huiusmodi attractionem substãtiæ similitudine perfici necesse est. Quoniam vero quæ similitudine substantiæ trahunt, ex locis tantum propinquis attrahere possunt, partesq; nutriendæ & plurimæ sunt, & a nutrimenti principiis longe distantes; canales quidam prorsus necessarii fuerunt, per quos nutrimentum ad singulas partes deduceretur. Duo autem potissimum sunt huiusmodi canales maxime insignes, vena scilicet caua, & arteria magna: qui quidem ex suis principiis, iecore & corde, originem trahentes, in alios minores canales diuiduntur, hique rursus in alios minores, donec in minimos quosdam canaliculos, id est minimas venas & arterias, finiantur, ex quibus singulæ partes proprium sibique familiare nutrimentum ad se alliciunt. Sed & inter eiusmodi vasa, media quædã spatia ita mirifice natura disposuit, vt nec penuria nutrimenti partes laborare, nec eiusdem copia interdũ obrui possint. Atqui hoc nutrimento ex propinquis propriisque vasis attracto, simplices similaresq; corporis particulæ hoc ordine nutriuntur, vt summæ, & quæ in superficie positæ sunt particulæ, venali sanguine ex venis, & ex arteriis vitali spiritu, sanguineq; arteriali attracto primum fruantur; deinde aliæ per continuum trahentes nutrimẽtum sibi apponant; ab his rursus aliæ quæ continuæ sunt, quoad in minimas omnes particulas corporis cuiuscunque similaris nutrimentum peruaserit. Quemadmodum enim in accretione quælibet augescentis corporis particula in trinam dimensionem extenditur; ita & in nutritione quamlibet corporis quod nutritur particulam, nutrimentum sibi apponere, agglutinare, assimilareq; necesse est. Et quamuis omnes corporis partes, (ventriculo excepto, & tenuibus intestinis) sanguine nutriantur, non tamen idem omnino est proximum partium nutrimentum. Cum enim corporis partes & temperie, & substantiæ modo plurimum

A mum inter se differant, multiplici nutrimẽto priuatim indiguerunt. Atq; hæc vna caussa est,cur sanguis quartus humor, qui solus tota substantia nobis familiaris est, reliquorũ humorũ mistionẽ postularit;vt scilicet (quemadmodũ alibi diximus) calidas,frigidas siccas,humidas,tenues,crassasq; partes eius mistionis beneficio adquireret,variisq; partibus nutriẽdis redderetur idoneus.Neq: enim eodẽ sanguine partes carnosas & solidas nutriri probabile est;sed calidiori tenuiorią; carnosas,solidas vero frigidiori & crassiori. Iã vero & sanguis ipse in quibusdam partibus minorẽ, in aliis maiorem elaborationẽ exposcit,prout magis vel minus a partium nutriendarum natura distat. Viscerum itaque & musculorũ carnes facili negotio sanguine sibi familiari aluntur,cum caro sit veluti sanguis quidam concretus.Recte autem dixit viscerum & musculorũ carnes,quoniã carnes aliæ spermaticæ sunt,quæ semine potius quam sanguine proxime nutriũtur.Nã vt propriũ partiũ sanguinearum nutrimentũ est sanguis,ita & semen partium spermaticarũ. Semine itaq; aluntur testes,mammæ lacte,& cerebrũ substantia semini simili; quas tamen partes alibi cum Galeno ad carnosum genus retulimus.Sed neq; id semen quo partes spermaticæ aluntur, eandẽ in omnibus quæ nutriuntur partibus speciẽ refert:neq; ex sanguine similiter concocto gignitur. Commune quidem id est partibus omnibus spermaticis, vt nutriantur sanguine multũ cõcocto & elaborato, in semenq; prius conuerso:non enim fieri potest,vt sanguis natura humidus,fluxilis, ac ruber,partibus albis ac solidis assimiletur,quin plures intercedant mediæ mutationes.Sed quo partes spermaticæ solidiores fuerint,eo maiorẽ elaborationem sanguis exposcit, vt proprias qualitates sensim deponens, ad partis nutriendæ naturam paullatim accedat. Vnde etiam fit, vt proximum partium spermaticarũ nutrimentũ diuersam omnino formã præseferat,nã ligamentis,mẽbranis,& neruis,lẽtus quidã humor inspergitur,quo eiusmodi partes proxime alũtur. Et cartilaginibus mucosus quidã circũfunditur humor,qui proximũ est ipsarũ nutrimẽtũ. Ossa præterea partium omnium siccissima ac solidissima,medulla tanquã proprio nutrimẽto gaudent,quæ ex sanguine multũ elaborato, diutissimeq; cõcocto ortũ habet. Neq; vero hoc tantũ nomine diuersarũ partium nutritioni prouisum est a natura,sed eo etiã mira ipsius prouidẽtia elucescit, quod sinus quosdã,vel cauernulas,vel aliquid quod portionẽ ipsis respondeat,partibus quibusdam veluti penum quendã præparauerit,vt detentus in his diutissime sanguis ad vnguẽ concoquatur.Id quod in ossibus factum potissimum obseruamus, quoniã vt ait Galenus, in ossibus quæ parua sunt & sinus expertia,ipsorum cauernulis inspersa est medulla; in magnis vero & quibus sinus non desunt, in ipsis sinibus est collecta. Videtur autẽ hoc loco medullæ nomen improprie vsurpasse pro nutrimento proprio proximoq; omnium ossium,cum tamen alibi medullam proprie eã tantũ vocarit, quæ intra ossiũ cauitates coacta continetur,quo pacto dictum ab eo est,ossa aliqua medulla carere. Est præterea & illud hoc loco difficile,quod ossa magna,sinuosa,parua vero,sinus expertia,solisq; cauernulis prædita esse dixerit:quã itidẽ sententiã repetit lib.11.de vsu par.cap.18. Quin etiam lib.de ossi.hãc tradit ossium diuisionẽ,ossiũ quædã grandia,& ampliter cõcaua sunt,ac medulla plena;quædã parua, solida,ac sine medulla,neque caui quidquam quod sensu dignosci queat, in se habent:quæ tamen constare non potest, vt monstrat apertissime ossium historia & obseruatio.Siquidẽ inter ossa magna,quędam sunt sinus expertia,solisq; cauernulis prædita,vt os sacrũ,vertebrarũ corpora,pectoris os,os calcis,talus,& vertici ossa. Et rursus ex ossibus paruis,non pauca sinibus prædita conspiciũtur,vt pedii, postbrachialis, & digitorum ossa,tum etiam & dentes.Quare non citra rationẽ Galeni sentẽtia hoc loco scripta,& lib. 11.de part. vsu repetita,suspecta videri possit,

Lib. de nat. ho. com. 38.

B

Lib. 2. de temp. cap. 5.

C

D

Lib. de ossibus & lib. 11. de vsu part. cap. 18.

posſit, niſi dixerimus, non affirmaſſe Galenum, oſſa omnia magna ſinuoſa A
eſſe, & omnia oſſa parua eſſe ſinus expertia; immo contrarium potius voluiſſe, cum paruorum oſsium, & ſinus expertium ſeorſum meminerit, ſeorſum quoque magnorum & ſinus habentium mentionem fecerit. Oſsium vero diuiſionem lib. de oſsibus traditam, Colladus noſter longe doctiſsimus ita explicabat, vt nolit Galenus oſſa quæ magna ſunt, eſſe ſimul ſinuoſa, & medulla plena; oſſa vero parua eſſe ſinus expertia, & ſine medulla; ſed ſimul potius proponat tres diſtinctas oſsium diuiſiones, ita vt ex oſsibus quædam magna ſint, alia parua; rurſus alia ſinuoſa, alia ſinus expertia; & tandem alia medulloſa, alia vero ſine medulla.

Com. in lib. Gal. de oſsib.

CAP. XVI.

RGO hæc omnia tum inter ſe conſentiunt, tũ iis quæ ſupra demonſtrata ſunt, ſatis teſtimonii perhibent. Nec eſt quod etiamnum diſceptationẽ producamus, ſiquidẽ ex iis quæ iam dicta ſunt, inueniat quiſque non ægre, quemadmodum omnia particularia fiãt. Sicut verbigratia, multis eorum qui immodice bibunt, & ocyſsime pertranſit quod biberunt, & meiitur intra breue tempus paullo minus totum. Quippe in his quoque tum qualitatis conuenientia, tum humoris tenuitate, tum vaſorum laxitate, non ipſorum modo, ſed etiam eorum oris, tũ trahentis facultatis robore, celeritas digeſtionis perficitur. Particulis quidem quæ iuxta ventriculũ ſitæ ſunt, propter qualitatis conuenientiam ſua ipſarum cauſſa potionem trahentibus, iis vero quæ proxime ab his ſunt, ipſis quoq; ad ſe rapientibus, deinde iis quæ poſt has habentur, rurſum ab his ſumentibus, donec ad cauam peruentum ſit venam, ab hac vero renibus iã quod ſibi conueniens eſt attrahentibus. Quare nihil miri eſt, vinum aqua propter qualitatis conuenientiam citius ſurſum aſſumi. Ipſorũ vero vinorũ, quod albũ eſt & purum, tenuitatis gratia prompte in corpus digeri; ſicut e contrario nigrum & turbidum craſsitudinis vicio per viam hærere, ac tardare. Fuerint ſane hæc & iis quæ de arteriis ſupra diximus, non parua teſtimonia, vbique enim qui conueniens ſimul ac tenuis ſanguis eſt, eo qui talis non eſt, facilius trahentem ſequitur. Itaque cum quando dilatantur, halitum, ſpiritum, ac tenuem ſanguinem trahant arteriæ, eius qui in ventre & inteſtinis eſt ſucci, aut nihil, aut omnino attrahũt perexiguum. B C D

Agit hoc vltimo capite de diſtributione potus, quoniam & is partibus nutriendis videtur neceſſarius. Cum autem duplici vtamur potu, aquæ, & vini, & vtriuſque mixti; certiſsimum eſt vinum nutrire, immo nutrimentum eſſe omnium maxime nobis familiare. De aqua tamen merito dubitari ſolet, nutrire poſsit, necne. Negat plerumque Galenus aquam nutrire, interdum tamen id videtur conceſsiſſe.
Cap. 5. Lib. 4. de vſu part. cũ docuiſſet aquoſum humorem eſſe vehiculum nutrimenti, ad hunc modum ſcribit, Hunc itaque vſum præbet animalibus aqua, ſiquidẽ ex ea nu- »
Comen. 17. triri nulla particula poteſt. Idẽ manifeſtius docuit, lib. 3. de rat. vict. in mor. acut. »
his verbis, At quæ nullo pacto nutriunt, vt aqua, ea virtutẽ neq; ſumme imbecil- »
litare, neque roborare quiſpiam vere dixerit, niſi id aliquando per accidens con- »
tingat: aqua ſiquidem non vt alimentum vires recreat, ſed bene vt medicamentũ, »
ad temperamenti ſymmetriã quæ propter ipſius immoderationẽ imbecilla ſunt, »
reducens. Hippocrates tamen aliquam nutriendi vim videtur aquæ tribuiſſe, cum

lib.

A lib.3. de rat. vict. in mor. acut. mulsam solam epotam aqua multo potentiorem esse dixerit. Scribit quoq. Galenus hoc capite, corporis partes, qualitatis conuenientia, sua ipsarum caussa potionem attrahere: atqui qualitatis conuenientiam vocat totius substantiæ similitudinem. Et lib. 1. de sani. tu. agens de triplicis partium substantiæ instauratione, solidam substantiam cibo, humidã potu, spirituosam aëre resarciri docuit. Ac tandem lib. de pul. ad tyro. aquam ad portionem ciborũ pulsus immutare fatetur: quod tamen facere non posset, nisi nutriret. Cæterũ hæc neminem fateri cogent aquam nutrire, tribuit enim Hippocrates vim aliquã aquæ, nõ quod ipsa nutriat, sed quod ventriculi ariditatẽ irriget, ac corrigat. Non enim aliunde fit, vt qui vrgente fame solam aquam bibunt, diutius durent quam qui nihil assumunt. Et quamuis substantiæ similitudine aqua à partibus trahatur, nõ propterea necessario nutriet: nam & bilis a vesica, & ab vtero semen ob substantiæ familiaritatem attrahitur: cum tamen neq. vesica bile, neq. vterus semine nutria- Sent.19. Cap.2.

B tur. Porro quod humida partium substantia potu instauretur, cũ Galeno libenter asserimus, dummodo intelligas potum à Galeno vocari, non aquam epotam, sed in vniuersum nutrimenta omnia humida & fluxilia; qualia sunt, vinum, lac, ptissanæ cremor, & reliqua iuscula. Siquidem & Hippocrates huiusmodi nutriméta &
» humoris & potus nomine intellexit, cum ait, Qui celeri aliméti appositione egẽt, Lib. de alim.
» humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium: & rursus, Facilius est, potu Aphor. 11. li. 2.
» refici quam cibo. Tandem vero ad portionem ciborum pulsus immutare dicitur aqua, non quod nutriat quemadmodũ cibus, sed quod immodice bibita vires grauet, non secus ac cibus immodicus, efficiatq. proinde pulsus inæquales & inordinatos, quales fieri etiam solent à nimia ciborum copia viribus oppressis. Et rursus vt cibus modice sumptus pulsus mutat ad vehementiam & magnitudinem, ita & aqua modice pota; quæ quidem licet non nutriat, vires ex accidenti recreat; tum quod nutrimenti vehiculum sit; tum etiam quod ventriculi ceterarumq. partium

C caliditatem siccitatemq. corrigat. Cum igitur hæc omnia loca aptissime explicentur, in aliis vero aperte fateatur aquam nõ nutrire; hanc veram esse Galeni sententiam existimamus, quam etiam confirmat ratio. Nam si aquæ potu humida partiũ substantia resarciretur, esset aquæ potus ad vitam omnino necessarius. Atqui nõnullos sano habitu præditos, non tantum dierum, sed plurium etiam mensium spatio, nulla cogente necessitate, sine aquæ potu transigere experimur. Et quod maius est, sunt qui toto fere vitæ tempore vix summis labiis aquam degustarint, vtpote qui vino deditissimi, aquam auersentur, & incredibili quodam odio prosequantur. Quod si roges, cur aqua partibus alioqui familiaris, nutrire nõ possit; ad nimiam ipsius humiditatem caussam referendã esse putarim. Cum enim summe humida sit, partibus agglutinari nequit, præsertim cum omnis lentoris sit expers, ob

D eamq. caussam humido primogenio resarciendo prorsus inepta: cuius substantia cum aërea sit simul & aquea, tenax vtcunq. est, & quodammodo pinguis. Quis igitur, dicet quispiam, aquæ epotæ vsus est? quæ tãta plerumq. necessitas, vt præ ipsius inopia multi quotidie pereant? Duplex sane aquæ vsus est, isq. maxime insignis; est namq. nutrimenti vehiculum, & natiuam partium humiditatem fouens siccitatẽ corrigit, efficitq. ne tam cito natiua humiditas ab insito calore absumatur. Quo etiam consilio satis multam aquæ copiam intra pericardion inclusit natura, vt vehementissimo cordis calori seipsam opponens, natiuam cordis humiditatẽ foueat, incolumemq. diutius seruet. Atque hinc factum est, vt singulis corporis partibus insita sit serosæ humiditatis appetentia, quam sitim naturalem appellant; nam vt deficiente partibus nutrimento naturalis fit fames, ita deficiente aquosa humiditate naturalis sitis efficitur. Et rursus quemadmodũ animalis fames fit sen-

tiente ventriculi orificio cibi defectum, ita & sitis fit animalis sentiente ventriculo A
defectum potionis: quo tempore præcedere debent, seorsæ humiditatis defectus, sitis naturalis, suctio, & suctionis sensus. Quæ cum ita sint, mirandum profecto non est, si quamuis aqua non nutriat, ipsius potus plerisque sit ad vitam necessarius. Distribuitur autem bibita aqua, non secus ac cibus, ex ventriculo in vniuersum corpus; trahentibus primum ob qualitatis conuenientiam vasis quæ iuxta ventriculum sunt, & ex his rursus trahentibus aliis, & aliis deinceps, donec ex propriis vasis partes singulæ trahant. Porro nunc celerius, nunc contra tardius aqua digeritur ob quattuor caussas, qualitatis conuenientiam maiorem, vel minorem, aquæ tenuitatem vel crassitiem, vasorum, ac potissimum orificiorum laxitatē aut densitatem, & facultatis attractricis robur aut imbecillitatē. Quæ igitur aqua pura est, limpida, & gustui iucunda, ob qualitatis conuenientiam celerius distribuitur; tardius vero quæ minus familiaris est, qualis est palustris, lacustris, turbida, B
male olens, aut salsa. Rursus quo tenuior aqua fuerit, eo celerius hypocōdria pertransit, quia attracta facilius promptiusque sequitur: quo autem fuerit crassior, eo diutius in ventriculo & hypochondriis immoratur, ibique grauitatem parit aut tensionem. Quod si vasa, aut ipsorum ora ampla fuerint, & facultas attractrix robusta, celeriorem multo aquæ digestionem fieri necesse erit; quemadmodum tardiorem multo, si vasorum ora densa, aut facultas attractrix fuerit imbecilla. Nihil igitur est miri, si quibusdam eorum qui immodice bibunt, aqua ocyssime permeat, & intra breue tempus tota fere mingitur; quibusdam contra diutissime detinetur. Eadem quoque & de vino intellige, ab iisdem enim caussis pendet ipsius distributio ex ventriculo in vniuersum corpus. Vinum tamen quam aqua celerius distribuitur, quia ob maiorem substantiæ similitudinem ac tenuitatem promptius a vasis attrahitur: quo fit, vt vinum aquæ mistum sitim citius extinguat, quam si sola bibatur aqua. Iam vero & inter ipsa vina, quæ alba & pura sunt, tenuitatis gratia in vniuersum corpus prompte digeruntur, nigra vero, turbida, & crassa (quale C
nostrum Saguntinum est) per vias hærere solet, ac morari. Atque hæc quidem quę de potionis distributione hactenus diximus, cum iis maxime cōsentire vidētur, quæ de arteriarum attractione dicta antea fuerant, Nam vbi cum similitudine substantiæ tenuitas coniungitur, facillima promptissimaque attractio fieri consueuit.

FINIS.

INDEX IN COMMENTARIOS PHYSIOLOGICOS.

Alexi-

B.

C.

Calida

D.

E.

F.

I.

K.

L.

Medi-

Mensis

N.

Q.

R.

S.

T.

V.

Vestes

ERRATA.

Pagina 3. linea penultima execuerunt, lege exercuerunt. pag. 4. lin. 35. Heroclida, lege Heraclida. *pag. 9. lin. 21. actricium, lege actricum. pag. 9. lin 22. effectricium, lege effectricum. pag. 16. lin. 24. quoram, lege quorum. pag. 27. lin. 32 minimus, lege minimis. pag. 28. in margine, φυσιολογία, lege φυσιολογίας. pag. 28. lin. 30. definiuntur lege definiuntur. pag. 54. lin. 11 ualidissima, lege non solū ualidissima. pag 55. lin. 36 Et erursusx his, lege Et rursus ex his. pag. 57. lin. 16. uehemeti, lege uehementi. pag. 58. lin. 10. humidum, &, lege & humidum. pag. 65. lin. penult. conco, lege citonco. pag. 67. lin. 1. maret, lege mares. pagin. 67. lin. 1. caliares, lege calidiores. pag. 67. lin. 29. coiiret, lege coiret. pag. 70. lin. 4 κεράννιτρι, lege κεράννισθαι. pag. 81. lin. 7. qualicunq; lege qualiscunq; pag. 81. lin. 42. qu, lege quæ pag. 83. lin. 24. nuquam, lege nunquam. pag. 84. lin. 43. redundantia, lege redundantiam pag. 87. lin. 36 omne, lege omnes. pag. 91 lin. 26. sisignificare, lege significare. pag. 91. lin. ult. a, ut, lege aut. pag. 109. lin. 33. comprehenso, lege comprehensos. pag. 112. lin. 16. integtas, lege integras. pag. 116. lin. 37 no: lege non pag. 128. lin. 15. diffenrentias, lege differentias. pag. 145. lin. 18. rariones, lege rariores. pag. 163. lin. 32. augenscentia, lege augescentia. pag. 191. lin. 12. in temperato, lege in intemperato. pag. 194. lin 21. illas, lege illa. pag. 202. lin. 12. censeni, lege censent. pag. 213. lin. 24. dixemus, lege diximus. pag. 218. lin. 29. musculorū, lege musculorum. pag. 221. lin. 16. tringinta, lege triginta. pag 239. lin. 25. τῶν ταχέων, lege τῶν παχέων. pag. 260. lin 13. plagant, lege plagam. pag. 263. lin. 24. cundum, lege secundum. pag. 266. lin. 36. ca capiti, lege capiti. pag. 272. lin. 6. matationes, lege mutationes. pag. 283. lin. 43. potestare, lege potestate. pag. 288. lin. antepenult. dones, lege donec. pag. 293. lin. penult. iecore, lege in iecore. pag. 294. lin. 39. aere, lege aerem pag. 314 lin 12 nequaquaquā, lege nequaquam pag. 316. lin. 35. effectus, lege affectus. pag. 316. lin. 36. reuertatur, lege reuertantur. pag. 318. lin. 14. quarum, lege quorum. pag. 327. lin. 24. exercerent, lege exercent. pag. 329. lin. 28. ab, lege ob. pag. 352. lin. 36. potiffimum, lege potissimum. pag. 366. lin. 15. arti. lege art. pag. 369. lin. 4. qualitatum, lege facultatum. pag. 384. lin. 1. admittere, lege amittere. pag. 394. lin. 16. inuenictur, lege inuenientur. pag 394. lin. 21. facultatem, lege facultatum. pag. 401. lin. 41. ligantes, lege litigantes. pag. 443. lin. 1. eius est quod secundo fit sed, dele. pag. 449. lin. 21. mensenterio, lege mesenetrio. pag 462 lin. 34. iuuentum, lege inuentum. pag. 463. lin. 30. undiq; lege utiq. pag. 475 lin. 19. uitellimam, lege uitellinam pag. 489 lin. 1. quis, lege quisquis. pag. 513. lin 10. este, lege esse. pag. 525. lin. 36. præberent, lege præbere. pag. 526. lin. 23. deglutendo, lege deglutiendo. pag. 604. lin. 12. accurratius, lege accuratius. pag. 607. lin. 21. mundum, lege modum. pag 641. lin. 3. particularium, lege particularum.*

in.l.
rzil.d.Anto.
lā legem ſi qū.
pte ſue diſtinctie.
debite dānum pat

...q̃ tñ vt dixi odiosa repntantur.
...is cõsideratur ṽba statuti: ⁊ rõ seu
...tatuti dicitur determinatio statuti
...ꝯ aũt statuti seu mẽs idẽ sũt vt not.
...ppe loq̃ndo rõ statuti dr̃ qñ rõ sta
...tuti dr̃ qñ rõ nõ ẽ scripta i statuto
...dr̃ ꝯstare mẽte statuti: ẽt si rõ statuti
...ndata sup eqtate nãli ſm pe.bal. ⁊
...statuti dr̃ aĩa statuti ſm bal.i.l. siqs
...nec ex mẽte ... dr̃ cõtinere i ipa.l.
...er. ... ⁊ i.l.cũ mulier.ṡ.c. ¶ Quar
...tatio: sumit duob⁹ mõis. vno mõ
...nẽ. alio mõ large ſm ei⁹ largã signi
...ꝑ.l. declaratio. Ista ẽ gl. sin.i.l. sup
...ur. Largo aũt mõ iterp̃tatio sumi
...strictiua ⁊ extẽsiua. glo. ẽ no.i.l.i.§.
...l.i.d.l.j.ꝺ ori.iu. ¶ Et volens tra
...ꝝ ꝓseq̃r has q̃ttuor spẽs iterp̃tatio-
...tractãs ꝺ iterp̃tatiõe expositiua seu
...ꝺe correctiua. tertio de iterp̃tatione
...gã lõgã ⁊ ꝑlirã mãꝫ iterp̃tatiõis ex
...c iterp̃tatiõis p veras ⁊ idubitatas
...toritatib⁹ doctoꝝ ⁊ rõnib⁹: resecan
...rp̃tationẽ statutoꝝ expositiuã seu
...p̃ma ꝯclõ sit ista: vbi statutuꝫ non
...significaro nõ ẽ recedẽdum si emer
...sum ṽboꝝ statuti adeũdus ẽ ppl̃s
...iterp̃tari cui⁹ ẽ ꝯdere. vt i.l. õi inoua
...e nouo.C.ꝺ leg. ⁊ i.c.cũ venissẽt. ex
...erũt declarare ꝯditores statuti q₂ sũt
...ipi⁹ repñtant ppl̃m quẽ repñtabãt
...ebunt statuta p ip̃m ppl̃m fcã eo q₂
...ciebãt auctoritate sibi data p ppl̃m:
...cui⁹ auctoritate ẽ cõfect⁹ vt i.l.j.§.
...ꝺ p̃bẽ.li.vj. ⁊ in.l. itẽ eoꝝ.§. si decu
...ꝺ i pma cõclõne. ¶ Scða ꝯclõ si
...pl̃a significata ⁊ oĩa significata sint
...nsus accipiet q magis cõgruit sub-
...ca. ⁊ in.l. si fuus pluriũ.§. si.ṡ
...ver. ⁊ in.l. si stipl̃at⁹ i pn.ṡ. de
...⁊ ha. ¶ Tertia cõclõ: si statutum
...ſm. ppriã ṽboꝝ significationẽ: ⁊ ali
...ignificatũ ꝓprie ṽboꝝ significatiõis
...l.j.§. si is q naue. de exer.l. iij.§.ꝟ
...no p doc.i.l. nõ alr̃.j. de le.iij. i illa q̃
...esti. h̃ ꝯclõ limitat i vno cãu nisi ca-
...aret absurditas: ⁊ assumẽdo iproprĩ
...tũc statutũ intelligit ſꝫ iproprĩam
...si cũ ista iproprietate ꝯcurreret cõis
...§. qꝫ tñ cassi⁹. j. de le. iij. l. cũ ꝺ lani-
...cũ si. Rõ hui⁹ limitatiõis ẽ qm̃ vbi
...tiõe statuti resultat absurditas: dr̃ si
...tẽta iproprĩa ṽboꝝ signi. resultat eq
...gl̃a. ẽ qꝫ vbicũqꝫ mens ⁊ ṽba
...fert vnũ. ſꝫ mẽtẽ ifert totũ ꝯriũ
...recedẽdũ. vt no.i.l. nõ dubiũ. C. de
...cõ. ⁊ tex. sin. d. bal. quẽ semp alleg. ⁊
...§. aliõ. ṽ. ꝯñs. j. ꝺ ex. tu. De ꝯclõnes
...quã ponit circa iterp̃tatiuã iuri cõis
...iã dicis ex theorica. d. bartho. ꝺ sali.
...e extẽderiꝫ circa scðaꝫ iterp̃tatione
...Scẽdũ ẽ qꝫ q̃dã ẽ iterp̃tatio correc-
...orrigat. q̃dã correctiua passiue: cũ
...rca primã facio ifrascriptas ꝯcl-
...ꝯdi cẽs iuri cõi. puta q₂ ius cõc-
...q̃ aq̃o suspẽdat: ⁊ ṽba ste-

colorchecker CLASSIC



calibrite

mm